JACOBI PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris

CONSULTATIONES CANONICÆ,

IN QUIBUS

PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ,

Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sac. Concilium Tridentinum; ad Episcopos, & Regulares; ad Immunitatem, Libertatem, Jurisdictionem Ecclesiasticam, ac hujusmodi alia potissimùm pertinent; non solùm ex utroque Jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum Decretis, Rebus Judicatis, Placitis, atque Consultis, ex Prudentum Responsis, ex Moribus receptis, breviter, ac perspicuè dirimuntur.

OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS, JURISCONSULTIS, ac Politici studii Mystis, imprimisque Summorum Pontificum & Rerumpublicarum Consiliariis, & Advocatis utile planè, ac necessarium.

Cum duplici *Indice*, altero *Consultationum* singulis Tomis præfixo, altero *Rerum Notabilium* ex pluribus in unum Generalem coacto, singulariqúe Volumine comprehenso.

EDITIO *ultima ab* AUTHORE *recognita, multis in locis aucta, & à mendis expurgata.*

TOMUS OCTAVUS.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus GABRIELIS & SAMUELIS DE TOURNES.

M. DCC.

Cum Privilegio SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

i 16889150

INDEX ARGUMENTORUM CONSULTATIONUM TOMI OCTAVI.

CONSULTATIO I.

AN, & quatenus Eremitæ gaudeant privilegio fori?

Vbi de pluribus Eremitarum generibus, eorumque fraudibus, & impostoris? Pag. 1.

CONSULTATIO II.

Testator legavit, quod Episcopus eligat pauperes virgines ad dotes à se relictas, pro monachandis. Mittitur ad diœcesim Episcopi Vicarius Apostolicus. Quæritur, an hæc electio, sive nominatio pertineat ad Episcopum, an verò ad Vicarium Apostolicum? Pag. 4.

CONSULTATIO III.

De quadam legatorum Quarta, Ecclesiæ parochiali debita? Pag. 5.

CONSULTATIO IV.

An promissio, sive obligatio solvendi quolibet anno totam summam, vel partem clerico pro patrimonio, illi constituendo ad suscipiendum sacros Ordines, seu quidquid integro patrimonio deerit, cum conditione, quod postquam ipse Clericus de aliquo Ecclesiastico beneficio, vel de aliquo reditu Ecclesiastico provisus fuerit, cesset hujusmodi solutio pro rata beneficii, sive annui redditus, sit valida? Et quid si ordinatus provisus fuerit de Capellania simplici? Et an sic ordinatus sit suspensus? Pag. 5.

CONSULTATIO V.

An Canonicus Ecclesiæ cathedralis, carentis ædibus canonicalibus, habens domicilium, & actu habitans intra fines alterius parochiæ, dicatur parochianus Ecclesiæ Cathedralis, ita ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta à Parocho Ecclesiæ Cathedralis, vel potius à Parocho domicilii?

Num idem Canonicus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali, tanquam sua parochia, an in parochia domicilii, anve potius in sepulchro suorum majorum?

An pro sepultura Canonici, ut supra defuncti, debeatur quarta funeralis parocho domicilii, aut parocho Cathedralis, vel parocho parochiæ sepulturæ suorum majorum? Vbi habitans in confinio plurium parochiarum, in qua Ecclesia parochiali sepeliendus sit? Pag. 7.

CONSULTATIO VI.

An examen testium, pro informatione Curiæ recepta coram Iudice seculari, legitimari possit coram Iudice Eccecleſiastico? Et quid versa vice?

Et quid de incompetentia Iudicis sæcularis impediti, qui ratione præjudicii super immunitate Ecclesiastica prius disputandi, processit ad legitimationem processus?

Et quid de testibus examinatis coram Iudice laico contra aliquem, qui postea detectus fuit Clericus, si postea isti testes coram Iudice Ecclesiastico revocarunt suum dictum, an scilicet possint torqueri à quonam fuerint subordinati, & in quo dicto persistere velint? P. 10.

CONSULTATIO VII.

An Ecclesiastici possint licitè conficere vini stillati aquam ex vino, quod è suis vineis percipiunt, illamque ad plenum, sive minutim vendere? Pag. 11.

CONSULTATIO VIII.

An, & quatenus Regulares teneantur ad decimas Parochis, aliisve solvendas? Et qua ratione decimæ ad Monasteria pervenerint? Pag. 12.

CONSULTATIO IX.

De Conclavi Cardinalium, Sede Pontificia vacante, aliqua summatim. Pag. 17.

CONSULTATIO X.

An diebus in honorem Dei, ac Sanctorum dicatis, præcipuè die Dominico, fieri possit executio bonorum pro viaticis Commissariorum, aliorumve, illaque eisdem diebus vendere? Vbi alia. Pag. 19

CONSULTATIO XI.

De sportulis judicialibus, sive de mercede, ac erogatione fori Ecclesiastici à S. Congregatione super Episcopis olim taxata, & nuper à taxata Innocentiana, omninò observanda. Vbi an, & quatenus liceat Episcopo Cancellariam vendere, vel locare sub annuo censu? Et an emolumenta Cancellariæ utriusque jurisdictionis, ac sigillorum sint de mensa? Pag. 22.

CONSULTATIO XII.

An Fratres Sanctissimæ Trinitatis captivorum comprehendantur in decreto S. Conc. Trid. cap. 9. sess. 21. de Reform. *non obstantibus privilegiis Ordini concessis ab Innocentio III. & Clemente IV. super eleemosynis quarendis? Vbi nonnulla de quæstoribus?* Pg. 25.

Index Argumentorum

CONSULTATIO XIII.

An beneficiatus, sive Commendatarius Abbatiæ, existentis in una diœcesi, quæ habet beneficia unita in aliis diœcesibus, teneatur contribuere Seminario ejusdem diœcesis pro iisdem beneficiis unitis, existentibus in aliis diœcesibus?

Et an remedia Canonica, præscripta à S. Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de Ref. r. pro erectione Seminarii, æquè procedant in ejus conservatione, ita ut omnes illi, qui coguntur contribuere seminario erigendo, compelli possint ad contribuendum ejus conservationi? pag. 31.

CONSULTATIO XIV.

An, & quatenus in bonis Ecclesiasticis concordandum sit cum hæreticis? Pag. 32.

CONSULTATIO XV.

An Episcopus possit non admittere ad audiendas confessiones seculares, vel regulares Sacerdotes, nisi ii promittant, etiam juramento, quod à quarundam propositionum probabilium praxi, sibi caveant? Pag. 33.

CONSULTATIO XVI.

An Archivista Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ eligendus sit cum consensu, & approbatione Episcopi, ita ut nemo alius ingredi in archivum valeat, nisi quilicentiam ab illo obtinuerit? Pag. 34.

CONSULTATIO XVII.

An licitum sit Episcopis, eorumque Officialibus ex constitutione Synodali percipere salaria pro executione legatorum, videlicet pro judicatione, & decreto?

An dictis Officialibus licitum sit percipere salaria pro sententiis in causis criminalibus, beneficialibus, & matrimonialibus? Et an circa hoc sit attendenda consuetudo percipiendi certam ratam?

An administratores operum piorum, à fundatore deputati, possint ab Episcopis, vel eorum Visitatoribus contra ordinata à fundatoribus, removeri, ac mutari?

An supradicti administratores, in fundatione deputati, possint absentes compelli ad exhibendum libros administrationis, ubi resident Episcopi?

An Episcopis, eorumve ministris, ac Visitatoribus liceat exigere pœnas in visitatione præcedenti comminatas ob non executionem decretorum, easque sibi ipsis, vel Episcopis applicare? Pag. 34.

CONSULTATIO XVIII.

An sub edicto, quod omnes Confessarii seculares teneantur interesse disputationi casuum Conscientiæ, bis in mense fieri in solitis, sub pœna suspensionis ab exercitio confessionis per mensem, comprehendantur etiam confessarii regulares?

Et an Canonicos, aliosque Sacerdotes sub alia mitiori pœna compellere liceat ad interessendum dictæ disputationi, stante quod paucissimi sint Parochi, & Confessarii seculares, qui in præfato edicto comprehenduntur? Pag. 38.

CONSULTATIO XIX.

An Episcopus juxta Constitutionem Gregorianam possit compellere syndicos, & ministros Monasterii Monialium, Regularibus subjecti, ad exhibendum libros receptorum, & expensorum dicti Monasterii pro redditione rationis administrationis bonorum illius, etiam sine præsentia Ministri provincialis, cui subest dictum Monasterium, quatenus interpellatus recuset interesse?

An competat Episcopis facultas ex decreto S. Concilii Tridentini cap. 9. sess. 22. de Reform. *circa exigendas rationes ab administratoribus, quatenus debitores comperti fuerint, ad reliquatum solvendum juris remediis cogendi?*

Necnon etiam ad effectum in ipsos administratores, quatenus fraudulenter administraverint, criminali judicio animadvertendi? Pag. 38.

CONSULTATIO XX.

An Episcopus claudere possit fenestras, ac erigere murum viridarii Regularium, quia supereminent Monasterio Monialium, quas ipsi Regulares inspiciunt? P. 38.

CONSULTATIO XXI.

An legatum orandi in Missis pro anima testatoris pertineat ad presbyteros, vel ad fabricam Ecclesiæ, cui authoritate Apostolica sint applicata omnia legata pia, non habentia onus Missarum?

Scholastria an requirat Doctoratum?

Capellaniæ constitutæ pro secularibus, nolentibus illas propter fructuum tenuitatem accipere, an consentientibus hæredibus, & Episcopo, possint transferri ad Regulares, qui, stante reductione Missarum ab illis obtenta, sunt parati eas accipere, & oneribus satisfacere?

Episcopus rogatus à testatore pro assistentia, & declaratione ejus testamenti; an possit mandare executoribus, ut pecunias non possint investire in censibus ordinatis à testatore absque sua approbatione?

An Canonici habentes indultum non residendi per duos menses, gaudeant distributionibus quotidianis, si redditus pro majori parte consistant in distributionibus?

An Primicerius debeat cantum perdiscere?

An Canonici supranumerarii, admissi ad honores, emolumenta, & præeminentias Canonicorum numerariorum, teneantur ad expensas Ecclesiæ? Pag. 39.

CONSULTATIO XXII.

De Episcopo suffraganeo, qui in suum Metropolitanum sententiam excommunicationis protulit.

Qui non paruit reiteratis mandatis ejusdem Metropolitani circa transportationem actorum, quàm ob causam fuit ab eo interdictus ab Ecclesia, & successivè excommunicatus ob contumaciam.

Qui edicta, sive cedulones ejusdem Metropolitani laceravit, & in illum suos cedulones publicavit? P. 40.

CONSULTATIO XXIII.

An legatum relictum pro residentia Capellani in Choro, possit commutari in celebrationem Missarum? Vbi de altaribus privilegiatis perpetuis, & temporaneis quod Indulgentias concessas animabus fidelium defunctorum in festis ritus duplicis? Pag. 40.

CONSULTATIO XXIV.

An sit validum matrimonium contractum coram Parocho prima tantum tonsura initiato, & intra annum ad Sacerdotium non promoto? Pag. 41.

CONSULTATIO XXV.

An rectè, prudenter, & laude dignum faciant, qui in, vel extra Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, &c. à se fundata, arma sua gentilitia poni curant? Pag. 41.

CONSULTATIO XXVI.

An patronus, in quem legitimo titulo jus patronatus Ecclesiæ, Hospitalis, Capellæ, &c. translatum est, arma, seu insignia primi patroni inde auferre, & sua apponere, vel appingere possit? Pag. 45.

CON-

CONSULTATIO XXVII.

An matrimonium irritè, propter impedimentum dirimens, bona fide contractum cum dispensatione Ordinarii, facultatem non habentis, si per summum Pontificem convalidetur, debeat iterum coram Parocho, & testibus contrahi, vel sufficiat novus consensus absque Parocho, & testibus? Pag. 46.

CONSULTATIO XXVIII.

An si vir fide dignus tradiderit alicui Reliquias Sanctorum, possint illæ exponi publicæ veneration, approbante Episcopo? Pag. 48.

CONSULTATIO XXIX.

An Religiosi Ordinum militarium, qui exercent curam animarum iisdem Ordinibus annexam, apponi, ac removeri soliti ad nutum eorum Magni Magistri, faciant, tuta conscientia, fructus suos, inspecto S. Conc. Trid. cap. 1. 1. sess. 23. de Reform. *quando, dimisso substituto, pro servitio curæ animarum, approbato ab eorum Magno Magistro, de ejus licentia, & mandato alibi inserviunt Ordini?* Pag. 48.

CONSULTATIO XXX.

An liceat Episcopo supprimere beneficia Canonicatus, & dignitates? Pag. 48.

CONSULTATIO XXXI.

An, & quatenus, præsuppositia etiam legitima licentia, Confraternitates suas processiones facere possint? Vbi an, & quatenus in alienatione bonorum Confraternitatum requiratur assensus Apostolicus? Pag. 49.

CONSULTATIO XXXII.

An consuetudo, ut primo loco nominatus à patronis ad Parochialem Ecclesiam de jurepatronatus, instituatur absolutè sine concursu, & secundo loco nominatus intret solum in defectum primi, sit valida, & servanda? Pag. 51.

CONSULTATIO XXXIII.

An Regulares habentes Conservatorem legitimè electum, debeant coram eodem Conservatore conveniri in causis civilibus, requirentibus discussionem, & judicialem indaginem, quando sunt rei, an potiùs coram Ordinario? Pag. 53.

CONSULTATIO XXXIV.

An liceat eligere in Vicarium Capitularem non Doctorem, sed aliàs idoneum reputatum, stante reprobatione Doctorum de Capitulo?

An facta electione intra octo dies de non Doctore, ea devolvatur ad Metropolitanum, vel potius facta per Metropolitanum declaratione nullitatis, restituenda sit electio de novo ad idem Capitulum? Pag. 55.

CONSULTATIO XXXV.

An Canonici possint cogi ab Episcopo ad ei assistendum, uti Convisitatores in visitatione diœcesis? Pag. 57.

CONSULTATIO XXXVI.

An exactio taxæ pro seminario, nondum instituto cum Seminaristis, restitui debeat? Pag. 57.

CONSULTATIO XXXVII.

An Constitutio Vrbani VIII. quæ incipit Secretis æternæ providentiæ consiliis, *edita sub die* 11. *Decembris* 1624. *qua statuitur, Italos Clericali charactere insignitos cum falsis dimissoriis ab alieno Episcopo, fori privilegio minimè gaudere, & seculari jurisdictioni plenè in omnibus subjacere, comprehendat etiam Melitenses?* Pag. 58.

CONSULTATIO XXXVIII.

Fiscales Regii ab omnibus Ecclesiis, possidentibus loca jurisdictionalia intra fines Regni Neapolitani sub prætextu, quod ea sint feuda, petunt quindennium, suffectum vice relevii, quoties novus Prælatus succedit in locum demortui. Ideoque tria discutiuntur.

An verè subsistat, quod omnia loca jurisdictionalia, possessa ab Ecclesiis in Regno, præsumenda sint feuda?

An posito, quod sint feuda, de jure verum sit, quod in successione cujuslibet Prælati, debeat Regiæ Cameræ solvi relevium, & consequenter ejus loco præsertum quindennium?

Coram quo, Ecclesiis dissentientibus, & negantibus, se teneri ad illius præstationem, hæc controversia cognoscenda sit? Num coram Iudice Ecclesiastico, an potiùs coram Domino feudi, sicque Curia Summariæ? Pag. 59.

CONSULTATIO XXXIX.

An conventio Summorum Pontificum cum Proregibus Neapolitanis, ut ipsi exules, sive bannitos possint hinc inde persequi intra fines suæ ditionis per decem millia passus, adhuc perduret? Pag. 61.

CONSULTATIO XL.

De duodecim articulis à quodam Senatu emissis super forma procedendi contra Ecclesiasticos in delictis atrocibus, quæ vocant privilegiata, ubi quæritur an, & quatenus sint contra immunitatem, libertatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam? Pag. 63.

CONSULTATIO XLI.

An Regulari danda sit petita copia actorum in causa criminali cum nominum testium expressione? Pag. 67.

CONSULTATIO XLII.

An edictum Episcopi, quo præcipitur sub pœna excommunicationis, aliisque arbitrariis, quod nemo admittat ad celebrationem missarum presbyteros exteros absque ejus licentia, comprehendat etiam Regulares? Vbi summatim explanatur decretum de observandis, ac evitandis in celebratione Missæ sess. 22. *Sacri Concilii Tridentini?* Pag. 67.

CONSULTATIO XLIII.

An, & quibus in casibus monachi, ac Regulares subsint Episcopo. Vbi prius de eorum origine, successione, progressu, & aliis ejusmodi strictim? Pag. 71.

CONSULTATIO XLIV.

De Parochialibus, etiam Monasterio Regularium unitis, ac de cura animarum principaliter ipsi Monasterio incumbenti ad præscriptum Sac. Concilii Trid. session. 7. cap. 7. de Reform. & sess. 25. cap. 11. de Regular. *ubi de hac materia subobscura plures textus Canonici, & Constitutiones Pontificiæ adducuntur, explicantur, concordanturque?* Pag. 85.

Index Argumentorum

CONSVLTATIO XLV.

De Regularibus, & Monialibus ad præscriptum Sac. Concilii Trid. cap. 1. & 2. sess. 25. de Regular. *ubi de vitæ institutione juxta Regulam, quam professi sunt, deque proprietate ipsis omninò prohibita?* Pag. 87

CONSVLTATIO XLVI.

Quænam Monasteria Regularium possint bona immobilia possidere?

Quinam numerus personarum in illis constituendus? Quomodo erigenda?

Quo pacto Regularis obsequio alterius loci, aut personæ subjici possit?

Quomodo à Conventu recedere, ac studiorum causa abesse? Pag. 89.

CONSULTATIO XLVII.

De clausura Monialium ad cap. 9. sess. 25. de Regular. Pag. 91.

CONSVLTATIO XLVIII.

De ratione eligendi Superiores Regulares juxta decretum cap. 6. *Sacri Concilii Trid.* sess. 25. de Regul. Pag. 94.

CONSULTATIO XLIX.

Quæ, & quomodo Moniales in Abbatissas, & quocunque nomine Præfectas eligendæ? Et an duobus Monasteriis ulla præfici possit? Idque ad præscriptum cap. 7. sess. 25. de Regular. Pag. 95.

CONSULTATIO L.

Regimen Monasteriorum, non habentium Ordinarios regulares Visitatores, quando instituendum ex decreto Concilii Trid. cap. 8. sess. 25. de Regular. Pag. 96.

CONSULTATIO LI.

De quibus Monasteriis agat S. Concilium Tridentinum cap. 9. sess. 25. de Regular. Pag. 96.

CONSULTATIO LII.

De confessione, & communione semel singulis mensibus à Monialibus facienda. De confessario extraordinario eis ab Episcopo offerendo, & quo loco apud illas Eucharistia conservanda? Pag. 96.

CONSULTATIO LIII.

An, & quatenus Regulares secularibus in observatione censurarum Episcopalium, ac festorum diœcesis conformari teneantur? Pag. 97.

CONSULTATIO LIV.

De controversiis præcedentiæ ab Episcopo componendis. Et de exemptis ad processiones publicas compellendis. Vbi refertur decretum generale de osculo Evangelii, de usu baldachini, deque assistentia in presbyterio secularibus negandis? Pag. 98.

CONSULTATIO LV.

Professio religiosa qua ætate fieri debeat? Vbi multa ex usu edocentur? Pag. 99.

CONSULTATIO LVI.

Quando renunciatio, aut obligatio Regularium facienda sit? Quando etiam novitii profiteri, aut ejici debeant? Vbi alia. Pag. 100.

CONSULTATIO LVII.

De exploratione puellarum, habitum regularem suscipere, ac professionem emittere volentium, ac de earum libertate ad ingrediendum Monasterium? Pag. 101.

CONSULTATIO LVIII.

Quid à Regularibus observandum sit, si velint habitum amittere, aut à Religione discedere? Pag. 102.

CONSULTATIO LIX.

An Abbates, qui in Parochos, & Parochianos jurisdictionem habent quasi Episcopalem privativè ad Episcopum, possint suis subditis secularibus literas dimissorias ad Ordines suscipiendos concedere? Pag. 102.

CONSULTATIO LX.

A quo, & quomodo succurri debeat Ecclesiæ, vel ædibus Parochialibus, si refectione indigeant? Vbi quantum Parocho sit assignandum pro sua congrua sustentatione? Pag. 107.

CONSVLTATIO LXI.

An, & quatenus à morum correctione detur appellatio, etiam quoad Regulares? Quomodo Concilii Tridentini decreto super hac re derogetur? Et an, quatenusve causa Clerici committi possit Iudici sæculari? Pag. 109.

CONSULTATIO LXII.

An, & quatenus Regulares, abjurantes de levi in S. Officio Inquisitionis reddantur inhabiles ad gradus, & dignitates suæ Religionis? Vbi non vulgò aliqua effata de abjuratione, de abjurante, deque Regularibus ad materiam S. Officii pertinentia? Pag. 111.

CONSULTATIO LXIII.

Qui post matrimonium contractum ad Sacros Ordines promovetur, quas pœnas incurrat in Ecclesia Latina? Quid in Ecclesia Græca? Vbi strictim differentia inter dictas Ecclesias. An ipsi injungendum sit præceptum non petendi debitum, sed solùm reddendi? Et quid de promoto ad minores Ordines? Pag. 113.

CONSVLTATIO LXIV.

An externi pauperes, & mendici possint Vrbibus excludi? Quid de indigenis pauperibus, an liceat eos mendicatione prohibere? Quidve de Cigaris, vulgò Zingaris, & hujusmodi furfuris hominibus? Pag. 117.

CONSULTATIO LXV.

An Regulares Romam adeuntes prætextu, quod electio Provincialis, aliorumve officialium, vel ob hujusmodi aliud, fuerit invalida, sint puniendi, tanquam Apostatæ? Pag. 120.

CONSULTATIO LXVI.

An Monialis possit in sua cella construere fenestram, per quam prospiciatur in cellam alterius Monialis? Vbi, & quid si esset constructa? & aliqua de interdicto novi operis nunciatione? Pag. 121.

CONSULTATIO LXVII.

Quomodo prospiciendum sit conscientiis aliquorum, qui

qui usi fuerant facultatibus Bullæ Cruciatæ, vel alterius Indulgentiæ irritæ ex defectu voluntatis Summi Pontificis illam concedentis, ob non adimpletas aliquas conditiones? Pag. 122.

CONSULTATIO LXVIII.

Bona hæreticorum, quando & quomodo Fisco addicantur? Pag. 124.

CONSULTATIO LXIX.

An possint baptizari à Parocho Catholico hæreticorum filii, etiam domi, ac sine cæremoniis Ecclesiæ ad evitandum periculum mortis, si differatur baptismus, donec pueri habeant usum rationis juxta morem dictorum hæreticorum? Pag. 124.

CONSULTATIO LXX.

Quinam inter plures æquales in officio, Magistratu, Senatu, cæterisque paribus, prior censendus sit, illene, qui prius titulum obtinuit, an qui possessionem? Pag. 124.

CONSULTATIO LXXI.

An pueri minoris ætatis, nati ex patre Turca, & matre Christiana ritus græci, ducti in captivitatem à Christianis, sequi debeant Religionem Christianam matris, & gaudere libertate? Pag. 125.

CONSULTATIO LXXII.

Iudex secularis, postquam deputavit per modum provisionis in suum Cancellarium in Cancellaria seculari Cancellarium foraneum Episcopi, præsentare fecit à suo balivo eidem Cancellario intimationem, in qua illum adstringebat ad declarandum intra terminum duorum dierum à die præsentationis, utram velit retinere, renunciando in scriptis illi, quam in posterum nollet exercere. Quæro, an hoc sit contra immunitatem ac libertatem Ecclesiasticam? Et quid in aliis casibus? Pag. 125.

CONSULTATIO LXXIII.

An Confraternitas Mortis, atque adeò quæcumque aliæ Confraternitates seculares Vrbis, aliorumve locorum, possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti à propriis illorum parochis tumulandi efferuntur ad ipsarum Ecclesias, in quibus sepulturam elegerant?

An eædem Confraternitates possint suam Crucem erigere tam per viam, quàm in Ecclesia Parochiali, quando cadaver non effertur à proprio illius Parocho ad ipsarum Ecclesias sepeliendum, sed ad ipsam Ecclesiam Parochialem?

An Rectores, seu Sacristæ, aliive Capellani earundem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis stolam deferre?

An iidem Rectores, sive Sacristæ, qui cum suis Confraternitatibus ad funus evocatis incedunt, post absolutum à parocho officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possint super dicto cadavere iterum funebre officium peragere? Et

An parochi possint super cadavere, præsertim sui parochiani, qui in Ecclesia, sive Oratorio Confraternitatum intra fines suæ Parochiæ positis, sepulturam elegit, officium funeris peragere? Pag. 126.

CONSULTATIO LXXIV.

An Inquisitores Apostolici possint absolvere suos familiares, seu officiales ab excommunicatione incursa vigore Can. si quis suadente, *vel potius hujusmodi facultas pertineat privativè ad Episcopos, quando nimirum percussio est levis, vel mediocris? Et quid si enormis?* Pag. 145.

CONSULTATIO LXXV.

An Doctor, qui docet mysterium immaculatæ Conceptionis B. Virginis, quod quidem per multas rationes sustinetur, ut verum, sed defectu Scripturæ, & traditionis de fide esse non potest, incurrat pœnas in Constitutione Alexandri VII. præscriptas?

Item an Episcopus, ordinarius illius Doctoris, possit sine citatione ipsius declarare, eum incurrisse in dictas pœnas, & pro tali habendum?

Et, an eo appellante, poterit idem Episcopus decretum facere, quod non obstante appellatione, sustinenda est sententia, & tanquam privatum facultatibus esse habendum? Pag. 145.

CONSULTATIO LXXVI.

De polygamo sponte comparente, & proditoriè occidente primam uxorem, an absolvendus sit à sola polygamia, tanquam à delicto pertinente ad S. Officium, vel etiam ab homicidio occasione dictæ polygamiæ commisso?

An denuò contrahere debeat validè matrimonium cum secunda, & interim debeant separari? Pag. 146.

CONSULTATIO LXXVII.

An ex conversione Iudæi ad fidem Christianam, insciâ uxore, matrimonium intelligatur solutum quoad vinculum?

An professio regularis, ab eo emissa, sit valida, & saltem ad quid obliget, si matrimonium subsistat?

An possit deinceps cohabitare cum uxore, si matrimonium subsistit?

Quas censuras incurrerit præter irregularitates ex multiplici capite? Pag. 146.

CONSULTATIO LXXVIII.

An forma, in orientalibus Ecclesiis consueta, suppleat Sacramentum Confirmationis, & toleranda sit ab Ecclesia Latina? Et

An à quolibet Sacerdote baptizante possit conferri hujusmodi Sacramentum, cujus in Ecclesia Latina solus Episcopus est minister ordinarius Pag. 148.

CONSULTATIO LXXIX.

An expediat ad declarationem instructionis super statu libero matrimoniorum decernere, quod Episcopi, qui habent amplas diœceses, teneantur deputare Parochum, seu Vicarium foraneum pro diœcesanis habitantibus ultra duas dietas à Curia Episcopali, & matrimonium contrahere volentibus ad hoc, ut ii coram suo Parocho, aut Vicario foraneo suum statum liberum probare valeant absque majori dispendio accedendi ad Curiam Episcopalem pro eodem effectu? Pag. 151.

CONSULTATIO LXXX.

An Sacerdos Armenus in Diœcesi Latina possit in Missa dicere orationem pro Patriarcha Armeno, licet dictus Patriarcha sit schismaticus?

An Armeni degentes in diœcesi Latina possint jejunare juxta ritum Armenum?

An Armeni Catholici reversi in patriam, non valentes habere Sacerdotes Catholicos, & abstinere à communione absque scandalo, possint confiteri Sacerdotibus Armenis schismaticis, qui non sunt nominatim excommunicati? Pag. 152.

CONSULTATIO LXXXI.

An matrimonia Græcorum, si contrahantur post susceptos sacros Ordines, sive prima sint, sive secunda, sint valida? Pag. 153.

CONSULTATIO LXXXII.

An Constitutio B. Pii V. de non audiendis condemnatis in contumaciam, elapso anno à die condemnationis, locum habeat in Tribunali S. Officii? Maximè verò in illis causis, quæ ad fidem non pertinent? Pag. 159.

CONSULTATIO LXXXIII.

An ministri Cameræ Apostolicæ exequi possint manu regia contra debitores Cameræ, conductores bonorum Cameralium, si dicti debitores sint officiales S. Officii ex illis, qui gaudent privilegio fori, absque exequatur Inquisitoris? Pag. 159.

CONSULTATIO LXXXIV.

An Missionarii permittere possint Maronitis Catholicis, ut jejunent, & abstineant, & dies festos agant cum Græcis?

An eis liceat illis consulere, ut sine Missa potiùs permaneant, quàm Ecclesiam schismaticorum adeant?

An propter animarum salutem, ac devotionem populi Missam tertia hora post meridiem celebrare possint? Vbi de magna vi consuetudinum in Ecclesiæ administratione multa iterum adducuntur, & examinantur quidam ritus Græcorum in sacramento Extremæ Vnctionis? Pag. 160.

CONSULTATIO LXXXV.

An Regulari ministro S. Officii, decedenti extra claustra, dum iter agebat ex uno ad alium Conventum cum obedientia sui Superioris, faciendum sit spolium? Et quatenus affirmativè,

An à Superiore suæ Religionis, anve ab Inquisitore, cujus erat minister? Pag. 164.

CONSULTATIO LXXXVI.

An, & quatenus furtum pyxidis pertineat ad S. Officium Inquisitionis? Pag. 165.

CONSULTATIO LXXXVII.

An Princeps secularis possit edicto suo prohibere, ne quis faciat incantationes superstitiosas cum invocatione dæmonum tacita, vel expressa sub pœna mortis ultra pœnas Ecclesiasticas in iis, quæ ad ipsos Iudices Ecclesiasticos pertinent?

Quid faciendum de hujusmodi Edicto jam publicato? Et

An Episcous possit publicare simile edictum sub pœnis arbitrariis tam delinquentibus, quàm non relevantibus vel ipsi Episcopo, vel S. Inquisitioni, & ulterius concedere Indulgentias quadraginta dierum tam denuntiantibus, quàm cooperantibus ad extirpationem hujusmodi delinquentium? Pag. 166.

CONSULTATIO LXXXVIII.

An assertiones istæ possint licitè sustineri, nimirum, quod liceat mutuanti, etiam pignoribus assicurato de credito, aliquid ultra sortem exigere, dummodo non repeteret sortem usque ad certum tempus?

Item quod possit vendi res carius, quàm valet ob dilationem temporis datam ad solvendum pretium creditori, & in exorbitanti summa, nempe ultra dimidium justi pretii, & cum speciali obligatione rei venditæ, sive translatione dominii usque ad integram satisfactionem?

Et quod possit fundari census annuus super bonis stabilibus, ac fructiferis ad rationem decem pro centenario, & haberi ultra hanc assecurationem pignus rerum mobilium ejusdem valoris capitalis? Pag. 167.

CONSVLTATIO LXXXIX.

An deturpantes, violantes, vel percutientes sacras imagines puniri debeant privativè quoad Iudices laicos in S. Officio Inquisitionis? Vbi quid de Iudæis hoc ipsum committentibus? Pag. 168.

CONSULTATIO XC.

An Notarius, vel alius minister S. Officii ex iis, qui gaudent privilegio fori, ex dicto privilegio superveniente, possit declinare jurisdictionem Episcopi, coram quo introductum erat judicium civile, & per multos annos discussum ante privilegium S. Officii? P. 170.

CONSULTATIO XCI.

An damnati ad triremes in Tribunali S. Officii, sive in perpetuum, sive ad tempus, sint degradandi?

Et an degradatio debeat esse actualis, an verbalis, an nullo modo facienda sit? Vbi cursim recensentur casus, in quibus infertur pœna degradationis, & alia scitu minimè spernenda? Pag. 170.

CONSULTATIO XCII.

Quot, quasve pœnas incurrat Religiosus laicus, professus Latinus, qui dimittens habitum regularem, ab Episcopo Græco schismatico se facit græco ritu ordinari? Et reversus ad Religionem quomodo sit tractandus? Pag. 172.

CONSULTATIO XCIII.

Iudæus, supponens dedisse libellum repudii in Iudaismo uxori hebrææ, cum qua matrimonium non consummaverat, Christianus factus, & continere non valens, vult contrahere matrimonium cum Christiana, vivente adhuc uxore hebræa. Quæritur.

Primò. An ex dicto libello repudii fuerit dissolutum dictum matrimonium, non consummatum?

Secundò. Quid requiratur ad effectum dissolvendi dictum matrimonium, ex quo dictus Iudæus Christianam fidem amplexus est, & transire cupit ad secunda vota cum muliere Christiana?

Tertiò. Maximè verò degente in remotissimis partibus ejus uxore hebræa? Vbi multa de libello repudii? Pag. 174.

CONSULTATIO XCIV.

An patentati exempti, sive privilegiati S. Officii, hoc est officiales, qui gaudent privilegio fori activè, & passivè, quales sunt Vicarius, Notarius, Fiscalis, Baroncellus, Custos carcerum, & ejusmodi alii ministri necessarii S. Officio, gaudeant quoad onera communitativa exemptione Ecclesiasticorum, vel familiæ armatæ Episcoporum? Pag. 176.

CONSULTATIO XCV.

An edictum Inquisitoris, publicatum in ejus ingressu ad Inquisitionem sub nomine proprio, & dignitatis, obliget post deputationem novi Inquisitoris, qui hujusmodi

modi edictum non renovavit præter consuetudinem Inquisitorum antecessorum, qui dictum Edictum in officii ingressu renovare solent?

An necessarium sit novum edictum publicare, vel magis expediat illud differre ad opportuniorem commoditatem, ne ex intempestiva publicatione edicti scandalum oriatur in populo, vel etiam impedimentum à Principe laico, è quo verisimiliter timeri potest?

An potius expediat novum edictum publicare Romæ à generali Inquisitione, quod afficiat omnes Inquisitores, præfatum edictum, vel ex aliqua causa, vel etiam ex oblivione, aut negligentia publicare omittentes? Pag. 177.

CONSULTATIO XCVI.

An præventus à solo dicto socii criminis, in quo obiit, absq; tamen purgatione maculæ, gaudeat privilegio sponte comparentium in causa, pertinente ad S. Officium, non tamen in materia fidei? Pag. 177.

CONSULTATIO XCVII.

An, & quatenus carceratis in Sac. Officio ob crimen hæresis concedi debeat Confessarius? Pag. 178.

CONSULTATIO XCVIII.

An Bulla B. Pii V. Si de protegendis habeat locum in iis, qui sine fractura carceris S. Officii, sed clavibus adulterinis, non odio fidei, sed pretio eduxerunt è carcere de hæresi vehementer suspectum, non tamen confessum, neque convictum? Pag. 178.

CONSULTATIO XCIX.

An, & quatenus Græci schismatici possint fieri captivi, ac suis bonis expoliari à Christianis, præsertim à triremibus Religionis Hierosolymitanæ? Pag. 179.

CONSULTATIO C.

An dos, ejusque augmentum restitui debeat à viro Iudæo ad fidem Christianam converso, uxori in Iudaismo permanenti? Pag. 179.

CONSULTATIO CI.

An familiaris conversatio, ac litium extinctio sint causæ sufficientes ad dispensandum in primo, & secundo affinitatis gradu? Etiam in non magnatibus? Pag. 179.

CONSULTATIO CII.

In quadam diœcesi plerique rustici, & mechanici sunt tenuioris fortunæ, & tamen ad gravium onerum solutiones compelluntur. Hinc est, ut media inquirant oneribus istis, & victui opportuna, multa millia utriusque sexus quotannis in partes hæreticorum proficiscuntur, & operam suam suam elocant talibus etiam dominis, qui diebus jejunii, Veneris, & Sabbati solummodò vetitos cibos apponi sinunt, iisque operarii Catholici in defectum aliorum passim vescuntur. Quæritur, An liceat? Idem Catholici dominum subinde non recipiunt, nisi se obligent ad exercitium operum servilium pro diebus etiam festis. Quæritur, An propter suam paupertatem se ad illud obligare possint? Pag. 179.

CONSULTATIO CIII.

Ministri hæretici prolem, fasciis involutam, baptizaturi aquam è suggestu ita communiter effundunt, ut illa fascias tantùm, rarò autem ullum infantis membrum contingat, quo casu baptismus est nullus.

Quæritur proinde, an sint monendi ministri Catholici, ut sub conditione semper baptizent ab hæreticis baptizatos?

Item qui plerisque in locis militant pro hæreticis, quive officio aliquo funguntur, sæpè nequeunt sua obtinere stipendia, nisi probent à se subinde frequentatas conciones hæreticas, & ideò eis aliquando interfuisse sine scandalo, ut aiunt, cùm satis, superque constet tam orthodoxis, quam heterodoxis se esse Catholicos, & solummodò pro forma se se in concionibus ostendant, ac insuper sine erroris, aut hæresis periculo, cùm vel non attendant ad verba concionantis, vel aures gossypio obturent. Quæritur,

An tales dum ad Sacramentum pœnitentiæ accedunt, & conciones vitare non proponunt, possint absolvi? Pag. 180.

CONSULTATIO CIV.

Multi hæretici convertuntur ad fidem, inter quos non pauci sunt conjugati, altero conjuge perseverante in hæresi, conjugati, inquam, ritu tantum hæretico, ideòque invalido, cùm in illis partibus publicatum sit decretum S. Concilii Tridentini. Pars conversa cupit matrimonium renovare secundum formam ejusdem decreti Tridentini, at compartem hæreticam, à qua separari moraliter impossibile est, nullatenus potest inducere, ut coram Parocho compareat; quæritur, quid Pastores Catholici cum tali agere debeant, & speciatim, an conjugem bonæ voluntatis ad usum Sacramentorum possint admittere? Pag. 181.

CONSULTATIO CV.

An concedenda sit facultas dispensandi in matrimonio rato, & non consummato ad hoc, ut primi conjuges possint ad secunda transire vota, si periculosa, & impacata prævideatur cohabitatio futura, seu lapsus in hæresim. Pag. 181.

CONSULTATIO CVI.

An concedi possit, ac debeat dispensatio consanguinitatis in primo gradu affinitatis, in secundo consanguinitatis, & in tertio pariter consanguinitatis cum compaternitate? Pag. 181.

CONSULTATIO CVII.

Supposito privilegio, quod pro maleficiis non publicentur bona delinquentium, nisi pro delictis læsæ majestatis divinæ, vel humanæ. Quæritur, an fautoribus, qui ex Constitutione B. Pii V. Si de protegendis, declarantur rei læsæ majestatis in primo capite, possint confiscari bona?

An dicti fautores, declarati excommunicati, si per annum, insorduerint in excommunicatione, efficiantur hæretici, ita ut eorum bona confiscari valeant?

Et an, pendente anno excommunicationis, possit Fiscus describere bona dictorum fautorum, ut, elapso termino insordescentiæ, eorum bona confiscare valeat. Pag. 182.

CONSULTATIO CVIII.

An casus sententiæ, quæ tantùm declarat, Inquisitionem S. Officii non esse Iudicem competentem, comprehendantur in Constitutione 22. B. Pii V. quæ incipit: Inter multiplices? Pag. 182.

CONSULTATIO CIX.

An juramentum præstari solitum ab alumnis Collegii de

gii de propaganda fide, scilicet non assumendi statum religiosum, donec in ipso Collegio maneant, nec postquam ab eo exierint ante elapsum triennium sine Sedis Apostolicæ licentia, sit licitum, validumque? Vbi de munere Clericorum, & Regularium haud pauca. Pag. 183.

CONSULTATIO CX.

An testes singulares in tempore, & loco tantùm concordantes tamen in specie, & secta hæresis, sufficienter probent? Sive

An sufficiant testes, si non sint singulares quoad substantiam hæresis, sed solùm singulares in iis, quæ per se non faciunt ad substantiam hæresis? Quod est

An ex hujusmodi testibus singularibus possit damnari ad pœnam ordinariam Christianus novus, qui sit negativus, neque aliis gravetur indiciis? Vbi quid de testibus singularibus quoad ipsam hæresis substantiam? Pag. 186.

CONSULTATIO CXI.

Cujus sit in matrimonii impedimentis dispensare? Pag. 140.

CONSULTATIO CXII.

An Officiales, qui gaudent privilegio fori S. Officii, sint exempti à Tribunali R. Fabricæ S. Petri pro executione legatorum piorum? Vel saltem recurrendum sit ad Inquisitorem, ut subscribat primam citationem duntaxat, quemadmodum in Tribunali dicti S. Officii cum aliis exemptis observatur? Pag. 190.

CONSULTATIO CXIII.

An in Brevi Gregorii XIII. pro S. Officio Inquisitionis Taurinensis, in quo omnia, & singula spolia per Regulares quoscumque extra Monasteria degentes in toto dominio tam Sabaudiæ, quàm Pedemontium ad Cameram Apostolicam pertinentia, in necessitates perpetuas ejusdem S. Officii donantur, & applicantur, sint comprehensi Regulares, qui degunt, uti parochi in Ecclesiis unitis suis Monasteriis, extra tamen claustra positis, ibique, vel alibi, prævia licentia suorum Superiorum, è dicta Ecclesia Parochiali causa infirmitatis discedentes, occumbunt? Pag. 190.

CONSULTATIO CXIV.

An præseferat cultum aliquem, atque adeò sit contra decreta Vrbani VIII. de cultu non exhibendo non beatificatis, neque canonizatis; foramen sepulchrorum, in quibus conduntur corpora Servorum Dei, coopertum tabula, ut terra sepulchralis sumi possit à fidelibus, eam devotionis ergo perquirentibus?

Anve etiam præseferat cultum aliquem sepulchrum circumdatum crate lignea; vel ferrea balaustriorum? Vbi exhibetur forma ritè, ac rectè construendi processum super non cultu ad præscriptum decretorum Vrbani VIII. Pag. 191.

CONSULTATIO CXV.

An, & quatenus in quacumque cathedrali, vel collegiata Ecclesia sacris Ordinibus nondum initiati vocem in capitulo habere nequeant? Quid præstare teneantur ad eas promoti? Quidve deinceps promovendi? Pag. 803.

CONSULTATIO CXVI.

An reus, qui secum per vim ad Ecclesiam trahit ministros Curiæ secularis, gaudeat Ecclesiæ immunitate? Pag. 204.

CONSULTATIO CXVII.

An Monialis possit facere renunciationem legati sibi relicti, reservata sibi parte illius, sua vita durante, & sub conditione, quod nihil Monasterio acquiratur? Pag. 205.

CONSULTATIO CXVIII.

An Sacerdotibus, qui Latinam, & Illyricam Linguam callent, permittendum sit, ut Missam utraque lingua, prout ipsis placuerit, celebrare possint?

An iis Sacerdotibus, qui ad presbyteratum promoti fuerunt, tanquam periti in Lingua Latina, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebrarunt, permittendum sit, ut lingua etiam Illyrica celebrare possint?

An iis Sacerdotibus, qui ad presbyteratum promoti fuerunt, tanquam periti in lingua Illyrica, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebrarunt, permittendum sit, ut lingua etiam Latina, nempe nobiliori, Missam celebrare possint, si cæteroquin in ea periti reperiantur? Pag. 205.

CONSULTATIO CXIX.

An testes, qui admittuntur ex c. In fidei favorem, de hær. in 6. probent pro pœna ordinaria contra reos negativos?

Et quatenus negativè; quem gradum probationis faciant? Et

An in d. cap. comprehendantur etiam suspecti de hæresi? Pag. 206.

CONSULTATIO CXX.

An in electionibus Abbatissarum in Monasteriis, Regularibus subjectis, unà cum Vicario generali interesse possit etiam notarius Episcopalis?

An electio facta absque interessentia Vicarii, & notarii sit contra Constitutionem Gregorii XV. ac propterea nulla? Pag. 206.

CONSULTATIO CXXI.

An legati Sedis Apostolicæ possint in prima instantia in præjudicium Ordinariorum cognoscere causas, in quibus intrat obligatio Cameralis? Pag. 207.

CONSULTATIO CXXII.

An licitè quis promoveri possit ad sacros Ordines ab Episcopo originis sui patris? Pag. 208.

CONSULTATIO CXXIII.

An mandatarius delicti non spectantis ad fidem, incursus in pœnas Bullæ Si de protegendis, & ideo tradendus Curiæ seculari, mortuus, sit etiam igne comburendus?

An idem, antequam consignetur Curiæ seculari, debeat abjurare?

An mandatarius ejusdem delicti, & cum supradicto socius, qui ob aliquas circumstantias damnatur ad triremes perpetuas, abjurare debeat? Pag. 208.

CONSULTATIO CXXIV.

An Rectoribus navium magnarum, navigantium ad Indias, vel alias longinquas regiones, concedenda sit facultas celebrandi sacrum in eisdem navibus, saltem in festivitatibus de præcepto? Pag. 209.

CON-

CONSULTATIO CXXV.

De censuris latis ab Episcopo contra Canonicum Ecclesiæ exemptæ, an substineantur?

Quid de latis contra Vicarium dictæ Ecclesiæ? Et An Præpositus dictæ Ecclesiæ procedere possit contra dictum Canonicum? Pag. 209.

CONSULTATIO CXXVI.

Viginti dubia super decreto S. Congregationis super statu Regularium de Tertiariis, ac hospitibus, atque aliis non recipiendis, nec retinendis ad habitandum in Monasteriis, seu domibus Regularium ante ætatem præfinitam? Pag. 210.

CONSULTATIO CXXVII.

An credendum sit Confessario Cardinalis, ac scriptori Codicilli ab ipso Cardinali facti, testanti, quod per dictum Codicillum, in quo expressè revocantur legata in pecunia, non intenderit Cardinalis revocare legata in pecunia suæ familiæ relicta in testamento? P. 212.

CONSULTATIO CXXVIII.

An contraveniens edicto Episcopi in materia clausuræ Monialium, possit ab excommunicatione inflicta, & Episcopo edicenti reservata, absolvi à Metropolitano, vel à quocumque alio Episcopo? Pag. 213.

CONSULTATIO CXXIX.

An privilegium, quod Inquisitores, & eorum Notarii habent ab Vrbano IV. quod non possint excommunicari à quibusvis Delegatis, & inferioribus Summo Pontifice, cujus privilegii meminit Eymer. in direct. p. 3. q. 21. *ibique Pegna* com. 70. *extendi possit ad alios ministros, & officiales S. Officii, & præcipuè ad Consultores, nominatim Portugalliæ, qui habent officium perpetuum cum voto decisivo, & se subscribunt sententiis?*

An sibi præjudicaverit Consultor S. Inquisitionis consentiendo in jurisdictionem alicujus Tribunalis?

An Inquisitor potuerit sibi jus dicere, & revocare censuras promulgatas à Delegato Apostolico?

An Nuncius Apostolicus in gradu appellationis, seu recursus possit procedere in ejus causis? Pag. 213.

CONSULTATIO CXXX.

Quomodo sit expediendus, qui se accusat non præventus ab aliquo indicio, usum fuisse sortilegiis qualificatis ad amorem, si interrogatus super intentione, nolit respondere? Pag. 214.

CONSULTATIO CXXXI.

Dubium difficile de valida susceptione Sacrorum Ordinum? Pag. 215.

CONSULTATIO CXXXII.

Sacerdos Latinus, factus Monachus ritus græci uniti, petit dispensationem celebrandi, ac recitandi divinum officium ritu græco, adducens pro causa, quod aliàs non poterit ministrare officia suæ Religionis, & propterea ab illa recedere tenebitur; Quæritur, quid consulendum? Pag. 215.

CONSULTATIO CXXXIII.

Supposita notorietate adulterii uxoris, quod tamen vir ob potentiam, & qualitatem adulteri non potest in judicium deducere, sed dedit literas ad uxorem, ad adulterum, & ad multos Primates, in quibus, & palam quoque declaravit, se velle ad sacros Ordines promoveri, atque vitam cœlibem ad mortem usque ducere, & in regione non habet Ordinarium pro dimissoriis habendis; quæritur,

An vir propria authoritate in casu posito possit, etiam nolente uxore, divortium celebrare. Et quatenus affirmativè,

An dispensandus, ut possit sacros Ordines suscipere?

Et an Eminentiss. Protector possit ei ad hunc effectum dimissorias literas concedere? Pag. 215.

CONSULTATIO CXXXIV.

An damnatus in contumacia ad pœnas Constitutionis, Si de protegendis; *& in specie excommunicationis, si per annum insorduerit in excommunicatione, sit declarandus hæreticus, vel damnandus, velut hæreticus ad terminos* cap. excommunicamus 1. de hæret.?

An pœnâ damnati, velut hæretici extendatur ad pœnas omnes hæreticorum, & præcipuè combustionis ejus statuæ, vel imaginis?

An in citatione novæ sententiæ condemnatoriæ ad pœnas hæreticorum offerendus sit salvus conductus pro pœnis in priori sententia contentis? Pag. 216.

CONSULTATIO CXXXV.

An Græci in susceptione Sacrorum Ordinum teneantur observare tempora, & interstitia Ecclesiæ Latinæ? Pag. 217.

CONSULTATIO CXXXVI.

An ad inquirendum specialiter contra Episcopum, ipsumque constituendum inter reos, requirantur testes omni exceptione majores, sicuti ad illum condemnandum requiruntur?

An testes dicantur omni exceptione majores, cùm nec fateantur delictum, ex quo socii criminis, nec perjuri videantur?

An prædicti testes examinati coram Episcopo, tanquam Inquisitores, purgari debeant à maculis, mediante torturâ?

An potius procedendum sit ad ulteriora contra eosdem testes, prout in casu adducto? Pag. 216.

CONSULTATIO CXXXVII.

An milites Catholici, qui deficiunt in regiones hæreticas ad exercitum hæreticorum, & postea à militibus Principis Catholici intercepti reducuntur ad regiones Catholicas, & tunc quandoque confugiunt ad loca sacra, gaudeant immunitate Ecclesiastica? Pag. 218.

CONSULTATIO CXXXVIII.

An Clericus mandatarius S. Officii, qui gaudet privilegio fori S. Tribunalis activè, & passivè, possit in causis criminalibus non pertinentibus ad S. Officium, absolvi à proprio Episcopo, inscio, dictum Clericum esse Officialem S. Tribunalis?

Et quatenus verè fuerit absolutus, an possit in carcerem conjici ab Inquisitore ad effectum procedendi contra ipsum pro eodem delicto, de quo jam fuit ab Episcopo absolutus? Et

An Episcopus procedere poterit ad censuras contra birruarios S. Officii, qui dictum Clericum carceri manciparunt, & contra custodem carcerum, qui eum detinet, nisi dictum Clericum, ut supra absolutum, dimittant è carceribus? Pag. 219.

CONSULTATIO CXXXIX.

An, & quatenus Iudæi sint, vel esse possint, Christianorum servi? Pag. 219.

CON-

Index Argumentorum.

CONSULTATIO CXL.

An plures testes singulares singularitate administrativa, non habentes, seu habentes exceptiones correitatis, vel alias legales, probent?

Vel quem gradum probationis faciant in materia hæresis, vel Apostasiæ, si prædicti testes non fuerint repetiti, vel repetiti, reo non citato, vel, si citato, denegata eidem facultate dandi interrogatoria, etiamsi in eo Tribunali extet consuetudo non repetendi testes? Pag. 222.

CONSULTATIO CXLI.

An Regulares, proponentes in suis Ecclesiis populo lucrandas Indulgentias, quæ jam à Sede Apostolica fuerunt declaratæ falsæ, vel apocryphæ, vel indiscretæ, possint ab Episcopo loci, in quo fuerunt propositæ, puniri? Et quatenus affirmativè, qua pœna? Pag. 223.

CONSULTATIO CXLII.

Cuinam cedant oblationes, quæ offeruntur in Missa presbytero celebranti?

Et quid de illis, qua offeruntur novis Sacerdotibus, dum celebrant primam Missam? Vbi quid in istis advertendum? Pag. 223.

CONSULTATIO CXLIII.

An Iudæus, qui blasphemias hæreticales profert in Christum, vel B. Virginem, ejus matrem, confugiens ad Ecclesiam, gaudeat illius immunitate? Vbi effata de blasphemis, & blasphemiis? Pag. 224.

CONSULTATIO CXLIV.

An Iudæus consequi possit gradum doctoratus, saltem in medicina? Pag. 225.

CONSULTATIO CXLV.

An, quatenusve Monasteria Regularium concedenda sint in commendam Clericis secularibus? Pag. 226.

CONSULTATIO CXLVI.

An Pharmacopala laicus sit irregularis, adeòut ne possit quidem ad primam tonsuram promoveri? Et an irregularitas impediat etiam susceptionem primæ Tonsuræ? Pag. 228.

CONSULTATIO CXLVII.

An uxor, consentiente viro, Conservatorium nullis clausuræ legibus obnoxium, ingressa, asserto simplicis castitatis voto, post consummatum matrimonium, privatim ab ea emisso, ac divortio de utriusq; consensu ex decreto Ordinarii sequuto nullatenus obstantibus, viro suo id enixè ob incontinentiam flagitanti, sit restituenda, saltem ex Iudicis officio, vel potius in Conservatorio retinenda? Pag. 229.

CONSULTATIO CXLVIII.

An Capitulum in casu proposito perpetuum Ecclesiæ suæ servitium absque ulla vacatione præstare teneatur? Et quatenus negativè.

An saltem subsint rationabiles causæ indulgendi, ut quotannis trimestri vacatione gaudeat? Pag. 230.

CONSULTATIO CXLIX.

An expediat plures Sanctos jam Canonizatos, in Romano Breviario inscribi, deque iis officium unà cum Missa in toto Orbe Christiano celebrari? Pag. 230.

CONSULTATIO CL.

Responsio ad septem criminationes in Parochos Vrbis ab Anonymo impactas. Pag. 230.

CONSULTATIO CLI.

De ecstasi, & raptu mystico. Quot sint. De eorum causa. Quomodo distinguantur. Eorum divisio, subjectum, duratio, effectus. Quomodo dignoscantur esse naturales, dæmoniaci, divini. De eorum probatione, & examine, ubi id genus alia pro Servorum Dei solemni Canonizatione perspicuè disquiruntur, ac vera, germanaque Theologiæ mysticæ solida, & expressa effigies retinetur? Pag. 233.

CONSULTATIO CLII.

Quas pœnas incurrat Christianus negans animæ rationalis immortalitatem, vel de illa dubitans? Pag. 251.

CONSULTATIO CLIII.

De fœditate Comœdiarum nostri temporis, deque earum actoribus, & inspectoribus, ac in hoc malum remediis, idque quasi per saturam, deque potestate Episcoporum illas, obscœnosque ludos prohibendi? P. 253.

JACOBI PIGNATELLI

Sacræ Theologiæ Doctoris,

CONSULTATIONUM CANONICARUM

TOMUS OCTAVUS.

CONSULTATIO I.

An, & quatenus Eremitæ gaudeant privilegio fori? ubi de pluribus Eremitarum generibus, eorumque impostur is.

1

TQUE hac quidem in re variant sententiæ. Habent quoque & Canonistæ suum labyrinthum. Sunt, qui dicant, Eremitas hoc privilegio gaudere, Glossa *ult. in can. nulla ratione dist. 93. & in can. qui verè 16. quæst. 1.* ubi ait, Eremitas subesse Episcopo, in cujus territorio degunt. Idem vol it Innocent. in *cap. Cùm monasterium nu. 1. de elect.* ubi concludit, Eremitas, quamvis possint habere proprium, quia non abrenunciant, tamen esse personas Eccesiasticas, & debere continentiam promittere, ac servare, *can. Scripsit §. ecce 27. quæst. 2.* Innocentium sequitur ibi Ostiens. *num. 3.* & Joan. Andr. *nu. 12.* Idemque tenet Archid. *in d. can. qui verè num. 3. & in cap. 1. num. 1. v. Eremiticam de excess. Prælat. in 6.* ubi asserit, Eremitas, quamvis non renuncient propriis, habere tamen annexum votum continentiæ, gaudere privilegiis Clericorum, & subesse Episcopo, in cujus territorio consistunt. Quia non debent esse acephali, *d. can. nulla ratione d. 93.* subditque tamen, non esse verè Religiosos, nisi dent se alicui ex Religionibus approbatis juxta ea, quæ notantur in *can. de viduis 27. q. 2.* quibus adstipulantur Abb. in *d. cap. Cùm monasterium n. 2* & Butr. in *cap. nullus de fo. comp. n. 6.* Ubi simpliciter ait, tales gaudere privilegio fori, & hanc sententiam conatur tueri, & veriorem putat Alex. de Nævo in *d. cap. nullus num. 27.* concludens, Eremitas esse personas Ecclesiasticas, & gaudere fori privilegio. Hoc ipsum firmat Felin. *in d. cap. nullus nu. 5.* ubi alios adducit per textum, quem ait esse novum in *can. fin. §. item vitas Patrum d. 15.* ubi dicitur, *Vitam Eremitarum cum honore suscipimus*, & quamvis restringatur ad vitas, quas scripsit D. Hieronymus ad hoc, ut dicantur Sancti, non tamen ille textus negat, vitam illorum esse religiosam, quod etiam prosequuntur Doctores allegati à Carolo de Grass. *effect. 1. nu. 102.* inter quos Covar. *pract. qu. cap. 34. nu. 4.* & præter eos Marth. *de jurisd. cas. 133.* & Duard. *in Bull. Cœn. cap. 15. qu. 4. n. 2.*

Probant primò ex *text. in can. Item 2. q. 7.* ubi S. Joannes Baptista dicitur vitam Eremiticam duxisse, & ex *d. can. scripsit §. ecce 27. q. 2.* Ubi S. Macarius, & S. Alexius post contracta sponsalia de præsenti elegerunt vitam Eremiticam, ut Deo servirent, & sic suas sponsas reliquerunt, atque adeò vita Eremitana non est Laicalis, sed Ecclesiastica. 2

Deinde ex *can. duo sunt 12. q. 1.* ubi textus ponderat, personas Ecclesiasticas esse non solùm Clericos, sed etiam personas Deo devotas, quæ sunt deditæ orationi, & contemplationi, quæ ab omni strepitu temporalium debent cessare. Eremitæ autem sunt hujusmodi, ac proinde sunt personæ Ecclesiasticæ. 3

Postremò, quia hæc est communis conclusio, adeóque sequenda favore animæ, Aretin. *in d. c. nullus nu. 9.* & Boer. *in tr. de stat. & vit. Eremit. nu 13. & 14.* ubi ait, quod hæc opinio de jure est verior, æquior, & benignior, & quod ita sunt Religiosi, & pro Religiosis in jure existimantur, quod non possunt in jus vocari, sed eorum Prælatus pro eis est vocandus, qui eorum vice respondere tenetur. 4

Alii volunt, ac probant non gaudere, iique sunt Laudensis, & Jo. de Lignano in *Clem. 2. de præb.* qui tales ex utero ventris exierunt laici, nec postea supervenit aliquis actus, eripiens eos à jurisdictione sæculari, qualis est Ordinis receptio, & conversio ad aliquam Religionem approbatam, ut in *can. si quis suadente 17. q. 4. in cap. fin. de relig. dom. & in cap. non dubium de sent. excomm.* firmatque Abbas, se explicans, *in d. cap. nullus de for. comp. num. 10.* ubi ait, primam opinionem æquiorem esse, sed hanc posteriorem esse veriorem de jure; quia Eremitæ non habent certam regulam, sed vivunt sola voluntate, & sunt sicut locustæ sine Rege secundùm Gulielmum, ac notat Glos. in *d. can. qui verè 16. qu. 1.* & assertio Innocentii, quòd teneantur continentiam promittere, non probatur jure, ut idem Abbas affirmat in *d. c. Cum monasterium n. 2.* Soccin. in *c. 1. n. 11. de for. comp.* ubi dicit, hanc opinionem sibi magis placere, eamque tenere Guliel. de Monte Laud. in *d. Clem. 2.* & in *Clem. Cùm ex eo de sent. excom.* quia propriè loquendo isti non sunt personæ Ecclesiasticæ. Non enim sunt Clerici. Quod clarum. Neque sunt Religiosi 5

alicujus Religionis approbatæ, neque Conversi, neque Oblati, sed sunt meri laici, & è suo statu recedunt ad libitum, neque sunt deputati ad aliquem Ecclesiasticum, & pium usum authoritate Ecclesiæ, vel alicujus Prælati, ac ita consuluit Calder. in *tit. de Iudic. cons.*7. ac tenent Rosella, Angelica, Romanus, citati à Sylvestro *v.Eremita q.*1. dum generaliter statuunt, Eremitam non gaudere, quia nihil est, quod eos eximat, cùm remaneant purè laici. Quam opinionem esse de jure veriorem, & servari in praxi, dixit Aufrer. in *tract. de potest. Iudic. Jacul. in person. Ecclesiast. reg.*2.*n.*37. ubi refert, ita judicatum fuisse in Curia Parlamenti contra quendam Eremitam, qui propter egregia furta, & rapinas ultimo supplicio affectus fuit, subdens nihilominùs, primam opinionem esse æquiorem favore Religionis, pro qua in dubio est judicandum, *l. sunt personæ ff. de relig. & sumpt. fun.*

6 Sunt qui asserant, Eremitas, qui subsunt Ordinariis, gaudere, in quo tamen discrepant. Nam aliqui videntur loqui de omnibus Eremitis, quatenus supponunt, omnes sub Ordinario esse eo ipso, quod in aliqua diœcesi sunt, ac proinde non esse sicut locustas sine Rege, aut capite, ut quidam obloquuntur, imò & sufficere, quod sint sub Parocho. Cæteri autem requirunt, quod specialem aliquam voveant, vel profiteantur obedientiam sub Episcopo. Tandem alii dicunt, eos omnes gaudere, qui sunt sub obedientia Prælati gaudentis privilegio, inter quos est Navar. *in man. cap.*29. *n.*79. loquens de privilegio Canonis, Sylvest. *ubi suprà.*

7 Sunt denique qui distinguunt, ut Decianus, & alii, quos sectatur de Grass. *d. effect.*1.*n.*305. *& seqq.* Aut enim Eremita tempore, quo assumpsit habitum Eremitanum erat Clericus, vel Religiosus, & tunc remanet, ut erat antea, fruiturque omnibus privilegiis Clericalibus. Aut non erat Clericus, neque Religiosus, sed simplex laicus, & tunc iterum distinguunt. Aut est approbatus à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, eique datus modus vivendi, cui se obligavit, & tunc quidem gaudet privilegio fori; aut non est approbatus, neque ei datus vivendi modus, & tunc non gaudet. Aut sponte, etiamsi esset purus laicus, sumpsit habitum Eremitanum, & vitam Anachoreticam agit, Eremi assiduus cultor, exercendo se orationibus, jejuniis, aliisq; operibus, & hoc casu gaudet privilegio Clericali, quia verè potest dici Religiosus, donec in eo statu permanet. Aut est erro, ac mendicus, & tunc non gaudet privilegio Clericali. Tandem concludunt, quod in hoc dubio attendenda est consuetudo, quæ jurisdictionem tribuit, *c. cum contingat de for. comp. l. viros C. de divers offic. lib.*12. Hanc eandem distinctionem approbant Jul. Cæs. Imbrian. *in tr. de Iudic. Regni*, Covarruvias, & Borgasius, quos refert ac sequitur idem de Grassis *loc. alleg. n.*107.

8 Quod autem spectat ad primam sententiam, illa non est approbanda. Quia nunquam reperitur ita generaliter concessum hujusmodi privilegium. Non enim id habetur ex relato *can. qui verè* 16. *q.*1. quia sub iis verbis non est necesse intelligere privilegium Clericale, sed alium favorem, honoremve. Neque ex *cap. un. de excess. Prælat. in 6.* aut ex *cap. privilegium de verb. signif. eod.* quæ pro se citat Martha, jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ, nimis observans, hoc est superstitiosus; quia apertissimè loquuntur de Eremitis, qui sub obedientia superioris Regularis vivunt, adscripti, annexique Monasteriis. Imò multi ex Doctoribus, quos citat, loquuntur tantùm de Eremitis, qui habent propriè superiorem, & Prælatum, quatenus dicunt, ipsum debere respondere in judicio pro Eremitis.

9 Quod verò ad gaudendum privilegio fori sufficiat esse sub obedientia alicujus, qui privilegium participet, ut loquuntur Sylvester, & Navarrus, nullo munitur fundamento. Arguenti enim Sylvestro, quod si laicum viventem in turba adstrictio obedientiæ alicujus Prælati facit privilegio gaudere, quantò magis vacare Deo penitùs in solitudine, & quod id probavit Summa Angelica ex *can. nulla ratione d.* 93. & ex *can. si autem v. q.*3. negandum est, quod assumit. Talis enim, utpotè laicus, non gaudet, vel si gaudet juxta aliquos, id est ratione perpetuæ oblationis cum servitute actuali alicujus sacri loci, nec tale quid penitùs ex citatis juribus potest deduci. Siquidem in *d. can. nulla ratione* solùm habetur, Clericos, & Sacerdotes habendos non esse, quia sub nullius Episcopi disciplina, & providentia gubernantur. Ex quo infert Glossa, etiam Eremitas subesse debere Episcopo, in cujus territorio sunt. Et in *can. si autem*, sermo est de obedientia, quam in spiritualibus non solùm Clerici, sed etiam laici debent Episcopo, tanquam animarum Pastori.

Pro solutione igitur hujus quæstionis distinguendæ 10
sunt plures species Eremitarum. Prima est eorum, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua Religione approbata, quales sunt Camaldulenses, Montis Coronæ, Montis Senarii, Augustiniani, & cæteri. Ii, eorumque novitii absque ulla difficultate gaudent non solùm privilegio fori Ecclesiastici, hoc est exemptionis à potestate sæculari, cùm sint verè, ac propriè Religiosi ex *cap.*1. *in fin. de excess. Prælat. in 6. & cap. privilegium de verb. signif. eod lib.* & notat Felin. in *d. cap. nullus de for. compet. n.*6. ubi Canonistæ communiter; sed etiam privilegio exemptionis à jurisdictione Episcopi, etiam ratione delicti perpetrati, contractus initi, vel rei sitæ extra locum exemptum, ut per Doctores in *cap. Tuarum de privil.*

Secunda species est Eremitarum in Congregatione 11
habentium modum vivendi ab Episcopo approbatum. Et isti, licèt non sint verè, ac propriè Religiosi, quia non profitentur aliquam ex Religionibus approbatis, ideoque testari possunt juxta ea, quæ tradunt Archid. in *c. un. n.*1. *de excess. Prælat. in 6.* Abb. *in rubr. de testam. nu.6.* Præpos. in *can. nulli dubium nu.*21.12. *q.*1. Alber. in *auth. ingressi nu.*23. *C. de Sacros Eccles.* & Navarr. *com.*1. *numero* 44. *de Regul.* sunt tamen personæ Ecclesiasticæ, atque adeò subsunt jurisdictioni Episcopi Diœcesani. Patet multis argumentis. Ex textu enim in *c. indemnitatibus §. penult. de elect. in 6.* mulieres viventes in Congregatione, licèt non renuncient propriis, nec professionem faciant, nihilominus instar Monialium sunt sub jurisdictione Ecclesiæ, & tamen illarum status, sive regula non approbatur, ut ibi dicitur. Idemque est de Beguinis *in Extravag. Ratio Ioannis XXII. de relig. domib.* Et in mulieribus, quæ vulgò dicuntur Canonicæ sæculares, ut est textus in *Clem.*2. *de stat. Monachor.* Unde illas esse conveniendas coram Judice Ecclesiastico, firmavit Rota *decis.*8. *de jure patr. in antiq.* quam sequitur Felin in *c. dilecta n.*2. *de major. & obed.* Ergo idem dicendum de Eremitis in communitate viventibus.

Idipsum probatur ex textu in *d. cap.*1. *de excess. Prælat.* ubi à prohibitione mendicantibus facta de novis domibus non recipiendis, excipiuntur ii, qui agunt vitam Eremitanam in cellis sive habitaculis Eremi de Majorum suorum licentia. Quæ exceptio esset planè inepta nisi Eremitæ saltem largè essent Religiosi, *l. nam quod liquidè §. pen. ff. de pen. leg.* Item exemplo virorum Tertiariorum, qui, si collegialiter vivant, gaudent privilegio exemptionis ex Concilio Lateranensi sub Leone *sess.* 11. *in fine*, & nos alibi. Ac etiam quia in his Eremitis viventibus in communi authoritate Prælati non militant rationes, & inconvenientia, quæ considerantur ab authoribus contrariæ sententiæ, ut tradit Glossa in *l.* 2. *v. non possunt ff. de in jus voc.* quæ explicat illum textum in Monachis, & Eremitis, idest collegialiter viventibus. Et de his etiam intelligendus est Innocent. in *d. cap. Cum Monasterium num.*1. *de elect.* dum dicit, hos teneri continentiam servare, ac promittere, & subesse Episcopo diœcesano per *§. Ecce* 27. *q.*2. Ac denique videtur id esse ex mente D. Thomæ 12

in

in 4. *dist.* 27. *& in* 2.2. *q.*186. *art* 5. *ad* 3. expresseque hoc tenet Sylvestr. *d. v. Eremita q.* 1. *numero* 2. *& v. Ecclesia* 1. *dict.*6. *num.*6. ubi concludit, hos Eremitas gaudere privilegio non solùm fori, sed etiam Canonis, quem sequuntur Navar. *d cap.*27. *n.*79. aliique recentiores.

13 Facitque, quod ait Rota *dec.*1 *de Regul. in antiq.* ubi contra opinionem Jo. Andreæ in *cap. dilecta de major. & obed.* tenet mulieres aliàs canonicè ingredientes Monasteria, in quibus Religio non est approbata, quandiu sunt in Ecclesia, vel Divino servitio, vel deferunt habitum Religiosum, potiri debere privilegio immunitatis, ut illas percutiens ligetur sententia Canonis. Quia cùm de præsenti religiosè vivant, censentur personæ Ecclesiasticæ, & gaudere debent hoc privilegio, sicut Clerici simplices aliquo voto non ligati, deque istis Eremitis intelligitur authoritas sextæ Synodi Constantinopolitanæ *Can.*42. *Conc.to.*3. ubi sic legitur: *Eos qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris vestibus induti, & capite comati urbes obeunt, & cum viris sæcularibus, ac mulieribus versantur, & propriæ professioni faciunt injuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui, & inter fratres referri. Quod si hoc non elegerint, ex urbibus expelli, & solitudines habitare, ex quibus sibi etiam denominationes confinxere.* Quæ verba non obscurè insinuant hos Eremitas; quamvis enim non sint propriè Religiosi, tamen profitentur aliquem vivendi modum, ab Ecclesia permissum, ac sunt personæ Ecclesiasticæ; aliàs enim si essent merè laici, Concilium non improbaret, ut versarentur cum viris sæcularibus in injuriam professionis, *arg. can. In nova* 16. *q.*7. *& cap. Cum causam de elect.* Neque in eos decerneret, nisi essent de foro Ecclesiæ, nec merè laicos distringit Concilium citra materiam peccati, ut notat Innoc. in *c. correctam nu.* 3. *de Regul.* & Doctores in *c. novit. de Judic.*

14 Tertia species est Eremitarum, qui, licèt non sint professi alicujus Religionis, neque vivant in communi, si tamen sunt auctoritate Episcopi deputati servitio alicujus Ecclesiæ, vel Oratorii, ac de Episcopi manibus suscipiunt habitum Eremitanum, & sub illius obedientia vivunt, sunt personæ Ecclesiasticæ, & gaudent ptivilegio fori. Ita docet Cardin. *in Clem. per litteras nu.*9. *de præb.* allegans *Clem.*1. *de decim. & cap. per exemptionem de privil. in* 6. & consuluit Butr. *cons.*19. *num.*19. estque ad mentem Abbatis, Mariani, Soccini, & aliorum, ac in specie prosequuntur Marth. *de jurisd. p.* 4. *cent.*2. *cas.*213. *n.*4. *& seqq.* Squillant. *de privil. Cler. c.*7. *dub.*1. *n.*44. Duard *in Bull. Cœn. lib.*2. *can.*15. *q.*6. *n* 2. Laym. *lib.*1. *tr.*5. *p.*2. *cap.*5. *n.*4. Anton. de Marin. *in resol. quotid. cap.*114. *n.*8. Coninch. *de Sacram. disp.*14. *dub.*15. *nu.*164. Bonac. *in Bull. Cœn. d. p.*1. *q.*16. *sect.*1. *punct.*3. *nu.*18. & Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 35. estque ita communis opinio Doctorum, quod, & si nullum sit jus, quod expresè id decernat, ab ea tamen recedere absque nota temeritatis non potest.

15 An autem isti gaudeant privilegio Canonis, negat Cardinalis *loc. cit.* Jo. Andr. Alex. de Næv. & alii communiter, quibus adstipulatur; quia *can. si quis suadente* locum habet in percutiente Clericum, vel Monachum, ut ibi dicitur, & sic non in aliis, nisi quatenus invenimus jure expressum, sicut exprimitur de conversis in *c. non dubium, & c. Parochianos de sent. excomm.* nam & ipsi sunt Religiosi, ac de Novitiis in Religione, qui interim Religiosi censentur, *ut c. Religioso*, §. *quamvis eod. tit. in* 6. Non autem reperitur expressum in jure, quod isti Eremitæ gaudeant hoc privilegio, quidquid dicat Delbene *de immun. cap.*2. *dub.*4. *sect.*4. *n.*15. *& seqq.* ubi his Eremitis concedit privilegium Canonis, negat privilegium fori, *cap.*4. *dub.*13. *nu.*16. haud rectè, neque consentaneè, cùm regulariter qui gaudet privilegio Canonis, gaudeat privilegio fori.

Quarta denique species est Eremitarum, qui non 16 sunt deputati servitio Ecclesiæ authoritate alicujus Prælati Ecclesiastici, sed voluntariè suscipiunt habitum Eremitanum, illumque ad libitum deferunt, & isti nullo modo sunt personæ Ecclesiasticæ, & nullatenus gaudent privilegio Clericali; ex communi Doctorum sententia, nominatim Cardinal. in *d. Clem. per litteras n.*9. Abb. *in d. cap. nullus n.*10. *de for. comp.* Aufrer. *ubi supra in* 2. *reg. num.*37. *can. duo sunt* 12. *q.*1. aliorumque. Absonum enim esset, ut ait Cardinalis loco allegato, ut hi Eremitæ censeantur personæ Ecclesiasticæ, cùm sint merè laici, & recedant ad sui libitum, ad nullumque usum Ecclesiasticum, vel pium authoritate Ecclesiæ, sive Prælati sint deputati. Et in hoc casu procedit opinio Lauduni, in iisque comprobatur illius dictum, quod sunt sicut locustæ sine Rege, imò vulpeculæ, & ut plurimum impostores, Apostatæ à Religione, & desertores militiæ, ac de genere Sarabaitarum, qui ex D. Augustino, & Hieronymo apud Crinitum *lib.*3. *de honest. discipl. cap.*15. tales sunt, ut eorum genus omni studio, atque affectu sit evitandum. Ipsi enim in Ægypto positi sunt, in foraminibus petrarum habitantes, induti ferarum pellibus, discalceati, & sanguine cruentati, cavernis exeuntes, ad festum Scenopegiorum pergunt Hierosolymam, & Sancta Sanctorum intrantes, paupertatem, & abstinentiam prædicant à se servari, tum barbam spectante populo ibidem acriter pervellunt; itaque nummis tali actu, & commento adeptis in suam regionem remeant, & in lætitia, & dapibus epulantur. Hos nolite, obsecro, imitari, quia non beatos illos, sed in magnis suppliciis damnatos, meritò esse prædicamus, ait Augustinus.

Hoc genus Eremitarum *Remboth* appellatur. Hi bi- 17 ni, vel trini habitant, nec multò plures, suoque arbitrio, & ditione viventes de eo, quod laborarint in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in Castellis, & Urbibus, & quasi ars sit Sancta, non vita, quidquid vendiderint, majoris est pretii. Inter hos sæpe jurgia sunt, quod cibo suo viventes non patiuntur alicui se esse subjectos. Solent certare jejuniis. Apud eos affectata sunt omnia; latæ manicæ, & caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio Virginum, detractio Clericorum, & si quando dies festus venerit, saturantur usque ad vomitum. Hæc ex Hieronymo Vincentius *in Specul. hist. cap.*54 *lib.*17. Antonin. *tit.*15. *c.*1. §. 2. Cassianus hos videtur appellare *Sarabaitas*, quos Ægyptiaca lingua sic appellatos refert, quod semetipsos à Cœnobiorum Congregationibus separarint, & res suas singillatim, ac necessitates proprias curarint, bini, vel terni in cellulis sub nullius Abbatis, aut Præpositi gubernatione, quò liberum esset quidvis pro arbitrio agendi, & evagandi quò animi libido ferret, & tantum studium his esse cumulandi divitias idem indicat. Isidorus in *lib. de offic.* hos etiam *Rennuitas* nuncupat.

His non absimiles sunt, quos *Gyrovagos* appellarunt, 18 quasi vagando gyrantes Provincias, & Regiones varias. Nam tota vita sua per diversas Provincias ternis, aut quaternis diebus per diversas cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles, & propriis voluptatibus, & gulæ illecebris servientes. Hos S. Benedictus in sua Regula deteriores Sarabaitis esse pronunciat. Hi enim cellas ædificabant, & manebant in eis. Isti verò tanquam hospites omnes Provincias, & Terras peragrant. Sarabaitæ de labore proprio vivebant; Gyrovagi verò de laboribus alienis, imò quod multo tempore, & labore quæsitum, & congregatum est, id una hora isti consumant; denique per diversa loca percurrentes, plurimos malæ suæ vitæ exemplo perdunt, ac corrumpunt.

Quod igitur Antoninus *d. tit.*15. *c.*1 §. 2. ex Cassiano de Sarabaitis commemorat, id propriè de his Gyro- 19 vagis intelligendum nunc arbitror. *Hi sub nulla*, inquit,

Regula, & sub nullius obedientia constituti discurrunt per Civitates, & Castra sub ovina pelle Religiosi habitus, & devotæ locutionis, cor gerunt lupinum, devorantes domos viduarum, & captivas ducentes mulierculas oneratas peccatis: Pseudoprophetæ, & Apostoli divinantes de occultis, & per dulces sermones, & benedictiones decipiunt corda simplicium.

20 Isidorus in *lib. de offic.* hos nominare videtur *Circumcelliones*, & dicit, quod sub habitu Monachorum ubique circa cellas vagentur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes Provincias, nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes, habentes pro Deo membra Martyrum, quæ plerumque aliis venditent, fimbrias, & phylacteria sua magnificent, gloriam captantes ab hominibus. Alios comam non incidere, ait, honores, quos non acceperunt, se habere dicentes. Item continuò, inquit, tepefacti, pristinos mores, ac vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis, ac patientiæ diutiùs sustinere contenti sunt, subindeque seniorum imperio dedignantur. Separatas expetunt cellas, & solitarii sedere desiderant, ut nemine lacessente mansueti, vel humiles existimentur; quorum institutio, imò tepor hos, quos similes infecerit, ad perfectionem nunquam permittit accedere, non solùm, quod vitia non abscindunt, sed in deterius vadunt, & in vitia convalescunt; & dum animi provocati, quod jam lethale, & intestinum virus est, quantum amplius celatum fuerit, tantùm profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti.

21 Iterum pullulare cœperunt Sarabaitæ, ex Ægyptiorum Monachis, ab antiquo tempore orti, anno Domini 1309. in Anglia primùm, qui porcorum, ac bovum pellibus induti, & succincti funibus, palmarum spinas ad calcanea portantes, Angelicam faciem simulabant, sed in corde lupum fovebant. Nicephorus *lib.* 14. *c.* 50. hos apathes, id est non dolentes vocat. Damnatum, & reprobatum fuit hoc genus in Synodo Chalcedonensi anno 453. *cap.* 4. his verbis: *Quidam Monachorum habitu utentes indifferenter per Civitates incedunt, necnon & Monasteria, & seipsos propria præsumptione commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere Monasteria, aut Oratorii domum sine conscientia ejus Civitatis Episcopi.* Refertur in *can. qui verè* 16. *q.* 1. *& in can. quidam Monachorum* 18. *q.* 2. Et nihilominùs Marianus Soccin. *d. cap.* 1. *nu.* 1. *de for. comp.* vult, quod si vigeret consuetudo, ut Eremitæ hujusmodi gaudeant privilegio fori, sit utique observanda. Quia consuetudo tribuit jurisdictionem; quod puto absurdum cum Abbate modò citato *d. nu.* 10. ut tales pro sua voluntate possint se eximere à jurisdictione Imperatoris.

CONSULTATIO II.

Testator legavit, quod ab Episcopo eligantur pauperes Virgines ad dotes à se relictas, pro monachandis. Mittitur ad diœcesim Episcopi Vicarius Apostolicus; quæritur, an hæc electio, sive nominatio spectet ad Episcopum, an verò ad Vicarium Apostolicum?

1 NOminationem ad hujusmodi dotem pertinere ad Episcopum, non autem ad Vicarium Apostolicum, certum omninò videtur. Nam Vicarius Apostolicus mittitur solùm ad exercendum ea, quæ pertinent ad jurisdictionem Episcopi, non autem quæ ad illius personæ industriam, & prudentiam per ea, quæ vulgò tradit Pellegr. in *prax. Vicar. p.* 1. *sect nu.* 1. & Nicol. *in flosc. v. Vicarius Apostolicus nu.* 21. Dum enim eligitur personæ industria ad aliquod munus obeundum id delegari nequit, *c. fin. §. is autem de offic. deleg. & c. is' cui eod. tit. in 6.* In hac autem nominatione eligitur industria, & prudentia Episcopi. Primò, quia fundator judicio, & prudentiæ Episcopi remittit nominationem, & electionem puellæ monachandæ; unde videtur de persona Episcopi, tanquam pastoris confidere, atque ita ejus industriam eligere. Secundò quia tunc censetur electa industria personæ, cui provideri committitur de re aliqua, ut de beneficio, de dote, &c. quando ei committitur, ut de tali beneficio, vel dote provideat de persona idonea, & sic non expressa certa persona, sola personæ idoneitas requiritur. In hoc autem casu non est expressa certa persona ad hanc dotem nominanda, atque adeò censetur electa industria personæ, à qua nominatio fieri debet, ut notat Glos. in *d. c. is, cui de offic. deleg. v. Provincia*, traditque Rota *p. 6. dec. rec. 36. nu.* 24. 28 *& 62.*

Hinc colligit Franchus in *d. cap. is, cui num.* 2. quod 2
si Papa alicui committat, ut si ita est, removeat aliquem à beneficio, & eo remoto provideat illi de idonea persona, executor primam partem, quæ est judicialis, poterit subdelegare, & beneficiatum privare beneficio, si ita fit, ut in commissione continetur; quia in hoc non est electa executoris industria, commissa sibi certæ personæ judiciali causa, sed quantum ad provisionem de idonea persona, non poterit subdelegare, quia in ea parte, ubi agitur de provisione beneficii facienda in incerta persona, sed idonea, censetur electa industria personæ.

Et in specie executor habens potestatem eleemosynam distribuendi pauperibus, si pauperes à committente sunt nominati, & sic sunt certi, executor potest alteri committere vices suas, secus tamen si sint incerti, ut notat idem Franchus *d. num.* 2. cum aliis ab ipso relatis. Siquidem commissio executorum adeò est stricta, ut per alium eorum officium nequeat exerceri, quia, ut dixi, censetur electa industria propriæ personæ, ut cum aliis docuit Spin. *in Specul. testam. glos.* 28. *num.* 21. & Tiraquel. *de privil. piæ causæ privil.* 31. & probatur *ex l. nulli sub init.* ibi: *pro sua conscientia*, & ibi notat Bald. *C. de Episc. & Cler.* & observant Archid. Jo. Andr. *in novel. &* Gemin. *in cap. ult. §. ult. de testam. in 6.* cum pluribus aliis, relatis à Tiraqu. *loco allegato*, ubi quod adeò id procedit, ait, ut etiam non possit ipse testator dare executori potestatem subrogandi alium, nisi in legatis ad pias causas, quod piarum causarum favor juris habilitates rescindit per *not. in cap. cum tibi de testam.* & hoc idem tenet Romanus, & post eum Corneus, qui & alia ad hoc adducit in *l. Captatorias C. de testam. milit.* sed tamen quod id possit generaliter testator facere, tenet Paul. Castren. quem vide in *l. d. nulli col.* 2. *vers. ulterius C. de Episcop. & Cleric.* In hoc autem casu facultatem substituendi in electione hujusmodi puellæ ad dotem monachalem testator Episcopo non concessit, atque adeò non potest alteri ejus officium committi. 3

Non obstat quod opponitur ex paritate electionis 4
Concionatorum, quam spectare ad Vicarium Apostolicum, declaravit S. Congregatio Concilii mense Augusti 1684. in Imolensi. Nam electio concionatorum est actus jurisdictionis; cùm enim Episcopus debeat illos examinare, approbare, & licentiam eis impertire, aliaque hujusmodi facere, quæ sunt jurisdictionis, & aliis, si errores, & scandala disseminaverint, prædicationem interdicere, alios cogere per censuras Ecclesiasticas, &c. ut ex Trident. *cap.* 2. *sess.* 5. *de ref. & cap.* 4. *sess.* 24. *de reform.* Estque textus in *cap. Inter cætera de offic. Ord.* nil mirum si id spectare ad Vicarium Apostolicum videatur, qui jurisdictionem Episcopi exercet. Unde licèt ratione muneris, regiminis, & jurisdictionis, in quibus substituitur Vicarius Apostolicus nominare, ac deputare possit concionatores, non propterea potest nominare puellam dotandam, quia id non est jurisdictionis, sed industriæ, ac prudentiæ personæ Episcopi; atque adeo talis electio, utpote personalissima, ad Episcopum spectare debet ad text. in *cap. final. §. his autem, & §. cæterum de offic. delegat.* Firmatque Rota in Bononien. Dismembrationis

4. Julii

4. Julii 1635. *num.* 5. coram Ghislerio, quæ est decisio 69. *part.* 7. *recent.*

5 Itaque cùm in hac electione requiratur industria, & prudentia personæ à testatore electæ, quæ est Episcopus, ad ipsum quidem, non autem ad Vicarium Apostolicum pertinet hujusmodi nominatio.

CONSULTATIO III.

De legatis, à pia muliere ex Parochia S. Dorotheæ, relictis Ecclesiæ S. Caroli ad quatuor fontes, in qua sepulturam sibi elegit his verbis: *A lla cui Chiesa lascia scudi* 50. *cioè scudi* 25. *per far celebrar tante Messe per suffragio dell' anima di essa testatrice, e altri scudi* 25. *per tutto quello potesse pretendere per ragion di sepultura, ò per altra causa, con patto, e condittione, che i Padri di detta Chiesa la debbano fare esborre con sei torce, e farla sotterrare con cassa, con farle celebrar la Messa del trapasso*, deberi Canonicam portionem Parocho supradictæ Ecclesiæ S. Dorotheæ, certi omninò juris est.

1 ID enim expressè decernitur *in Clementina Dudum de sepult.* §. *Verum*, ibi: *De obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscumque, & quomodocumque relictis distinctè, vel indistinctè ad quoscumque certos, vel determinatos usus, &c. nec non de datis, vel qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, &c. Fratribus ipsis, vel aliis, &c. quartam partem Parochialibus Sacerdotibus, &c. largiri integrè teneantur.*

2 Ex quorum verborum amplitudine manifestè constat, quod nihil excluditur ex iis, quæ ex testamento, vel ex occasione mortis, vel sepulturæ obveniunt, sed de omnibus debeat quarta Parochialis solvi, ut absolutè tradunt Abb. *in cap. in nostra de sepult.* Jo. And. *in cap.* 1. Glos. & Doctores in *cap. certificari eod. tit.* Host. *in sum.* Petr. de Ubald. *p.* 1. *de can. post. cap.* 7. Bald. *in rep. cap. si Pater qu.* 6. *de testam. in* 6. Alex. *cons.* 169. *nu.* 5. & 16. Sylvest. *v Canonica portio n.* 9. Glos. in *d. Clem. Dudum d.* §. *verum v. funeralibus*; quibus adstipulantur recentiores non pauci, Lavor. *var. lucubr. tit. de prisc. funer. rit. cap.* 17. *n.* 18. Azor. *instit. moral. p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 23. *q.* 1. & 2. Ubi deberi hanc portionem ex omnibus, quæ legantur Ecclesiæ, in qua quis sibi eligit sepulturam, etiamsi alioqui Ecclesia sit exempta, quia debet eam Parochianus, qui extra Parochiam sepulturam sibi elegit, per Innoc. *in cap. relatum, & in cap. requisisti de testam. & cap. in nostra de sepult.* & tradunt Covar in *cap. ult. de testam. num.* 3. Molina *de just. & jur. tract.* 2. *disput.* 215. §. *præter quartam*, Leo *in Thes. for. Eccles. p.* 2. *cap.* 14. *numero* 2. aliique communiter. Siquidem, ut constat ex *cap.* 1. 2. & 4. *de sepult.* testator ipse est, qui ratione Sacramentorum, & subsidii spiritualis, quod ab Ecclesia Parochiali accepit, relinquere tenebatur quartam partem eorum, quæ Ecclesiæ, in qua sepulturam elegit, reliquit, unde Ecclesia sepulturæ tenetur eam illi solvere in defectum testatoris, qui id non fecit; quæ est ratio Panormitani, quam sequitur Molina *loc. cit. disp.* 200. §. *cum de relictis.*

3 Et in specie quod de legatis promissis debeatur quarta Parochialis, docent Petr. de Ubald. Bald. Alex. Sylvest. & Lavor. *locis citatis*, Azor. ubi supra *q.* 13. & Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 86. *num.* 20. & *de Paroch. p.* 3. *cap.* 25. *num.* 43. Quia cùm istæ obveniant Ecclesiæ causa mortis, detrahi ab ipsis debet quarta Parochialis, tenet Glos. in *d. Clem. dudum d. v. funeralibus*, idque stante verborum ejusdem *Clement.* universalitate. Quod præcipuè locum habet in hoc casu, in quo defuncta sepulta est in Ecclesia, cui legatum reliquit, ut cum pluribus notat eadem Glos. in *d. Clem. v. quartam, & in cap.* 1. *de sepult.* ac Lavor. *d. cap.* 17. *n.* 54. Et hanc quartam de legato pro missis solvendam esse de eodem ipso legato ab eadem Laurentia dictæ Ecclesiæ S. Caroli relicto, satis declarant *c. fin. de testam. & d. Clem. dudum* §. *Verum de sepult.* dum dicit, quartam esse solvendam de obventionibus omnibus, dictio enim *de* refertur ad substantiam, ex qua desumenda est quarta, juxta ea, quæ tradunt Doctores, quos sequitur Rot. *decis.* 26. *n.* 27. *p.* 7. *rec.*

Quod verò ad quartam funeralium eidem Parocho de jure debitam decernitur in *d. Clem. dudum*; & in *c. certificari de sepultur.* & pro Parochis Urbis decernitur in statuto Cleri Romani *c.* 4. & in decreto S. Congregationis Præfectorum sub anno 1629. contra omnes Urbis Ecclesias, tam Regularium, quantumlibet privilegiatorum, quàm etiam nationalium ab Urbano VIII. sub die 21. Martii ejusdem anni confirmato, ac etiam in sententia data 20. Decembris 1650. à Reverendissimo Vicesgerente contra quoscumque Regulares, ac firmata sub die 2. Augusti 1651. ab Eminentiss. DD. Cardinalibus ab Innocentio X. ad id deputatis, ut dixi *tom.* 4. *consult. can.* 211. *à n.* 4. Quare non est ampliùs de hac re dubitandum. 4

Non obstant quoad portionem Canonicam legatorum privilegia Regularium. Nam ea omnia fuerunt sublata per *d. Clem. Dudum*, & per Sac. Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 13. *de ref.* ibi enim demandatur ejus quartæ solutio, non obstantibus concessionibus, gratiis, ac privilegiis, etiam mare magnum nuncupatis, aut aliis quibuscumque, quo in loco Concilium loqui etiam de quarta legatorum, evincitur, quia quarta funeralium comprehendit legata à defuncto, & omnia quæ cum defuncto deferuntur, ut firmat Feder. de sen. *cons.* sive *q.* 6. *per tot.* Idipsum etiam liquet ex eo, quod privilegia concessa Regularibus, & speciatim mare magnum, sunt simpliciter restricta ad exemptionem hujus quartæ legatorum. Nam quoad alia emolumenta fuit semper reservata justitia Ecclesiarum, à quibus corpora defunctorum assumuntur, ut legenti patet, atque adeò dum S. Concilium derogat privilegiis, non nisi de quarta legatorum sensisse censendum est, alia namque derogatione non indigebant. Verùm quod in dicto Concilii decreto non agitur de legatis piis, communis sententia est, de qua nos alibi. 5

Minùs obstat constitutio 41. Beati Pii V. quoniam illa fuit à Gregorio XIII. in sua Constitutione 9. §. 6. sublata, & ad terminos juris communis redacta. Eam refert in fine sui *man.* Navar. qui tunc temporis vixit, quem alii secuti sunt, nominatim Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 5. *c.* 74. *n.* 4. Gutier *de jur. confir. p.* 2 *c.* 4. *nu.* 3. Fusch. *de visit. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 27. & Bellet. *disq. Cler. p.* 1. *tit. de fau. Cler.* §. 2. *n.* 56. de jure autem communi regula est per Rotam in Aliphana apud Sanctorium stabilita, quod de relictis omnibus ad pias causas debeatur quarta, ut in *6. requisisti, & in cap. officii de testam. & in cap. conquerente de offic. ord. & in d. Clement. dudum*, firmatque Bald. *in l. si quis ad declinandum* §. *in omnibus an.* 19. *de Episc. & Cler.* minimè attentis limitationibus *cap. fin. de testam.* tanquam revocatis à *dict. Clem. dudum*, ut etiam Glos. *eo loc.* rectè adnotavit. Et hæc pro Urbe, ac de Jure communi. 6

CONSULTATIO IV.

An promissio, sive obligatio solvendi quolibet annè totam summam, vel partem Clerico pro patrimonio illi constituendo ad suscipiendum Sacros Ordines, seu quidquid integro patrimonio deerit cum conditione, quod postquam ipse Clericus de aliquo Ecclesiastico beneficio, vel de aliquo redditu Ecclesiastico provisus fuerit, cesset hujusmodi solutio pro rata beneficii, sive annui redditus, sit valida? Et quid si Ordinatus provisus fuerit de Capellania simplici? & an sic ordinatus sit suspensus?

QUod hujusmodi obligatio, sive promissio sit nulla, & invalida, & contra Sacrorum Canonum 1

dispositionem, satis patet ex communissima Canonistarum sententia firmantium, quod ex mente S. Concilii Tridentini patrimonium, ad cujus titulum Clericus ordinatur, consistere debeat super re immobili ita, ut non sufficiant bona mobilia, neque obligatio personalis, quam quis fecit de dando victum Clerico, vel annuos redditus; quia redditus hujusmodi debent esse certi, & assignati super bonis stabilibus, vel super annuis redditibus; & hoc etiam si ille, qui se obligavit personaliter, sit persona dives, ut ait Ventriglia *in pr.rer.for.Eccles.de tit.Ordinand. annot.42. §.1.* Et ante ipsum Squillant.*de oblig.Episc.p.2.c.9.nu.12.* Ugolin. *de offic.& potest.Episc.c.26.§.10.nu.1.* Azor. *instit.moral.p.2. lib.3. c.4. q.6.* & Barbos. *de offic. & potestat. Episc. p. 2. alleg. 19.nu.73.* inquiens, ad Ordines Sacros illum non esse admittendum, qui cùm sufficienti patrimonio, & beneficio careat, impetrat ab amico cedulam, in qua promittit, se illi necessaria vitæ subsidia ministraturum. Nam obligatio ista personalis non est res immobilis, & pacificè possessa, & per illam ordinandus haberet quidem jus ad rem, sed non in re. Ac in terminis ejus, qui se obligavit supplere quidquid deerit summæ soliti patrimonii, declaravit S. Congregatio Concilii, teste Ugolino *loc.alleg.cap.26.§.10.n.1.* his verbis: *Hinc S.Congregatio eodem c.2.declaravit, non esse admittendum ad Ordinem Sacrum eum, qui non habens patrimonium sufficiens promissionem habuit ab aliquo, quod suppleret ipse, quod deerit:* eandemque declarationem referunt Ricc.*in prax.resol.284.p.1.to.1.* & Barbosa Ugolini transcripto, *d.alleg.19.sub n.55.*

2 Ratio autem est, quia juxta mentem S.Conc.Trid. *sess.21.c.2.de ref.* in hujusmodi patrimonium tria requisita concurrere debent, quod sit constitutum super re immobili certa; quod res ipsa sit fructifera: quod alteri non sit obligata, ut per Ugolin.*cit.cap.26.§.11. n.1. & seqq.* Hæc autem requisita non comprobantur in promissione, quam quis facit de subministrando alimenta necessaria Clerico ad Sacros Ordines promovendo. Atque adeò hæc obligatio, sive promissio est invalida, nullamque meretur executionem; quod autem S.Concilium Trid.*loc.alleg.* exigat hanc constitutionem patrimonii, liquet manifestè his verbis: *Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint &c.* Verba autem illa: *Eo quoque prius perspecto, &c. taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, &c.* non possunt comprobari, nisi respectu bonorum immobilium, frugiferorum, & alteri non obligatorum, prout etiam testatur Cardinalis Bellarminus in *annot. ad d.cap.2.num.3. §. an & quomodo*, ibi: *Mens Concilii est, quod patrimonium in immobilibus consistat.* Præcipuè verò quia S. Concilium illicò subdit, quod hujusmodi patrimonium deinceps sine licentia Episcopi alienari non possit, quæ verba non conveniunt, nisi bonis verè assignatis in titulum, ut annotavit Fagnan. in *c. Episcopus de præb. n. 28.*

3 Ac proinde cùm hujusmodi promissio, sive obligatio sit contra mentem Sac. Concilii, utique est invalida, nullamque meretur executionem, ut per Marant. *resp.61.à num.10. tom.3.* & Millaz. *assert. jur. 26. num. 23. ac seqq.* sed potiùs contra Episcopum actio est dirigenda, qui dum contra dispositionem Sacrorum Canonum admisit Clericum ad Sacros Ordines absque legitimo patrimonio, tenetur ad illi providendum de beneficio sufficienti, aut congrua alimenta suppeditare, ut per Fagnan. in *d.cap.Episcopus de præb. n.29* ibi: *Et consequenter cùm Episcopus non servaverit formam sibi præscriptam, videtur incidisse in pœnam, de qua hic, & in cap.cum secundum, à Concilio innovatam, & sic obligari ad providendum ordinato de competenti beneficio Ecclesiastico.*

Verùm, adhuc admisso sine veritatis præjudicio, quod obligatio hujusmodi licèt invalida sustineatur, meretur tamen executionem, si illa fuerit concepta cum conditione, donec idem provideatur de aliquo Ecclesiastico redditu, tunc cesset hujusmodi solutio pro rata beneficii, sive annui redditus acquirendi, & revera ordinatus provisus fuerit de aliqua simplici Capellania, ex qua percipiat alimenta; quia obligatio fuit restricta, donec Ordinandus non fuerit provisus de aliquo beneficio, sive annuo redditu, cujus appellatione venire similes Capellanias, maximè cum aliquo officio Ecclesiastico, non videtur dubitandum, cùm etiam appellatione Ecclesiastici redditus veniant distributiones quotidianæ, ut firmat Rota coram Pegna *dec.216.n.2.* & coram Coccino *dec.144. n.1.* 4

Nec obstat, quod Capellania non est verus titulus beneficii, ut requirit S.Concilium Tridentinum. Nam præterquam quod similes Capellaniæ satis sint ad effectum, ut quis ordinetur juxta mentem S. Concilii, ut de praxi testatur Cardin. de Luc. in *tract. de donat. discurs.11.* sub initio & *n.* 8. inquiens: *atque praxis admittit satisfieri Concilio Tridentino, quamvis promovendus non haberet verum beneficium Ecclesiasticum, sed simplicem Capellaniam, quæ speciem legati pii redoleat*, ex dispositione tamen ejusdem S. Concilii bifariam potest quis promoveri ad Sacros Ordines, vel titulo beneficii, vel patrimonii; sed hoc secundo modo dispensativè tantùm, & quatenus Episcopo videbitur assumendus pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Dato autem, sed non concesso, quod Capellania simplex, sive amovibilis cum aliquo officio Ecclesiastico, nimirum Sacristanatus non sit beneficium sufficiens ad promotionem Sacrorum Ordinum in ratione beneficii, in ratione tamen patrimonii, & ad effectum, ut cesset donatio antea facta cum conditione, donec provideatur de aliquo beneficio, seu annuo redditu, satis, superque esse videtur, cùm promittens expresè voluerit, quod in duplici casu alternativo cessaret annua præstatio per ipsum promissa, acquisitionis videlicet beneficii, seu annui redditus. Ac proinde cùm sub nomine annui redditus veniat etiam prædicta Capellania, illamque ordinatus possideat, cessat obligatio promittentis attenta dictione *seu*, quæ importat alternativam, & verificatur in uno ex casibus appositis ex adductis à Barbos. *dict.363. n.1. & seqq.* 5

Eoque magis, quia ex mente S.Concilii Tridentini patrimonium constituitur Clerico, ne in opprobrium ac dedecus Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Atque adeò cùm sic ordinatus ex annuo redditu Capellaniæ habeat unde commodè se sustentare possit, cessat intentio, ac dispositio Concilii, & per consequens obligatio promittentis, quæ ad summum reviviscere posset, cessante annua præstatione ex dicta Capellania, ut rectè ad rem Surd.*de alim.tit.7. qu.9.n.16.* 6

Idipsum tuetur Grillenzonius, cujus consilium 14. integrum adducit, ac sequutus est Ricc.*in prax.for.Eccles.resolut.452.* ac Dian.*p.5.tract.10.resol.48.* hisce rationibus: Causa legis condendæ, ac mens legislatorum semper est attendenda, *l.nominis, & rei ff. de verb. signif.* quia mens est anima ipsius legis, ac ratio, quæ ubicumque habet locum, ibi habet locum legis dispositio, etiam quod esset contra jus commune, *l. à Titio ff.de verb. oblig.* Mens autem, & causa finalis, ob quam dispositio Concilii cavet, ne dentur Ordines Sacri non habentibus beneficium, vel pensionem, aut patrimonium, ea fuit, ne Clerici mendicent: Sed quoties provideatur mendicitati hujusmodi, satisfactum est menti, & causæ finali legis, & consequenter dispositioni. Alimenta verò præstanda Clericis tollunt causam mendicitatis, & eis non minùs videtur provisum, quam si 7

habèrent

haberent beneficium. Beneficiarii enim non sunt beneficii domini neque directi, neque utiles, sed solùm usufructuarii in vita, Navar. in *tr. de redit. benef. q.1.n.* 17. & 18. Beneficia enim sunt Christi patrimonium, Navar. in *eod. tract. & q. num.* 48. Alimentatio autem non reprobatur à jure, imò conceditur, *cap. Episcopus, & cap. cum secundùm de præb. & cap. si Episcopus eod. tit. in 6.* ubi dicitur, quod Episcopus ordinatis sine titulo tenetur necessaria ministrare, donec illis de beneficio provideat. Verbum autem illud *necessaria* intelligitur de alimentis, ut notat Abb. in *d. c. Cum secundùm nu.9.* & Gemin. in *d. cap. si Episcopus num.*8. & ibi Apostil. Ergo alimenta non reprobantur.

8 Et licèt Concilium de illis specificam non fecerit mentionem, satis liquet voluisse ea in dispositione comprehendi, dum innovavit antiquos Canones, qui sunt dicta *cap. Episcopus, cap. Cum secundùm, & cap. si Episcopus*, contra aliquos, qui volebant innovationem antiquorum Canonum intelligi *de can. 3. d. 70.* cujus dispositio per *dict. cap. cum secundùm*, ac alia, de quibus supra, fuerat abrogata, ut declaratum fuit à S. Congregatione super Concilium in *d cap.2. sess.21.* antiquorum Canonum in his verbis videlicet: *Concilium revocavit tantùm pœnas cap. cum secundum de præbē l. non pœnas, can. neminem, & can. Sanctorum 70. d.* qui antiqui Canones tolerant ordinationem factam super alimentorum provisione, & consequenter ordinati ex pacto nec suspensi erunt, neque irregulares. Quod probatur ab his, quæ adducit Burgas. *in tr. de irregul. & imped. Ordin. in 6. p. tit. de sent. suspens. n.14 & in p.1. q.7. mon.* 29. Et idem decretum fuit à præfata Congregatione in loco allegato in hæc verba: *Ordinans contra formam hujus decreti sine beneficio, aut patrimonio non est per hoc suspensus, nec aliquam pœnam incurrit, sed cogendus est ordinans ei providere juxta c. Cum secundum de præb.* Et hic solus Canon, & non alii à Concilio renovatus est; nempè quia satisfactum est menti Concilii, quæ fuit, ne Clerici mendicent. Et hæc fuit causa finalis hujusmodi dispositionis, cùm illa dicatur causa finalis, ex qua oritur dispositio *l. domus ff. ac condit. indeb.* & consequenter dicendum est, esse satisfactum Concilio, ex quo Clerici sic ordinati super alimentis eis præstandis non cogantur mendicare, neque ordinantes ulterius tenebuntur ad eis providendum de necessariis, cùm jam fuerit provisum, quia quando causa ad non causam reducitur, perinde est ac si causa illa non fuisset, *l. 1. in fin. de condit. sine caus.*

9 Præterea quando constitutio continet aliquid non per se principaliter, sed ad finem alicujus mali vitandi, non illaqueat transgressores ad pœnam, aut peccatum, si finis non violatur, ad quem constitutio tendit, ut singulariter tradit Abb. in *c. quoniam contra n.6. de prob.* secutus Archid. in *cap. Utinam 76. d.* Finalis autem causa Concilii est adimpleta, ne scilicet Clerici mendicent. Ergo non erunt suspensi quia provisum est eis, unde vivere possunt per *d. cap. cum secundum*, quod satis est, ut notat Rebuff. *in pr. benef. tit. de rescript. in form. com. & form. paup. nu. 1. & 2.* quod innuit etiam Concilium in *d. cap.2. in fine*, dum ait, quod patrimonium alienari non possit sine Episcopi licentia, donec beneficium non sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint.

10 At ego hoc dissidium concilio, intelligendo primam sententiam de promissione, ac obligatione personali tantùm absque obligatione reali, vel quia qui se obligat ad patrimonium Clerici, non habet bona stabilia, vel quia non vult illa ad id obligare; & in hoc casu procedunt rationes, & authoritates pro ea deductæ, ac etiam declaratio S. Congregationis ad *d. cap.2. sess.21. de reform.* apud Riccium in *cit. prax. for. Eccles. resol. 453. n.1.* in qua habetur, non sufficere obligationem personalem, ut quis de persona obligaretur dare victum Clerico; & ita intelligo, quæ aliàs in hanc rem adduxi contra Dianam ex Sac. Congregatione Concilii, ac Sixti V. declaratione; secundam verò sententiam intelligo de obligatione mista, personali scilicet, ac reali illius, qui possidet bona stabilia certa, & tuta. Quo in casu meliorem censeo conditionem Ordinato cum tali patrimonio, quàm cum patrimonio alicujus boni stabilis particularis, ut puta Vineæ, domus, census, cùm hæc bona præter curas, quibus Clerici implicantur ad illa colendum, locandum, exigendum, ita subjaceant periculis, ut fructus, ex quibus ordinatus vivere possit, non reddant. Secus autem de obligatione personali, ac reali omnium bonorum hominis divitis, qui se obligat subministrare Clerico ordinato alimenta in titulum patrimonii, pro quo obligat omnia, & singula sua bona, non autem vineam, vel aliud prædium quod casu aliquo fructus, unde Ordinatus commodè vivere possit, non reddat; quod intelligo, seclusa fraude, ad quam evitandam usus se habet, ac declaravit eadem S. Congregatio Concilii sub die 6. Februarii 1597. teste Riccio *de resol. 453. nu 2.* qui pluries observatum fuisse ait, non posse Clericos ordinari, nisi redditus sint certi, & assignati super bonis stabilibus, vel super annuis introitibus, ut post alios probat Garz. *de benef. p.2. cap.5. n.91. & seqq.* etiamsi quovis modo pater sit dives, & de jure spectet ad Clericum ordinandum successio, ideòque fiunt instrumenta, & contractus vel per patrem filiis, vel per fratrem fratribus, & per consanguineos aliis consanguineis de patrimonio certo, & ne donationes hujusmodi sint fictitiæ, ac simulatæ, curare debent Episcopi, ut producantur talia instrumenta publica ab utraque parte juramento vallata, assignationem, & donationem talium annuorum reddituum esse realem, omni fictione, ac fraude carere, & quod neque in præteritum fuerit confectus, neque in futurum conficietur actus, sive contractus aliquis in præjudicium dictæ assignationis, & donationis cum annullatione, & revocatione cujuslibet actus contrarii facti, vel forsitan faciendi, ut post alios notant Quaranta in *sum. Bullar. v. Ordo*, & stante hac diligentia, si deinde fieret revocatio talis assignationis, non valeret, & Episcopus ad nihilum teneretur, ut post Decium, & alios probat Navar. *cons. 14. & 46. de tempor. Ord.* & Sanch. *lib. 6. de matr. disp. 32. num. 7. & 8.* ac Ricc. *loco citato.*

Si igitur, cessante fraude; constituatur patrimonium 11
cum obligatione reali, ac personali hominis divitis subministrandi alimenta Clerico ordinando, vel supplendi quidquid deerit ejus patrimonio patrimonium hujusmodi poterit admitti, & obligationem esse validam, & executioni esse demandandam post collatos Ordines, & sic ordinantem, ac ordinatum in nullam incidere pœnam, accedente præsertim necessitate, vel utilitate Ecclesiæ judicio Episcopi, censeo cum secunda sententia superiùs relata.

CONSULTATIO V.

1 *An Canonicus Ecclesiæ Cathedralis carentis Canonica, sive Aedibus Canonicalibus, habens domicilium, & actu habitans intra fines alterius Parochiæ, dicatur Parochianus Ecclesiæ Cathedralis ita, ut in infirmitate teneatur recipere Sacramenta à Parocho Ecclesiæ Cathedralis, vel potiùs à Parocho Domicilii?*

2 *An idem Canonicus decedens non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in Ecclesia Cathedrali, tanquam sua Parochia, vel in parochia domicilii, vel potiùs in sepulchro suorum majorum?*

3 *An pro sepultura Canonici, ut supra defuncti, debeatur quarta funeralis Parocho domicilii, aut Parocho Cathedralis, vel Parocho Parochiæ sepultura suorum majorum?*

AD 1. Negativè, atque adeò in sua infirmitate tenetur recipere Sacramenta à Parocho domicilii, sive habitionis. Ratio autem est, quia quilibet tenetur recipere Sacramenta præsertim Viatici, & Extremæ Unctionis à proprio Parocho, ut in *Clem. . de privil.* Proprius autem Parochus est ille, in cujus parochia quis actu inhabitat, vel habet domicilium juxta *cap. 15. de sepult. in 6.* traduntque Doctores, quos refert, ac sequitur D. Fagnan. in *cap. significavit num. 27. & 32. de Paroch.* ubi etiam *num. 36.* refert hanc esse sententiam Sacr. Congregationis Concilii in casibus contingentibus per Glos. *in d. Clem 1. de privil. v. Parochialis*, Abb. in *cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remis.* ubi testatur de communi. Videturque decerni in Sac. Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. de ref.* in quo præcipitur Episcopis, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant, non obstantibus privilegiis quibuscumque, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

2 Non obstat, quod Ecclesia Cathedralis dicatur Parochia ipsius Canonici, imò & Parochia communis totius Diœcesis, ut alibi opposuimus. Nam est Parochia communis quando in ea Episcopus administrat Sacramenta, cùm ipse sit Parochus totius Diœcesis, non autem quando Parochus Cathedralis illa administraret, quia cùm sit tantùm Parochus Cathedralis, extra illam, & illius Parochiam, nullam habet jurisdictionem, atque adeò non potest administrare Sacramenta in alienis Parochiis.

3 Prætereà est Parochia communis iis, qui ad ipsam voluerint accedere pro recipiendis Sacramentis, ut notat Abb. *in d. cap. omnis num. 2. de pœnit. & remis.* Guttier. *can. qq. l. 1. c. 30. nu. 12.* non autem ad illa ministrandum in alienis Parochiis, quibus sua jura debent illæsa conservari; ita exigente earum ixstitutione, cùm non sint confundenda juxta *c. 1. caus. 6. q. 3. & c. nullus 9 q. 2.*

4 Ad 2. Hanc quæstionem tractant Lavor. *in elucubr. tit. 2. c. 11. à num. 62.* Bonac. *de contr. disp. 3. q. 21. p. 3. num. 6. §. 10.* Anchar. *cons. 369.* Tusch. *to. 6. lit. P. concluss. 99. num. 5.* Archid. *in cap. statutum §. Cum verò de rescript. in 6.* Petr. de Ubald. *de canon. port. c. 9. num. 28.* Asin. *in l. familiaria sepulchra ff. de relig. & sumpt. fun.* Bursat. *cons. 226. num. 18. & seqq.* aliique. Tenendum autem est, sepeliendum esse in Ecclesia Cathedrali, dummodò in ea sit sepulchrum proprium Canonicorum, non quia est ejus Parochia, si intra illius limites non habet domicilium, vel habitationem, ut voluit Bonacina, sed quia Ecclesiæ Cathedrali per Canonicatum fuit alligatus matrimonio spirituali, *cap. cùm inter de elect. cap. quoniam §. Ii verò ut lit. contest.* & ideò quos unicum conjunxit conjugium, unum conjungat sepulchrum, ait Canon *Ebron. infin. 13. q. 2.* & quorum una mens erat in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separet, *can. unaquæque §. soror ead. q. 2.* ubi dicitur in Ebron in eodem sepulchro sepultum fuisse Abraham, & Saram, Isaac, & Rebeccam, Jacobum, & Liam, Adamum, & Hevam. Et declaravit S. Congregatio super Episcop. die 13. Maii 1650. in Senogallien si apud Nicol. *tom. 1. lucubr. lib. 4. tit. 15. de interdict. ac sepultur. numer. 23. in fin.* ibi: *Clericus non sepelitur in sepulchro majorum, quando in Cathedrali, vel Matrice adest proprium Clericorum sepulchrum à laicalibus separatum.* Itaque requiritur, quod in Cathedrali extet sepultura pro Canonicis, alioquin iste Canonicus sepeliendus in sepulchro majorum; Ecclesia verò Parochialis succedit tantùm in defectum electionis sepulturæ, sepulchri communis Canonicorum in Ecclesia Cathedrali, & sepulchri majorum ita, ut Ecclesia Parochialis sit ultima juxta ordinem adductum per textum in *c. nos instituta de sepult.*

Ad 3. Funerale dividi debet pro tertia in quarta parte, aut pro medietate juxta morem regionis, inter Ecclesiam Cathedralem tumulantem, vel Ecclesiam, in qua habet sepulchrum majorum, in qua canonicus sepelitur, & Ecclesiam Parochialem, in qua Canonicus habitabat, & recepit Sacramenta juxta *cap. certificari de sepult. cap. Cum quis de sepult. in 6.* Rot. *dec. 376. num. 1. p. 1. rec.* ubi de Ecclesia Parochiali, Mantic. *dec. 294.* Cavaler. *dec. 101. nu. 1.* Rot. *in Mediolanen.* quartæ Funeralis 14. Martii 1622. coram Merlino, & alibi sæpiùs. Jus enim quartæ funeralis est consequutivum ad jus administrandi Sacramenta per *Clemen. dudum*, §. *verum de sepult.* Constat autem, quod jus ministrandi Sacramenta in articulo mortis pertinet ad Parochum quoad omnes, qui sunt in ipsius Parochia; undè etiam ad ipsum spectat quarta funeralis, quando in aliena Ecclesia ejus Parochianus sepelitur, integrum, ac totum funerale, quando sepelitur in propria Ecclesia Parochiali. Vbicumque enim quis sepeliatur, Ecclesia Parochialis habitationis, vel domicilii habere debet suam Canonicam portionem à quacumque Ecclesia sepeliente; quia aliud est jus Parochiale, & aliud est jus funerandi *ex c. cum quis de sepult. in 6.* ubi is, qui est Parochianus unius Ecclesiæ, & habet sepulturam majorum in alia, si eligat sepulturam in tertia Ecclesia, portio quartæ Canonicæ non debetur Ecclesiæ relictæ, sed Parochiali, docetque Lapus *alleg. 59. num. 3.* & habetur ex *cap. 1.* ibique Abb. *de sepult.* traditque Petr. de Ubald. *de Canon. Paroch. cap. 7. q. 12.* post *nu. 17. & q. 18. numer. 24. in qu. princip.* ibi: *dicis ergo Canonicam deberi soli Ecclesiæ Parochiali, & cap. 8. nu. 33.* ibi: *jura enim sepulturæ, & Parochiæ sunt diversa*, ac prosequitur Franc. *in d. cap. Cum quis* post *init.* & alii communiter. Cæterum unusquisque potest sibi sepulturam, quamcunque maluerit, eligere, modò quartam funeralium Parochiæ suæ persolvat, *c. in nostra de sepult.*

Atque ita, me consulente censuit S. Congregatio 6 in Tiburtina 12. Maii 168[illegible]. nempè ad primum, *teneri recipere à Parocho Domicilii*: Ad secundum, *In Cathedrali, si in ea adsit sepulchrum proprium Canonicorum, sin minus in sepulchro majorum, iis verò non existentibus, an cadaver Canonici sit sepeliendum in Ecclesia Cathedrali, vel in Parochiali, in alia Congregatione videndum.* Ad tertium, *deberi Parocho domicilii.*

Porrò habitans in confinio duarum Parochiarum 7 est Parochianus illius Parochiæ, ex qua domus aditum habet juxta ea, quæ docet Bartol. *in l. fin. n. 6. in fin. ff. de damn. infect.* Quia ex aditu judicatur de domo, cui cedat, *l. ei, cui ædes ff. de leg. 3.* Bald. *cons. 60. n. 5. vol. 1.* de Ponte *dec. 35.* Villagut. *dec. 32.* Quod si domus habet duas portas in duabus Parochiis, judicatur de ea Parochia, in qua est porta principalis, & aditus magis frequentatus sive usitatus, ut per eumdem Bartol. *in l. prædii §. qui domum ff. de leg. 3.* qui etiam *l. 1. ff. ad municipalem* ait, quod si aditus sive ostium est à parte anteriori domus, & à parte etiam posteriori, ac vicissim ingreditur quandoque ab interiori, quandoque à posteriori nihilominùs dicitur Parochianus illius Parochiæ, in qua est aditus à parte anteriori domus, quia illa pars censetur nobilior. Ubi autem pars nobilior, censetur esse totum, *l. Cum in diversi ff. de relig. & sumpt. fun.* Idemque docet Angel. in *l quod conclave in fin. ff. de damn. infect.* Idemque docet Angel. in *l. quod conclave in fin. ff. de damn. infect.* tradens, quod, si domus habet duo ostia, quorum unum dicitur anterius, ab illo cognoscitur Parochia, tanquam à nobiliori. Quod sequitur Felin in *c. omnes num. 2. de major. & obed.* & Ricc. *in prax. for. Eccles. p. 1. resol. 510.* His addo casum de eo, qui degens in confinio duarum Parochiarum pro suis ædibus ampliandis, illis aggregat domum, seu situm alterius Parochiæ. Cùm enim

accessorium

accessorium cedat principali, illud aggregatum incorporatur ædibus, quibus jungitur, & fit ejusdem Parochiæ, cujus sunt ædes illæ dummodò nobiliores, & ampliores existant, ut decernitur in statuto Cleri Romani *cap.3. §.17.*

His subjicio Sacræ Rotæ Romanæ decisionem.

R. P. D. PRIOLO.

Mantuana Funerum.

Lunæ 5. Iulii 1694.

DIsceptatum fuit inter Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Mantuæ,& Parochos ejusdem Civitatis super Jure administrandi Sacramenta Canonicis,& aliis Presbyteris ejusdem Cathedralis non commorantibus in Canonica,sed ad libitum per Civitatem habitantibus, necnon super jure percipiendi emolumenta, & eorum cadavera tumulandi: Et Parochi ab A.C. obtinuerunt manutentionem super jure administrandi Sacramenta Canonicis, & Presbyteris intra limites eorum Parochiarum detegentibus, ac etiam emolumenta percipiendi; Capitulo verò concessa fuit manutentio quoad jus tumulandi illos, qui in eadem Cathedrali Sepulturam haberent, vel illam sibi eligerent,& omnia funeralia in tali casu percipiendi.

Hujus causæ cognitione mihi in ulteriori instantia commissa cum clausula: *Alteri cum facultate manutenendi quem de jure*, hodie DD. de more consulti dixerunt, manutentionem esse dandam Parochis, excepto jure tumulandi.

Cùm enim manutentio dependeat à solo facto, satis justificatum fuit pro Parochis, illos esse in quasi possessione administrandi Sacramenta,& emolumenta percipiendi,tale namque jus habet pro suo fundamento juris assistentiam per Text. *in cap. dilectus de Capell. Monach.* cui etiam famulatur jus municipale, cùm Constitutiones Synodales emanatæ de anno 1679. disponant, ne defunctus levari possit, nisi priùs vocato & exspectato proprio Parocho, & comprobatur ex ipsa confessione Capituli fatentis in concordia inita de anno 1616. solis Parochis licere administrare Sacramenta omnibus de Clero Cathedralis, quos intra eorum Parochias infirmari contigisset, & justificatum quoque remanet ex libris apud eosdem Parochos existentibus, in quibus plures de Clero Cathedralis numerantur, qui Sacramenta à propriis Parochis receperunt; & demum ex Testium depositionibus,qui non minùs Sacramentorum administrationem, quàm emolumentorum præstationem æquè comprobant, & inter hæc,duo specialia concurrebant,unum scilicet,quod inter istos testes enumerabatur ipse Archipresbyter Cathedralis, qui deponit de facto proprio,dum erat Parochus,& ad præsens est Vicarius Generalis Episcopi, cui ob qualitatem personæ plurimum deferendum est, Rot.coram Buratt. *decis.*775.*n.*3.Gregor. *decis.*351.*n* 4.alterum quod ex ipsa confessione Capituli Surd. *nu.* 12. desumebatur ultimus status pro Parochi circa administrationem Sacramentorum,& ista summoperè attendi debet,tanquam emanata in contradictorio Judicio,& qua nulla potest dari major probatio,Gloss.*in l.*1. §. *ab emptore verb. constitutum*,ibique Angel.*n.*4.*ff. de pactis*,Rota coram Pamph. *dec.*9. *num.* 4. *& decis* 675. *nu.*2. *& recent. decis.*240.*num.*4.*part.* 19.

Eisdem omninò principiis per Capitulum quoque probata fuit illius quasi possessio;Assistentia enim Juris arguebatur quoad jus tumulandi cadavera Canonicorum, & aliorum inservientium in Cathedrali ex eo, quòd in eadem Ecclesia adsunt sepulturæ distinctæ à Laicis.Quoties enim Cathedralis habet sepulturas separatas pro Personis ibidem inservientibus,dicitur habere Jus privativum quoad illa cadavera, quæ sunt in eisdem sepulturis tumulanda, ut expressè sancivit S. Congregatio in Senogallien. relata per Nicol. *var. lucubr. tom.*1 *lib.*4.*tit.* 15. *nu.* 23 Passerin. *de stat. homin. q.* 187 *art.*4.*nu.*325. *ad med.* Pignatell. *consult. canonic. tom.*8. *consult.*5. *num.* 4. & cum sententia S. Congregationis concordat Calderin. rejicens Lapum in *cons. impresso post alleg.* 62. ejusdem Lap. Franch. *de Eccl. Cathed. c.* 17. *num.* 15. *& seqq.* Marchet. *in prax. Vicar. Capit. p.*3. *tit.* 38. *num.*41. Medic. *de sepult. q.* 7. *num.*8. & Panimol. *dec.* 5. *num.*11.

Quo verò ad Sacramentorum administrationem inferebatur, quod sicuti Clerus Cathedralis in vita tempore Paschali ab ea percipit Sacramenta, recognoscendo in Parochiam,& Matrem, ita quoque percipere potest in tempore infirmitatis, ut benè arguit Amostaz. *de caus. piis lib.*6.*cap.*2. *nu.* 50.*& cap.*8. *nu.*74. *cum pluribus seqq.*

Ulterius exhibiti fuerunt plures actus hoc idem firmantes. Primus namque emanavit per viam transactionis de anno 1614.in quo Episcopus assensit, ut Canonici,eveniente casu,quod nonnulli ex ipsis, seu Mansionariis infirmentur, possint, & valeant eisdem infirmis etiam processionaliter Sacramenta ministrare, absque interventu, & participatione proprii Parochi. Et duæ Constitutiones Synodales de annis 1648. & 1679. in quibus de consensu totius Cleri sancitum fuit, quod quando cadavera Dignitatum, Canonicorum, & aliarum Personarum Cathedrali inservientium in ea tumulantur, tota funeralia ad illam pertineant, in quibus virtualiter omnia continentur. Nam cùm emolumenta, quæ debentur ratione laboris, & administrationis Sacramentorum, legantur expressè concessa, concesso uno ex relativis, censetur etiam concessum & alterum non expressum, & maximè quando non expressum potest aliundè desumi, prout ex dicta transactione de anno 1614. in qua expressè legitur concessa etiam Sacramentorum administratio.

Exhibuit quoque Capitulum plures extractiones factas ex propriis Libris etiam Legalibus, & quibus probare contendebat, plures Dignitates, & Canonicos, receptis Sacramentis, tumulatas fuisse in Ecclesia Cathedrali;Et demum allegabat plures testes,tam formiter, quàm ad perpetuam examinatos, inter quos aderant nonnulli ex ipsismet Parochis, quorum depositio, cùm æquiparari possit confessioni ipsiusmet Partis, videtur contra illos concludentissimè probare, Dunoz. *decis.*285. *n.*6. *& in recent. dec.*220.*nu.*18 *& seqq. paa.* 17.

Quamvis in gradu manutentionis, ut dictum fuit, attendatur nudum factum, non verò assistentia Juris, contra quam datur etiam manutentio, possessione legitimè probata. Nihilominùs DD. in conflictu tot, & ferè æqualium probationem eisdem quoque defectibus singularitatis,sed non obstativæ laborantium, ad illam recursum habuerunt, ut eorum scilicet probationes præponderarent in hoc casu, quæ haberent Juris assistentiam, Rota pœnes Posth. *de manutent. decis.* 158.*nu.*7. Gregor. *decis.* 469. *nu.*5. Alex. VIII. *decis.* 16. *n.*20. *& in Barchinonen. Cantus* 31. *Ianuarii* 1689. *Testes coram Reverendissimo Mediolanen.*

Hanc methodum insequendo, cum distinctione etiam ad resolutionem devenerunt.Concessa namque fuit manutentio favore Parochorum circa administrationem Sacramentorum,& exactionem emolumentorum,cùm in his videatur Jus assistere, ut in *c. Dilectus, de Capell. Monach. & c. Fraternitatem de Sepul.*Franc. *de Eccles. Cathedr. cap.*21.*nu.*25. de Luc *de Paroch discurs.*27. *nu.*2.Sperell *decis* 88. *num.*4.Rot.coram Caval. *decis.* 101. & Zarat. *decis.* 45. *utrobique nu.*1. *& in recent. decis.*225. *n.*1. *part.* 19. & cùm de Jure nulla detur limitatio Jurisdictionis Parochialis, ista Juris assistentia extenditur etiam ad Canonicos Cathedralis in aliena Parochia obeuntes, Lap. *all. gal.* 62.*nu.*2.*& seqq.* Antonell. *de Regim. Eccles. lib.*1. *cap.* 12. *num.* 30 Marchett. *de Sepult. tit.*38. §. 2. *num.*40 Pignatell *Canon. consult.*

consult. to. 8. consult. 5. per totam ubi sub nu. 6. refert ita fuisse resolutum à Sac. Congregatione Concilii in una Tiburtina Juris funerandi.

Nec talis assistentia turbata remanet, ex quo Cathedralis sit omnium Ecclesiarum mater, & totius Diœcesis Parochia, ita ut omnes, qui in eadem Ecclesia Sacramenta suscipiunt, præcepto Paschali satisfacere dicantur; privilegium enim, quod habet dicta Ecclesia intra se ministrandi Sacramenta iis, qui ad illam accedunt, non potest tamen ab ejus Parocho extra proprios limites exerceri, ideòque nec minus potest illa deferre ad alienas Parochiales, Abb. *in cap. omnis n.2. de pœnit. & rectiss.* Guttier. *Canon. quæst. lib.1. cap.30. nu.12.* Gobb. *consult. 118. nu. 20. cum seqq.* Pignatell. *d. consult.5. nu.3.* non relevante prætensa cura habituali, quia etiam si ista ageretur nomine Episcopi, semper tamen Parochus curam actualem exercens, esset præferendus habenti curam habitualem.

In sequelam hujus assistentiæ debentur etiam emolumenta, cùm isti ex causa laborum, & propter Sacramentorum administrationem simili prærogativa potiantur, per *Text. in Clement. dudum de sepult.* Rot. coram Millin. *decis.29. n.1. & seqq. in Rec. 263. n.1. p.15.*

Non obstant Constitutiones Synodales in contrarium allegatæ, quia illæ tamquam adversantes Pontificiis Constitutionibus, & generalibus Conciliis, attendi non merentur, per *Text. in cap. cum inferior, & in cap. super his de major. & obed.* Rot. coram Coccin. *decis. 1619. nu.10. & decis. 1651. nu. 5.* & præcipuè quia doctum fuit de illarum ineffectuatione, dum constat, Parochos pluries emolumenta percepisse, etiam ex cadaveribus in Ecclesia Cathedrali tumulatis, ut prosequitur Rota coram Coccin. *d. decis.1619. n.12.*

Sed ulterius etiam probationes, quæ fuerunt à Parochis exhibitæ, visæ sunt magis concludentes, cùm se determinent ad personas, loca, & tempus, illæ verò Capituli possunt commodam recipere interpretationem, ut cum primis concilientur. Cùmque tantùm generaliter concludant, nonnullos Sacramentis munitos in Ecclesia Cathedrali fuisse tumulatos possunt benè intelligi, Sacramenta administrata fuisse à proprio Parocho, reliquæ verò magis particulares, vel præ se ferunt licentiam obtentam à Parocho domicilii, cùmq; non importent, nisi precariam possessionem Capituli, non sunt habendæ in consideratione Rot. coram Coccin. *decis. 142. n.4.* Bich. *decis.6. nu.6. & in Nonantulana Iurisdictionis 22 Iunii 1693. in fin. coram R.P.D. meo Caprara*, vel quia Parochi tale præjudicium aut inviti, aut ex urbanitate tolerarunt, satis est Jus Parochiale non fuisse legitimè præscriptum.

Pro Capitulo tamen visa est militare Juris assistentia quoad tumulationem cadaverum, quia cùm pro Dignitatibus, Canonicis, & Clericis in eadem Ecclesia inservientibus adsint sepulturæ separatæ à laicis, & ulterius plures & continuati actus exhibeantur; Isti conjuncti cum Testium depositionibus, & confessione ipsorummet Parochorum satis esse videntur ad probandum etiam rigorosè illius quasi possessionem in Jure tumulandi, quæ tantò magis venit admittenda, cùm nec etiam ex adverso impugnaretur manutentio favore Capituli.

Et ita utraque &c.

CONSULTATIO VI.

1 *An examen testium pro informatione Curiæ receptum coram Iudice seculari, legitimari possit coram Iudice Ecclesiastico? & quid versa vice?*

2 *Et quid de incompetentia Iudicis secularis impediti, qui ratione præjudicii super immunitate Ecclesiastica prius disputandi, processit ad legitimationem processus?*

3 *Et quid de testibus examinatis coram Iudice laico contra aliquem, qui postea detectus fuit Clericus, si postea isti testes coram Iudice Ecclesiastico revocarunt suum dictum, an scilicet possint torqueri, à quonam fuerint subornati, & in quo dicto persistere velint?*

QUod ad primum respondeo negativè. Etenim 1
processus causarum tripliciter considerari possunt secundùm triplicem causarum speciem. Nam causæ aliæ sunt merè Ecclesiasticæ, quæ dupliciter perpendi possunt, uno modo respectu materiæ, ut hæresis; alio modo respectu personæ delinquentis, ut Clericus. Sed hæ causæ respectu personæ potiùs causæ Canonicæ, quàm Ecclesiasticæ dici debent, ut voluit Baldus in *auth. Clericus quoque C. de Episcop. & Cler.* Aliæ sunt merè seculares ut laici homicidium, aliæ sunt mixti fori, ut percussio Clerici.

Iudex autem secularis nullam omninò habet juris- 2
dictionem in causis merè Ecclesiasticis. Quo in casu si Judex laicus reciperet testes, & formaret processum, nihil ageret nec ille processus quicquam prodesset, neque faceret indicium coram Judice Ecclesiastico, *cap. at si Clerici in princ. de judic.* sed denuò Judex Ecclesiasticus deberet alium processum formare, & novum inchoare, ac indicia denuò cumulare, ut per Ruin. *cons 7. n. 6. lib.5.*

E contra autem in causis merè secularibus cùm Ju- 3
dex Ecclesiasticus, si non actu, saltem habitu habeat omnem jurisdictionem, etiam sanguinis, ut colligitur ex Bonifacio VIII. *in Extravag. Unam sanctam de major. & obed.* & tenet Barbat. *cons.93. divers.p.1.* in magnis *nu. 30.* & Bald. *in auth. habita n.84. in fin. C. ne fil. pro patr.* & in *l. solent ff. de offic. Proconsul. & legat.* non videtur negari posse, quod processus ab Ecclesiastico Judice formatus, afficiat in foro seculari. Et ideò acta, & processus coram Episcopo probant coram Judice laico, ut ait Scacc. *de re judic. glos.14. q.21. n.67.* maximè si sit eadem causa, & inter easdem personas, & ad eumdem finem, ut tradit Farinac. *cons.168. n.37.* In aliis verò causis misti fori benè probant processus in utroque foro per ea, quæ dicit Farinac. *q. 7. nu.43.*

Licèt tamen processus secularis Judicis non operetur ad condemnationem coram Ecclesiastico, nihilominùs quoad instructionem, seu informationem optimè valet, Bald. *in l. Clericus quoque nu.11. C. de Episc. & Cler.* Et ideò potest, ab Episcopo legitimari repetendo testes, vel illos cum reo confrontando, ut innuere videtur Ruin. *d. cons.7. n.10. lib.5.* ibi: *& quod etiam quantum ad hoc illi non præjudicassent, si fuissent repetiti à Iudice Ecclesiastico, si ab illo citatus non fuisset*, imò etiam per declarationem, ut tenet Genuen. *in prax. cap. 8. num.1.* 4

Ex quibus colligitur, quod non sufficit, quod Judex 5
Ecclesiasticus iterùm non sine citatione requisita in legitimatione repetat testes, sed repetitio fieri debet modis legitimis, nempè citato reo, & publicato processu, cùm repetitio, & confrontatio sit nova examinatio testium, & sic videretur hoc modo satisfactum doctrinæ Ruini *in d. cons.7. num.6.*

Neque obstat, quod hoc idem procedere videtur de 6
processibus Judicis Ecclesiastici apud Judicem secularem, nimirùm quod non probent, nisi denuò Judex secularis repetat testes, & processum formet. Imò si Judex Ecclesiasticus degradaverit Clericum, & tradiderit Curiæ seculari puniendum, Judex secularis non tenetur stare processui, neque sententiæ dicti Judicis Ecclesiastici, ut dictum Clericum sibi traditum morte condemnet, sed examinabit noviter causam, si forsan invenerit illum dignum morte, vel alia pœna, ut est casus *in §. si verò crimen in princ. auth. de sanctiss. Episc. collat.9.* qui §. de plano procedit, quando crimen non esset merè Ecclesiasticum. Tunc enim Judex secularis nullam diligentiã facere potest, sed clausis oculis exequi tenetur, ut per Vermigl. *cons.138. n.4.* At verò quando Clericus degradaretur vel propter homicidium qualificatum,

qualificatum, vel propter seditionem, vel ob aliud simile delictum mixti fori juxta textum *in cap. Cum sit generale de for. comp.* tunc Judex secularis examinabit noviter causam.

7 Nam respondetur, quod dupliciter intelligi potest, quod secularis Judex non teneatur stare processui Judicis Ecclesiastici. Uno modo quatenus processus Iudicis Ecclesiastici nullam omninò faciat probationem coram seculari, & hoc casu non procedit objectio. Quia cùm Iudex Ecclesiasticus fuerit competens ad faciendum dictum processum, Iudex secularis tenetur illum admittere, uti factum à competente Iudice, Vermigl. *cons.* 161. ubi respondet Baldo *in l. Magistratibus nu.* 2. *ff. de jurisd. omn. Iudic.* Scacc. *de re judic. glos.* 14. *q.* 21. *n.* 67. *resqq.* Alio modo quatenus Iudex secularis vult examinare processum, an in eo fuerit probatum delictum, ut ex eo cognoscat, an benè, vel malè fuerit judicatum. Et hoc casu procedit objectio; quia Iudex secularis potest illum denuò recensere, & examinare, hoc est considerare, ac perpendere, non autem denuò alium processum fabricare, Vermigl. *cons.* 138. *n.* 2. & Sanfelic. *decis.* 139. per totam.

8 Quod ad secundum casus est. Quidam allegavit fuisse captum in loco immuni, qua allegatione stante Iudex processit ad ulteriora in processus fabricatione; imò etiam legitimavit processum per confrontationem; deinde prædictus Iudex secularis certioravit Iudicem Ecclesiasticum de prædicta allegata immunitate, qui præfixo carcerato termino ad probandam assertam allegatam immunitatem, qua non probata declaravit, carceratum non gaudere immunitate, de qua declaratione habita fide Judex secularis processit contra delinquentem, & dubitans de prædicta processus legitimatione per confrontationem, operatus fuit, ut carceratus declaret, & testes pro ritè, ac rectè examinatos, quæritur, an hæc declaratio validet processum, qui præsumitur nulliter fabricatus post allegatam immunitatem?

9 Et ratio dubitandi est, quia Judex secularis debebat abstinere à processus fabricatione, donec Iudex Ecclesiasticus pronunciasset super immunitate, ut disponit Constitutio Gregorii XIV. *§. quodque delinquentes, &c. vers. cognito prius.* Atque etiam debebat denuò audire testes, & cum reo contestare eorum depositiones, quo non facto videtur declaratio per carceratum facta non convalidare processum, à Judice seculari tanquam ab excommunicato fabricatum vigore dictæ Constitutionis Gregorianæ §. *Quod si quis.* Nam declarare non est iterùm testes repetere, sed est testes non citata parte examinatos habere, ac si citato reo fuissent examinati; atque etiam cùm declaratio supponat depositiones testium, quamvis non in figura judicii receptas, esse aptas ad recipiendam legitimationem. Prædictæ autem depositiones, veluti receptæ à Iudice quamvis competente, sed per allegatam immunitatem impedito, non fuerunt aptæ ad recipiendam legitimationem. Ideòque dicendum est per subsequentem declarationem non evasisse validas, sed necesse fuisset, ut iterum testes audirentur, & cum reo denuò contestarentur.

10 Quod autem ad tertium respondeo negativè; quià prima depositio facta coram Iudice laico, pro non facta haberi debet, ideòque non possunt puniri, neque torqueri, ad tradita per Clar. *q.* 88. *vers. est opus*, Menoch. *cas.* 108. Add. ad Capyc. *dec.* 142. & Add ad Alciat. *præsumpt.* 29. *in fine* per textum *in cap. non præstat impedimentem de reg. jur. in 6.*

CONSULTATIO VII.

An Ecclesiastici possint licitè conficere Vini stillati aquam ex vino, quod è suis vineis percipiunt, illamque ad plenum, sive minutim vendere?

1 Affirmandum videtur. Nam id non impedit eorum officia, neque rerum piarum meditationem, estque licitum, atque approbatum à Sacris Canonibus, cùm possint Ecclesiastici etiam regulares vendere universi generis fructus ex suis prædiis collectos, non solùm minutim, sed pleniùs, immutando etiam illos in aliam speciem, ut docent quamplurimi Doctores, adducti à Bellet *disq. Cler. p.* 1. §. 11. *num.* 16. & Carol. de Grass. *effect. Cler.* 6. *n.* 33. *& seqq.* qui *nu.* 17. *&* 51. ampliat id procedere etiam in exercitationibus, & artificiis vilibus, dummodò fiant per manus secularium, Colligiturque ex iis Doctoribus, qui volunt à mutatione formæ artificium reddi magis licitum, sicuti observavit Feder. de Sen pro Cistercientibus *cons.* 207. ubi probat, quòd licitè poterant vendere ferrum, quod conficiebant ex materia, quæ ex illorum prædiis effodiebatur eo modo, quo venditur ab aliis dominis, illumque sequuntur Doctores communiter.

Et sanè fit vinum ex vua, hæc autem non potest in vinum redigi absque cultu, collectione, pistura, & id genus alia: sicut igitur redactio vuæ in vinum cum tot artificiis, non est illicita, ita etiam non est illicita redactio vini in vini stillatitii aquam; certumque est, Ecclesiasticos, ut venditent suum frumentum, posse illud in farinam terere, & ex ea panem, pastillos, ac spirulas conficere; ergo etiam è vino stillatitio liquorem. Unde S. Congregatio Concilii in Angelopolitana inter Patres Iesuitas provinciæ Mexicanæ in Indiis, & Episcopum Angelopolitanum, interrogata, an Regulares apothecas quarumcunque mercium, macella, & similia præsertim propè Collegia, sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne id exerceant, sub die 16. Aprilis 1648. prudentissimè respondit, non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis; sed si in præmissis ita notoriè delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini *cap.* 4. *sess.* 25. *de Regul.* Quod decretum approbans, tanquam licitas supradictas artes, etiam utiles, fuit approbatum, & confirmatum cum pluribus aliis in dicta causa emanatis, speciali diplomate à sa. me. Innocentio X. sub die 14. Maii ejusdem anni. 2

Hæc igitur negotiandi forma potest esse licita, & Ecclesiasticos minimè dedecens, quod aliàs ex doctrina, & exemplis Sanctorum monstravimus. Facitque *cap.* 4. Concilii primi Moguntini sub Leone Tertio tempore Caroli Magni. Ibi enim post mandatam Clericis, Monachis abstinentiam à negotiis secularibus, itemque post declaratam variis exemplis notionem secularium negotiorum, à quibus cavendum sit dictis personis, subditur postremo loco prohibitio exercendi injusti negotii, addit verò Concilium: *non tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus Sanctos Apostolos negotiasse, & in Regula S. Benedicti præcipitur prævidere, per quorum manus negotium Monasterii transeat.* Quæ verba apertè supponunt negotiationem illam, qua res per artificium mutatæ revenduntur, licitam esse Ecclesiasticis, exemplo Apostolorum, qui exercentes opificium aliquod, ut *ex Actor.* 18 habetur vendebant arte facta sua; unde sine gravamine cujuspiam vitam ducerent, & egenis de sua tenuitate benefacerent. Confirmatur ex variis juribus. Nam *c. Clerici* 14 *q.* 4. *& c. Clericus d.* 61. *&c. Nunquam de consecr. d* 5. conceditur Sacris hominibus, ut de honesto artificio sibi, suisque pauperibus victum, & necessaria comparent. Potest ergo hæc negotiatio per propriorum opificiorum venditionem licita esse, nec dedecens Ecclesiasticos. Et ita latè præter cæteros Guttier. *tr. de gabel. q.* 93. *àn* 47. adducens quamplurimos, & esse sententiam communem affirmat Navar. *in man. cap.* 27. *nu.* 128. 3

At verò tenendum est, id non licere, nisi pro usu proprio præsertim Regularibus; quia spectat negotiationem, & quæstum. Probatur universim ex Sacris Canonibus *tot. tit. de vit. & honest. Cler.* ex S. Concili 4

Trident.

Trident. *seſſ.22. cap. 1. de ref.* & viſitatione Apoſtolica ſa. me. Urbani VIII. anno 1637. de quibus, ac multis aliis alibi ex iis enim prohibetur perſonis Eccleſiaſt. præcipuè Regularibus omne opificium, quod ordinatur ad lucrum. Neque audiendus eſt Conradus Summahart, qui attendi vult, an materia artificio ſubjecta vilior ſit pretio, quàm artificium ab Eccleſiaſtico adhibitum. Nam ſi materia ſubjecta ſit pretioſior, cenſet, tale opificium venale dedecere Eccleſiaſticum, ſin minùs ei congruere. Sed meritò hoc refellit Medin. *q.30. de reſtit. in 2. cauſ. illic. negot.* Qualiſcumque enim ſit materia ſubjecta, tamen ſemper verum eſt intervenire artificium, Undè ſi aliud inquinans negotiationem non interveniat, poterit ab Eccleſiaſtico artificii authore diſtrahi, ſalvis legibus Eccleſiaſticis, & honeſtate ſtatus ſui.

5 Quare recurrendum eſt ad optimam, & pietatis, ac prudentiæ refertiſſimam diſtinctionem, quam circa hoc adhibet S. Baſilius *cap.6. conſtit. monaſt.* verbis illis: *Cæterùm in his ſe operibus exercere Monachus debet, quæ ordinis ipſius decoro conveniant, cujuſmodi videlicet ea ſunt omnia, à quibus cauponariæ artis, & impoſturæ omnis abſit ſuſpicio, quæque nullæ longiores animi diſtractiones, aut improbi quæſtus ſequantur, ſintque ejuſmodi ut manentibus intra tectum nobis magna ex parte confici poſſint, ne operum laboribus contentiùs, quàm par ſit conſectandis, animis in virtutis commentatione, nervos, induſtriamque elidamus, in quo illud ſpectandum, ut & opus abſolvatur, & à quiete tamen non diſſuedatur.* Et ad *Regul.* 38. fuſarum. *Siquidem omnibus in rebus illud peculiariter debemus ſpectare, ut ſimplicitatem, & fragilitatem teneamus, & illud ſummoperè fugiamus, ne inſerviamus ſtultis, ac planè noxiis hominum cupiditatibus, iis efficiendis, quæ in ſtudio apud ipſos eſſe animadvertimus.*

6 Vides, S. Baſilium agnoſcere, quaſdam hujus generis negotiationes dedecere Religioſos, inter eas autem eſſe opificium liquoris vini ſtillatitii cenſendum eſt. Nam licèt non ſit impedimento divinis officiis, eſt tamen dedecens ſtatum Eccleſiaſticum, ac plurimis incommodis refertum, illiuſque venditio rationabili oblocutioni patet, cùm valdè dedeceat, quæ ad cauponariam artem ut aiebat D. Baſilius, pertinent, à perſonis divino cultui mancipatis confici, atque divendi. Quod eſt mens Concilii Viennenſis in *Clem. 1. de vit. & honeſt. Cler.* & declarat ſæpiùs S. Congregatio Epiſcop. quod Clerici in ſacris conſtituti, non debent Ordinarium armati comitari, neque exercere viliora, utputa cauponam, macellum, furnum, curſorem, & ſimilia. Ita in Caputaquenſi 29. Aprilis 1586. in Burgi S. Sepulchri 26. Aprilis 1652. Qui ſpontè talibus, vel mechanicis artibus incumbant, Ordinarius præviis judicialibus monitionibus debet, ſi non paruerint, eos declarare privatos privilegio Clericali juxta *d. Clem.* 1. & d. 8. Congregationis decretum in Biſinianenſi 8. Octobris 1628.

7 Neque obſtat, quòd Eccleſiaſtici poſſint vendere res ſuas etiam minutatim. Nam ultra quod hujuſmodi venditio per ſe ipſos facta redundat in Clericatus ignominiam, in hoc caſu tum ex artificio mutatur rei ſubſtantia ita quidem, ut ex hoc liquore conſecrari nequeat, tum ex indecentia id prohibitum eſſe videtur, ſicuti illis prohibetur exercere artes aromatariam, piſtoriam, calceariam, veſtiariam, ſutrinam, textrinam, ferrariam, quæ in uſus hominum inſtitutæ ſunt, quale non eſt opificium liquoris vini ſtillatitii.

8 Minùs obſtat exemplum Ciſtercienſium. Nam agitur in eo caſu de ferraria fabrica neceſſaria ad conſequendum commodum è ferri fodinis, quæ ſpeciem non mutat, neque exercetur à Monachis. Pariter neque exemplum de uva; nam vinum non fit, niſi ex illis operibus, non per Eccleſiaſticos exercendis, ſed per vinitores, de quibus loquitur Ulp. *in l. Inſtrumenta fundi ff. de inſtr.* quoſque ſordidos vocat Sedulius. Ita etiam ad faciendum triticum haberi oportet bubulcum, aſinarium, ſubulcum, at nemo dixerit, ex Eccleſiaſticis hujuſmodi operarios parari poſſe.

Et ita etiam reſolutum fuit in S. Congregatione ſuper controverſiis juriſdictionalibus, ut ex ſequentibus reſolutionibus. 9

All' Eminentiſs. e Reverendiſs. Signor Cardinal Legato di Ferrara. Eſſendoſi diſcorſo nella S. Congregatione ſopra le cõtroverſie giuriſditionali, ſe i Frati Gieſuati poteſſero eſſere impediti nel vender l'acquavita, & altre acque diſtillate, e doppo l'haver conſiderato il Breve della S. M. di Paolo V. ſotto la data de' 18. di Febraro del 1606. à favore de' detti Frati, e i bandi ſuſſeguenti, con quel più, che occorreva, hanno queſti Eminentiſſ. Sign. uniformamente riſoluto, che a' detti Frati ſia permeſſo vendere le dette acque nel modo, e forma preſcritta nel detto Breve nel verſ. quoque fratres, è così ſi deba oſſervare, del che ſi è giudicato bene darne parte à V.E. acciochè con la ſolita ſua pietà, e rettitudine ſi compiaccia fare eſequire, mentre per fine le bacio humilmente le mani. Di Roma à' 17. di Gennaro 1646.

Particula autem ſupradicti Brevis eſt hujuſmodi: 10

Quoque fratres ipſi aliquo ſacro ordine initiati ſuæ dignitatis memores exercitio diſtillationis aquarum nullo pacto vacent, neque earum venditionibus ſe ſe immiſceant. Imò cæteri ejuſdem Ordinis Regulares, qui ad ordines promoti non fuerint, &c. ejuſmodi aquas deſtillatas, quod hactenus fecerunt, mulieribus deinceps nullo prætextu vendere, ſeu aliàs tradere debeant, neque venales habere, ſeu exponere, ſed eas tantùm ſeorſum ab aliis poſſint vendere aromatariis, vel aliis particularibus perſonis.

Al Signor Cardinal di S. Suſanna Legato di Ferrara. 11
Havendo Noſtro Signore rimeſſo à queſta Sacra Congregatione un memoriale de poveri mendicanti di coteſta Città per conto della fabrica, e vendita dell' acquavita, che ſi fà da' Padri Gieſuati, e da altri Religioſi, e luoghi Pii in prægiudicio dell' Appaltatore. Quæſti Eminentiſs. miei Signori, anche di conſentimento expreſſo di ſua Santità, hanno giudicato bene, che V. E. faccia un Editto, ò bando à favore de' ſudetti poveri, e loro Appaltatore, il quale obblighi tutti gli Eccleſiaſtici ſecolari, e Regolari, ancorche eſenti, à ſimilitudine, e à proportione di quello, che ſi è fatto qui in Roma, che però ſe le invia, e ſe i ſudetti Eccleſiaſtici pretenderanno qualche jus, ò privilegio, ſaranno benignamente uditi da queſta Sacra Congregatione. Si contenterà V. E. di adempire quello, che ſi deſidera, e humilmente le bacio le mani. Di Roma a' 24. di Gennaro 1657.

CONSULTATIO VIII.

An, & quatenus Regulares teneantur ad decimas, Parochis, aliiſve ſolvendas? & qua ratione decimæ Parochiarum ad Monaſteria pervenerint?

PRo parte negativa multa occurrunt. Illud imprimis Univerſæ penè dixerim Religiones, omniaque illarum Collegia, Conventus & Domus, ubilibet exiſtentia, præſentia, & futura. eorumque perſonæ, fructus, redditus, proventus bonorum quorumcumque Eccleſiaſticorum ſecularium, & regularium, illis quomodocumque unitorum, aliæque res, & bona quæcumque à quibuſvis decimis papalibus, & prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam charitativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra iuſideles, defenſione patriæ, & aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore impoſitis, etiamſi in earum impoſitione caveatur, quod nulla prorſus exemptio cuiquam adverſus illa ſuffragetur, abſque ulla declaratione deſuper facienda, authoritate Apoſtolica ſel. rec. Pauli III. Pii IV. Gregorii XIII. & aliorum Summorum Pontificum perpetuò libera ſunt, & exempta, 1

exempta, etiam cum expressa derogatione Constitutionis Innocentii III. in Concilio generali *cap. Nuper de dec.* ut ex eisdem literis Apostolicis liquido constat, extantque Bullæ Clementis, & Sixti IV. Martini V. Pauli etiam III. & Sixti V. & pro militaribns. S. Ioannis Hierosolymitani, & aliis III. Bonifacii VIII. & Clementis VII de quibus Mandos. *de privil. ad instar. glos. 15. n. 40.* Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 27. num. 7. à 5.* & Mirand. *tom. 2. q. 49. num. 12.*

2 Hæc autem privilegia Apostolica in Sacra Rota per plures decisiones, & sententias conformes sunt confirmata, ac declaratum, illa fuisse, ac esse Canonica, suosque debuisse, ac debere sortiri debitos effectus. Extantque tres sententiæ conformes in una Carthaginensi decimarum, nempè Marcelli Bubali, Seraphini Olivarii, & Laurentii Blanchetti, super quibus expeditæ fuerunt literæ remissoriales, quæ transitum fecerunt in rem judicatam.

3 Et licet tres præfatæ sententiæ faciant statutum, neque ulterius super hac exemptione debeat dubitari, eo vel maximè, quod privilegia sunt adeo clara, ut nullum dubitationi relinquant locum, quod firmavit Rota in Hispalen. decimarum coram Cardinali Corrado 27. Iunii 1644. *§. Quia decisio.* Nihilominus diversæ aliæ decisiones, ac sententiæ contra diversos Episcopos, Capitula, Parochos, alioſve tam Ecclesiasticos, quam seculares emanarunt ad favorem Regularium, & pro Canonizatione præfatorum privilegiorum, ut Civitatis Castelli coram Ghisleno contra Parochos ejusdem Civitatis, in Gerundensi decimarum coram Manzanedo contra Abbatem, & Sacristas Collegiatæ Ecclesiæ Gerundensis, in Cordubensi decimarum de Lucerna coram Coccino, Carillo, & Merlino contra D. Ducem de Cardona, in Cracovien si coram Eminentissimo Cardin. Cerro contra Parochum Golambiæ, & antea ab anno 1588. etiam in Cracovien. coram Seraphino contra Plebanum Vislicensem, ac similes, quas notavit Add. *ad p. 5. recent. decis.* 508. & eas recensere longum esset, plenissimè autem in Ariminensi decimarum 17. Iunii 1652. coram Meltio.

4 Accedit continua observantia, usus, & consuetudo non solvendi decimas vigore præfatorum privilegiorum, decisionum, sententiarum, & rei judicatæ, in qua semper fuerunt, ac hodie Regulares existunt. Vnde à nemine poterunt amplius super hoc molestari, & inquietari, nec quicquam contra præfata privilegia opponi, cum censeatur os clausum ex clausulis, *sicque*, &c. *sublata*, &c. in ipsis privilegiis appositis, ut post Gonzales in terminis horum privilegiorum dixit Rota in Corduben. decimarum de Lucerna coram Coccino 27. Februarii 1636. paulo post initium; Quinimo iis sine clausa ex sola Adversariorum instantia derogari natura ipsa repugnat privilegii. Decet enim concessum à Principe beneficium esse mansurum *cap. docet de reg. jur. in 6.* Præsertim cùm ex tam longa illorum observantia jus acquisiverint. Indultum enim à jure beneficium sine causa non debet auferri, *cap. indultum eod.* Ad hæc illorum derogatio constantiæ Principis, immobilique Sedis Apostolicæ firmitati videretur adversari. Sic enim in omnibus in Principe magis est reprobata variatio, ne quod hodie concedit, cras tollat per adducta à Gonzal. *in reg. 8. Cancel. glos. 9. §. 2.* Tandem cùm causa, & ratio concessionis duret, durare debet ipsa concessio. Dato enim antecedenti, ea quoque concessa videntur, sine quibus explicari non potest, *l. 7. ff. de jurisd. omn. Iud.* sicut è contra non subministratis illis, quibus opus est, ut aliquid fiat, illud dicitur quodammodo prohiberi, *l. veteres, ff. de itin. act. priv.* Igitur cùm Religiones ad hoc potissimum sint institutæ, ut ad fidei defensionem, & propagationem, ac profectum animarum in vita, & doctrina Christiana per prædicationes, lectiones, & aliud quodcumque Verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, per confessionis, atque cæterorum Sacramentorum administrationem, ac reliquorum charitatis operum gratis omninò, & nullo pro laboribus hujusmodi stipendio accepto, S. Romanæ Ecclesiæ, & omnibus in universo mundo se utiles exhibeant, quæ omnia sunt Parochorum, & Episcoporum munia, jure merito cum Parochis ipsis ac Episcopis non solùm onera non addant, sed imò cum illis oneribus se subiiciant, ad decimas illis præstandas fuerunt exemptæ. Cum ergo in supradictis exercitiis Regulares perseverent, ac in illis exercendis extensione, & intentione magis semper proficiant, ac se ipsos vincant, non videtur æquum, ut privilegiis, quæ propter hæc illis concessa fuerunt ex abrupto priventur. Vnum enim ex duobus tacitè illis irrogari videretur; vel quod ab antiquo instituto deflecterent, vel quod illorum opera Ecclesia non indigeret. Vtrumque quàm sit absonum absque alia amplificatione ex se ipso manifestum apparet.

Quin ultra æquitatem, videtur etiam intrare justitia. § Sapit enim hoc de natura contractus, ut benè Doctores à Lezana *qq. regular. v. Privilegium n. 20.* adducti considerant. Contractus autem sicut ab initio est libetæ voluntatis, sic ex post facto in præjudicium partis revocari non potest, *l. sicut, C. de act. & oblig.* Præterea obstant sententiæ prædictæ ad favorem Regularium, & res judicatæ. Sententiæ enim nonnisi per sententiam præjudicari potest, cum nihil sit tam naturale, quàm eo genere quodque dissolvi, quo colligatum est, *l. nihil 35. ff. de regul. jur cap. 1. eod.* atque adeò sententiæ per rescripta rescindi non possunt, *l. fin. C. sent. resc. non pos.* Imò cum adsit res judicata, non nisi per restitutionem in integrum contra ipsos quis juvari potest. Ea autem non conceditur, quando constat de justitia, & validitate, ut dixit Rota coram Macchiavello in Vicensi Capellæ 2. Maii 1636. Validitas autem sententiarum non controvertitur, & justitia est evidens ex decisionibus Rotalibus, sententias præcedentibus.

Neque obstat, quod si Parochi, & beneficiati defraudarentur decimis, ex defectu sustentationis desolarentur 6 omnes Parochiales Ecclesiæ; quia non esset, qui curam animarum exerceret, & Sacramenta administraret, & idcircò privilegia, quamvis amplissima sint, ubi incipiunt esse damnosa, & præjudicialia publicæ utilitati, nempè Ecclesiæ universali, & operariis in ea, utique solent, imò debent à Sede Apostolica, unde omnia jura, & sanctiones prodeunt, revocari, vel potius declarari, ut in puncto loquitur textus *in cap. suggestum, de decim.* quod si ex post facto incipit enormiter esse nocivum, utique revocari debeat. Guttier. *q. 9. lib. 1. cap. 21. n. 135.*

Nam *d. cap. suggestum* procedit dumtaxat, quando pri- 7 vilegium incipit enormiter esse læsivum, ut declarat ibidem Ab. *n. 1. & 4.* neque determinat, privilegia ob id revocata censeri, sed solùm mandat, fieri compositiones, & proptea rectè advertit Suar *de Relig. tom. 1. lib. 1. c. 19. numer. 6.* esse per accidens, quod superveniat læsio. Ideòque, donec ea fuerit probata, non posse libertatem prætendi. Ad dignoscendum autem, an privilegia enormiter lædant, modum certissimum exhibet alter textus in *cap. 2. §. Vbi autem de decim. in 6.* quando scilicet per concessiones decimarum Parochiales Ecclesias adeò gravari contingat, quod earum Rectores de ipsarum redditibus congruè sustentari non possint, & tali casu neq; etiam privilegia censeri debent revocata, sed solùm provisum est, quod Rectores congruam habeant sustentationem. Et hic textus magis attendi debet, quia est posterior; est enim Alexandri IV. ille autem in *cap. suggestum*, est Alexandri III. Et quod observari debeat dispositio dicti *§. Vbi autem*, dixit Rota in Pampilonensi decimarum coram Coccino, relata per Pasqualig. ad Laur. de Franch. *in quæst. var. part. 2. q. 72. num. 9.* & faciunt tradita per Barbos. *de potest. Paroch. cap. 28. §. 3. n. 12.*

Verum contraria affirmativa sententia, explicando 8 præfata privilegia, ac decisiones, & sententias Rotales huc usque emanatas, novissimè à Sac. Congregatione

Concilii recepta, atque firmata est, nempè teneri Regulares solvere decimas illorum bonorum, ex quibus laici, dum illa possederant, solvebant. Quæ sententia hisce temporibus omninò tenenda est.

9 Sic enim imprimis ad hanc quæstionem affirmativè respondendo moveor; quia Parochi habent intentionem fundatam in jure, etiam contra Regulares, pro exactione decimarum eorum bonorum, quæ ad eosdem Regulares cum hoc onere transierunt per textum in *cap. fin. §. de decim.* cum aliis, quos congerit Rebuff. *de decim. qu. 5. num. 20.*

10 Neque vero privilegia Regularium hanc sententiam turbant. Nam illa intelligi debent de decimis, quæ Parochis, atque Ecclesiis de jure communi debentur, non autem de decimis, quæ præter juris communis dispositionem aliquo etiam jure speciali solvuntur, cujus juris notitia, cum non præsumatur in Pontifice, omnia jura habente in scrinio pectoris sui, derogationes, quamvis amplissimæ, & ex certa scientia, ac motu proprio, ad dictum jus speciale trahi non possunt, sicuti consulendo tradit Menoch. *cons. 36. num. 59. & seqq.* Marescott. *var. resol. lib. 2. resolut. 40. num. 71.* Filliucius Theologus gravissimus ex Societate Iesu *tr. 27. p. 2. c. 8. num. 179.* & Rot. *dec. 1293. num. 1. & seqq.* coram Seraph. Privilegia enim Ecclesiis præsertim Parochialibus præjudicialia, satis est, quod operentur derogationem quoad jus commune, & non ultra, *cap. Cum capella, de privil.* Rot. in Valentina subsidii 4. Maii 1611. coram Pegna, & alibi. Quam ob rationem licèt Sacr. Congregatio S. Officii censuerit, quod à decimarum solutione S. Officium pro quacumque causa impositarum sit exemptum pro bonis ejusdem S. Officii, ut 21. Iunii 1581. & 20. Octobris 1594. & 2. Augusti 1601. ac 13. Septembris ejusdem anni, & ita Sanctissimus mandavit servari perpetuis futuris temporibus, ut 20. Maii 1604. & 12. Octobris ac 7. Decembris 1621. Nihilominus declarant, quod si prædia, & bona acquisita S. Officio, antequam acquirerentur, erant solita solvere decimas, tunc debent solvi, ut 12. Decembris 1619. Alias est exemptum, ut 11. Iunii 1620. & in litteris Episcopo Vicentino, ac Inquisitori datis 19. Decembris 1587.

11 Id, quod magis asserendum est in iis locis, in quibus Parochi, & Beneficiati ante hujusmodi privilegia erant in continua possessione percipiendi decimas ex bonis ad Regulares transeuntibus ita, ut propterea extendi non possint in præjudicium eorumdem Parochorum, ut firmat Monet. *de decim. cap. 5. q. 2. concl. 5. n. 55. & seqq.* Rodriq. *in quæst. regul. 44. col. pen. tom. 2.* Idque ut verificetur dispositio *cap. Dudum, de privil.*

12 Minusque dicendum, materiam exemptionis uti de sui natura præjudicialem extendi posse in præjudicium tertii ut in dictis decisionibus, Coccini, & Carilli. Nam contrarium verum est in jure per textum *in d. cap. Dudum, de privil.* qui in terminis disponit, non præjudicari decimis, in quarum possessione erant, si de ista possessione non fiat specialis mentio, & derogatio in privilegiis, eoque minus ubi privilegia concessa apparent ad supplicationem alterius, & motu proprio, ut in hoc casu videre liber ex verbis Constitutionis Gregorii XIII. quæ incipit Pastoralis ibi: *Exponi nuper fecit dilectus filius Everardus Mercurianus.* Et inferius: *Supplicationibus ipsius Præpositi inclinati, &c.* quæ potius importunitatem petentium, quàm motum proprium Principis testantur per tradita à Menoch. *præsumpt. 10. lib. 2. num. 22.*

13 Imo aliqua ex parte videtur cessare ratio dictorum privilegiorum. Cum enim causa impulsiva fuerit paupertas Regularium, quæ hodie in aliquibus Ordinibus cessat ob ingentia bona, quæ in dies acquiruntur, cessare etiam debent privilegia ipsa ex *c. Quod pro remedio 1. quæst. 7.* cum verisimilis intentio Summorum Pontificum non fuerit lædere Ecclesias Parochiales, ut nominatim testatum facit Suar. *de Regul. lib. 1. tit. de div. cult. necess. c. 20. in princ.* qci concludit, hoc casu locum esse moderationi, etiam si contineant derogationem *d. capit. Nuper de decim.* & post alios disertè tradit Rodriq. *dicta quæst. 44. col. antep. in fin. ex cap. dilecti, & c. Suggestum, de decim.*

Hinc est, quod nonnullis in locis, præcipuè in Regnis 14
Castellæ, & Legionis, hac de causa per Leonem XI. Summum Pontificem facta est moderatio dictorum privilegiorum, quam Vrbanus VIII. servari jussit, de qua Rot. in Hispalen. decimarum 29. Maii 1638. coram Carillo, & concordia inita inter ipsos, & Parochos Regni Poloniæ, quam licet in decisione Rotæ 11. Maii 1640. coram Eminentiss. Cerro dictum fuerit, Regularibus tantum informantibus, non obstare ex defectu beneplaciti Apostolici; pro ejus tamen validitate attendendum est, quod non fuit origo juris decimandi, sed fuit inita occasione præcedentis excommunicationis ad instantiam Parochorum publicatæ ob non solutionem decimarum, quæ dictis Parochis debebantur, non solum de jure, sed etiam ex titulo fundationis, & dotationis ex decretis Synodi Provincialis in specie confirmatis à Gregorio XIII. post concessionem dictorum privilegiorum, itaut non ex sola concordia iidem Regulares priventur exemptione solutionis decimarum, sed ex eo, quod præter assistentiam juris communis concurrant legitimi tituli antiqui, quo casu ad ejusdem concordiæ validitatem videtur sufficere confirmatio Nuntii Apostolici, præsertim de consensu superiorum Regularium. Tunc enim jus non prohibebat, sed potius permittebat, ut tradit Filliuc. *decis. tract. 27. p. 2. cap. 8. num. 185. ex d. cap. Dilecti*, ibi *amicabiliter componatis & d. cap. suggestum*, ibi: *super eisdem decimis componatis, de decim.* & ex *capit. 2. de transact.* ubi glossa ponit casum in collegio, & persona Ecclesiastica.

Et quidem cum Reges, & Principes à Spiritu sancto 15
illuminati, constituris Episcopis decimas tam ex bonis regalibus, quàm ex nobilium, ac vasallorum perpetuo donaverint pro ipsorum decenti sustentatione, nec non ad promovendum, & augendum cultum divinum, prout ipsis Episcopis melius in Domino videretur, qui quidem Episcopi ex eisdem decimis fundarunt Ecclesias Parochiales, & congruam Parochis perpetuo assignarunt, idcirco ea per exemptionem Regularium immutari non debet, obstantibus Constitutionibus, & legibus publicis plurium Regnorum, ex eoque fundamento exorirentur in Republica magni motus. Et exemplo eorundem Regularium seculares quoque decimam, quam manipularem vocant, Parochis, & beneficiatis non præstarent, sed ductu illorum cum magna jactura Ecclesiarum ab ea declinarent, nec permitterent amplius decimationem, saltem sine litibus, ac jurgiis assiduis. Ac sequeretur exinde maxima desolatio earumdem Ecclesiarum Parochialium, omniumque aliorum beneficiorum, non sine evidenti damno Religionis Catholicæ, & animarum. Nam Parochi congrua sustentatione privati desererent Parochiales Ecclesias, vel non adessent idonei, qui Sacramenta administrarent.

Insuper aperiretur latissimus campus politicis catholi- 16
cis, hæreticis, & schismaticis, non tantum decimas statui Ecclesiastico eripiendi, sed cum decimis beneficia, & præbendas, ut in Germania, & aliis Septentrionalibus partibus antea factum est, in hæreditatem, & proprios usus convertendi, & quod maximè hoc tempore allaborant, hæresim, & illius exercitium publicum, tanquam in liberum Regnum introducendi. Quæ labes, uti hactenus ex visceribus Regnorum doctrina, prudentia, & vigilantia Cleri secularis, ex quo Episcopi creantur publicis sancitis legibus præscripta, privatim tantum pullulare, & foveri videbatur, jam publica occasione hujusmodi exemptionum antiquas fundationes evertentium, victum Pastoribus in vinea Domini desudantibus adimentium,

adimentium. caput erigeret, & serpendo in dies magis, magisque pejora evenirent.

17 Extat exemplum in Prussia, Livonia, & Pomerania fratrum Theutonicorum, Cruciferi olim dicti, qui simili privilegio innixi, Clero seculari decimas, negabant, tandem ex concordia, mediante commissione, auctoritate Curiæ Romanæ innixa: jus decimandi Parochis ademerunt. Hinc est, quod pluribus in locis uni Parocho decem, & duodecim Ecclesiæ parochiales assignari pro necessaria sustentatione, & Sacramentorum administratione necessitas urget, non sine animarum discrimine. Atque hic est exitus antiquæ Episcoporum cum Cruciferis concordiæ, quam tot centenæ Ecclesiæ parochiales affabrè factæ, & extructæ deplorant, amisso veteri felicitatis sub jure decimandi statu. Hinc etiam reclamationes, quæ ex omnibus Mundi partibus ad Sanctam Sedem confluunt contra quosdam Regulares, allegantes hujusmodi privilegia ex verbis *d. cap. Suggestum*, ibi: *multi viri Ecclesiastici sæpè querelam proponunt*. Hinc quoque jurgia, quæ inde oriuntur, satis nota in Romana Curia ex vulgatis per Polonos, & ex decreto noviter in eo Regno emanato, ne Regulares ulterius possessiones acquirant.

18 Denique zelus ac pietas fidelium diminuitur, & ad fundationes ulteriores animum deponunt, videntes suorum antecessorum intentionem, & fundationem aliqua ex parte lædi.

19 Quod si hæc procedunt respectu Regularium, quorum intuitu concessa videntur privilegia, multo fortius locum habent contra eorum Colonos, ita ut etiam data exemptione Regularium, non sint exempti eorum Coloni, quia privilegia hujusmodi sunt personalia, nec transeunt ad Colonos, *cap. Licet, de decim.* Seraph. *decis.* 827. *num.* 7. & in Placentina decimarum 20. Decembris 1628. coram Card. Virilli; præcipuè quando sunt Coloni partiarii, & pro se accipiunt integram medietatem fructuum, quemadmodum Coloni cujusvis laici, quibus pro sua rata colonica solventibus decimas, nihil deperit Regularibus.

20 Atque ita declaravit sæpiùs S. Congregatio Episcop. & Regul. scribens Archiepiscopo Salernitano 6. Octobris 1617. apud Synodum Caputaquensem 1628. *sess.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. scilicet, ad decimas prædiales solvendas tenentur etiam Regulares possessores territoriorũ, ex quibus antea solvi consueverant. Et S. Congregatio Concilii, præsertim in Ripona die 16. Martii 1647. *ut in primo tom.* & apud Marsil. super decret. Trid. *lib.* 2. *tit.* 12. *cap.* 1. ubi referuntur duæ declarationes. Prima, quod Regulares de bonis emptis tenentur, primitias, & decimas solvere. Secunda, quod si decimæ sint impositæ rebus; quia ab initio fuerunt concessæ, vel traditæ cum ea conditione, & onere, ut ex eis decimæ solvantur, tunc ad quoscumque pervenerint, etiam Mendicantes, teneri eas solvere. Si vero debeantur pro administranda cura animarum, tunc quia Parochi Sacramenta his mendicantibus non administrant, Mendicantes ad eas non teneri, si tamen à solutione decimarum Sedis Apostolicæ privilegiis eximantur. Idem legitur apud Portell. *v. Decimæ num.* 4. & refert Hieron Rodriq. *resol.* 5. *num.* 5. clarissimè vero in Plebana decimarum his verbis: *Orta controversia inter fratres Servitas Civitatis Plebis, & Parochos circa solutionem decimarum ratione bonorum per ipsos fratres acquisitorum, & instituto judicio coram Auditore Cameræ, nomine Parochorum exhibita fuit quædam declaratio hujus S. Congregationis, id qua juxta vestitam, & pluries confirmatam ejusdem sententiam dicitur, prædia decimarum solutioni obnoxia ad Regulares transire cum suo onere, ac proinde teneri illas solvere, quemadmodum tenebantur laici, priusquam bona ipsa in Monasteriorum proprietatem transirent. Sed quoniam sub hac generali declaratione prædicti Patres Servitæ prætenduni ob speciales causas per informantem deducendas & præcipuè quoad quantitatem alimenti fratrum in eo Monasterio commorantium necessarium non comprehendi, ideo supplicant per Eminentissimos Patres responderi, an in an edicta generali declaratione ipsi Patres Servitæ Civitatis Plebis comprehendantur? Sacr. Congregatio die 21. Martii 1659 censuit, comprehendi* Et perspicuè in una Regni Poloniæ his verbis: *In causa decimarum Regni Poloniæ die 17. Junii 1645. Sacra Congregatio Em. Card. Concilii Tridentini Interpretum iterum, atque iterum auditis Regularibus, eorumque juribus, & privilegiis maturè discussis censuit ab eisdem Regularibus solvendas esse Parochis, & aliis beneficiatis Regni Poloniæ decimas quæ solvebantur à laicis prius quam bona in ipsorũ Regularium proprietatem fuerunt translata, firmis tamen remanentibus transactionibus de super factis.*

Hoc autem decretum suis literis confirmavit, ac exe- 21
quutioni demandari jussit Innocentius Decimus, quæ sunt tenoris sequentis: *Innocentius &c. Nuper pro parte venerabilium fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum nec non dilectorum filiorum totius Cleri Regni Poloniæ per dilectum etiam filium Matthæum Ioannem Iudiski, Archidiaconum Pomeraniæ nuncupatum in Ecclesia Vladislavien si eiusdem Cleri in Curia Romana Agentem, quod aliàs, & sub die 17. Junii proximè præteriti 1645. in causa decimarum ejusdem Regni à venerabilibus etiam Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus S. Concilii Tridentini Interpretibus emanavit decretum, quod nos subinde sub die 31. Mensis Julii ejusdem anni Consistorio nostro secreto approbavimus, quod decretum emanavit præviæ exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam decreto postea consenserunt, prout & Agens Cleri Regni Poloniæ, die vero 31. Julii 1645. S. D. N. Em. Cardinali Præfecto referente, in Consistorio approbavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes præfati decretum prainsertum, quo firmius subsisteret, & exactius observetur Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent, idcirco nos, &c. decretum prænsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, & omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si quis desuper quomodolibet intervenerint supplemus, salva tamen semper auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium, decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & & ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt inviolabiliter, & inconcusse observari, sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; quocirca dilecto filio nostro, & Sedis Apostolicæ in eodem Regno pro tempore commoranti Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium seu alios præsentes litteras. & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit solemniter publicaverit, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistere faciat auctoritate nostra illos promissorum omnium commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittentes illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias. censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio brachii secularis. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Februarii 1646. Pontificatus nostri anno secundo.*

Hac declaratione stante non est videndum, an pri- 22
vilegia enormiter, vel modicè lædant. Præterquam quod dictum *c. Suggestum, de decim.* non metitur læsionem à paupertate parochialium, sed à multiplicatione

Conventuum, & Collegiorum, & ex acquisitione possessionum, quibus valdè divites effecti sunt quidam Regalares, sicuti ex illius verbis constat, nempè: *Suggestum est ex parte vestra, quod Abbas, & fratres Monasterii de Vrsin decimas à vobis auferre conantur. Discretioni vestræ mandamus, & quatenus cum prædicto Abbate, & fratribus super ipsis decimis componatis: nam quando Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant rara Abbatiæ vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri, sed nunc in tantum augmentatæ sunt, ac possessionibus ditatæ, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpè proponunt.* Vnde cum habeamus textum rotundissimum, non tenemur recurrere ad Glossas, & interpretationes Doctorum.

23 In executionem igitur relatorum decretorum S. Congregationis Concilii possunt peti à Regularibus etiam decimæ ante dictum decretum non solutæ, cum etiam decimæ præteritæ ante decretum S. Congregationis sint debitæ. Tum quia S. Congregatio non processit per viam novæ legis, sive constitutionis, sed in forma declarationis, ut solet, interpretando dispositiones Apostolicas super privilegiis à Regularibus allegatis. Declaratio autem non est nova dispositio, nec aliquid de novo tradit, sed retrotrahitur, & prærerita demonstrat, Rot. *decis.* 117. *num.* 7. coram Card. Cavalerio & *decis.* 10. ibique Add. *num.* 13. coram Buratto, & *dec.* 113. *nu.* 24. coram eodem. Tum quia cum ipsæ decimæ petantur, non ut fructus alicujus sortis, debiti Parochis, neque accessoriè, sed tanquam sors ipsa, de se debentur jure dominii, & veniunt etiam decursæ ante motam litem, ut in fortioribus terminis fructuum dixit Rot. *dec.* 3. *num.* 6. *& seqq. & dec.* 281. *num.* 4. 5. *& 6. p.* 7. *rec. & dec.* 589. *num.* 3. *p.* 3. *div.* quæ fuerunt confirmatæ 31. Ianuarii, & 27. Junii coram Bichio, Post. *de manut. obser.* 78. *num.* 11. & in terminis in Elboren. decimarum 23. Maii 1622. coram Pirovano, & in Hispalen. pariter decimarum 18. Junii 1648. coram Meltio, *§ fin.*

24 Neque obstat, quod ex tenore ipsius decreti nullatenus videatur, Sac. Congregationem id sensisse, dum non fuit actum per viam declarationis debiti præexistentis, quo casu potest admitti retrotractio, sed per viam novæ dispositionis circa solutionem decimarum, quæ prius nullo modo debebantur, stante amplitudine privilegiorum Regularium, ut in specie declaravit Rota coram Em. Cerro die 21. Maii 1640. Nec proinde trahi poterint hæc decreta ad præterita, sed solum operari in futurum juxta textum *in l. 7. C. de legib. & in cap. fin. de constit.* ubi Butr. *nu.* 15. *vers. Secus si sit novi juris editoria*, distinguit declarationem juris veteris, quæ præterita semper respicit, & declarationem juris novi, quæ ad ea non trahitur, nisi expressè in illa dicatur, facitque distinctio Bart. *in l. omnes populi num.* 39. *& seqq. ff. de just. & jur.* Quinimo etiamsi hoc decretum contineret declarationem juris veteris, ex eo forsan, quod privilegia non habuissent fundamentum validæ subsistentiæ, de quo tamen nunquam fuit dubitatum, imo, ut dixit Rota in Hispalen. decimarum 17. Junii 1647. coram Cardin. Corrado, fuerint jam toties in Rota canonizata, ut amplius in dubium revocari non possint, adhuc observantia, & communis existimatio, ad effectum excludendi præterita, sufficeret juxta Glossam notabilem *in capit. un. v. de cætero*, de postul. Præl. in* 6. ubi dicitur, quod licet constitutio, de qua in textu, sit juris veteris declaratoria, tamen non per hoc censendum est, Papam voluisse præcedentes electiones comprehendere, ea ratione, quia communi judicio ante dictam decretalem existimabantur validæ; unde iniiceretur laqueus ei, qui communi judicio non peccavit, quod æquum non est. Et inde Butr. *in capit. fin. numer.* 15. deducit conclusionem, quod ubi Constitutio juris antiqui declaratoria habuit oppositam communem observantiam, tunc quoad illam videtur novi juris editoria, & non trahitur ad præterita, etiamsi dicta consuetudo esset irrationabilis; quod repetit *in cap. fin. num.* 4. *de spons. duor.* aliisque relatis, confirmat Felin. *in cit. cap. fin de constit. num.* 5. *in fine*. Atque id facilius procedit, cum intervenerit consensus Regularium, quo fit, ut decreta vim quodammodo concordiæ, & transactionis sortiri videantur, & proinde eo minus possint respicere præterita, nisi expressè sit dictum, cum actus voluntarii non patiantur extensionem ultra id, quod expressè explicatur, ut est textus *in l. voluntariæ, C. de excus. tut. l. fin. C. ne ux. pro matr.* traditque Cravet. *cons.* 292. *n.* 1. & dixit Rot. coram Buratto *d.* 14. *num.* 30.

Hæc sanè non obstant, quia cum decreta, seu declarationes Sacr. Congregationis expressis verbis emanaverint, Regularium juribus, & privilegiis maturè discussis, dicuntur declaratoria privilegiorum, quod scilicèt non habebant locum in decimis, quæ solvebantur à laicis, priusquam bona in ipsorum Regularium proprietatem fuerunt translata, non autem editoria novi juris contra privilegia, atque adeò comprehendunt etiam decimas præteritas; quia declaratio nihil de novo disponit, sed jam dispositionem explicat, *l. hared. palam* 21. *§. Si quid, ff. de testam.* Bart. *cons.* 37. *numer.* 2. *lib.* 2. Surd *consil.* 288. *num.* 10. *lib.* 2. Cyriac. *controv.* 20. *numer.* 11. *&* 12. Lancellot. *de attent. cap.* 4. *limit.* 21. *numer.* 3. Rot. coram Caval. *dec.* 117. *num.* 7. ubi in rescripto, *& dec.* 183. *num.* 1. penes Post. *de manut.* ubi in Breve. Ideòque nulla dispositio resultat ex declaratione, quia non quod declarat, disponit, sed quod declaratum est, sicque trahitur ad præterita, ut post alios Cæphal. *cons.* 140. *numer.* 82. *cum seqq.* Bardellon. *cons.* 21. *num.* 63. *& cons.* 51. *num.* 1. Cyriac. *d. contr.* 210. *n.* 14. Vnde etiam Constitutiones declaratoriæ comprehendunt quoque præterita *d. cap. fin. de Constit.* ubi Felin. *num.* 4. cum aliis per Molin. *de primog. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 24. Cardol. *resp.* 2. *num.* 46. *ad fin.* post *tract. de jure accrescendi.*

25

Neque dicatur, decreta emanasse de consensu Regularium. Nam licèt emanaverint prævia exhibitione facta ab ipsis Regularibus, tamen illa emanarunt eorundem juribus, & privilegiis maturè discussis, & consensus præstitus solùm fuit post decreta, ut legitur in literis Apostolicis. Ergo operatur acceptationem cum qualitatibus in illis expressis, atque adeò confessionem, quod decimæ solvendæ erant, non suffragantibus eorum privilegiis, Surd. *cons.* 52. *num.* 42. *& cons.* 460. *nu.* 25. Buratt. *decis.* 246. *n.* 9.

26

Clausula verò illa apposita in decreto Sac. Congregationis: *firmis tamen remanentibus transactionibus de super factis*, intelligitur de transactionibus validis, & quæ non expirassent ex tenore earumdem transactionum. Dicendum enim non est, quod Sac. Congregatio, ac Summus Pontifex voluerint servari transactiones nullas, & eas, quæ penitus defecerant, & ipsa dictio *firmis remanentibus* denotat subsistentiam præsentem.

27

Neque opponas, quod illa verba nedum sint limitativa, & exceptiva superioris dispositionis *per l. ita tamen, ff. ad Trebel. l. ubi adhuc, §. ita tamen, C. de jur. dot.* Menoch. *cons.* 146. *num.* 8. Monach. *decis. Lucens.* 67. *nu.* 15. sed etiam formam, & conditionem importent, Ias. *in l. 3. §. ex contrario num* 4. *ff. de acq. poss.* cum aliis per Macerat *var. lib.* 1. *resol.* 51. *nu.* 4. Quare negari non potest, quin transactiones etiam invalidæ debeant attendi tanquam methodus, ac norma, juxta quam per laicos solutiones fiebant, ad quem effectum non exigitur adeò præcisè validitas actuum, cùm etiam ex actibus invalidis sufficienter deprehendatur voluntas, ut in similibus terminis, quod ad inducendum solitum conferant etiam actus nulli, probat Bald. *in l. de quibus num.* 47. *ff. de leg. b.* Butr. *in cap. fin. n.* 9. *de consuet.* Natta *cons.* 309. *num.* 7. & Surd. *cons.* 429. *n.* 58. Eòque magis quando constituunt solitum solvendi valde proximum, quod semper est inspiciendum ex congestis per Surd. *cons.* 207. *n.* 10.

28

Nam respondetur, quod cùm præservatio conservet,

29

non

non autem det jus, Cravet. *cons.*70.*num.*5.*in fin. & n.*6. Caldas *de empt.& vend.cap.*26.*d.*28. intelligitur de transactionibus validis ad *l.*4.*§.Condemnatum,ff de re judic.* & tradita per Rot. *dec.*116.*sub num.*3. *p.*4.*rec.*

30 Porro cum ab initio pleraque Monasteria nihil ferè aliud, quam & scholæ, & Collegia studiosorum essent in quibus inventus piè etudiebatur, ac inde Doctores Ecclesiis, & Parochiis perficiebantur, factum est, ut Oppida, & Vici suas Parochias cum decimis traderent & prorsus donarent Monasteriis, ut ex iis Ecclesiis, & Parochiis, veluti suis, doctos, & idoneos homines præficerent. Tandem ob redemptionem animarum, & salutem æternam consequendam decimæ Monasteriis sunt contributæ. Alioquin decimæ nullæ datæ sunt ab initio Monachis ut se le manuum suarum labore alerent. Eas autem demum accipere illis licebat, si ad Clericatum promoti, & Parochiæ alicui præfecti fuissent. Vnde D.Ambr. ait: *Doctos aut probos Monachos presbyterii honore dedicatos, prædicare, baptizare, pœnitentiam dare, debita miseris relaxare, decimarum, primitiarum, oblationum vivorum, & mortuorum portione justa perfrui debere, moderata dispensatione commendamus, can. Doctos* 16.*q.*1. Et Innocentius Papa similiter docuit, *Si Monachus ad Clericatum promoveatur, ut beneficia præstentur ei pleniter, & annonæ, & decimæ donentur absque ulla dilatione, imminutione, can.Si Monachus* 16. *q.*1. Gregorius Magnus etiam ea de re scripsit: *Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, ut Monachi, si presbyterii honore dedicati, cum ligandi, solvendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiunt pro vivis, & pro mortuis portionem, juxta Canonem: Ad suam, proximorumque utilitatem, merito perfectioris justitiæ non minus, quam cæteri Sacerdotes, laudabiliter sibi vindicent.*

31 Vbi observandum, quod decimæ his Monachis jubentur dari, ut presbyteris, & Sacerdotibus altari servientibus, idque etiam moderata quadam dispensatione. Alioquin adeo nullæ in privata Ecclesia Monachis dabantur decimæ, ut ipsimet de prædiis, & agris suis, quos manibus suis excolebant Episcopo, & parochialibus Ecclesiis decimas solverent usque ad tempora Paschalis Secundi, qui Pontificatum Romanum adeptus est circa annos Christi 1100. Postea enim idem Paschalis, & Synodus quædam Moguntina statuerunt, *ut nec Monachi, nec Religiosi, aut alii communiter viventes decimas de suis laboribus solverent.* Tempore vero procedente Adrianus Papa solis Cistercien sibus, Hospitalariis Hierosolymitanis, & Templariis concessit hoc privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus excolunt decimas solvere non teneantur. Aliis vero Monachis concessit decimas tantum de novalibus, quæ colunt suis manibus, & de hortis, ac nutrimentis animalium suorum, ut indicat Alexander III. *in cap.Ex parte de decim.* ubi Glossa.

CONSULTATIO IX.

De Conclavi Cardinalium, Sede Pontificia vacante, aliqua summatim.

1 GRegorius X. in Concilio Lugdunensi, relato in *cap.* 3.§.1. *vers.Sanè si aliquis, de elect.in* 6. statuit, ut, mortuo Romano Pontifice in quavis civitate cum Curia residente, in eadem Civitate Cardinales ibi præsentes expectare debeant absentes per decem dies, quibus elapsis conveniant in eodem Palatio, ubi Papa habitabat, in Conclave; quod si quis Cardinalis intra hoc tempus non intraverit, aut exierit postea absque manifesta causa infirmitatis, per alios procedatur ad electionem Papæ, & ille minimè requiratur, neque ad negotium illius electionis ullatenus admittatur.

2 Hoc idem confirmavit Pius IV. in Constitutione quæ incipit *In eligendis* 63.§ 3.*&* 4. ubi apparet, quod hic dicitur de non intrantibus, intelligendum de præsentibus, qui poterunt intrare, sed noluerunt.

Itaque ex his notatur, Cardinalem non intrantem in 3
tempore aut exeuntem ante finem electionis privari voce activa pro tali Sede vacante, quoad negotium electionis Papæ, non autem privari voce passiva, ut Franch. & Gemin *in d.c.* Adde, quod Cardinales non possunt mutare, aut alterare, seu dispensare super hac Constitutione, prorogando tempus, *Clem.ne Romani in princ.de elect.* Decem igitur diebus Cardinales sunt expectandi, sed non vocandi, ut Glos. *in d. cap.*3. §.1. & ibi Barbos. *n.*9. qui plures allegat.

Si vero electio fieret ante decem dies completos ex 4
communi consensu Cardinalium ibi præsentium, aut duarum partium, aliis non expectatis, est valida, ut tenet Azor.*p* 2.*lib* 4.*cap.*2.*q.*5 *§.Sed dubia*, ubi ait communem sententiam, & tradidit Gloss *in dic.*3.*§.*1.*v.decem diebus in fin.* per *cap.Licet, de vitanda de elect.* Vbi electioni Papæ a duabus partibus Cardinalium nulla opponi potest exceptio. Post dictos autem decem dies, etiamsi unus tantùm esset ibi Cardinalis, ille posset eligere alium, non tamen se ipsum per *cap.Gratum, de postul.Prælat.* Io.Andr. in *d.cap.Licèt, col.*1.*de elect.* Zabarel. *num.*8. Innoc. *in cap.Cum nobilis n.*6.*de elect.*

*Ex d.cap.*3. *§.nulli, de elect.in* 6. habetur: *Nulli ad* 5
eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secreto loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantùm quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel scripturam. Qui verò contra fecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Super hac prohibitione neque Cardinales possunt dis- 6
pensare per *d Clem.ne Romani, in princ.de elect.* Hæc verò excommunicatio non erat reservata.

At ex d. Constitutione Pii IV. *In eligendis*, habetur: 7
literas, aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut è contra è Conclavi ad eos, qui foris erunt, nullo modo licet. Qui contra fecerint, etiamsi Cardinales sint, excommunicationi latæ sententiæ subiaceant. Et ibi reservatur absolutio Papæ, excepto mortis articulo, eosque etiam aliter puniri statuitur.

Item in eadem Constitutione §. 19. ait: *Clauso Con-* 8
clavi, nulli ad colloquium, etiam extra portam Conclavis, etiam Principum Oratores, nisi ex magna, & urgenti causa, à majori parte Collegii approbanda admittantur.

Vbi notandum, quod contra colloquentes palam cum 9
Cardinalibus nulla est pœna latæ sententiæ ex prædictis, ut benè observat Bonacin. *de censur.in partic. disp.* 2.*qu.*2. *punct.*3. *num.*9. Igitur solùm ii, qui secretò loquuntur cum Cardinalibus in Conclavi existentibus incurrunt excommunicationem non reservatam; ipsi verò Cardinales secretò loquentes cum advenientibus non incurrunt ullam censuram, Bonacin. *ibid.* Castropal. *tom.*6. *disput.*3.*punct.*31.*num.*1. Filiuc. *tract.*14.*cap.*4 *q.*2. *num.*54. Suar. *disput.*23. *sect.*4. *num.*2. *de censur.* Sayr. *eod. tract. lib.*3. *cap.*25. *numer.* 3. & ante eos Caietan. *in Sum. v. Excommunicatio cap.* 55. Sed peccant, saltem mortaliter. Ad dignoscendum enim, an lex humana obliget ad mortale, seu solùm ad veniale, aut etiam ad nullam culpam, sed solùm ad pœnam, attenditur intentio expressa legislatoris, communis acceptatio eorum, pro quibus imposita est lex; Consuetudo legitima circa ipsam; gravitas, vel levitas materiæ, & circumstantiarum, verba, quibus lex est imposita; pœna pro transgressoribus designata, de quibus Becanus, Castro Palaus, Tannerus, Sanchez, Vasquez, Merolla, aliique recentiores, præcipuè Suar. 3. *de legib. capit.* 26. & Lorca etiam *de legib. disp.*22. In hac autem specie materia legis non solùm est gravis, sed etiam necessaria ad bonum Reipublicæ Christianæ, scilicet ad legitimam

electionem Pontificis summi, ac proindè ex ea Summi Pontificis mens demonstratur, censeturque velle obligare sub peccato mortali. Atque cum hanc opinionem observatio confirmet, de qua Diana *de colloc. &c. temp. Concl. quæst.3. §.pen. ad fin.* utique ei firmiter inhærendum est.

10 Notandum etiam, quod mittentes nuncium, vel literas non incurrunt censuras istas, nisi nuncii, vel litteræ pervenerint, ad quos mittuntur, quia actus nondum est consummatus, Bonac. *loc.cit.n.3.* Navar. *conf.60. de sent. exc.* Sanch. *lib.6. in decal. cap.6. num.117.* Eman. Sà, *v. lex, n. 25.* Verba enim debent intelligi cum effectu *l.1. §. hæc verba, ff. quod quisque jur.*

11 Hodie vero ad hoc, ut quis admittatur ad colloquendum cum Cardinalibus, vel extra, sufficit consensus majoris partis ex dicta Constitutione Pii IV. §.19. Olim vero requirebatur consensus omnium, nemine discrepante ex *d.cap.3. §. Nulli*, & tradunt Archid. *ibi*, Gemin. *nu. 2.* Anchar. *in §. hoc sacro num.4.*

12 Ex eadem constitutione Pii IV. §.23. Prælati ad custodiam Conclavis deputati sub pœna perjurii, ac suspensionis, à divinis, maxima, & exquisita diligentia uti debent in inspiciendis personis, & rebus Conclave intrantibus, ne sub earum rerum velamine litteræ, notæ, & signa transmittantur, quod si quid tale inventum fuerit, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes, pœnam privationis officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad hujusmodi incurrunt. Pœna vero suspensionis contra dictos Custodes non est latæ sententiæ.

13 Porro Constitutio Pii IV. comprehendit etiam collocutiones, & scripta, quæ ordinantur ad liberam electionem Pontificis. Nam quando lex concernit actiones quæ spectant ad commodum publicum, aut in quibus singulares personæ invicem publico modo communicant, cessante fine legis negativè in particulari, non cessat obligatio legis, quia tunc non cessat finis legis & ratio ipsius adæquatè; atque adeo non cessat obligatio legis, quia solum cessat ex adæquata cessatione finis; nam finis legis non obtinetur in actionibus privatis, ex quibus postea resultet publica utilitas, sed per se primo obtinetur in actione publica, concernente commodum publicum, ac proinde non potest adæquatè cessare ex eo, quod cessat in persona privata.

14 Neque in prohibitione colloquendi, ac scribendi contenta in dicta Constitutione Pii datur parvitas materiæ excusans à peccato mortali, & ab incursione censurarum quia hujusmodi collocutio, aut scriptio semper est gravis ex objecto suo formali, & semper continet gravem dissonantiam ad rectam rationem, quia importat illam indivisibiliter, atque adeo semper totam, & integram deformitatem. Deformitas autem collocutionis, aut scriptionis ejusmodi in eo consistit, quod electio Summi Pontificis, quæ libera esse omnino debet, subiiciatur occasioni illam differendi, vel turbandi, & sæpè humano contractui. Unde consurgit injuria non solum Reipublicæ, sed etiam Dei, quia pervertitur modus eligendi Pontificem, quem Ecclesia præscripsit; ideoque hæc injuria est gravis, & notabiliter contra rectam rationem, quia per ipsam destruitur modus, quo Summus Pontifex eligi debet, atque adeo tollitur tota dispositio electionis. Id autem contingit, stante quacumque parvitate collocutionis, vel scriptionis, imo stante uno verbo, nota, signo, quo destruitur modus integer liberæ electionis, qui est magni momenti. Quare attendi debet formale turpitudinis, non autem quantitas materiæ. Et ideo non solum prohibentur literæ, sed etiam scriptura cujusvis generis notæ, & signa.

15 Quod procedit, etiamsi Cardinalis in Rota audiat aliquem cum se loquentem, ipso tamen nihil respondente, vel contra. Idque ex mente Pontificis, quæ præ verbis attendenda est, & quia finis prohibitionis, nempè libera electio æquè impediri potest, etiam absque responsione.

Collocutiones verò, & scripturæ præter materiam electionis non sunt in Constitutione Pii, neque in illa Gregorii X. interdictæ. Nam Pontifices electioni tantum consulere voluerunt; neque in iis comprehenduntur, qui deferunt literas, sed tantum qui mittunt, incurrunt vero in *d.cap.2. de elect.* si loquatur secreto cum illis, ad quos literæ mittuntur. De quibus, & aliis hujusmodi videndus Diana in peculiari *Tract. de collocut. & script. vetit. tempore Conclavis.* Illud certum existimo, non posse Summum Pœnitentiarium absolvere ab excommunicatione lata, etiam à Pio IV. *in §. literas.* Quicquid dixerit ipse Diana *in alleg. tract. resol.19.* Nam licet Gregorius XV. in sua Constitutione, de qua inferius, nihil aliud faciat, nisi confirmare id, quod disposuerat Pius IV. *in d. §. literas*, & ipse Pius in *eo §.* auctoritatem, quam habebat Summus Pœnitentiarius absolvendi à casibus Papæ reservatis, ei non abstulit, sed tantum sibi reservavit excommunicationem ibi latam, atque adeo possit ab illa absolvere Summus Pœnitentiarius; attamen idem Gregorius *in §. quod si electio* ait, quod ab hujusmodi excommunicatione, sicut ab alia quacumque in sua Constitutione irrogata pœna excommunicationis à nullo, neque etiam à majori Pœnitentiario, cujuscumque facultatis vigore, præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit. Unde non solum abstulit summo Pœnitentiario facultatem absolvendi ab excommunicatione à se lata *in d. §. Quod si electio*, sed etiam ab alia quacumque in d. sua Constitutione irrogata, inter quas est illa expressa à Pio IV. *in d §. litteras*, & ab ipso Gregorio confirmata. Et ideo Urbanus VIII. in Constitutione sua de reformatione facultatum Majoris Pœnitentiarii, ac Pœnitentiariæ Regentis non expressit, nisi Constitutionem Gregorii, tanquam continentem etiam censuras, & pœnas in Constitutione Pii IV. emanatas. 16

Verba Constitutionis Gregorii XV. *Æterni Patris de elect.* Romani Pontificis, in qua statuitur forma essentialis electioni Papæ cum clausula irritante, ac pœnali, sunt hæc: *Quod si electio hujusmodi alibi celebrata fuerit quam in Conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclave præsentium in scrutinio, seu scrutinio & accessu electi suffragio non computato, vel per viam compromissi ab omnibus Cardinalibus, similiter in conclavi præsentibus, nemine dissentiente inibi, & ita ut nemo se ipsum elegerit; vel quasi per inspirationem, nullo præcedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præsentium in Cõclavi communiter, nemine dissentiente per verbum eligo intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum; talis electio nulla sit, & invalida eo ipso absque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat; quinimo is non Apostolicus, sed Apostaticus sit, & habeatur, & tam ipse quam eligentes, ejusque fautores & complices sententias excommunicationis, & anathema aliasque censuras, & pœnas invasoribus Sedis Apostolicæ à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis impositas pariter ipso facto incurrant, à qua, sicut ab alia quacumque in hac Constitutione irrogata pœna excommunicationis, à nullo, neque etiam à majori Pœnitentiario cujuscumque facultatis vigore præter, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit*; & aliter etiam mandatur, tales arbitrio Papæ puniri, Deinde additur: *Iisdem omnibus, & singulis S.R.E. Cardinalibus, & sacro eorum Collegio inhibemus, ne contra hæc & horum aliquid statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præsumant quovis prætexiu, vel causa sub eadem excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* 17

Inter autem rationes, ob quas id Gregorius statuerit, illa præcipua fuit, quod in Conclavi suæ electionis visus sibi erat valdè insuetus modus procedendi ad electionem 18

Pontificis,

Pontificis, in qua agentibus etiam Oratoribus Principum, aliisque secularibus viris, contendebatur; ideòque nil antiquius habuit quàm rectam eligendi rationem inire, existimans quippè caput visibile Ecclesiæ, ac illum, qui Christianæ Reipublicæ gubernacula tractat, Christi Vicarium, summa libertate eligendum fore, cùm quisque cum recta conscientia consentire, non verò cum affectionibus ac studiis Principum debeat, & electio ipsa facienda sit animo benè affecto, statutis horis, ac certa forma. Sed in re tanti momenti voluit Pontifex cum Cardinalibus perquam consultò, & mediatè agere, inter quos Millinus, familia nobilis, solers ingenio, probèque facundus, ut fertur in adversa opinione fuit, ac ita modestè pariter, ac prudenter disseruit: *Quanto io lodo, Beatissimo Pa re, il zelo della Santità Vostra, altretanto confesso, che non mi piace in conto veruno quel modo tumultuoso dell' adoratione in tutte le hore così di giorno, come di notte, concorrendovi molti alla cieca, e sonnachiosi al suono della voce de' loro Capi. Quindi due savissimi Pontefici Clemente VIII. e Paolo V. hanno havuto il medesimo pensiero d' applicarvi alcun rimedio; ma il vedere che niun di essi l' havea proseguito, faceva credere, che per rispetto di gran momento se ne fossero astenuti. Tanto più, che essi non pensavano di restringer l' elettione à voti segreti, come pensa di fare la Santità Vostra, mà solamente di togliere il modo dell' adoratione ad hore indebite. E per quanto io hò osservato nelle Storie Ecclesiastiche, truovo, che i Predecessori della Santità Vostra hanno caminato in questa materia con due mire. L' una che all' elettione del Sommo Pontefice concorressero almeno le due parti de' Cardinali, non convenendo, che un che dee dominare agli altri, anzi à tutto il Mondo nello Spirituale, giungesse à tal grado col voto di pochi elettori. L' altra, che l' elettione si facesse con la maggior prestezza possibile, percioche la lunghezza della Sede vacante haveva più volte approvato calamità deplorabili alla Chiesa, e cagionato scissure. Laonde accortisi, che non riusciva così facile l' elettione per via di segreti scrutinii, haveano introdotto l' uso de' publici accessi. E non contenti di questo, si erano applicati al modo dell' adoratione, havendo essi per legitima l' elettione in qualunque modo ella si facesse, purche vi concorresse il numero delle due parti. Per questo fine medesimo della presta elettione si erano fatte tante leggi di Conclavi chiusi, di pochi servitori, e talora di cibi limitati, accioche operasse con alcuno il disagio quello, che non potevano le persuasioni. Il volere ora ristringer l' elettione à voti segreti fà tanto più temere alla lunghezza, quanto il dominio temporale del Papa si è fatto più grande, e per conseguente più appetibile. Percioche se i pretendenti restringendosi co' loro amici non fossero mossi da' Capi nelle fattioni, potrebbero andare così diversi, che non si unissero mai al numero delle due parti. Vostra Santità consideri, che non si tratta di eleggere un General di Religiosi, il quale hà da durar cinque, ò sei anni, ma un Papa, che oltre il dominio Spirituale, che hà sopra il Christianesimo, e anche per dominio temporale Principe grande, che può beneficare, sollevare à grandezze, e far de' Principi. E se bene io creda, che questo rimedio nè meno havrebbe disunito le fattioni, nondimeno è da temer grandemente, che le disunisse. Imperciochè governandosi ciascheduno co' proprii fini, potrebbono non accordarsi mai. Crede la Santità Vostra, che con la nuova Bolla ciascheduno si dovrà governare non secondo l' aderenze, ma secondo la propria conscienza. Può dall' altro canto sospettare, che si governassero secondo le proprie passioni, & affetti, o tanto più francamente, perche dentro le tenebre della segretezza si portano alle volte delle cose, che non si porterebbono mai in publico, onde San Cipriano lodava l' elettioni publiche, accioche sotto i trattati segreti non s' insinuasse furtivamente alcuno indegno. E perciò nelle pratiche, che ora fanno i Capi delle fattioni, si astengono quanto più ponno, di portar persone indegne, perche altrimente non sarebbono seguiti, sì come nè meno in tutti i suggetti ancorchè degni trovano seguito, e hanno poca conscienza coloro, i quali venendo loro proposto un suggetto indegno, non sanno dir di nò, e che di essi si può molto temere sotto l' assicuratione del segreto, e la sperienza hà mostrato, che in tante elettioni, che si sono fatte ne' tempi moderni per via di adorationi sono stati promossi tutti degnissimi. Le novità non dimostrano mai al primo aspetto tutte le difficoltà, che ponno produrre, vedendosene tutto dì molte, che promosse con ottimo fine, hanno partorito mali effetti. Vostra Santità pensi solo à questo. Se per avventura i Cardinali per cagion di questa nuova Bulla non si potessero accordare, in qual' angustia, in qual travaglio si troverebbono il Sagro Collegio, e la Chiesa di Dio? A qual rimedio si doverebbe ricorrere? Qual Pontefice riformerebbe la Bolla? è il contravenire à quella, che altro sarebbe, che dar nuova materia à gli Eretici, di calonniare l' identità del vero Vicario di Christo? E questo timore fà gran commotione nell' animo mio, e mi hà messo in necessità di non tacere. Conchiudo finalmente, e stimo, che l' elettione del Sommo Pontefice seguain hore determinate, che quando pure Vostra Santità volesse togliere affatto il modo dell' adoratione, credo, che si possa lasciare quello degli accessi publici, poiche si è veduto in prova più d' una volta, che hanno agevolato, e accelerato l' elettione. Questo è il mio parere, el quale sempre sottometto à quello della Santità Vostra, alla quale si come fedele, e sincero nel conseglio, così sarei stato pronto, & ubidiente nell' esecutione.* Hæc autem leguntur in Vita Cardinalis Millini, typis Romanis excusa.

At volutatis inter se rationibus, placitum, ut Constitutio ederetur, in qua notandum, quod olim etiam statutum fuerat, electionem Papæ fieri in Conclavi clauso, *d. cap. 3. §. In eodem de elect. in 6.* Sed locus iste, id est Conclavis, præsertim clausus, non erat de substantia electionis; nam valida erat electio, ubivis fieret à duabus partibus Cardinalium *ex cap. Licèt, de elect.* Abb. *in cap. Cum terra num. 7. de elect.* Biaxius *de elect. p. 3. cap. 12. num. 1.* Bonacin. in terminis *de censur. in part. disput. 2. quæst. 7. punct. 1. §. 2. num. 6. in fin.* Quamuis autem Conclave debeat fieri in Civitate, in qua, vel in cujus diœcesi mortuus Papa cum Curia morabatur, ut *d. cap. 3. §. 1. de elect. id 6. & Clem. 2. §. Sanè eod. tit.* tamen neque olim, neque hodie est de substantia talis locus per *d. cap. Licèt*; quia nullibi per hoc cassata reperitur electio; imò dum *d. cap. 3. §. Porrò*, dicitur, quod si Papa mortuus est in civitate interdicta, Conclave fiat in alia viciniori, Gloss. ibi *v. interdicta* ait, non fore nullam electionem, si in eadem interdicta Civitate fieret Conclave, & electio. Reliqua, quæ ad explicationem præfatæ Constitutionis Gregorii faciunt, vide apud Thesaurum *in prax. Ecclesiast. pagin. 2. verb. Conclave cap. 4.* Nos interim memoratam Urbani VIII. Constitutionem de facultatibus magni Pœnitentiarii pro usu quotidiano alibi producemus. 19

CONSULTATIO X.

An diebus in honorem Dei, ac Sanctorum dicatis præcipuè die Dominico fieri possit executio bonorum pro viaticis Commissariorum, aliorumve, illaque eisdem diebus vendere? Vbi alia.

NOn posse tenendum est. Ratio petenda est à fine, i ut scilicet multitudo à curis profanis feriata, cultui divino det operam, *l. omnes 7. l. fin. C. de fer.* juxta præceptum decalogi: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*; quod & si non ad speciem cæremoniæ certæ diei ex lege Mosaica, tamen in genere ad cultum Deo certo tempore præstandum, omnes ex lege naturæ obligat. Verùm hoc præceptum de Sabbato sanctificando partim esse morale, partim cæremoniale D. Thom. *1. quæst. 100. art. 3. ad 2. & 2. 2. quæst. 122. art. 4.* quoad vacationem scilicet morale, quoad diem verò cæremoniale, Covar. *resol. cap. 19.* Nec procedit argumentum, quod ante legem in Sina datam viguerit præceptum de sanctificando Sabbato,

Sabbato, *Exod.*16.& 25.& per hoc inferatur morale; sic enim etiam de circumcisione præceptum morale esset, quod falsum est. Idcòque in locum hujus diei jam surrogatus est Dominicus dies, *can. Apostol.*7. quo tempore,ut & aliis festis diebus, sacrificio Missæ interesse jubemur Sacris Canonibus,*cap.Omnes* 62.& 64. *de cons.d.* 1. qui legis habent vigorem, *l. Sacris* 45. *C.de Episc. & Cler.*Missæ autem mentio fit *in l.*42. §.1. & 10. *C.de Ep. & Cler.Novel.*7.§.17.*n.*133.*c.*2.*nu.*57. § *Illud in fin.*Vide Concil. Trid.*sess.*25. *de invoc.Sanct.* D. Thom.2.2. *quæst.* 147. *art.*3. *ad secundum.*

2 Hinc licèt verior sententia sit, quod ex præcepto tantùm Ecclesiæ sit retenta determinatio festorum,& præcipuè septimi diei ad divinum cultum, & eodem jure mutata sit à Sabbato in Dominicam, ut tradunt D. Th. 2.2.*q.*122.*art.*4.*ad* 4.D.Anton.2.*p.tit.*9.*cap* 7.Bonac,*in* 3. *d.*37.ibique Major.*quæst.*17.Sot.*lib.*2.*de just.q.*4. *art.*4.*ad* 2.Vvaldens. *de Sacramental.tit.*17. *c.*140. Turrecrem. *in cap.*1.*de consecr.d.*3.Navarr.*in Man.cap.*13.*num.*1.Tabien. Rosel.& Armil.*v.Dominica*, & Archid. *in c. Iejunia, de consecr. d.* 3. Probabile tamen id fuisse verbo tenus ab Apostolis præceptum,receptumque à toto populo Christiano, ut necessarium ad honestatem morum, & Religionis Christianæ, atque sub hac existimatione consuetudinem durasse. Quæ tandem legibus scriptis confirmata est, ut patet ex *cap.*1.*& cap.Sabbato, de consecr. d.*3. *& c. Quoniam*, *c.Licèt, & cap. Conquestus, de fer.* Et ipsi etiam Imperatores hoc præceptum suis legibus munierunt,ut liquet toto titulo *6.de fer.* præsertim *l.*2. *& l.omnes dies,*ubi post alias præcipuas festivitates subdiiur: *Et dies Solis, quos Dominicos ritè dixere Majores qui repetito in se se calculo revolvuntur, parem necesse est habere reverentiam.* Et *in l.ult.* Leo, & Anthemius Augusti sic aiunt: *Dominicum diem ita semper honorabilem decernimus, ac venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quamquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat. Sit ille dies à cognitionibus alienus. Præconis horrida vox sileseat. Respirent à controversiis litigantes, & & habeant fœderis intervallum &c. Amissionem militiæ, præscriptionemque patrimonii sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cujuscumque Iudicis apparitor prætextu negotii publici, seu privati, hac. qua hac lege statuta sunt, crediderit temeranda.*

3 Ad quem locum Baldus explicans illud *taceat apparitio,*notat,quod tempore feriato in honorem Dei,est interdictus actus Iudicis, ut in verbo *admonitio*, & actus Nuncii, sive executoris, ut in verbo *taceat apparitor.* At semper recepta fuit illa Abbatis distinctio *in cap.fin. nu.* 20. *de judic.* firmantis, in honorem Dei non licere, ad quem se refert D Fagnan. *in d.capit. Conquestus n.*22.*de fer.*similemque distinctionem facit Guidop. *dec.*215. *nu.*5. & satis fusè Chartar. *for.Eccles.Mediol.decis.*20.*à nu.*8. repetendo Constitutionem B. Pii V. Bullar. *tom.*2. ac de Magistr.*in Sylv.Eccles.tom.*1.*lib.*2.*cap.*1.*num.*18. *& seqq.* ubi ad rem explicat verbum Mercatus. Cum Mercatus, & nundinæ consistant in emptione, & venditione,locatione,& conductione &c.quę sunt opera servilia, & per consequens prohibita in die festo. Videndus de istius diei Dominici observatione Suarez gravis, ac disertus Theologus *de Relig.tom.*1.*lib.*2.*cap.*4. ubi plura ex Sanctis Patribus,& Conciliis adducit.

4 Idque præsertim, quando succedit mandatum, de quo Abb.*loco alleg.* vel executio realis,de qua cæteri Doctores, vel incantatio per vocem præconis,de qua in *d.l.fin.* & Guidop. vel violenta exactio,de qua pariter *in d.l.fin. C. de fer.*

5 Ac ita quidem, ut nec sustineatur actus sic irritus per clausulas, *arbitrio tuo, de facto*, & forsan *manu regia, sine strepitu,& figura iudicii.* Nam efficacia harum clausularum tribuit facultatem procedendi præter legem,non contra legem, ut post Lap. *alleg.*128.*nu.*4. Rub.*claus.*550. *claus.*764.*n.*1.Barbos.*claus.*173.*num.*19.ex Asinio *in prax,* §. 3. *cap.* 7. censerique tantùm derogatum rusticis feriis, tum autem solemnibus. In his enim nec à Iudice, *l.*1.*ff. de fer.*neque ab arbitrio, *l.omnes* 6. *in fin. C.eod.* jus dici, *d.l.*1. aut citatio fieri,aut solutio debitorum publicorum exigi potest, *l.omnes* 7 *C. eod.* Quare, parte alterutra emanente, actus à Iudice tempore feriarum factus, est ipso jure nullus,*d l.*1.*in fin.l. Si feriatis* 6.*ff.eod.*las.*in l.*4. *numer.* 3. hoc titulo. Dixi emanente; nam volentibus, aut sponte comparentibus rectè jus dicitur, *d. l.*1. *in fin.* Specul. *de fer.* §. *fin.* quod verum est in feriis indictis litigatorum causa, ut puta messium, vindemiarum, &c.secùs in solemnibus, *cap.fin.de fer.* aut repentinis, Bald. *in l.*1. *in fin. C. eod.* Nam his à privatis renunciari nequit, quia privatorum causa non constituuntur, Specul. *d.* §. *fin.* Gloss. Salic. & alii *in d.l omnes* 7. *C. eod.* imò à nullo, nisi necessitas, vel pietas aliud inducat; necessitas quidem, ut si res sit tempore, vel morte peritura, *cap. ult.extr.de fer.*quod exemplifica,ut in *l.*1.2. *& 3.ff.de fer.* Pietas verò, si sit causa debilium, & miserabilium personarum; quia in operibus misericordiæ, dierum non est habenda distinctio, *arg.cap.Veniam* 35.*q.*9.*cap. Vtinam* 76. *d.cap.Nunquam, de consecr.d.*5, Gail *lib.*1. *obs.*53.*nu* 14.& 16. alia ex Speculatore, & ex Maranta super petenda.

Neque obstat, quod viatica Commissariorum succedant in locum alimentorum ex vulgatissima regula,quod venter non patitur dilationem,ac proindè sicut ob maximam celeritatem, quarum secum trahit ejusmodi privilegium respuit appellationem ex ratione textus *in l.fin. ff.de appel.recip.* ita potest fieri executio, & subhastatio per vocem præconis, ac deliberatio. 6

Nam,sua distinctione retenta, facilè dubium dissolvitur. Si enim agatur de alimentis futuris pauperi decernendis, ne fame pereat, absolutè potest diebus feriatis etiam in honorem Dei negotium officio Iudicis celeriter expediri. At si alimenta petantur à non paupere, vel etiam à paupere, sed præterita, cùm jam usque ad diem petitionis vixerat, cùm tunc cesset ratio pietatis debet in ea quóque die festo abstinere, ut rectè distinguit Scacc. *de judic.lib.*2.*cap.*5. *concl.*1. *num.*23. 26.27.& 49. *ac* 64. quamvis Surd.*de alim.tit* 8 *privileg.*2. *num.*8. apertè firmet indistinctè hoc privilegium non habere locum in feriis ad honorem Dei inductis; quia tunc silet etiam alimentorum causa, quoniam cùm lex mandat, procedi summariè, & de facto, non videtur ea tollere,quæ honorem Dei concernunt, quem etiam sequitur Scacc.*de appel.quæst.*17. *limit.*7. *num.*17. Hanc verò distinctionem amplexi sunt etiam Mar.Burg. *de mod.proced. ex abrupt. cent.*1.*quæst.*5.*caus.*36.*num.*111. Castil. *quotid. contr. lib.*8. *de alim. cap.*3.*num.*21.Boss.*de alim.oblig.cap.*19.§.8.*num.* 1129. 7

Quare S Congregatio super Episcopis in Neocastrensi 17.Septembris 1585.censuit capturas & executiones pro debitis,& causis civilibus diebus festis fieri posse, si debitores fuerint suspecti de fuga.Exactio verò privata absque ministris justitiæ fieri potest diebus festis etiam absque licentia, ut censuit eadem Sac. Congregatio sub die 16.Maii 1589. & 2. Aprilis 1561.in Nullius Fasanellæ. At in causis criminalibus Ordinarius prohibere non potest, ne quis ob aliquam causam criminalem carceretur die festo ex eadem S. Congregatione in Crotonensi 9. Septembris 1593. & in Acheruntina 17. Maii 1604.Multò minùs, ne pro eisdem causis capiatur informatio, ut in Larinensi 5.Iulii 1565. Pauperibus verò,qui ruri commorantur permirti debet, ut diebus festis suos contractus facere possint, ut in Gallipolitana 26. Iunii 1591. Excipe tamen ab hac indulgentia duos casus. Festa solemniora, & contractus, in quibus decretum Iudicis requiri contigerit, ut ex eadem S.Congr.in Caietana 23. Augusti 1618. Sic quoque subhastatio farinæ,& id genus alia,quæ difficulter fieri possunt diebus ferialibus, permittenda sunt diebus festis, & Ordinarius debet esse facilis ad præstandam licentiam, sive conniventiam, ut declaravit 8

eadem

eadem Sacra Congregatio in Nicoterensi 20. Octobris 1597.

9 Cæterùm forma, & tempora colendarum feriarum lege præscripta sunt, *l. 2. l. omnes, l. fin. C. de fer.* Potest tamen pro ratione fructuum aut seriùs, aut citiùs Iudex ferias indicere, Ias. *in l. 1. ff. eod.* Specul. *de fer. §. 1. nu. 4.* qua in re rationem loci illius, in quo agitur, item domicilii actoris, aut rei vocati, aliarumque circumstantiarum habere debet, *arg. l. 3. §. fin. de testib.* Specul. *ibid. n. 5.*

10 Concessio verò licentiarum laborandi diebus festis spectat ad Episcopum, Sac. Congregatio Immunitatis in Rubensi 1. Maii 1635. Debetque eas dare in scriptis eadem Sac. Congregatio in Castrensi 2. Maii 1629. Sic etiam licentiæ vendendi diebus festis sunt dandæ à solo Episcopo, non autem à Gubernatoribus, eadem in Alatrina 11. Martii 164?. Et birruarii Gubernatoris abstinere debent à pignorationibus pro observatione festorum; eadem in Senogallienſi 9. Novembris 1634. neque diebus festis permittitur vendi frumentum, neque fieri, ut dicitur, *la dogana*, eadem in Avellina 6. Febr. 1635. Neque publicari possunt edicta, sive blandimenta laicalia, eadem in Theatina 20. Septembris 1639. Hæc tamen, hujusmodique, & parvitates rerum, & magnitudines, atque has omnes officiorum, ac licentiarum æstimationes, alia nonnunquam momenta extrinsecus, atque aliæ quasi appendices personarum, & causarum, & temporum, & circumstantiæ ipsius necessitates, quas includere in præcepta difficile est, moderantur, & regunt, & quasi gubernant, & nunc ratas efficiunt, nunc irritas. Quare Ordinarius in his, ac similibus satis cautè, & solicitè, ac religiosè se gerere oportet.

11 De citatione controvertitur, possit ne illa die in honorem Dei feriato à Iudice decerni? Et aientium sententiam complectimur cum Bocer. *class. 6. disp. 16. thes. 29.* Dummodò non ita fiat ut citatus ad diem similiter feriatum in judicio ad agendum, vel respondendum compareat, *l. 2. in fin. ff. si quis in jus voc. non ier.* Gloss. *ad c. placita 15. b. 4.* Quin etiam citationis executionem die ejusmodi feriato fieri posse rectè negatur per *in d. l. ult.* ibi: *nulla quemquam urgeat admonitio.* Item ibi: *taceat apparitor, præconis horrida vox sileſcat, C. de fer.*

12 Quæritur etiam, num testes, qui die non feriato juramentum de veritate dicenda præstiterunt, in feriis divinis examinari possint? Et negativam sententiam, ceù veriorem, approbandam ducimus per *text. in d. l. 2. & d. l. ult. §. 1.* ibi: *à cunctis executionibus excusetur, nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, C. de fer.* facitque *Clem. sæpè, de verb. signif.* Dissentiunt verò Specul. *de fer. § sequitur*, aliique plures, allegati à Bocer. *d. class. 6. disp. 16. thes. 24. lit. B.*

13 Sed quid de libelli oblatione, an ne hac die cultui divino destinato fieri poterit? Ego ipsi quidem Iudici, *l. miles 11. §. sexaginta 6* ibi: *quoniam de plano quoque libellus dari potest*, ubi Doctores, *ff. ad leg. Iul. de adult. l. 2. C. de fer.* Non verò parti adversæ libelli oblationem ejusmodi die feriato fieri posse, censeo per *d. l. ult. C. de fer.* cum Bocer. *d. class. 6. disp. 76. thes. 23.*

14 Neque sententiam à Iudice proferri, & publicari, neque sententiæ executionem die in honorem Dei feriato fieri posse rectè statuitur ab iis, quos refert, ac sequitur Bocer. *d. class. 6. disp. 16. thes. 25.* ac nos etiam diximus. An ne verò amicabiles compositores, seu arbitratores laudum suum de ejusmodi feriato pronunciare poterunt? Ita videtur. Neque enim procedunt in forma judicii, Gail. *d. obser. 53. num 10. lib. 1.* Quidni ergo ejusmodi quoque die litigantibus concordiam suadere, & transactione potius controversiam finire, quàm judicio terminare possunt? *cap. querelam 18. extr. de simon.* Harprecht. *in proces. judic. decad. 5. concl. 9. n. 6.* licèt dissentiat Vmmius *disp. 7. de proces. judic. thes. 10. n. 41.*

15 De appellatione minùs dubitandum videtur, quin ea die ejusmodi feriato fieri possit. Tum quia tempus decennii ad appellandum concessum continuum est, adeòque omnes istius temporis dies præsumuntur utiles, in quodcumque anni tempus incidant. Tum quia coram Iudice etiam extra judicium appellatio interponi potest. Tum etiam quia non statim requiritur, ut Iudex cognoscat, an appellationi deferendum sit, nec ne. Facit *l. 1. §. ult. l. 3. ff. de fer. & l. 1. C. eod.* adde Bocer. *d. class. 6. disput. 16. thes. 27.*

Illud non prætermittam. Cum ob receptionem Calendarii Gregoriani in vicinis locis sæpè numero feriæ discrepent, an ne feriæ actoris, an Rei, an verò Iudicis observandæ sint? Et hoc postremum veritati consentaneum esse deprehendo, *argum. l. testium 2 §. ult. ff. de testib. l. 1. §. In honorariis 10. ff. de var. & extraordin. cognit.* Harprecht. *in proces. judic. decad. 5 concluſ. ult. n. ult.* Verumtamen Rei quoque rationem habendam esse non ineptè censent Hun. *in resol. disp. 5. in fin. hes. 9. vol. 1.* & Bacov. *ibid. in not. pag. 209.* 16

Præter autem declarationes Sacrarum Congregationum, quas hac in re alibi adduximus, istas quoque adiicimus. 17

Non pertinet ad Principem, vel Iudicem laicum facere edicta circa festorum observationem, S. Congregat. super Episcop. in Vmbriaticensi 2. Martii 1621. Quod si illa fecerint Episcopus debet edictum publicare, cujus proœmium sit, esse proprium officium Episcopi, edicta, & præcepta facere circa festorum observationem, & dare licentiam laborandi in ipsis, ut sic absque turbis Iudex secularis quietè suam falsam opinionem, qua tenebatur, sentiat. Eadem S. Congreg. in Menopolitana 13. Augusti 1578. 18

Multò minùs Princeps laicus potest instituere, vel indicere dies festos, ut per suas literas in forma Brevis declaravit Innocentius X. sub die 6 Octobris 1653. 19

In puniendo pro transgressione festorum eos, qui contraveniunt sine licentia Episcopi, datur locus præventioni inter Iudicem Ecclesiasticum & secularem. B. Pius V. Constit. *Cum primum Apostolatus, §. 7.* & eadem S. Congreg. in Theatina 29. Maii, & in Neapolitana 21. Iunii 1621. 20

Quare Episcopus, vel Vicarius dare debent hujusmodi licentias in scriptis, eadem S. Congreg. in Civitatis Castellanæ 25. Augusti 1615. 21

Licentiæ laborandi dictis festis non sunt exhibendæ Iudicibus laicis, neque toleranda hujusmodi præsumptio, atque prætensio, S. Congreg. Immunitatis in Castrensi 2. Martii 1629. 22

Pœna pro transgressione festorum imponenda debet esse moderata, ersi fuerit exorbitans, reduci debet ad arbitrium Ordinarii, & reliquum si fuerit exactum, restitui, S. Congregatio super Episc. 1. April 1596. & in Recinatensi 16. Ianuarii 1601. & in Bellicastrensi 1. Septembris 1602. & in Corvetana 12. Decembris 1642. 23

Neque debet excedere quinque, vel sex Iulios, in loca pia distribuendos, deducta tertia parte pro exequutoribus, licèt quis deprehensus fuerit in flagranti post publicatum edictum, eadem S. Congreg. in Terracinensi 14. Decembris 1594. 24

Neque pro pœna debent bona confiscari. Eadem S. Congreg. in Termolensi 29. Aprilis 1603. & in Crotonensi 1. Iunii 1604. 25

Nam citata Constitutio B. Pii V. de amissione animalium, uti rigidior, non fuit quoad hanc partem usu recepta. Vnde S. Congregatio Episcoporum merces simul cum animalibus pro transgressione festorum confiscatas, seu ablatas restitui mandavit, ut in Camertina 11. Augusti 1617. Data tamen idonea cautione de solvendo, quod ordinatum fuerit ab eadem S. Congregatione, ut in Bovinensi 11 Aprilis 1645. & 14. Decembris 1646. & 11 Januarii 1647. Non obstante, quod animalia fuissent vendita, & eorum pretium distributum, quia ea jussit redimi, ac domino restitui, retenta aliqua modica pœna, locis piis applicanda 15. Iulii 1606. 26

Nundinarum, mercatorum, & feriarum prætextu 27

præceptam

præceptum de Dominicis, & festis diebus sanctificandis licet agasonibus, & aliis jumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, bajulis, & aliis hujusmodi servientibus, ac ministris sarcinas, & onera nundinarum exonerare, & deponere, inceptumque iter, missa prius audita, transeundo prosequi, & continuare; non autem debent sarcinas componere, & jumenta onerare ad iter denuò incipiendum, neque mercatoribus, aut aliis, etiam viatoribus iis diebus, etiam clausis apothecis merces vendere, emere, aut asportare licet, nisi tantum ad victum necessaria, aut alia munuscula, & modici valoris, & momenti opera jam conflata, atque laborata pro transeuntium hospitum, advenarum, & cæterorum urgenti, & præsentane à necessitate, & opportunitate, in quo partes erunt Episcopi propositis edictis providere, ut ipsi dies festi debita observatione colantur, simulque populorum eò confluentium necessitatibus, quantum sine dicta offensione fieri potest, consulatur. Quoad judicia autem, quæ Dominicis, & festis diebus silere debent, id observari poterit, quod jure communi permittitur in quibusdam urgentibus casibus, qui moram, & dilationem non pariuntur, in quibus & aliis jurisdictionum Consultum, nundinis præpositorum concernentibus, Constitutiones, & Summorum Pontificum, si quæ habent privilegia, & allegatum Breve B. Pii V. servandum est, S. Congregatio Rituum in Recinanensi 9. Decembris 1600.

CONSVLTATIO XI.

De sportulis judicialibus, sive de mercede, ac erogatione fori Ecclesiastici à S. Congregatione super Episcopis olim taxata, & nuper à taxa Innocentiana omninò servanda, ubi an, & quatenus liceat Episcopo cancellariam vendere, vel locare sub annuo censu? Et an emolumenta Cancellariæ utriusque jurisdictionis & sigillorum sint de mensa.

TRibunalium corruptio potissimùm ex ea parte hodie oritur, quod Principes habent venales magistratus, & ex venditione eorum compendium facientes, non audent fines sportulis liberè imponere. Necessarium enim est, aiebat Alexander Cæsar, ut is, qui emit, vendat. Omnis autem illa negotiatio in detrimentum Principis, & Reipublicæ convertitur. Princeps quippe malè audit, quod pro justitia distribuenda, ad quam ipse tenetur, negotiatur in ea non doctos, & probos, qui lubentissimè non emunt onus, sed pernicioſos, ambitioſosque proponendo. Est & Reipublicæ subversio, quæ regitur potius à populis, & curatoribus, quàm à Iudicibus. Quod animadvertit Iustinianus tum alibi, tum scribens Triboniano *nov. 17. de mand. Princip. c. 1. Oportet igitur*, ait, *te purè sumentem administrationem & sine omni suffragio pre omnibus aliis mundas servare Deo, nobisque, & legi manus, & nullum contingere lucrum, neque majus, neque minus, neque captiosum quiddam contra subjectos facere negotiationem: sed contentum esse solis à Fisco tibi ministratis, & tam per te, quàm per eos, qui circa te sunt, purum undique eis servare jus.* Atque Theodosius, & Valentinianus Imperatores *in l. fin. ad leg. Iul. repet. lib. 9. C. tit. 27.* conceperunt juramentum subeuntium administrationes, vel Magistratus, ut neque quicquam se dedisse, vel daturos, vel promisisse pro sortiendis administrationibus, neque dum in administratione fuerint, quicquam præter salaria accepturos promittant. *Provincias spoliari*, inquit Seneca *lib. 1. de benefic. cap. 9. & nummorum tribunal, audita utrinque licitatione alteri addici non mirum, quando quæ emeris, vendere gentium jus est.* Huc etiam pertinent leges plectentes Iudices corruptos sordibus, & per pecunias judicantes, & corruptores, & eos, qui nituntur corrumpere, de quibus Tholosanus *lib. 36. syntagm. jur. cap. 29.*

2 Revocandæ itaque leges feliciter aliàs de istis concussionibus & furtis propositæ, sicque fiet, ut superans in jure adversarium, jus suum repetat integrum, & sumptus integros in litem factos, dum plus nullo modo erit expensum, aut acceptum, quàm in rationem calculi expensarum taxatarum, seu definitarum venire possit. Quod ad Iudices & moderatores provinciarum plebiscito, inquit Modestinus Iurisconsultus, continetur, ne quis Præsidum munus, donum caperet, nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur, *l. plebiscito 18. de offic. Præsid. lib. 1.* Quod Vlpianus latius explicavit *in l. solent 6. §. fin. de offic. Proconsul. Quantum*, inquit, *ad xenia pertinent, audi quid sentimus. Vetus proverbium est; neque omnia, neque omni tempore, nec ab omnibus esse accipiendum. Nam valdè inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum, & per omnia avarissimum.* Extatque hac de re gravissima Alexandri VII. Summi Pontificis Constitutio, qui omnes alias suorum Prædecessorum non solùm renovavit, sed auxit. Manus integras habere à muneribus, rectissimè placuit, cùm ea soleant demulcere, ac propensiores reddere Iudices, & ut uno verbo dixerim, soleant excæcare etiam oculos justorum, & pervertunt causas justorum, Deut. *cap. 16. v. 19. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii*, Prov. 17. v. 25. Hinc neque etiam permittendum censerem, ut vel esculenta, aut poculenta capere possint. Nam & in minimis est affectio, & ex minimis, si permittantur, facilis ad majora optanda, & capienda est via. Sunt & esculenta, & poculenta maximo damno pauperibus, qui minutis etiam expensis, quæ pro nihilo haberi possunt divitibus, exhauriuntur, & Magistratus non contentus pecunia tyrannus fit. Sed superbia, & avaritia eorum, qui gubernant, homines provocant contra se, & contra statum ejus Reipublicæ, quæ ista fieri patiatur, ut vilum Aristoteli *lib. 5. polit. cap. 3.*

Meliùs igitur consultum omninò est Reipublicæ, si 3
Principes, aut populus suis Magistratibus ex publico salarium constituant sufficiens, ex quo commodè vivere & lucrari possint, & abstinere à subditorum loculis, si gratis ita merentibus concedant dignis potestates, & administrationes; sic enim fiet, ut lites citius, & sine aliqua spe lucri dirimantur. At hoc difficile propter aliquorum avaritiam; ideòque meretur saltem aliquam reformationem, si stipendia Iudicibus essent sufficientia, taxatio assueta ex arbitrio judicantium sportularum, & necessarium videtur, aut eas permitti certas, aut nullas. Sed, ut dixi, fieri hoc facilè non potest, nisi salariis constitutis sufficientibus; potest tamen obviam iri avaritiæ, & excessui harum sportularum per certam diffinitionem. Quo circa si sola jura spectemus, quî salarium habent à publico, non debent à partibus, licèt sponte offerentibus, recipere sportulas per *cap. Cum ab omni 10. de vit. & hon. Cler.* ubi Glossa, per quem textum Sacra Congregatio super Episcopis sæpiùs decrevit, non licere quibuscumq; Ordinariis, vel eorum vicariis, aliquid recipere à prætensis reis sub nomine viatici, sive, ut vulgo aiunt, *Cavalcate*, pro causis intra eorum diœceses occurrentibus, etiamsi non vadant ipsi, sed illuc delegatos, vel Commissarios transmittant. Et hoc neque pro causis civilibus, neque pro criminalibus cum obligatione restituendi totum id, quod propterea receperunt; quia tenentur facere propriis expensis hujusmodi processus attinentes ad suam jurisdictionem ordinariam, ut in Sarzanensi 2. Octobris 1616. in Andrien. 8. Novembris 1640 in Narnien si 1. Iunii 1641. in Tarracinensi 13. Septembris 1660. & alibi; ubi notandum, quod reus cogi non debet ad erogandum expensas Commissario contra se, parte instante, destinato, sed hoc fieri debet actoris expensis, quæ in fine à reo reficiendæ sunt, si in culpa repertus fuerit, declaravit eadem S. Congregatio in Rossanensi 15. Februarii 1583. Quæ tamen prohibitio non habet locum in esculentis, & poculentis, quæ intra duos, vel paucos dies consumi possunt, *cap. statutum, §. insuper de rescript. in 6.* Neque in sportulis propriè dictis, quæ recipiuntur in causis civilibus. Nam eas etiam

Episcoporum

Episcoporum Vicarii recipere possunt, ex eadem S. Congregatione in Ferrariensi 21 Novembris 1614. Pro sententiis tamen diffinitivis, non pro interlocutoriis, ut in Regiensi 28. Novembris 1603. Imò neque Advocati, neque Notarii debent aliquid à pauperibus recipere, sed eis gratis patrocinari, & copias præstare tenentur, *l. Tam dementis 23. C. de Episcop. audient.* Paulus V. *const.* 71. §. 20. Et processum pro defensionibus, Sac. Congregatio super Episcop. in Balneoregensi 26. Januarii 1652.

4 Porrò licere Episcopo Cancellariam vendere, vel locare sub annuo censu asserendum est, si fructus, & emolumenta Cancellariæ vendantur, sive locentur non Officiali, seu Actuario, sed extraneo, qui nullatenus debeat se ingerere in negotiis Tribunalis. In hoc enim casu, cessante omni fraude, venditio, seu locatio non est illicita. Quia etsi fructus, & obventiones hujusmodi proveniant ex jurisdictione, tamen non est prohibitum illos vendere jurisdictionem non exercenti, ubi contractus non permiscentur. Neque urgent pericula extorsionum, cùm conductor in Tribunali nullum habeat ministerium. Et hoc propriè non est locare Cancellariam, sed illius obventiones temporales dumtaxat, seorsim à jurisdictione.

5 Si verò locetur Cancellaria, sive illius fructus, & obventiones vendantur Cancellario, sive Actuario, vel Notario, aut Magistro actorum, tunc locatio, aut venditio prohibita est. Quia cùm creantur Tabelliones, communiter etiam creantur Iudices ordinarii, & tales communiter se intitulant, ut testatur Angel. *cons.* 93. *numer.* 2. & Paul. de Castr. *cons.* 84. *lib* 1. Eo autem ipso, quod Notarius constitutus est Iudex ordinarius, est Magistratus inter consentientes, & habet jurisdictionem habitu, licèt non actu, ut notatur *in l* 1 *ff. de jurisd. omn. Iud. & in l. fin. C. ubi & apud quem*, Castr. *d. cons* 84. signare *num.* 4. Et dicitur Iudex chartularius, habetque jurisdictionem inter volentes, & potest multa, ex quo radicem habet jurisdictionis, ut inquit Bald. *consil.* 105. *num.* 3. *lib.* 3. Et tanquam Iudex ordinarius facit præceptum, & guarentigiam ita, ut habeat executionem paratam, ut plenè per Tiraquel. *de const p.* 3. *limit.* 30. *n.* 29. Guarentigia enim videtur decretum judiciale Bald *in l. non aliter num.* 1. *in fin ff. de adept.*

6 Supposita autem radice jurisdictionis habitualis per deputationem ad acta, censetur prorogata illius jurisdictio. Hoc enim casu fieri potest prorogatio ab habitu ad actum, ut notat Innoc. *in cap. prudentiam de offic. deleg.* & post eum Paul. de Castro *loc. cit.* & consentit Bartol. *in l.* 2. *num.* 14. *C. de jur. fisc.* ubi ait, Notarium posse expedire ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, si sibi committantur, quia in hoc ipse est Iudex. Et de Actuario, seu scriniario habente jus gestorum, est textus *in l. eos*, 1. §. 1. juncta Glossa *v. scrinia, C. de appell.* notatque Bald. *in l. hac consultissima*, § *Si quis autem in fin. C. de testam.* Atque ita distinguit Hostiensis *in cap. Ad quæstiones de rer. permut.* Quem ibi sequuntur Io. Andr. *n.* 2. Butr. *n.* 10. Cardin. *n.* 1. Anchar. *v. etiam* 1. Socin. *numer.* 6. aliique communiter.

7 Quare cùm Actuarius jurisdictionem habeat saltem voluntariam, consequens est, ut fructus, & obventiones temporales ei vendi non possint, sive sequamur opinionem Innocentii *in cap. præterea, ne Prælati vic. suas*, tenentis generaliter, ac indistinctè, obventiones temporales vendi non posse jurisdictionem exercenti; sive sequamur opinionem Hostiensis, existimantis, vendi non posse exercenti jurisdictionem obventiones ex jurisdictione provenientes, etiamsi seorsim à jurisdictione vendantur. Quia cùm sine illa non proveniant, propter hujusmodi connexionem vendito uno, neutrum invenditum derelinquitur, ut *in cap. Si quis objecit*, 1. *qu.* 3. Et in hoc casu locum habent inconvenientia, quæ in venditione jurisdictionis considerant Doctores, præcipuè Cardinalis *in d. cap. Præterea num.* 1. & plenius Abb. *num.* 4. Nam Actuarius conductor cum ex mercede actorum deducere debeat pensionem Episcopo persolvendam, ut præter illam aliquid sibi lucretur, verendum est, ne taxas augeat in actis, & in instrumentis conficiendis, illisque edendis partibus, quarum interest, illasque concutiat, ut pecuniam extorqueat, ut *in auth. ut Iud. sine quoque suffrag. col.* 2.

Ad hanc autem Iudicum, & Notariorum avaritiam 8
refrænandam S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus, ac nuper S. D. N Innocentius XI. taxam fori Ecclesiastici fieri curavit, ediditque, quam demum ad præscriptum decretorum ejusdem emendatam, explicatam & auctam in suis floseulis P. Nicolius impressit. Verùm quod apud Tacitum *lib.* 3. *annal.* Tiberius in Epistola ad Senatum de luxu coercendo scribit: *Tot à majoribus reperta leges, tot quas Divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ, quod flagitiosius est, contemptu abolitæ, &c.* idem prorsus de Constitutionibus Pontificiis super donis, ac muneribus, sive de datis, & acceptis, ac de præfata taxa fortè dici poterit, Ne autem id contingat, eadem Sacr. Congregatio semper exclamavit, ut liquet ex resolutionibus, ac literis, quarum aliquas hìc subiicimus.

Al Vescovo di Terni. Con occasione del processo rimesso 9
dalla S. Consulta à questa S. Congregatione, e del Memoriale dato per parte di V. S. in materia delle tasse da osservarsi in cotesta sua Cancellaria Episcopale, e del quarto delle pene, e delle compositioni, che erano solite di prendersi il Vicario, e il Barigello di lei, havendo questi Illustrissimi miei Signori commendato la prontezza, ch'ella hà mostrato di conformarsi agli ordini della Sacra Congregatione, mi hanno ordinato di scrivere, che nella sua Cancellaria ella faccia osservare le tasse publicate per ordine dell'istessa S. Congregatione dell'anno 1597. E prohibisca al Vicario, e Cancelliere suo il prender portione alcuna, benche menoma delle pene, ò delle compositioni, mà le applichi interamente à luoghi pii secondo che verranno, e Nostro Signore la prosperi. Di Roma à' 22. di Giugno 1621.

Al medesimo. Sopra l'instanza fatta per parte della 10
Communità di Terni per ordine, che nel Tribunale di V. S. venga esercitata la Tassa del foro Ecclesiastico con la restrettiva dell'ultimo Capitolo di essa, nel quale si dispone, che in quei casi, e luoghi, ov'è stato solito di pigliare ò nissimo, ò minore emolumento, ò mercede di quel, che si contiene nella detta Tassa, si osservi intieramente il solito sotto le pene comminate à transgressori, la Sacra Congregatione à relatione di Monsignor mio Illustrissimo Cardinal Verallo, havendo inteso pienamente le ragioni, dedotte, e le risposte del suo Vicario, hà risoluto, che V. S. faccia, che da tutti i suoi Officiali venga così onninamente osservato. Di Roma à' 19. di Luglio 1622.

Al Vescovo d'Anglona. Essendosi riferito nella S. Con- 11
gregatione, quanto V. S. hà replicato per suo discarico circa l'ordine datogli di fare osservare per l'avvenire in cotesto suo Tribunale Vescovale la Tassa altre volte fatta dalla medesima Sac. Congregatione per tutti i Tribunali Ecclesiastici. Questi Eminentissimi miei Signori mi hanno ordinato di risponderle, che in ogni modo debba fare osservare la detta Tassa della S. Congregatione, eccettuando però quelle cose, nelle quali è solito in cotesto suo Tribunale pagarsi detta Tassa della S. Congregatione, e così V. S. dovrà eseguire senz'altra replica, e dare avviso à suo tempo d'haverlo fatto, e Iddio la prosperi. Di Roma à' 15. di Novembre del 1641.

Episcopo Triventino. *Si evenerint aliqui casus in Ta-* 12
xa jussu S. Congregationis edita non expressi, tunc vel procedatur à simili, vel recurratur ad Taxam fori secularis, vel Archiepiscopalis, vel aliarum Curiarum vicinarum, 13. Decembris 1613.

Quinimò ex Concilio Tridentino *cap.* 1. *sess.* 21. *de re-* 13
for. colligitur non licere Episcopis vendere Notariatum, aut Cancellariam, cùm ita participent de emolumentis Dimissoriarum, & collationum beneficiorum. Et

propterea

propterea S. Congregatio super Episcopis decrevit, & mandavit, prout ex infrascriptis literis apparet.

14 Archiepiscopo Neapolitano. *La Santità di Nostro Signore col parere di questi miei Signori Illustrissimi della Sacra Congregatione hà risoluto, che i Prelati non habbiano d'affittare le Cancellarie de i loro Tribunali, ma quelle debbano far' esercitare da' ministri proprii, da essi provisionati senza dar loro participatione alcuna degli emolumenti, e proventi di essa, confidandosi, che con questa i popoli habbiano da rimaner più sicuri da esattioni indebite, e i poveri da conseguir più gratie di quelle, che ponno far loro gl'istessi affittuarii. E acciochè sii lecito ad ogn' uno veder, che non sii loro fatto aggravio, vuole anche Sua Beatitudine, che ciascun Tribunale habbia la sua pandetta, e tassa delle mercedi degli officiali, stesa & attaccata in publico nella stanza della residenza de' Notari, di maniera che colui, che tratta nel Tribunale possa à sua posta chiarirsi di quanto dee pagare. Di che ora do avviso à V.S. d'ordine della Santità Sua, affinche ella per quel, che à lei tocca, così eseguisca, e per sue lettere commandi à tutti i suoi suffraganei di commissione di Sua Beatitudine, che faccino il medesimo senza replica, e quanto prima, percioche contro a' negligenti si manderà Commissario con spesa, e poco loro riputatione. E se paresse ad alcuno essergli ciò dannoso, habbia patienza, perche il guadagno consiste solo nel servitio di Dio, e nella salute, e buona sodisfattione de' popoli, a' 26. d'Agosto* 1592.

15 Et in Hostunensi. *Il Vescovo fà bene à non vendere la Mastradattia, ma non dee participare esso di guadagno alcuno delle scritture; e nelle cause criminali, quando si dà il processo da trasportarsi al Giudice dell'appellatione, non si paga cosa alcuna nè al Vescovo, nè al suo Cancelliero, stante la dispositione del Sacro Concilio di Trento nel c.3. sess.13. ma al Notaro della causa si dee ben pagare la sua mercede per il cap.20. sess.24. de ref.3. Septembris* 1577. Idem decrevit in Aversana 13. Eebruarii 1693. in Recinatensi 10. Ianuarii 1594 & 25. Iunii 1597. & in Hydruntina 22. Ianuarii 1601. ac alibi sæpiùs.

16 Et inter decreta S. Caroli perpetuò servanda in foro Archiepiscopali, condita anno 1580. die 17. Septembris. legitur infrascriptum: Pecuniæ distribuantur hoc modo, videlicet: Medietas lucri Notariorum Civilium Cancellariæ detur, aliaque medietas inter ipsos duos Notarios civiles æquis portionibus partiatur, & hoc itidem quoad emolumentum duorum Notariorum criminalium servetur. Hæ verò duæ partes in Cancellaria collatæ unà cum aliis Cancellariæ emolumentis cedant tum pro Cancellariis, & Cancellariæ scriptorum, ac visitationis Archiepiscopalis notariorum mercede solvenda, tum pro aliis demum Cancellariæ oneribus sustinendis ita tamen, quod si omnibus sic adimpletis aliquid superfuerit, id omne in fine cujuslibet anni inter Notarios & Civiles, & Criminales pro rata pecuniarum ab unoquoque officio proventarum, distribuatur.

17 Hinc S. Congregatio Concilii in Melfiten. anno 1590. die 13. Iunii respondit, quod Notarius, qui pro literis dimissoriis à quodam Clerico certum quid, ultra taxam à decreto Sac. Concili Trid. d. *cap.1. sess.21.* constituram acceperat, pœnas contra simoniacos à Sacris Canonibus impositas, incurrisset, de quo Navar. *cons.58. de simon. p.2.* Et ita sententiavit Vicarius Melfitensis, à qua sententia cùm appellasset Notarius ad Auditorem Cameræ, fuit causa commissa D. Celso, qui sub die 30. Augusti 1591. prædictam sententiam Vicarii revocavit, prout videri potest ex actis Antonii Guidotti. Sed de hac re cùm actum fuisset in S. Congregatione super Episcopos, Illustrissimi Domini tenuerunt, satis esse contra Notarios excedentes taxam, procedere ad pœnam contentam *in cap. 20. sess.24. vers. Qui Notarius*, in fine, quæ est, quod dictus Notarius suspendatur ab officio arbitrio Ordinarii, & ad pœnam dupli compellatur inter pauperes loci distribuendam.

18 Item eadem S. Congregatio Concilii censuit in Ravennatensi, quod Ordinarius in collatione beneficiorum pro sigillo, nihil potest accipere, etiamsi ab immemorabili tempore fuerit observatum, ut certum quid recipiat, licèt contrarium senserit Glos. *in cap. Cum olim, de major. & obed.* Et in Burgensi censuit, officiales Ordinarii, ac Ordinarios ipsos pro dispensationibus ad eos remissis, nihil posse accipere, non obstante contraria consuetudine, etiam immemorabili.

Decretum verò Concilii Trid. *cap.3. sess.13.* in quo dicitur, quod acta postulanti gratis exhibeantur, intelligitur de Iudice, & de Cancellario illo, qui pro officio exercendo habent salarium constitutum, aliis autem Notariis solvenda sunt juxta locorum consuetudinem ex *cap.20. sess.24.* at hodie juxta taxam S. Congregationis super Episcopis, Innocentianam. 19

Notarii verò in iis locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis literis dimissoriis, aut testimonialibus, decimam unius auri partem accipere possunt, dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum directè, vel indirectè provenire possit, ut disertis verbis statuitur decreto Concilii Trid. *in cap.1. sess.21.* & S. Congregatio ejusdem Concilii interpres sæpiùs declaravit, Cancellarium posse pro qualibet scriptura collationis, vel institutionis accipere mercedem suo labori convenientem, quæ tamen scriptura sigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aureum non excedat, & dummodò ipsi Cancellario salarium nullum pro officio suo exercendo præstitum sit, & ex pecunia, quam recipit, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores, etiam occasione sigilli, ullo modo directè, vel indirectè percipiant. 20

Similiter Gregorius XIII. in causa Burgensi declaravit in collationibus beneficiorum Episcopum non posse, pro sigillo aliquid accipere, etiam ubi extaret talis consuetudo. Notarium autem, cui certum salarium pro suo officio constitutum non est, posse pro singulorum beneficiorum collatione aureum unum accipere in causam laboris, scripturæ, sigilli, & cæterorum. Item officiales Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Lusitaniæ unum ducatum accipiebant pro executione literarum Apostolicarum, dispensatione matrimonialium, & ita etiam pro præsentatione cujuslibet rescripti. Notarii etiam pro examine testium capiebant alium ducatum, & plus, minusve juxta numerum illorum, & laborum. Et quoniam in eis literis solet apponi clausula, quod Episcopi & officiales, deposita omni spe cujuscumque muneris & præmii, etiam sponte oblati, dispensent, & Tridentinum Concilium *in cap.5. sess.24. de ref. matr.* tales dispensationes gratis omninò concedi jubet, quæsivit Cardinalis, Portugalliæ Legatus, an liceat dictis officialibus, & Notariis accipere id, quod capiebant, Sanctissimus, referente Congregatione Concilii, decrevit, Episcopos, eorumque Vicarios nihil prorsus ea de causa accipere posse; notariis autem licere dumtaxat quartam partem ducati accipere. Quæ cùm ita sint, si Episcopis liceret Cancellariam locare, utique indirectè consequerentur emolumentum ex mercede, quam licet Cancellario accipere in casibus memoratis. Quod quidem esset contra decretum dicti *cap.* 1. & Apostolicas declarationes. 21

Verùm hæc ratio, quamvis in se vera sit, non est tamen omninò adæquata, & eludi posset, si Episcopus in locatione Cancellariæ, & taxatione annui census non computaret ea, ex quibus nihil sibi, sed Cancellario dumtaxat licet aliquid emolumenti percipere. Eo enim casu, attenta ratione prædicta, sustineretur locatio, quia Episcopus pro literis dimissoriis, pro scriptura collationis, vel institutionis, pro executione literarum Apostolicarum, & consimilibus, nihil emolumenti perciperet directè, vel indirectè; tamen nihil hujusmodi cautela adhibita licitum esset, Cancellariam locare. Vnde tutiùs est tenere, quod superiùs diximus ex 22

D. Fagnano

D. Fagnano *in cap. Quoniam ne Prælati vic. suas à n.* 15. & ipse notat.

23 An autem emolumenta Cancellarium utriusque jurisdictionis, & sigillorum sint de mensa, affirmativè respondit Rota in Maurianen. pensionis 13. Junii 1625. coram Pirovano, & ad id cognoscendum plures regulas firmavit.

24 Prima, quod non alia ratione pertineat ad Episcopum quàm ratione Episcopatus, & corporis Episcopalis dignitatis. Propterea oblationes, quæ pendent ab incerta Parochianorum traditione; fundationes particularium in Ecclesia factæ, legata pariter, & promissiones laicorum, quæ omnia cùm ab aliis, & alia ratione, quàm Episcopatus, ad Episcopum proveniunt, illa de mensa aut corpore beneficii dici non possunt, Rebuff. *de congrua num.* 85. cum *seqq.* Covar. *var. resol. c.* 13. *lib.* 3. *n.* 1. Rot. *decis.* 5. *num.* 8. *part.* 2. *divers.* moti omnes per *l. in quartam ff. ad l. falcid.*

25 Secunda, quando pertinet ad Episcopum ratione proprii ejus laboris, industriæ, aut ministerii personalis, prout sunt quotidianæ distributiones, Anniversaria, Cathedratica, & similia, quæ respiciunt respectivè laborem, & honorem personalis ministerii, aut dignitatis, ea pariter de mensa, aut corpore beneficii dici non possunt, Speculat. *in rubr. de concess. præb.* Oldrad. *cons.* 118. *n.* 1. & 2. Boer. *decis.* 19. *n.* 4. & *decis.* 224. loquens de homagiis confiscationis, jucundo introitu, & collationibus beneficiorum, Rot. *decis.* 330. *num.* 2. *p.* 1. *divers.* & in Catanien. quarta portionis 25. Junii 1604. coram Cardinale Sacrato, & plenius coram eodem in Forosempronien. pensionis 27. Januarii 1616.

26 Tertia est regula, quod de mensa dicuntur omnia emolumenta, & fructus Ecclesiæ, quæ Episcopus potest in suos usus convertere, & deserviunt pro necessitatibus mensæ, ac utilitatibus Ecclesiæ, aliorumque indigentium; ita Abb. magistraliter distinguendo *in cap. ut super n.* 11. *de reb. Eccles. non alien.* sequendo glos. *in Clem.* 1. *in verb. de Mensa de supplend. neglig. Prælat.* & in *clem. unica* §. *præsentatos verb. ad Mensam de excess. Prælat.* ubi Butr. *n.* 7. Imol. *n.* 16. Barbat. *in d. cap. ut super n.* 3. & idem firmat Rebuff. *in prax. super reg. de union. in tit. de Vicar. perpet. n.* 8. Corn. *cons.* 262. *num.* 3. *vol.* 3. Menoch. *de arbitr. cas.* 433. *n.* 2. & sub hac tertia regula veniunt emolumenta Cancellariarum utriusque Jurisdictionis, & sigillorum, tanquam fructus Jurisdictionis, quæ inhæret dignitati Episcopali, Bart. *in l. fin. n.* 2. *ff. solut. matrim.* Natt. *cons.* 580. *nu.* 15. *lib.* 3. Cravet. *cons.* 128. *n.* 3. Roland. *cons.* 73. *n.* 3. *lib.* 4. & dignitas ipsa, prout alia bona, & Jura, est in ipsa Ecclesia, Anchar. *in reg. beneficium num.* 11. & *in reg. sine possessione n.* 10. *de reg. Juris in* 6. Covar. *var. resol. c.* 16. *num.* 13. Rota coram Gregorius XV. *decis.* 334. *n.* 1. & *decis.* 199. *num.* 6. & 658. *n.* 2. *part.* 2. *recent.* Surd. *cons.* 183. *n.* 3. Quæ omnia cùm percipiat Episcopus quotannis, & pro libito voluntatis suæ in usus tam suos, quàm Ecclesiæ convertat, locando, & exigendo pretium conventum, prout cætera bona Ecclesiæ locantur, & fructus exiguntur inde dicendum est, horum emolumenta esse de Mensa, prout & alia bona, quæ de corpore Episcopalis dignitatis reperiuntur, quæ solent reservari Episcopo successori, sede vacante, vigore *Clement. statutum, de electione.*

27 Neque obstat, quod hujusmodi emolumenta proveniant ratione ministerii, & operis personalis in administranda partibus Justitia, & ex interpositione auctoritatis Episcopalis cum appositione sigillorum, itaut sint quidem fructus Jurisdictionis debiti contemplatione dignitatis Episcopalis, sed non Episcopatui, & ejus Mensæ, sicque versemur in terminis secundæ regulæ supra firmatæ admittentis talia emolumenta non esse de Mensa.

28 Quia etsi proventus prædictorum emolumentorum esse non possit absque mixtura operis, & ministerii personalis ejus, qui judicare tenetur, attamen quia ministerium illud judicandi non est in Episcopo voluntarium, sed necessarium, dum potest cogi administrare populo suo Justitiam, neque emolumenta Cancellariæ sunt incerta, sed certa, tanquam solita locari ab antiquissimo tempore, inde sequitur, dici fructus beneficiorum, prout in fortioribus terminis de oblationibus fidelium, quæ pendent à libera voluntate offerentium, qui hodie possunt offerre, & cras abstinere; si tamen possunt ad certam summam reduci, illæ solent computari in congruam, tanquam de corpore beneficii, Felin. *in cap. ad aures numer.* 14. *de rescript.* Rebuff. *de congr. part. nu.* 87. Ancharan. *in clem. unica n.* 43. *de concess. præb.* atque ita si attendantur auctoritate superius adductæ, & signanter Oldradi & Boerii, loquentium de ministerio personali voluntario, & incerto, quod nihil habet commune cum re ipsa, ut fieri possit conjunctio ad majorem redditum constituendum; Nos autem de ministerio rem commixto cum ipsa re, ac necessario, & certo propter consuetudinem locandi pro certo redditu, quo casu emolumenta ista inter fructus mensæ benè possunt connumerari.

Juvat præterea his subnectere taxam Innocentianam jussu S. D. N. Innocentii XI. editam. En hæc illa est.

TASSA INNOCENTIANA

Del foro Ecclesiastico nelle materie Spirituali, overo dichiarationi sopra quelle Cause, e materie Ecclesiastiche, e Spirituali, nelle quali nel Foro Ecclesiastico, & Episcopale non si può, nè si deve esiggere emolumento alcuno, eccetto quello che si dichiara per il solo Cancelliero, con la riforma de gli abusi contrarii.

ESsendosi havuto ricorso alla Santità di nostro Signore INNOCENZO XI. per molti Vescovi, & Arcivescovi, & altri Prelati zelanti, acciò per sicurezza della loro coscienza, e per togliere ogni occasione di dubbio, che potesse nascere dalle diverse consuetudini delle Diocesi, & anche acciò non siano ingannati da loro Vicarii, Cancellieri, & altri Ministri, e famigliari, si stabilisca una Tassa generale, & uniforme per il foro Episcopale, overo Ecclesiastico, nè mancando i ricorsi de Cleri, e de Popoli, hà perciò la Santità Sua deputato una Congregatione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregationi del Concilio, e de' Vescovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medesime Congregationi, e di due Monsignori loro Segretarii, e delli Monsignori Datario, & Auditore della Santità Sua, e da questa si è risoluto, non potersi nelle cause contenziose civili, criminali, e miste venire alla sudetta Tassa generale, senza la precedente notitia delle Tasse particolari di ciascheduna Diocesi, ò Provincia, potendo giuridicamente quella esser varia secondo la diversa consuetudine regolata dalla diversità de Paesi, e de luoghi. Ben sì dovertsi con qualche maggior chiarezza per togliere tutti i dubii, e gli equivoci, dar fuori le dichiarationi, che in più tempi, e diverse occasioni si son fatte dalle Sacre Congregationi del Concilio, e de Vescovi nelle materie Ecclesiastiche, overo meramente spirituali, acciò in tal modo sappia ciascuno quel che sia illecito, e si tolga ogni scusa, ò pretesto d'ignoranza, ò di consuetudine, dovendo in sì fatte materie l'osservanza essere da per tutto uniforme per la generalità de Canoni, e Concilii, e particolarmente del Tridentino, in modo che deve de' dirsi reproba, & illecita ogni contraria consuetudine, ò Tassa diversa in qualunque modo per l'addietro fatta, conforme dalla medesima Congregatione si è stabilito, in modo che le seguenti dichiarazioni debbano osservarsi da per tutto senza eccettuazione alcuna, sotto le pene contenute ne' Sacri Canoni, e Concilii, ed altre ad arbitrio del Sommo Pontefice, che sarà pro tempore, e nascendo qualche dubbio in

contrario, se ne debba consultare la sudetta Sacra Congregazione del Concilio, e non altrimente.

Nella materia degli Ordini Sagri, e Minori, e prima Tonsura, così per la collazione, come per la facoltà, che ad altro si dia di conferirli, & anche per il loro esercizio, e per la facoltà di esercitarli in qualunque luogo, e qualunque tempo, si stabilisce la regola generale da non ricevere altra eccettuazione, che quella si dirà di sotto, e che nè il Vescovo, ò altro Prelato, nè i suo Vicario generale, ò Foraneo, Cancelliero, & altr'Officiale qualsivoglia, nè Parenti, e Familiari, ò Servitori possano esiggere, e ricevere emolumento, e cosa alcuna sotto qualsivoglia colore, ò pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, overo di Tovaglia, Forbici, Pettine, & altro, nè sotto titolo di regalo, ò di mancia, anche se spontaneamente si offerisse, e desse, eccetto che l'Ordinante possa ricevere l'oblazione della Candela, secondo dispone il Pontificale, à libero arbitrio dell'Ordinato circa la qualità, e peso; Et il Cancelliero, secondo la disposizione del Sagro Concilio di Trento per le lettere testimoniali della collazione dell'Ordine già dato, overo per le lettere dimissoriali per la collazione da farsi per un'altro Vescovo, possa ricevere solamente la decima parte d'un scudo di moneta Romana, cioè un giulio, overo l'equivalente nella moneta del Paese, e non più, da persone, le quali habbino l'uso del denaro, non già da quei Religiosi, i quali non ne hanno l'uso, come sono i Capuccini, & i Minori Osservanti, eccetto che nella collazione del Subdiaconato per gli atti, che si devono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del Patrimonio, overo del Beneficio, à titolo del quale si deve promovere, possa esigere quell'emolumento che sia proportionato alla mera fatiga personale per la scrittura, e carta, senza che il Vescovo, ò Vicario, ò altr'Officiale nè direttamente, nè indirettamente ne possa participare in modo alcuno, purche detto emolumento non possa, nè debba eccedere un scudo d'oro, mà se la fatiga richiede minor mercede, si debba esigere solamente quel meno. Mà rispetto à gli Ordini, & alla prima Tonsura, non possa esigere cosa alcuna, sotto pretesto di registratura de Brevi, e Dispense, e di altre Scritture, ò di presentata, e di qualunque altra giustificatione, e solennità, ò rimozione d'impedimento.

Con dichiarazione, che le sudette lettere testimoniali, ò vero dimissoriali contengono più Ordini, tuttativa non si possa esigere altra mercede, che la sudetta di un giulio, si che non si possa moltiplicare à ragione di ciascun'Ordine. Non sia però tenuto il Cancelliero à far una sola scrittura per più Ordini, quando questi siano stati conferiti in diversi tempi, e diverse ordinazioni; mà volendo possa farle separate, non già rispetto à quegli Ordini, che si conferiscono in un'istesso giorno, come segue ne' Minori, ne' quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per l'ordinazione da farsi per un'altro Vescovo à più Ordini, parimente non si possano moltiplicare scritture, nè possa esigere cosa alcuna per il rogito della collazione degli Ordini, overo per l'accesso al luogo dell'ordinazione; con altro pretesto anche di mancia, e di regalo.

Nella materia de Beneficii Ecclesiastici, quando si tratta di quelli, che come di libera collazione, overo come devoluti si conferiscono dal Vescovo, ò altro Ordinario Collatore, parimente si stabilisce la regola generale, che nè il Vescovo, ò altro Collatore, nè il suo Vicario, ò altro qualsivoglia Officiale, nè il Cancelliero, ò Parenti, familiari, servitori possano esigere, e ricevere emolumento alcuno, & altra cosa sotto qualsivoglia colore, e pretesto, anche di mancia, ò regalo, e volontario donativo; così se siano Curati, ò residenziali, come se simplici, ò non residenziali, & anche se siano Cappellanie manuali, ma solamente il Cancelliero per le lettere della collazione, compresa carta, sigillo, corde, & ogn'altra cosa, possa esigere la mercede proportionata alla scrittura, e materia, purche non ecceda la somma di giulii diece di moneta Romana, overo l'equivalente nella moneta del Paese, senza che si possa pretendere altra mercede, sotto qualsivoglia pretesto, e particolarmente per l'approvazione, e preelezione nel corso alle Chiese Parochiali. Et per il possesso il Vescovo, ò Vicario, ò altr'Officiale non possa esigere cosa alcuna, & il Cancelliero, se sarà dentro la Città, possa per il rogito, & ogn'altro atto esigere giulii trè, se ne'Borghi, overo Suburbii giuli quattro, e se in altro luogo, i medesimi giulii quattro il giorno, e le spese di vitto, e viatico. Ben sì, che se nel luogo del Beneficio vi sarà il Cancelliero del Vicario foraneo, ò altro Notaro, si dovrà il possesso commettere al Vicario foraneo, e suo Cancelliero, senza la necessità del viaggio del Cancelliero Episcopale.

Quanto à Beneficii di provisione Apostolica, perche siano riservati, overo affetti avanti la loro provisione così ne' Beneficii curati, ne' quali per l'Ordinario si danno le lettere testimoniali alla Dataria dell'approvazione, e della preelezzione nel concorso secondo la forma del Concilio di Trento, come anche ne gli altri Beneficii non curati, e particolarmente ne' residenziali, per i quali si sogliono dare le attestationi alla Dataria sopra la vita, costumi, & idoneità de' concorrenti per le dette lettere, non si possa esigere, ò ricevere mercede, & emolumento alcuno in denaro, ò in altre cose sotto qualsivoglia pretesto, ò colore, anche di volontario donativo, ma si debbano dare affatto gratis.

E doppo la provisione per l'esecuzione delle lettere Apostoliche, quando siano nella forma gratiosa, non possano il Vescovo, ò altro Prelato Ordinario del luogo, ò suo Vicario, e Cancelliero, & altr'Officiale pretendere di doverne essere per necessità Esecutori, mà sia in arbitrio de Provisti l'eleggersi l'Esecutore, & il Notaro per il possesso, mà se il Provisto eleggesse l'Ordinario Officiale, & il suo Cancelliere, ò veramente se le lettere fussero nella forma, che si dice dignum, indrizzate all'Ordinario, ò vero al suo Vicario, il quale perciò ne fusse necessariamente l'Esecutore, così nell'uno, come nell'altro caso, non essendovi legitimo contradittore, in modo che l'Esecutore sia mero, parimente il Vescovo, ò altro Prelato, & il suo Vicario, ò altr'Officiale, e suoi familiari, servitori, & attinenti, non possano, nè debbano esigere, e ricevere emolumento alcuno, in quell'istesso modo, che di sopra si è detto ne' Beneficii d'ordinaria collazione, mà il Cancelliero possa per la copia, ò registro delle lettere Apostoliche, & altri atti, ricevere la mercede proportionata alla fatiga per la scrittura, purche non ecceda in tutto un scudo d'oro; Et essendovi contradittore, si che convenga di far processo giudiciale, la mercede del Cancelliero per la sua fatiga si possa stendere à due scudi d'oro, e non più, senza che il Vescovo, ò Vicario, ò altr'Officiale possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre nelle cause ecclesiastiche, e spirituali, ordinano i Sagri Canoni, che non ostante qualsivoglia consuetudine, il giudicio si debba interporre gratis. E per il possesso si osservi quell'istesso, che si è detto di sopra ne' Beneficii conferiti d'all'Ordinario Collatore.

Nelli Beneficii di Padronaro nascendo dubbio sopra l'esistenza del Padronato con il Procuratore fiscale, overo col Provisto, che ne pretenda la libertà, si debba in tutto, e per tutto asservare quell'istesso, che di sopra si è detto ne' Beneficii di libera collazione col Contradittore; Mà se non controvertendosi l'esistenza, sia la controversia trà Compatroni, ò verò Presentati da essi sopra la pertinenza, in tal caso si reputi come causa civile profana, e per conseguenza si osservi la solita Tassa di ciascuna Curia, fino à tanto che si faccia l'altra Tassa delle cause profane, Ciuili, criminali, e miste.

Generalmente così nelle Capellanie manuali, come nelle nove fondazioni, & erezzioni de' Beneficii, Capellanie, Confraternità, Congregazioni, overo fondazioni, benedizioni, e consegrazioni, e respettivamente

Visite,

Visite, & approvazioni di Chiese, e di Oratorii, così con l'autorità Apostolica, come con l'ordinaria, il Vescovo, ò altro Prelato, e suo Vicario, e qualunque Officiale, non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mà solamente il Cancelliero possa esigere quella mercede, che sia proporzionata alla sua fatiga per la scrittura, purche non possa eccedere in tutto uno scudo d'oro, ma sia meno, se minore sarà la fatiga.

Nelle cause, e materie, che riguardano il matrimonio, & i Sponsali, così per l'esecuzione delle Dispense Apostoliche matrimoniali, come per la giustificatione dello stato libero, ò che non vi sia canonico impedimento, & anche per la Dispensa alle publicazioni, ò per la licenza di potersi contrarre in Casa, ò in altro luogo, ò tempo insolito, e prohibito, ò che si possa contrarre in presenza d'altri che del Paroco, & ogn'altro atto che occorresse fare, il Vescovo, & il suo Vicario, & ogn'altro Officiale, ò Ministro, ò Familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto, ò colore, anche di mancia, è di voluntario donativo, esigere, e ricevere emolumento alcuno, nè in denaro, ne in altre cose, mà solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, cioè nell'esecuzione delle dispense giulii trè, e per i testimonii sopra lo stato libero, ò che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purche in tutto non si ecceda un scudo di moneta Romana, cioè dieci giulii, ò vero il loro equivalente nella moneta del Paese, Non comprehendosi le cause contenziozе trà i Conjugi sopra la validità del mattrimonio, ò vero sopra la separazione del Toro, stimandosi questa causa giudiziale profana, nella quale si osservarà la Tassa di ciascun Tribunale sinche si proveda.

Generalmente in tutto quello, che riguarda i Monasterii delle Monache, e i Conservatori di quelle Donne, lequali à guisa de' Monasterii, e Monache respettivamente vivono ritirate, il Vescovo, ò altro Prelato, il Vicario così generale, come particolare, e qualunque altro Officiale, ò Deputato, & il Cancelliero, & anche i Parenti, & i familiari del Vescovo, ò Prelato, e de' suoi Officiali, non possano esigere, e ricevere emolumento alcuno in denaro, & in altre cose, eccetto che quelle comestibili, che siano proporzionate all'uso, e consumo proprio dentro trè giorni, anche con titolo di donativo, per l'ammissione all'habito Monastico, per l'approvazione del deposito della dote, per la Professione, per l'ammissione dell'Educande, & altre Donne secolari, per le renunzie che si fanno dalle Novizie, per l'elezzione dell'Abbadessa, ò altra superiora, per licenze de' Medici, Chirurgi, & Operarii, per le licenze di parlare alle Monache, & altre che sono nel Monasterio, per la deputazione de' Confessori, Capellani, Procuratori, Esattori, & altri Ministri, e generalmente per ogn'altro atto, che riguarda al governo; mà solamente il Cancelliero per il rogito delle renunzie, e per gli atti che convenga fare sopra la giustificazione del deposito della dote, possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purche non ecceda in tutto gulii 5. moneta Romana, ò verò l'equivalente nella moneta del Paese.

Parimente per una regola generale da non soggiacere à limitazione alcuna, il Vescovo, ò altro Prelato, suo Vicario generale, ò particolare, Cancelliero, e qualunque altro Officiale, Ministro, e familiare, anche sotto nome di mancia, ò volontario donativo, non potrà esigere, e ricevere emolumento alcuno, così in denaro, come in qualunque altra cosa in tutto quello, che riguarda l'amministrazione de Sagramenti, del Battesimo, della Cresima, della Penitenza, dell'Eucharistia, e dell'Estrema unzione, anche per l'Esame, & approvazione, ò licenza d'amministrarli; Anzi s'incarica à Vescovi, e Prelati, e loro Vicarii, & Officiali, che non lo permettano à Curati, & à Confessori, & altri Ministri, e particolarmente nel prendere il piatto, ò altro vase, nel quale sia riposto, il vase dell'Oglio Santo per l'estrema unzione, ò del Crisma nel battesimo, ò vero tovaglie, fazzoletti, & altre cose dichiarandosi tutto ciò illecito. Come anche à non chiedere, nè esigere cosa alcuna per la benedizione delle Donne infantate, quando doppo il parto secondo il Rito Ecclesiastico per la prima volta che entrano in Chiesa.

In quelle Diocesi, nelle quali regna l'antica consuetudine, che il Vescovo, ò altro Prelato, & Officiale faccia il Testamento per l'Anima di quelli, i quali muoiono ab intestato di quella somma moderata, nella quale secondo i Decreti della Sagra Congregazione, può esercitare tal facoltà, non possano esso, e suoi Officiali, Ministri, Parenti, e famigliari partecipare in modo alcuno, sotto qualsivoglia colore, ò pretesto, anche di povertà, mà il tutto si debba effettivamente applicare ad usi, & opere pie, ne per l'adempimento di tal dispositione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la sepoltura, e l'esequie, ò funerale al defonto, dovendosi esercitare giuridicamente l'azzioni sopra i beni ereditarii, e si debba osservare la lettera circolare della Sacra Congregazione de Vescovi sotto li 19. Agosto 1678.

Come anche in modo alcuno si possano impedire, ò ritardare la sepoltura, e l'esequie, ò funerali à' defonti, così Cittadini, come forastieri per il pagamento di quegli emolumenti, che dal Vescovo, ò dal Capitolo, ò dal Curato, e qualunque altro per la consuetudine del Paese si pretendano, mà parimente rimangono illese le azzioni giuridiche ne' beni sopra i quali si dovranno esercitare, senza che in modo alcuno si faccia represaglia al cadavere, overo che si diano molestie personali a' figli, moglie, e parenti; Et ancora non si possa esigere cosa alcuna per la licenza di trasportare i cadaveri, overo di sepellirli più in un luogo, che nell'altro.

Si dichiara ancora illecito ogni emolumento diretto, & indiretto, e per conseguenza se ne prohibisce al Vescovo ò Prelato, suo Vicario, e Cancelliero, & ogn'altro Ministro, e familiare, ogni esazzione sotto qualsivoglia pretesto anche di mancia, ò donativo nell'infrascritte cose, cioè.

Per la licenza, ò patente di predicare, così nella Quadragesima, nell'Avuento, come in tutti gli altri tempi, & in qualsivoglia luogo.

Per la licenza di lavorare nelle feste, anche per applicarsi ad usi pii, si che si dia onninamente gratis, e quanto alle contravenzioni d'haver lavorato, le penne tutte si applichino effettivamente ad opere, ò luoghi pii, senza participazione alcuna benche minima, eccetto che agl'Esecutori, e Ministri inferiori, volgarmente Sbirri, per la cattura si dia la mercede proporzionata alla diligenza, e fatiga, purche non ecceda trè giulii in tutto.

Per la revisione de conti de Luoghi pii.

Per la recognizione, & approvazione, e publicazione delle Reliquie, d'ell'Indulgenze, & Altari privilegiati.

Per le licenze di questuare.

Per l'attestazione della povertà, ò altro requisito, eccetto che il Cancelliero possa esigere in tutto, e per tutto un giulio di moneta Romana, ò l'equivalente.

Per la licenza d'esser assente dalla residenza, e generalmente per le dimissorie, che si sogliono concedere à quelli, li quali partono di casa per andar in altro paese.

Per le monitoriali, per le revelazioni di scommuniche, così quando si diano da essa Curia, & Ordinario, come quando si publicano le lettere Apostoliche, eccetto che il Cancelliero possa per la mercede della scrittura esigere un giulio solamente.

Per la dichiarazione dell'incorso nelle censure, per la percussione de' Chierici, & altre somiglianti cause, e per la loro assoluzione, eccetto che il Cancelliero per la fatiga della scrittura possa esigere giulii due, eccetto che nell' esecuzione de' Brevi della Penitenziaria, nel qual caso per quel che appartiene all'assoluzione, nè anche il Cancelliero possa esigere cosa alcuna.

Per la facoltà d'esercitar i Pontificali.

per l'esecuzione de Brevi Apostolici, overo licenza della Sagra Congregatione nell' alienazione de' Beni di Chiese, e luoghi pii, overo imposizione de censi, solamente il Cancelliero possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura, purche non exceda in tutto giulii dieci di moneta Romana, ò sua equivalente, come anche per tutto quello che appartiene alla difesa dell' Immunità Ecclesiastica, così personale, come reale, e locale; e particolarmente di quest' ultima non si possa in modo alcuno sotto qualsivoglia pretesto ricevere, & esigere mercede, overo emolumento, mà il tutto si debba fare gratis.

Le pene, le multe, e le composizioni si applichino per intiero ad uso de' luoghi pii, senza che il Vescovo, ò Vicario, e suoi Officiali direttamente, nè indirettamente ne habbiano partecipazione alcuna.

Il sussidio caritativo in quelle diocesi nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente si esigga solamente per una volta nel primo ingresso del Vescovo, secondo la Tassa solita antica d'anni 40. in dietro, si che non s'attenda il solito più moderno da detto tempo in giù, nè si possa più esiggere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo.

Quanto alla visita si osservino inviolabilmente il decretto del Sacro Concilio di Trento, e le dichiarazioni della Sacra Congregatione, & particolarmente da quelli, i quali concorrono alle spese de cibarii, nè mediatamente, nè immediatamente si possino ricevere regali, e donativi, anche di cose comestibili. Et ancora non si possa esigere emolumento alcuno per gli atti della Visita, decreti, e presentate di scritture, overo per la revisione de decreti delle visite antecedenti, e della loro osservanza, mentre da quelli, i quali sono visitati si ricevono le spese del vitto.

Die prima Octobris 1678. *facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione Sanctissimo D. N. Innocentio XI. mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas Sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit, earumque observantiam, & publicationem injunxit S. Congregationi Concilii.*

Jo: Baptista de Luca præfati Sanctissimi D.N. Innocentii Papæ XI. Auditor, & Secret. Memorialium.

Die 8. Octobris 1678. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ censuit præmissam taxam, seu declarationes Typis dandas esse, & per literas circulares ad quoscunque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in Cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, easdemque ad amussim observent, ac faciant observari.*

F. Card. Columna Præf.
Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.

Die, mense, & anno, quibus supradicta Taxa affixa, & publicata fuit ad valvas Curiæ, & acie in Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium, Apostolicum Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Otlandus Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

CONSULTATIO XII.

An fratres Sanctissimæ Trinitatis Captivorum comprehendantur in decreto S. Concilii Trid. cap. 9. sess. de ref. innovato à B. Pio V. Constitutione sua 3. non obstantibus privilegiis Ordini concessis ab Innocentio III. & Clemente IV. super eleemosynis quærendis? ubi nonnulla de quæstoribus.

NEgativè respondendum videtur. Nam Concilium prohibet, ac penitùs tollit pravos eleemosynarum quæstores, ideòque non comprehendit Religionem Mendicantium, quæ fundata est cum institutione colligendi eleemosynas pro redemptione captivorum, & non mittit quæstores, sed per suos Religiosos id exequitur, ut in specie, quod non comprehendat Religiosos Mendicantes, qui per se ipsos, non per quæstores colligunt eleemosynas, declaravit S. Congregatio Concilii semel tempore Cardinalis Lancellotti, & iterùm sub anno 1621. ut refert Bordon. *var. resol. num.* 120. Nald. *in sum. v. Religiosus num.* 51. ubi etiam id testatur Barbos. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 109. *n.* 9. referens ad verbum prædictam secundam resolutionem, Cardinal. Bellarm. *ad d. cap.* 9. & Lezan. in *sum. tom.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. 1

Duo enim casus distinguendi sunt. Primus, quando Religiosi volunt deputare quæstores, & sic per alios volunt quærere, & quæstuare. Et in hoc casu Navar *cons.* 33. *tit. de pœnit. & remiss.* fuit in opinione, hoc non esse prohibitum in Concilio, cùm videatur loqui de pravis quæstoribus, qui indulgentias promulgando quærunt eleemosynas; quæ doctrina à pluribus approbata fuit. Sed veritas hoc non permittit, cùm B. Pius V. in citata Constitutione expressè id prohibuerit, & privilegia revocaverit omnibus, etiam Regularibus mendicantibus, signatè §. 2. *post med.* Et meritò, quia isto casu militant verba, & mens Concilii. Nam & isti quæstores, ut plurimum sunt improbi, & dant occasionem scandalis, quibus remedium afferre voluit Concilium, & ita pluries declaravit ejus S. Congregatio, ut mox videbimus. 2

Alter casus est, quando mendicantes volunt per se ipsos quæstuare, & isto casu loquuntur prædictæ declarationes S. Congregationis, atque auctoritates, & cessant verba, & mens Concilii; quia non sunt, neque esse possunt pravi quæstores, cùm utantur jure suo exercendo suam Institutionem ab ipsis acceptam in fundatione Regulæ, & à Sede Apostolica approbatam, ut in terminis, quod privilegia Sanctissimæ Trinitatis non dicantur sublata per Concilium, neque per Constitutionem B. Pii V. quando per se ipsos quærunt eleemosynas, advertunt Rodriq. *var. res. cap.* 59. *sub num.* 5. & Barbos. *in Collect. ad d. c.* 9. *Concil. num.* 4. *post med.* 3

Unde patet, non applicari objectio desumpta ex dicta Constitutione B. Pii V. dum in narrativa facit mentionem de monasterio Redemptionis captivorum, instituto Neapolis, & revocat §. 2. omnia privilegia, etiam pro redemptione captivorum. Quia, si rectè advertatur, loquitur de privilegiis deputandi quæstores eleemosynarum, non autem prohibet quin ipsi Patres petant, & quærant eleemosynas pro redemptione. Ratio est, quia si aliàs diceremus, esset contradictio in adjectio, cùm huic Religioni esset à primordio adjectum onus hujusmodi mendicandi pro redemptione captivorum, & tamen mendicare non possunt. Et ideò hæc Religio non potest comprehendi sub dicta dispositione, ut evitetur contrarietas, sicuti in specie pro exclusione Mendicantium arguit Rodrig. *quæst. reg.* 57. *ar.* 7. *tom.* 2. 4

Confirmantur prædicta, quia prius etiam coerciti fuerunt quæstores in *cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss. & in Clem.* 2. *eod. tit.* Sed Summi Pontifices declararunt, Religiosos Sanctissimæ Trinitatis non esse quæstores, nominatim Clemens VII. *Constit.* 7. §. 4. ubi post concessam facultatem colligendi eleemosynas, & derogationem dictorum Capitulorum, dicitur: *Quia isti non sunt quæstores, sed sunt viri religiosi, & approbati.* Ergo dispositio Concilii subsequens, & Constitutio B. Pii V. loquendo de quæstoribus non comprehendunt hos Religiosos, cum jam declaratum erat, eos non esse quæstores. Lex enim nova, renovans, & amplians antiquam, intelligitur in terminis antiquæ, & cum eisdem restrictivis, & declarationibus, ut aiunt Roman. *cons.* 345. *n.* 20. Surd. *cons.* 177. *n.* 33. Gonzal. §. 7. *proem. n.* 74. 5

Accedat, quod etiam prædicta Capitula intelligebantur, 6

tur, quando quærebant eleemosynas per quæstores, non autem quando Religiosi eas per seipsos colligebant, ut benè declarat Panorm. *in d. c. Cùm eo num. 1. de pœnit. & remiss.* Ergo eodem modo debet declarati Concilium, & Constitutio B. Pii V.

6 Demum quia Gregorius XIII. concessit facultatem petendi eleemosynas, ut in Diplomate sub 8. Junii 1575. Certum est enim, quod Pontifex disponendo contra Concilium, censetur derogare absque aliqua clausula derogatoria, ut latè comprobat Garz. *de benef. par. 4. cap. 5. num. 30. & seqq.* adducens Constitutionem B. Pii V. hoc statuentem.

6 At nihilominùs tenendum est, comprehendi. Et ita fuit declaratum à Sacra Congregatione Concilii sub die 25. Februarii, & 21. Augusti 1642. ac 20. Junii 1643. ad *dict. cap. 9. sess. 21. de reformat.* Quod in hac re sufficere debet.

7 Et quidem fuerunt Constitutiones adversus impostoras quæstorum latæ, qui prætextu reliquiarum sacrarum sæpè falsarum, & suppositiarum indulgentiarum animos credulorum, & simplicium hominum demulcebant, & eleemosynarum sibi multam messem eo fuco parabant; & in primis cautum, ne venales sint reliquiæ, ne passim ostendantur, neve extra capsam, qua tenentur, ostendantur, ut inventas de novo nemo venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, & ne Prælati permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit, quæ sunt verba Innocentii III. in *cap. fin. de reliqu. & vener. Sanct. lib. 3. decretal. tit. 1.* Alexander item III. *c. 1. ejusdem tit.* prohibet venetari reliquias etiam eorum, qui miracula facere dicuntur, nisi de vita eorum approbatio habita fuerit à Sede Apostolica. Mali quippè interdum miracula faciunt, *cap. 1. teneamus 1. q. 1.* Ideò non omnis, qui miracula facit, pro Sancto haberi debet, nisi habita prius inquisitione ejus probitatis juxta *c. venerabilem de testib.* Hoc ipsum voluerunt Honorius, & Theodosius Cæsares in *l. 3. C. de Sacros. Eccles. Nemo*, inquiunt, *martyres distrahat, nemo mercetur reliquias Sanctorum.* Prohibuit & Leo Cæsar, non nisi consultis prius, ut oportet, Episcopis, & arbitrio solùm eorum, & non quorumdam usurpatione, reliquias Sanctorum Martyrum collocare certis locis in *l. decernimus 26. C. de Episc. & cleric.* qua lege isti quæstuarii reliquiarum portitores damnantur.

8 In Concilio generali sub Innocentio III. *cap. 62.* relato *in cap. Cùm eo, de pœnit. & remiss. lib. 5. decret. tit. 38.* prohibitum est eleemosynarum quæstores admitti, nisi Apostolicas, vel diœcesani Episcopi veras literas exhibeant, & tunc præter id, quod in ipsis continebitur literis, nihil proponere populo permitti. Item inhibitum, ne falsæ Religionis assumant habitum, neve superfluæ indulgentiæ à Prælatis indulgeantur, ne claves Ecclesiæ contemnantur, ne pœnitentia in indulgentiis, à Prælatis concessis, quadraginta dies excedat, cautumque, ut qui ad eleemosynas colligendas mittuntur, modesti sint, & discreti, ne in tabernis, aut aliis incongruis locis hospitentur, aut ne sumptuosas expensas faciant.

9 Idem Innocentius III. in *cap. tuarum 11. de privil. lib. 5. tit. 32.* statuit hujusmodi quæstuarios, falsò cruce signatos, & excedentes, excommunicatione & aliis modis puniri. Clemens porrò V. ex Concilio Viennensi *in Clem. de pœnit. & remiss.* audaciam, abusus, deceptiones refert & castigat, dum ait, eos deceptione multiplici animarum, indulgentias populo motu proprio suo de facto concedere super votis dispensare, à perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis sibi confitentes absolvere, malè ablata incerta, data sibi aliqua pecuniæ quantitate remittere, tertiam, aut quartam partem de pœnitentiis sibi injunctis relaxare, animas tres, vel plures parentum, vel animarum illorum, qui eis eleemosynam conferunt, de purgatorio, ut asserunt mendaciter, absolvere, & ad gaudia Paradisi perducere, benefactoribus locorum remissionem plenariam peccatorum indulgere, & aliquos ex ipsis eos à pœna & culpa absolvere. Quæ fieri prohibet impositorum, revocando privilegia, si quæ de his fuerint concessa, ne ob id vilescat censura Ecclesiastica, & clavium potestas Ecclesiæ in contemptum ducatur. Et in §. *fin.* jubet eosdem quæstores, vel privilegiis abutentes, etiam exemptos, per Ordinarios locorum puniri.

Accedit Clemens IV. *in cap. ut officium 11. §. compescendi, de hæret. in 6. Compescendi*, inquit, *monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, prædicatores quæstuarios*, datur potestas Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, invocato etiam, si opus sit, brachio sæculari, & appellatione & privilegiis quibuscunque non obstantibus. De his & in Concilio Trident. *sess. 5. cap. 2. de reform.* Quæstores eleemosynarii, qui etiam quæstuarii dicuntur, cujuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omninò arceantur. Et *sess. 21. cap. 9. de reform.* cum de emendatione abusuum quæstuariorum eleemosynarum nulla spes amplius relicta videbatur, statuit, ut posthac in quibuscunque Christianæ Religionis locis, eorum nomen, atque usus penitùs aboleretur, & ne ad officium hujusmodi exercendum, ullatenus admittantur, non obstantibus quibuscunque privilegiis, Ecclesiis, monasteriis, piis locis hospitalibus, & quibusvis cujuscunque gradus, status & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus: permissis tamen indulgentiis publicandis per locorum Ordinarios cum duobus ex Capitulo; & permissa gratis colligendi oblata facultate. 10

Hinc Sacra Congregatio Concilii *ad d. cap. 9. sess. 21.* In Aquilana censuit, facultatem cum conditionibus infrascriptis quandoque etiam concedendam nonnullis Religiosis, & licèt Regulares non possint prohiberi, quominùs eleemosynas quærant, tenentur tamen fratres, qui extra monasteria degunt, ut eleemosynas nomine suorum monasteriorum quæritent, licentiam suorum Superiorum Ordinis locorum ostendere, ne aliqua fraus committatur; prohibentur tamen laici eleemosynas nomine monasteriorum quærere. 11

Sacra Congregatio super Episcopis in Aretina, Episcopo. *Ancorche dal Sagro Concilio di Trento sii stato proibito il nome de' Questuanti per i molti abusi, che andavano introducendo con scandalo de' fedeli, non però si hà da credere, che habbia voluto levar la cerca delle limosine per gli Ospedali, dove si esercita attualmente l'ospitalità. Et essendosi più volte querelato il Procurator Generale della Religione di S. Antonio di Vienna d'alcuni Ordinarii, che à i deputati di quella Religione niegano la licenza di poter cercare limosine nelle loro dioceſi, questi miei Signori Illustrissimi della Sacra Congregatione hanno sempre risoluto à favore dell' Ospedale sudetto, ordinando, che a' deputati loro debba da gl' Ordinarii darsi la licenza predetta, perche essi mostrino in autentica formale le lettere della loro deputatione, siino persone honeste, e di buona vita, e non partecipino delle limosine, faccino l'officio loro modestamente, e senza dolo; non benedicano, nè in qualsivoglia modo sugellino animali, nè tampoco portino instrumenti da poterlo fare. Non predichino, nè faccino predicare. Non habbiano reliquie, carte, imagini, aghi, ò altri simili instrumenti, soliti portarsi già da questuanti. Non publichino indulgenze, non faccino imprecationi, nè minaccie, nè meno usino arte, etiandio sotto pretesto di dire sopra gli animali l'oratione di S. Antonio, mà semplicemente con pietà, e modestia, sonando anche una sola campanella giusta l'indulto di detta Religione, & uso, domandino, e piglino quel, che sarà dato loro spontaneamente, senza allegare in ciò consuetudine, ò conventione alcuna, a' 3. di Settembre del 1591.* 12

15 Porrò unum saltem præcipuum remedium videtur in hisce fraudibus, ac similibus detegere superstitiones, & omnem vanum metum ex animis hominum demere, castigare illos, qui falsis utuntur, & qui ad decipiendum meticulosos etiam sacris abutuntur, ut Scevola *in l. Senatusconsulto 38. ff. de injur. Senatusconsulto*, inquit, *cavetur, ne quis imaginem Imperatoris in invidiam alterius portaret, & qui contra fecerit, in vincula mittetur*, cui propemodum consentit Ulpianus *in l. In eum ff. de extrav. crimin.* & testatur Modestinus in *l. Si quis aliquid 30. de pœnitent. Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, Divum Marcum hujusmodi homines in Insulam relegandos rescripsisse.*

16 Debent igitur servari hæ conditiones. Ut quæstores sint honestæ vitæ, bonæque conversationis. Ut sint approbati judicio alicujus Ordinarii, qui tamen pro concedenda licentia nihil exigere potest. Ut non participent de eleemosynis, neque super ipsis aliquam conventionem faciant. Et generaliter eleemosynæ non debent elocari ex Sacra Congregatione super Episcop. in Aversana 8. Novembris 1615. nisi ad evitandam fraudem, puta quarta piscationis Ecclesiæ debita ex eadem Sacra Congregat. 13. Octobris 1620. Ut hoc munus citra omnem fraudem & scandalum cum omni modestia, & dexteritate exerceant. Ut eleemosynam, tanquam debitam, vel dari consuetam non petant, multòque minùs minis, aut imprecationibus extorqueant, nec aliqua alia arte, etiam Sanctorum Orationes recitandi, sed tantùm simpliciter, piè, ac modestè. Ut quæstorum nomen nullo modo sibi imponant, aut arrogent, sed tantùm eleemosynarum Collectorum. Ut indulgentias non publicent, nec concionentur, nec sua privilegia circumferant, aut reliquias, cùm hujusmodi Indulgentiæ ac privilegia soleant esse falsa, licèt asserantur à Sede Apostolica confirmata, ut censuit eadem Sacra Congreg. in Ferrariensi 21. Novembris 1608. Ut campanulas, aut similia instrumenta absque Sedis Apostolicæ privilegio non pulsent, Sacra Congregatio Concilii ad Archiep. Januensem, & Episcopum Reatinum 6. Februarii 1576. Hæc eadem præscripsit Gregorius XIII. Ordini S. Antonii Viennensis diœcesis anno 1582. cui etiam prohibet benedictiones animalium in stabulis, & annis singulis peti jubet ab Ordinariis licentiam, quibus injunxit, ut diligenter inquirant ex officio, an prædictæ circumstantiæ ab eleemosynarum collectoribus præcisè serventur, etsi qua fraus adversus illas committatur ab ipsis; quos si verè reos comperierit, pro modo culpæ arbitrio suo puniant, & à collectione amoveant, & alios bonos & idoneos à Superioribus ejusdem Ordinis subrogari curent, & constat ex formula licentiarum à Sacra Congregatione Concilii concessarum, præsertim sub anno 1661. die 15. Januarii pro Regularibus, & pro Confraternitatibus sub 23. Augusti 1659.

17 Haud dissimile rescriptum Sacræ Congregationis habetur apud Zerol. *in prax. Episcop. v. Quæstores part. 4.* & apud Barbos *in decl. ad Sacr. Concil. Trident. cap. 9. sess. 21. de reformat.* ubi refert verba rescripti Sedis Apostolicæ, quod Ordinariis dirigi solet ex aliqua rationabili causa, ut permittant pro aliquo pio loco eleemosynas quæri, & in eo semper adest clausula, dummodò dictæ circumstantiæ & conditiones intersint, quas quoque servandas esse in colligendis eleemosynis pro Societate Rosarii, voluit S. Congregatio in sua declarat. 350. apud Zerol. *loc. cit.*

18 Mendicantes verò Religiosi non tenentur petere licentiam ab Ordinario, in cujus diœcesi situm est ipsorum monasterium, cùm eis in erectione concessa tacitè videatur, Leo X. in sua Constit. quæ refertur *in compend. privil. Mendic. v. Eleemosynæ num. 13.* quæ licèt loquatur tantùm de fratribus Minoribus, per communicationem tamen privilegiorum ejus dispositio habet locum quoad reliquos Religiosos mendicantes. Unde Sac. Congregatio 6. Octobris 1597. ita rescripsit Episcopo Catalensi: *Non tenentur Regulares, qui ex institutione, aut facultate Sedis Apostolicæ eleemosynas quæritare, aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam eleemosynas per diœcesim quærendi, cùm in erectione Monasteriorum hæc licentia eis tacitè ab Ordinariis impertita censeatur.* Et eadem Sacra Congregatio Collectori Portugalliæ 2. Augusti 1594. ita etiam scripsit. *I Vescovi per la licenza di cercar' elemosine, non devono haver cosa alcuna, ancorche menoma, e così i loro officiali. I mendicanti non han bisogno di simil licenza, la qual si presume data loro per sempre, quando fu loro permesso, che havessero monasterio nella diocese.* Idipsum declaravit eadem S. Congregatio in Papiensi 22. Augusti 1581. & 3. Decembris 1602. Nisi à S. Congregatione expressè fuisset inhibita, ut Minoribus Conventualibus, quibus sub 9. Septembris 1645. concessit erectionem Conventus Posnaniæ, dummodò, non quæstuent. Vel etiam, nisi sint Missionarii, quibus à S. Congregatione de propaganda fide prohibita fuit quæstuatio sub anno 1646. Nullibi tamen permittendum, quod Fratres etiam Mendicantes eleemosynas quærant per alios, quàm per sui Ordinis Religiosos, vel oblatos, S. Congregatio Concilii in Polianensi 24. Septembris 1622. ex *cap. tuarum 11. de privileg.* Nisi de licentia speciali Sanctissimi, eadem Sac. Congregatio 17. Septembris ejusdem anni. Neque licèt Regularibus quærere sub titulo S. Antonii in detrimentum parochialis, vel Hospitalis, neque eleemosynas eo nomine etiam sponte oblatas accipere, Sacr. Congregatio Concilii 13. Januarii 1618. & in Neapolitana 1. Junii 1608. censuit; nullo pacto licere Regularibus in quæritandis eleemosynis altaria per vicos habere constructa, minusque ejusdem candelabra, sive pollubra; vulgò *bacile*. superimponere, vel alia ratione simili fideles ad largitionem provocare, mandavitque Vicario, ut hoc decretum à Regularibus quantumvis exemptis observari faciat. Eadem sub 19. Decembris 1620. petente Episcopo Sanctæ fidei in Indiciis occidentalibus, prohibuit, ne Regulares quærentes eleemosynam deferant imaginem indutam.

19 Quandò verò Regulares volunt quærere eleemosynas in aliqua diœcesi pro eorum Conventibus sitis in aliena diœcesi, tenentur licentiam suorum Superiorum ostendere Ordinariis, ut censuit S. Congregatio Concilii his verbis. *Sacra &c. censuit, fratres Ordinum Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in diœcesibus, ubi habent Conventus, eleemosynas quærant, sed tantùm si extra loca, ubi monasteria existunt, quæritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere, ac si extra diœcesim, teneri etiam illius consensum obtinere. Cæterum nullatenus esse permittendum, ut eleemosynas quærant per alios, quam sui Ordinis fratres.* Ita hoc decretum integrè refert Fagnan. in *c. Tuarum de privil. n 3.*

20 Sed cùm contingere possit, ipsos Regulares se paupares simulare cùm revera tales non sint, vel in suis conventibus numerum Religiosorum exiguum esse, & nihilominùs plures constituant quæstores, quàm necesse sit adeò, quod à verè indigentibus eleemosynas subtrahant, quas fideles eis elargiantur, & propterea delinquant, *can. pastor. 2. q. 1.* Reginald. *tr. de pest. remed. præser. n. 169.* Ideò Episcopi, tanquam patres, & protectores pauperum, quibus victus aufertur, ad obviandum delicto possunt inquirere, an Regulares aliqua ejusmodi fraude utantur, & consequenter mandare, ne quis Religiosus audeat quæritare per eorum civitates, & diœceses, in quibus ipsorum Regularium Conventus existunt, nisi prius ab eis licentiam obtinuerint, ut per Piasec. *in prax. p. 2. c. 3. de visit. Regul. v. Quoad quæstuationes*, Sperel. *decis. 39. num. 28.* qui referunt ad id aliam S. Congregationis declarationem tenoris sequentis: *Sacra &c. censuit Regulares mendicantes teneri ad ostendendam Ordinario licentiam quærendi eleemosynas, à Superioribus sibi datam.* Et recognoscendas esse diligenter eorum

literas,

literas, tradit etiam Fusch. *de visit. lib.* 1. *cap.* 30. *nu.* 35. Quare in Civitate Neapolitana praxis est, testibus Genuense *in prax. c.* 59. *num.* 11. & Campanili in *diverſ. Jur. Can. rubr.* 12. *c.* 13. *num.* 134. quod non permittantur Regulares, qui in ea habent Conventus, quærere eleemosynas, nisi eorum licentiæ prius ostendantur, & qui illas quærunt absque ejus licentia, ab eodem Vicario subscripta, in carcerem conijciuntur, & conijci in carcerem ob hanc causam possunt, ut mox dicetur. Et cùm ab ipsis Regularibus habitus sit recursus ad Sac. Congregationem, nihil tamen obtinere potuerunt, sed fuit rescriptum Vicario generali Neapolitano, ipsum benè agere, at cum benignitate in his se gerere. Quàm praxim Sperel. *loc. cit. num.* 29. ubique servari testatur.

21 Quæ omnia locum non habent, quando quis eleemosynas quærere vellet pro sua propria persona, cùm hoc nulli possit prohiberi, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii. Colligere verò eleemosynas pro redemptione captivorum, spectat ad Patres Redemptionis cumulativè, non privativè, & tales eleemosynæ à captivis fratribus collectæ sunt erogandæ in beneficium missionis, & concaptivorum ejusdem loci exemplo Tobiæ *cap.* 1. Ita Resolutum Romæ, Patribus acerrimè propugnantibus, sub anno 1652.

22 Confraternitatibus verò, & aliis locis piis, quæ hospitalitatem actu non exercent, non est regulariter danda licentia quæstuandi, S. Congregatio super Episc in Laudensi 28. Augusti 1584. & in Panormitana 17. Februarii 1601. Unde Sac. Congregatio Concilii in Maceraten. sub die 17. Novembris 1607. censuit, Ecclesiarum, quæ non habent hospitale, non posse mittere quæstuarium tempore vindemiarum, & messium; secus si exerceant hospitalitatem, ut in Nucerina 15. Novembris 1577. & in Theanensi 4. Julii 1589. vel pro fabrica Ecclesiæ, præsertim incepta, ut in Civitatis Plebis 29. Novembris 1619. Dummodò rationem reddant Ordinario, ut in Nucerina 19. Augusti 1579. & Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 9. *de reform.* eleemosynas verò sponte oblatas recipere possunt, dummodò similiter rationem reddant, ut 14. Novembris 1642. Videndi Barbosa *alleg.* 109. Zerola in *prax. part.* 1. *v. Quæstores*, Gavantus *in man.* & Nicolius *in flosc. eodem verbo.*

23 Quibus addo selectoria. Quæstores cum nominibus neophytorum puniuntur ab Ordinario. Ita resolutum à S. Congregatione S. Officii 14. Augusti 1624. Cum falsis literis sub nomine conversorum ad fidem Catholicam puniuntur à S. Officio, ut sub 27. Novembris ejusdem anni, & sub 11. Februarii 1625. & 1636. Sub fictis nominibus hæreticorum ad fidem catholicam conversorum verberibus plectuntur, & mulctantur exilio sub anno 1634. Superioribus Religionum fuit intimatum, ne committant laicis, aut Ecclesiasticis quæstuationem cum publicatione indulgentiarum, ut sub 1639. Et ulterius ne audeant mittere per Italiam quæstores sub quovis privilegio, nisi fuerit eis concessum in specie, & singulis vicibus per Breve Sanctitatis suæ, ut sub 1640. Denique pravos hos eleemosynarum quæstores potest Episcopus in carceres conijcere, excommunicare, & castigare, fustigare, in exilium mittere, ac etiam post edicta ad pœnam triremium damnare, non obstante quacumque exceptione, ut tradunt Cochier. *de jurisd. Ordin. in exempt. p.* 2. *q.* 95. *num.* 96. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 109. *num.* 4. Etiamsi sint laici, ut decernitur in *cap. Suarum* ubi Abb. *n.* 1. *de privil. Clem.* 2. *de pœnit. & remiss.* Cùmque quærere eleemosynas sit prohibitum ex jure communi, ideò Episcopus, coadjuvando idem jus, potest imponere pœnam excommunicationis ex eo, quod hi pravi quæstores peccant mortaliter, vel aliam infligere pœnam, ut per Hentic. Boich. *de synod. Episc. art.* 1. *concl.* 13. *nu.* 229. & ita observat Curia Archiepiscopalis Neapolitana, quæ solet excommunicare laicos quæstores eleemosynarum pro aliis sine necessitate, vel alio modo graviter illas punit, nec permittit illas colligi, dando Imagines Sanctorum vel numismata sacra, nec à quæstoribus finit deferri aliqua signa, exceptis quæstoribus S. Antonii Vienneusis, quibus licet unicam Campanulam pulsare ex d. Constit. Gregorii XIII. ut etiam refert Genuens. *loc. alleg. n.* 12. & 13. qui *nu.* 14. ex Lapo docet, Mendicantes validos, qui simulant se invalidos, aut infirmos, ut pecuniam extorqueant, puniri debent pœna falsi.

CONSULTATIO XIII.

1 *An Beneficiatus, sive Commendatarius Abbatiæ existentis in una diœcesi, quæ habet beneficia unita in aliis diœcesibus, teneatur contribuere seminario ejusdem diœcesis pro iisdem beneficiis unitis, existentibus in aliis diœcesibus?*

2 *Et an remedia Canonica, præscripta à S. Concilio Tridentino sess.* 23. *cap.* 18. *de reform. pro erectione seminarii, aquè procedant in ejus conservatione ita, ut omnes illi, qui coguntur contribuere seminario erigendo, compelli possint ad contribuendum ejus conservationi?*

AD primum. Resolvendum videtur, hujusmodi Commendatarium non teneri contribuere, nisi pro rata fructuum beneficiorum sitorum in illa diœcesi, ubi est erectum Seminarium. Siquidem in collectis pro Seminario non possunt, neque debent comprehendi beneficia sita extra diœcesim Episcopi collectantis ex defectu jurisdictionis, quæ non potest exerceri in aliena diœcesi juxta textum in *cap. Episcopus* 9. *quæst.* 2. *& cap. Placuit* 7. *quæst.* 1. *Clem.* 1. *de for. comp.* ac disponit Sacr. Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. *sess* 14. *cap.* 2. 8. *& seqq. de reform.* 1

Et comprobatur in terminis ex eodem Trident. *sess.* 23. *c.* 18. *de reform.* ibi: *Ad hanc autem pensionem solvendam &c. ab Episcopo loci per censuras Ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur.* Ex quibus verbis patet, quod beneficia, ad hoc ut sint obnoxia collectis, ac taxis Seminariorum, debent esse sita intra limites diœcesis, in quibus Episcopus ex jure communi habet intentionem fundatam pro exercitio suæ jurisdictionis juxta textum in *c. Omnes Basilicæ* 16. *quæst.* 16. cum *concord.* aliàs sequeretur absurdum, quod una eademque jurisdictio penes duos insolidum resideret, quod rationi naturali repugnat, *argum. textus in l. possideri autem* 1. §. *Ex contrario ff. de acquir. vel amit. posses.* 2

Neque obstat, quod beneficia alienæ diœcesis sint annexa Abbatiæ, sitæ in una diœcesi, quæ tanquam caput attendi debeat. Primò quia uniones semper intelliguntur factæ sine præjudicio Ordinariorum, in quorum diœcesibus Ecclesiæ & beneficia reperiuntur ad textum in *c. Quia Monasterium, de relig. domib.* ibique Doctores, nuncupatim Cardinal *sub init. ac nu.* 5. ubi quod quando Ecclesia, sita in una diœcesi, unitur Ecclesiæ, sitæ in altera diœcesi, Ordinarius Ecclesiæ unitæ nihil primævi juris amittit, Anchar. *num.* 3. ubi, quod talis Episcopus retinet jurisdictionem in omnibus, tanquam jus reale, cohærens ipsi Ecclesiæ, Abb. *num.* 5 ubi, quod intentio diœcesani in Ecclesia unita remanet post unionem fundata eodem modo, prout erat fundata prius, & in terminis quando uniuntur duo beneficia in diversis diœcesibus, quod unio intelligatur sine præjudicio diœcesani, resolvit Rota in Urbinatensi, Forosempronien si *decis.* 15. *lib.* 1. *p.* 3. *div.* Et in præcisis terminis, quod beneficia teneantur solvere collectas pro Seminario in illa diœcesi, ubi existunt, licèt sint unita alicui alteri Ecclesiæ, vel monasterio, disponitur in S. Concilio Trid. *sess.* 23. *cap.* 18. ibi: *beneficiorum quorumcumque, etiam si nullius diœcesis, vel aliis Ecclesiis Monasteriis, & hospitalibus, etiam exemptis, annexa.* Et ita fuisse declaratum per S. Congregationem Concilii, testatur Barbos. *de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 77. *nu.* 9. & in *collect. ad d. cap.* 18. sub *num.* 20. cujus quidem declaratio est tenoris 3

sequentis:

sequentis. *In Melphitana. Quando Abbatia, seu aliud beneficium est nullius diœcesis, solvitur seminario illius diœcesis, in qua alias dicta Abbatia erat constituta. Si verò Ecclesia est in una diœcesi, & bona ejus in altera, contributio fieri debet Episcopo loci, ubi est Ecclesia, nisi bona in altera diœcesi existentia sint propinqua alicui Ecclesiæ ibi constitutæ, quæ tanquam membrum subjecta esset Ecclesiæ parochiali, aut eidem unitæ, quo casu contributio fieri debet, ubi sunt bona.*

4 Quod etiam declaratum est in Ecclesia unita, aut subjecta, si constructa fuerit ante acquisitionem ipsorum bonorum, quia si constaret, bona fuisse prius applicata Ecclesiæ parochiali, licèt postea ibi alia Ecclesia ædificata fuerit, contributio sit Episcopo Ecclesiæ parochialis. Et in Troiana 15. Aprilis 1579. proposito dubio, an beneficium, quod habet bona in diversis diœcesibus, teneatur pro seminario contribuere soli Episcopo loci, ubi est beneficium, & ejus Ecclesia, an verò pro rata bonorum in diversis diœcesibus debeat singulis earum Episcopis contribuere? Decretum fuit ex doctrina Jo. Andreæ, Ancharani, & aliorum in *cap. 1. de immun. Eccles. in 6.* quod contribuant soli Episcopo loci, in quo est Ecclesia beneficii, nisi bona in aliis diœcesibus existentia sint propria unius Ecclesiæ ibidem sitæ, quæ tanquam membrum subjecta esset, aut unita principali Ecclesiæ beneficii. Tunc enim contribuant Episcopis locorum, in quibus bona cum sua particulari Ecclesia sita sunt, dum tamen dicta Ecclesia subjecta aut unita constructa fuerit ante acquisitionem dictorum bonorum. Nam si constabit, bona prius applicata fuisse Ecclesiæ principali, postea in eis constructam fuisse aliam particularem Ecclesiam, fiet nihilominùs pro eis contributio Episcopo loci principali Ecclesiæ. Et 8. Martii 1590. declaravit, contribuendum tantùm seminario diœcesis, in qua situm est beneficium, licèt ejusdem beneficii collatio spectaret ad Episcopum alterius diœcesis. Et quod quando duæ Civitates, vel diœceses sunt invicem unitæ, beneficia unius non teneantur contribuere seminario alterius, censuit in Valuen. sub die 29 Novembris 1653. ubi quod, etiamsi in ea nullum extet seminarium, non tenetur contribuere seminario diœcesis Sulmonensis. Quod tamen non procedit, si seminarium esset erectum ad formam Concilii *d. cap. 18 sess. 23. §. Si verò.* Eo enim casu beneficia unius diœcesis, etiam non unitæ.

5 Secundò respondetur, objectionem non procedere, quando annexio beneficiorum fuit facta æquè principaliter, non autem accessoriè, & per viam extinctionis tituli, prout etiam de jure præsumitur, Duran. *dec.* 355. *num.* 1. præsertim quia habent separatam diœcesim, distinctum titulum, distinctos Judices, atque alia hujusmodi cum eisdem qualitatibus, & prærogativis juxta doctrinam Abb. *in cap. extirpandæ, §. qui verò, de præb.* Rebuff. *in pr. tit. de union.* cum aliis cumulatis à Rota coram Durano *dec.* 331. *num.* 6. & *decis.* 355. *in fine.* Dum unio æquè principaliter facta nihil aliud operatur, nisi ut Rector unius beneficii sit Rector alterius, utroque remanente in suo statu, atque honore juxta tradita per Garz. *de benef. p.* 12. *cap.* 2. *num.* 37. Et hæc unio dicitur conservativa juris antiqui, in quo datur compatibilitas cum unione, ex quo Ecclesia unita debet in statu suo conservari secundùm communem intellectum dicti *cap.* 7. ubi Abb. *num.* 7. *de relig. domib.* ac declarationem Rotæ coram Martino Andrea *decis.* 48. *num.* 8.

6 Hinc patet responsio ad objectionem, quod beneficium unitum efficitur prædium Ecclesiæ, cui fit unio, & operatur extinctionem, ac suppressionem nominis dicti beneficii uniti. Nam conclusio procedere posset, quando unio facta esset accessoriè quoad confirmationem, seu institutionem, aut collationem, secùs verò quoad jurisdictionem, & alia jura Episcopalia, quæ cuilibet diœcesano salva, & inviolata remanent, uti ante unionem, ut benè distinguendo ex pluribus firmat Garz. *d. p.* 12. *cap.* 2. *num.* 52. & 122.

Quæ distinctio comprobatur ex dispositione S. Con- 7
cilii Tridentini *sess. 7. cap. 7. de reform.* & ibi Barbos. *in collect.* in quo habetur, quod beneficium alteri Ecclesiæ accessoriè unitum, debet visitari ab Episcopo diœcesis, intra cujus limites reperitur, licèt principalis Ecclesia sit in alia diœcesi. Unde sicuti visitare, & collectare pari passu ambulant, ut ait Anchar. in *d. cap. 1. in fin. de immun. Eccles. in 6.* & Rot *decis.* 465. *nu.* 1. *p.* 4. *rec.* ubi quod Episcopus pro exactione cathedratici habet intentionem fundatam contra Ecclesias sibi subjectas ratione visitationis; ita cùm Episcopus unius diœcesis non possit visitare beneficia extra suam diœcesim, licèt unita Ecclesiæ sitæ intra suos limites, minùs poterit imponere collectas ex supra firmatis, sed dictum jus spectat ad Ordinarium, in cujus diœcesi sunt sita beneficia. Et in fortioribus terminis de beneficio, ac prioratu unito mensæ Ecclesiæ Cathedralis Castrensis, sito in diœcesi Urbevetana, quod visitatio, & impositio collectæ pro seminario spectet ad Episcopum Urbevetanum; in cujus diœcesi est situm beneficium, ac Prioratus, non autem ad Episcopum Castrensem, cujus mensæ est unitum, firmavit Rota in Urbevetana beneficiis 15. Decembris 1625. coram Durano *decis.* 14. *num.* 12.

Neque huic casui obstare videntur declarationes ali- 8
quæ S. Congregationis Concilii relatæ à Barbosa *ad d. cap.* 18. *sess.* 23. *num.* 21. quod scilicet seminario contribuere tenentur beneficia in diœcesi existentia, licèt habeant bona illa diœcesi. Quia non agimus de simplicibus bonis existentibus extra diœcesim absque alio titulo ad dictam Abbatiam immediatè spectantibus, in quibus terminis allatæ declarationes intelligendæ sunt, sed de bonis, quæ cum suis titulis, atque Ecclesiis sunt in alienis diœcesibus, à quarum Episcopis tantùm veniunt visitandæ, & collectandæ ex adductis.

Quæ omnia eò magis admittenda videntur, quia se- 9
minarium erectum est pro servitio Ecclesiarum ejusdem diœcesis, ut ex loco citato S. Concilii, ex quo respectu tenentur ad collectas Ecclesiæ ejusdem diœcesis, cessante causa dictæ impositionis; quæ cùm non militent in Ecclesiis sitis extra diœcesim, cessare debet illius effectus ex vulgaribus.

Ad 2. affirmativè. Ita S. Congregatio Concilii in Ur- 10
binatensi 10. Martii 1663. Frustra enim seminarium construeretur, nisi constructum conservaretur.

CONSULTATI XIV.

An, & quatenus in bonis Ecclesiasticis concordandum sit cum hæreticis?

Licèt donationes, cessiones, concordias, transactio- 1
nes, & alienationes bonorum Ecclesiasticorum, venditorum, aut vendendorum hæreticis, etiam ob justam causam, quia scilicet ab ipsis devastata, & pro majori parte occupata, non soleat Sedes Apostolica regulariter confirmare, neque minùs in investituram concedere; attamen, concurrente urgentissima causa, eas aliquando confirmat, apponendo in hujusmodi dispensationibus nonnullas clausulas, nimirùm, *durante hæresi in illis partibus*, ac quod meminerint, bona esse Ecclesiæ, & cum juramento coram Ordinario promittant, se cessante hæresi quoad bona staturos judicio Ecclesiæ.

Ratio autem, cur apponantur hæ clausulæ, videtur 2
esse. Primò, quia si quandoque ad evitandum majus malum catholici cum hæreticis transegerunt, factum est id ad tempus, ut mox oblata meliori occasione tota belli moles in eos converteretur. Ita enim christiana dissimulatione utendum docet Ribadeneira *de Princip. lib. 1. cap.* 26. & Becanus *in disp. de fid. hæret. servand. cap* 10. Quod observatum fuit in transactione Pragensi, & alibi. Secundò, quia per hujusmodi clausulam hæreticis nullum jus in bona Ecclesiastica, sed tantùm jurium Ecclesiasticorum suspensio conceditur. Tertiò, quia aliàs

videretur

videretur saltem obliquè tolerari, vel permitti hæresis in Religione sua in perpetuum. Quod vix unquam licitum esse potest.

3 Aliquando etiam S. Sedes Apostolica non solùm hujusmodi licentiam denegavit, sed etiam dixit, quod annotaretur in S. Officio, ut contra illum, qui cùm hæreticis hoc modo contrahit, nihil propterea in S. Officio arguetur.

4 Quare censeo, ob valdè rationabiles, & gravissimas causas, & præsertim quia nulla spes affulget hujusmodi bona Ecclesiastica recuperandi, & quia id exigit majus bonum commune Ecclesiæ, ac Reipublicæ, posse, durante hæresi, in illis Regionibus, & cum juramento de se sistendo judicio Ecclesiæ, petentibus ejusmodi beneplacitum concedi, ita tamen, ut pecunia transacta reinvestiatur concedi, ita tamen, ut pecunia transacta reinvestiatur ad effectum illam restituendi casu, quo hæresis cessaverit. Vel posse à Sede Apostolica tolerari absque aliqua approbatione, ac sine actu positivo, ut Catholici eo modo super hujusmodi bonis cum hæreticis concordent absque eo, quod contra ipsos in S. Officio aliquid exinde arguatur cum absolutione à censuris, &c.

CONSULTATIO XV.

An Episcopus possit non admittere ad audiendas confessiones, vel sæculares, vel Regulares Sacerdotes, nisi ii promittant, etiam juramento, quod à quarumdam propositionum probabilium praxi sibi caveant.

1 NOn posse, tenendum puto. Nam ejusmodi causa nullo modo dici potest justa & legitima, qualis pro comprobanda denegatione licentiæ requiritur, cùm aliàs, Regularibus præsertim, qui in examine, cui se exposuerunt, fuerunt approbati, de rigore justitiæ debeatur licentia, eaque libera, & absoluta, non limitata, seu restricta, nisi concurreret justa causa, quemadmodum præ aliis docent Suar. *de Sacr. pœn. disp.* 28. *sect.* 5. *num.* 15. dicens, adeò teneri Episcopos ex justitia licentias non negare sine justa causa, ut graviter peccent aliter faciendo; cui adstipulatur Card. de Lugo *eod. tr. disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 60. & nos alibi.

2 Adducta autem causa sufficiens est, ac irrationabilis, cùm omnibus innotescat insolitam, atque inusitatam in Ecclesia Dei esse hujusmodi juramenti præstationem. Unde certum est, Confessarios ad id non posse constringi, cùm Episcopi non habeant jus, neque potestatem exigendi à Sacerdotibus, & ministris Ecclesiæ juramenta insolita, ut ex decreto Cornelii Papæ habetur in *can.* 1. *cum tribus sequentibus* 2. *q.* 5. ibi: *Sacramentum hactenus à Summis Sacerdotibus, vel Dei ministris exigi, nisi pro recta fide minimè cognovimus, nec nisi sponte eos juravisse reperimus.* Quam etiam prohibitionem excipientem solùm eos, quibus Ecclesiasticarum rerum administratio commissa est, confirmavit Urbanus II. in *cap. Nullus Episcopus, de jurejur. & in can. vult* 22. *q.* 1. adeò, quod neque etiam in susceptione ordinum, propter quos Clerici Deo dicantur, & Ecclesiæ servitio adscribuntur, posse Episcopos petere juramentum super idoneitate, canonum observatione, & obedientia ipsi Episcopo præstanda, determinaverit Concilium Cabilonense 2. sub Leone III. & Carolo Magno, damnans expresse *cap.* 13. juramenta hujusmodi in hæc verba: *Dictum est intereà de quibusdam fratribus apud eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sint, & contra Canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesiæ, in qua ordinantur; quod juramentum, quia periculosum est, omnes una inhibendum statuimus.*

3 Et solùm extensam fuisse jurisjurandi obligationem ad nonnullos alios casus ultra fidem, nempè pro obedientia Sedi Apostolicæ, & pro unitate Ecclesiæ, habetur *in cap. Significasti, de elect.* ubi Archiepiscopo Panormitano in susceptione pallii, recusanti præstare circa prædicta juramentum, de ordine Papæ oblatum, ex quo in Evangelio quodcumque jusiurandum à Domino prohibitum sit, neque ab Apostolis, neque in Conciliis inveniri possit statutum, Paschalis respondit, quod ad occurrendum gravissimo malo, dum multi ab Ecclesiæ unitate, & à Sedis Apostolicæ obedientia resilierant, necessarium duxerat hoc juramentum pro fide, pro obedientia, & pro unitate requirere, justumque esse, ut qui à Sede Apostolica insignia dignitatis exigunt, eidem Sedi debita subjectionis signa persolvant, quæ catholici capitis unitatem declarent.

Extra quos casus propterea Sacerdotes & Ecclesiæ ministros non esse cogendos ad juramentum præstandum, 4
docent communiter Doctores, & nuncupatim Innoc. in *c. Clerici* 19. *nu.* 1. *de verb. signif.* Imol. in *d. c. Nullus, n.* 1. *de jurejur.* ibi: *nota quod Clerici regulariter cogi non debent ad jurandum, nisi in casibus à jure expressis,* & ibidem Butrius dicens, non obstare decretum Concilii Toletani, de quo in *c. Quanquam* 23. *d.* cùm sit intelligendum juxta distinctionem, de qua in *d. c. Nullus.*

Quæ si procedunt in Clericis sæcularibus, non obstante, quod sint Episcopis subjecti, utique longè magis admittenda sunt in Regularibus exemptis, quod neutiquam esse cogendos ad præstandum ullum juramentum Episcopis dixit Gregorius IX. in *c. Nimis* 2. *de excess. Prælat.* ponens hanc juramenti exactionem inter alia gravamina, de quibus Prædicatores, & Minores fuerant apud Sedem Apostolicam conquesti, & mandans, ut ab omnibus deinceps Episcopi abstinerent. 5

Multòque minùs videtur hoc juramentum deferri 6
posse ab Episcopis, dum agitur de materia gravissima, quæ solùm est reservata Sedi Apostolicæ, neque licitum videtur inferioribus ex se manus apponere, ut habetur in *cap. Quotes ratio fidei* 24. *q.* 1. & comprobant D. Thom. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 3. & contra errores Grægor. *cap.* 7. & Card. Turrecrem. *in tr. de author. Sum. Pontif. q.* 47. & 49. Et in proximis terminis non esse ab Episcopis cogendos Superiores Religionum in expositione subditorum pro confessionibus jurare de illorum idoneitate, firmant Lezan. *tom.* 4. *Sum. in mar. magn. Erem. S. August.* §. 1. *num.* 5. & Bordon. in *decis. miscel. decis.* 431. quæ omnia comprobantur ex textu *in Clem. Dudum, de sepult.* & S. Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. ubi datur forma approbandi Regulares pro confessionibus, nec tamen fit mentio de hoc juramento, prout sanè tanquam de re adeò substantiali fuisset facta. Et proinde subintrat regula, quod inferior non potest manus apponere circa leges Superioris, illis addendo, aut detrahendo, aut eas moderando, *Clemen. ne Romani, de elect.* & notant Barbat. *cons.* 1. *num.* 1. Oldrad. *cons.* 259. *n.* 6. Manfred. *de cision.* 261. Boich. *de Simon. par.* 3. *num.* 124. & Feder. de Sen. *cons.* 12. *num.* 2. Imò sistendo in dispositione S. Concilii *d. cap.* 15. non potest Episcopus dictum juramentum exigere; nam ibi Concilium dat solùm Episcopis facultatem judicandi de idoneitate, & approbandi præsentatos. Non possunt autem ultra concessa extendere facultatem, præcipuè quoad exemptos, & immediatè subjectos Sedi Apostolicæ, quia vergit in illius præjudicium: ejus enim interest, quod nemo manus apponat in sibi immediatè subjectos, ut notant Abb. in *cap.* 1. *num.* 19. *de judic.* Jo. Andr. in *cap. Scienti in fin. de reg. jur. in* 6. Franch. *ibid. n.* 4 Felin. in *cap. Cùm olim, num.* 3. *de præscript.* Rot. cum aliis in Gandavensi Monasterii 29. Aprilis 1641. coram Panzirolo. Cùmque immediatè subjecti Romanæ Sedi sint de ejus jure, ac proprietate, *cap. Cùm tempore, de arbitr. & cap. Cùm olim, §. Nos igitur, de privil.* mittens manus in ipsos, mittit etiam in jus, & proprietatem Romanæ Sedis.

Potestque confirmari ex eo, quod quando agitur de 7
dispensatione interstitiorum pro Regularibus ordinandis, debet Episcopus stare judicio, & attestationi Superiorum, ut declaravit Sacr. Congregatio Concilii sub die 31. Maij 1597. *ad sess.* 23. *cap.* 11. & proinde non est

interpo-

interponendum juramentum. Id, quod praxi confirmat, non solùm in hoc, sed etiam in literis testimonialibus quoad ætatem, & qualitatem ordinandorum.

8 Neque obstat, quod concesso uno censeantur concessa omnia, sine quibus non potest perveniri ad ipsum, *l. 2. ff. de jurisd. omn. jnd.* & ideò cùm sit concessum Episcopis approbare Regulares pro audiendis confessionibus, censentur concessa omnia necessaria pro approbatione, atque adeò juramentum ejusmodi; quia tale juramentum non est necessarium in ordine ad approbationem, ut declarat praxis universalis Episcoporum per tot annos servata, quæ proinde constituit jus, *l. de quibus, ff. de leg. & l. nulli, ff. quod cui univ. & l. observare* §. 5. *ff. de offic. Proconsul.* Et operatur, ut tanquam jure sancitum habeatur, quod non sit necessarium, neque adhibendum.

9 Neque alicujus roboris pro comprobanda prætensione hujus juramenti videri potest, quod confessarii sequantur, tanquam probabiles assertiones aliquas. Non adeò enim peccant, dum non desint Authores, qui eas sequuti fuerint, quod sufficit ad hoc, ut quis interrogatus possit bona conscientia respondere secundùm talem opinionem, quamvis etiam altera opinio esset probabilior ex traditis per Sanch. *in Sum. lib. 1. cap. 9. num. 10.* & per Bonac. *tom. 2. disp. 2. p. 4. punct. 9. nu. 5. cum seqq.* & præsertim *num. 6.* ubi cum Salas, Vasquez, Sanchez, Becano, Reginaldo, & aliis firmat, licitum esse Confessario, aut alteri interrogato respondere juxta opinionem probabilem, reddens rationem, quod si potest etiam adhærere dictæ opinioni, prætermissa propria, licèt probabiliori, quoadusque per Ecclesiam fuerit damnata, & reprobata non est dicendum, quod irrationabiliter egerit, ita respondendo.

10 Unde tutius remedium est vel monere Confessarios, ut à sectandis eisdem propositionibus abstineant, vel potiùs eas legitimè damnari, & reprobari facere, cùm aliàs, donec remanent in sua probabilitate, neque sunt destitutæ authoribus, qui eas uti probabiles defendunt, neque etiam ipsi confessarii, quatenus pœnitentes velint iis adhærere, habent arbitrium eas improbandi, sed tenentur præcisè sequi pœnitentis opinionem probabilem, quia prudenter operantur cum idoneo fundamento, licèt eam ipsi judicent falsam, atque peccent mortaliter, si nolint absolvere, quando de mortalibus fit confessio, ut de communi testatur Zerol. *de pœnit. cap. 22. q. 3. vers. Dico secundò*, Azor. *p. 1. lib. 2. cap. 17. q. 10.* Sanchez *in Sum. d. lib. 1. cap. 9. num. 29. & seqq.* Suar. *de Sacr. pœnit. disp. 32. sect. 5. num. 5.* cum aliis per Bonac. *disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 3. prop. 3. n. 26.*

CONSULTATIO XVI.

An Archivista Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ eligendus sit cum consensu, & approbatione Episcopi ita, ut nemo alius ingredi in archivum valeat, nisi qui licentiam ab illo obtinuerit?

1 NEgativè respondendum arbitror; quia cùm ex jure communi non dubitetur hujusmodi Archivum esse privatum Ecclesiæ Collegiatæ, illiusque Capituli, ad dictum Capitulum spectat ejus libera administratio, cura, & custodia per textum in *cap. Relatum 2. de testam.* cum aliis allegatis in Valentina administrationis 2. Decembris 1587. coram Bubalo. Tum quia quilibet in re sua est moderator, & arbiter, habetque de ea administrationem. Tum quia custodia spectat ad eum, ad quem res pertinet ex traditis à Rimin. *cons. 95. nu. 76. & seqq.* & quando plures sunt domini, ut in Capitulo, tunc custodia spectat ad majorem, & digniorem, ipseque debet tenere claves, Bartol. *in l. cum pater, n. 3. ff. de leg. 2.* Unde cùm prætensio Episcopi teneat ad tollendum Capitulo administrationem Archivi, electionem Archivistæ, & jus majoris dignitatis retinendi clavem, atque ad privandum Capitulum facultate, & jure utendi scripturis in eo existentibus, tam contra ipsum Episcopum, si opus esset, quàm contra quoscumque alios, reijcienda est, quia Episcopus nihil facere potest, quod præjudicet Capitulo, & Canonicis Cathedralis, vel Collegiatæ, ac eorum jus auferat, vel limitet, tam circa usum, & administrationem, quàm circa electionem, Imol. in *Clem. Ne Romani, num. 21.* ibique Zabar. *num. 6.* & alii communiter, *de elect.*

Idque præsertim si resistat statutum Ecclesiæ, quod 3
cùm sit conforme juri communi, Episcopus successor tenetur ei stare, nec potest illud revocare, Rot. *dec. 240. n. 2. p. 2. rec.* cùmque ex eo jus fuerit quæsitum Capitulo, etiam Episcopus successor illud servare tenetur, Rot. *dec. 48. num. 5. lib. 1. recent.* Ac præcipuè, si resistat ultimus status, qui in omni materia est attendendus, ut proindè qui statum habet pro se, in eo manutenendus sit, Put. *decis. 486. & 489. lib. 1.* Rot. *dec. 399. p. 4. div.*

Non obstat, quod in Archivo existant scripturæ men- 4
sæ Episcopalis. Nam, etsi id esset verum, non est ratio sufficiens, ut Episcopus administrationem, vel dispositionem illius habeat, cùm in jure cautum non reperiatur, quod habens in Archivo scripturas, habeat illius dispositionem, sed solùm habeat jus cogendi Archivistas, ut sibi scripturas edant, vel ostendant.

Et ita, ut etiam non obstet Concilium provinciale. 5
Tum quia loquitur fortasse de Archivis Cathedralium communibus cum Ordinario. Tum quia non habet locum ubi adsunt particularia statuta juxta *cons.* Bald. 201. *num. 2. lib. 1.* quod passim sequitur Rota, ut in Bononiensi bonorum 29. Maij 1581. coram Robusterio, & in Perusina fidejussionis 26. Novembris 1611. coram Pamphilio, nec quando jus assistit Capitulo; quia Episcopus in Synodo nequit aliquid facere contra jus, Abb. in *cap. Quod super his, num. 1. in 2. notab.* ubi alii, *de Major. & obed.* quod procedit, etiamsi allegetur confirmatio Apostolica; quia Sedes Apostolica non solet confirmare hujusmodi statuta, nisi in forma communi, & cum solitis clausulis, quæ excludunt constitutiones, & statuta contra jus, & alteri præjudicialia.

CONSULTATIO XVII.

1 *An licitum sit Episcopis, eorumque officialibus ex constitutione Synodali percipere salaria pro executione legatorum, videlicet pro judicatione, & decreto?*

2 *An dictis officialibus licitum sit percipere salaria pro sententiis in causis criminalibus, beneficialibus, & matrimonialibus, & an circa hoc sit attendenda consuetudo percipiendi certam ratam?*

3 *An Administratores operum piorum, à fundatore deputati, possint ab Episcopis, vel eorum Visitatoribus contra ordinata à fundatoribus, removeri, & mutari?*

4 *An supradicti Administratores, in fundatione deputati, possint absentes compelli ad exhibendum libros administrationis ubi residet Episcopi?*

5 *An Episcopis, eorumve ministris, ac visitatoribus liceat exigere pœnas in visitatione antecedenti comminatas ob non executionem decretorum, tunc factorum, easque sibi ipsis, vel Episcopis applicare? sive.*

6 *An pœnæ pecuniariæ possint ab Episcopo pro aliqua parte applicari procuratori fiscali, executoribus, ac ministris Curiæ pro expensis, tribunalis, & palatii episcopalis, ac domus Vicarii?*

AD primum. Licèt S. Congregatio Concilii aliàs 1
declaraverit, Episcopo non licere salarium percipere pro decretis factis super executione legatorum piorum, ut in una Vicen. Salarii inter Episcopum ex una, & Juratos Civitatis Minoriſſæ Pratorum Regis ac alios ex altera sub die 16. Septembris 1645. his verbis: *Sacra, &c. censuit standum in decretis sub die 18. Martii proximè præteriti, scilicet posse Episcopum Vicensem, nec illius officiales in visitatione quidquam recipere pro decretis,*

seu

seu judicatura executionis testamentorum, vel piarum voluntatum, aut piorum locorum, sed gratis fieri omnino debere, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, prout nec extra visitationem posse per Episcopum, & illius officiales quidquam percipi pro hujusmodi decretis, seu judicatura, sed tantummodò aliquid moderatè solvi Notario pro scriptura ac illius labore, in quo conscientia ejusdem Episcopi gravetur, idque non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili. Idem resolvit in Urgellensi 14. Decembris 1675. attamen declarationes hujusmodi non videntur habere locum in casu, quo adest Constitutio synodalis, disponens, quod ii, qui legata pia exequi tenentur, si infra annum ea exequuntur, Procurator ad id per Episcopum constitutus, nihil omninò hac de causa percipere possit. Transacto verò anno, ex quo potestas exequendi transit ad Episcopum, *l. Nulli. C. de Episcop. & Cler. c. Nos quidem, de testam.* Lap. *alleg.* 87. *n.* 3. *& seqq.* & necesse est devenire ad censuras Ecclesiasticas contra negligentes, ut muneris commissi rationem reddant, eidemque, ut tenentur, satisfaciant, mandat constitutio, ut Procurator legatorum piorum ab hærede ex propriis bonis, nihil ab opere pio detrahendo, ratione sui laboris, & salarii, aliquam summam percipere possit.

2 Hæc enim synodalis Constitutio videtur omninò servanda, cùm certum sit, Episcopum, & Clerum posse in Synodo constitutiones, ac decreta condere, dummodò non sint contra jus commune, sicuti non est in casu isto, in quo nihil percipitur de legatis piis, sed solùm de bonis eorum, qui fuerunt negligentes in exequendo voluntates testatorum, & necesse fuit contra eos devenire ad censuras Ecclesiasticas, & alia remedia pro habenda executione legatorum piorum. Hoc enim casu jus non resistit, sed assistit, ut probat Gloss. in *cap. Cùm ab omni, v. præter expensas, de vit. & honest. Cler. & in cap. Statutum, §. Insuper v. moderatas, de rescript. in 6.* ubi quod Ordinarius deputans aliquem officialem non ex malitia, sed ex necessitate, vel ex decore, potest illi assignare salarium, & quod potest Ordinarius, potest & consuetudo, & si materia sit Ecclesiastica, pia, aut spiritualis, legati pii, & similium, estque textus in *c. Cum sit Romano, & Simon. & in c. Judices 1. q. 1. ac in l. plebiscita, ff. de offic. Præsid.* Sanch. *dematr. lib. 8. disp. 35. num.* 10. ista proinde Constitutio, quæ non est juri contraria, est omninò servanda, præcipuè si facta fuerit cum consensu Adversariorum.

3 Et quidem hoc utilius est favori publico, & animabus defunctorum, ut ultimæ voluntates executioni demandentur, etiam sine diminutione legati. Imò si illa parva summa detraheretur è corpore legati, cùm meliùs sit exequi ultimas voluntates cum aliqua sepecie falcidiæ adinstar quartæ, quàm inexecutas derelinqui, ut in puncto probat Lar. *de appellat. & anniv. lib. 1. cap. 1. num.* 25. ubi exaltat quoddam tribunal in Civitate Toletana destinatum pro hac materia cum aliquantulo salario, etiam de corpore legati.

4 Quæ procedunt etiam in materia, in qua jura ordinant servitium præstari gratis; quia nihilominùs non habens salarium, potest pro labore illud, seu aliquid exigere, *d. c. Statutum v. Insuper, §. Assessorem, & §. Notarium, de rescript. in 6. & d. cap. Cum ab omni*, ubi Gloss. *d. v. expensas*, Et de officialibus Romanæ Curiæ est textus *in Extravag. Cùm ad Sacrosanctæ*, Joann XXII. *de sent. excommun.* Et durior est rigor R. Fabricæ, quæ sibi ac revelanti vindicat partem bonorum relictorum. Sic etiam ex pœnis transgressionis festorum tertia, vel quarta pars accusatori, atque executoribus passim applicari solet, Sacr. Congregatione super Episcopis approbante, ut in Tarracinensi 14. Decembris 1594.

5 Neque hìc habet locum Concilium Trident. *cap. 14. sess. 24. de reform.* neque Constitutio Pii V. 106. quia solùm tollunt, & damnant pravas exactiones, ut per Pat. *de confid. q. 38.* Guttier. *quæst. can. 29. num. 27. lib. 1.* Suar. *de Relig. tom. 1. cap. 48. n.* 12. Hæc autem non est prava, sed licita pro labore.

6 Quod multis exemplis exornari potest. In materia spirituali fusè Guttierez *loc. cit.* & in specie de emolumentis sigilli, *Clem Statutum*, ubi Gloss. *v. Expensa de elect.* ac Vital. *num. 23.* & Cardin. *n. 5.* In visitatione, Azorius *instit. mor. par. 3. lib. 1. cap. 16. quæst. 4.* Garz. *par. 8. de benef. cap. 1. num. 77.* Pro labore executionis dispensationis matrimonialis, Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 75. n* 10. *& seqq.* Et in antecedentibus, ac subsequentibus Sacramenta; & Sacramentalia, idem Guttier. *d. c. 29.*

7 Addo insuper argumentum efficax; quia hæc materia executionis ultimarum voluntatum æquè principaliter spectat ad Judices laicos, *auth. Ecclesiast. §. Si quis ædificationem coll. 9. c. Si hæredes, de testam.* cum aliis per Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. cap. 27. n. 22.* deductis; pro qua magnam exigunt mercedem. Cur ergo Judex Ecclesiasticus moderatam exigere non poterit; præsertim cùm laici exigant ab ipso corpore hæreditatis, & si Ecclesiasticus non exigit, exiget laicus, cùm sit locus præventioni, Barbos. *d. cap. 27. n. 24.*

8 Ad secundum. Quamvis controversa sit opinio, an Judices Ecclesiastici possint pro sententiis, & decretis factis in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus percipere propinas, & negativam teneant multi per textum in *d. cap. Cùm ab omni, de vit. & honest. Cler.* omnes tamen concordant, quod, si adest consuetudo aliquid percipiendi, sit omninò observanda, Specul. *part. 1. tit. de salar. num. 9. & 13.* Vestr. *in prax. lib. 7. cap. 1. nu. 13.* Molin. *de just. tom. 1. tract. 2. disp. 84.* Silvester *v. Judex 1. quæst. 10. n. 13. & seqq.* & post alios Garz. *de benefic. par. 9. cap. 2. num. 382.*

9 Ad tertium. Cùm per Sac. Concilium Trident. *cap. 9. sess. 22. de reform.* sit dispositum, quod hujusmodi Administratores teneantur singulis annis reddere rationem administrationis Ordinario loci, sublatis quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus in contrarium, sequitur, quod si recusaverint reddere rationes, vel dolosè in administratione se gesserint, aut neglexerint, seu aliter defecerint, possit Ordinarius ex causis à jure approbatis illos ab administratione removere; aliàs inanis esset facultas à Concilio Ordinariis tributa, cum & tutor à testatore deputatus possit ex justa causa ab administratione tutelæ removeri, & per hujusmodi remotionem non dicitur contraveniri dispositioni testatoris, quia & ipse removeret, si viveret. Videndusque præ cæteris Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. cap. 27. num. 30. ac seqq.* ubi ampliat *n.* 40. *&* 41.

10 Ad quartum. Videtur, Episcopo licitum esse mandare ad se deferri libros administrationum, ut diligenter inspicere possit, an piæ defunctorum voluntates exequutioni demandentur, aliàs esset gravare maximòperè Episcopum, si ipse personaliter ad Oppida singula accedere, & ibi moram facere magno cum suo dispendio teneretur, donec libros singulos administrationum inspiceret, & examinaret. Urbanitati, & æquitati magis videtur consonum, quod Administratores ad Episcopum accedant, vel ad ipsum libros transmittant, quàm quod Episcopus ad illos accedat, prout in simile de Conjudicibus deputatis à Capitulo, qui tenentur accedere ad Episcopum ad effectum cognoscendi causas Capitularium delinquentium, non autem Episcopus ad ipsos, fuit resolutum à Sac. Congregatione Concilii in Calaguritana, & in Calciatensi Conjudicum, & de jure Episcopus potest erigere tribunal in qualibet parte suæ diœcesis, & subditi tenentur ad illud accedere.

11 Et confirmatur; quia si ageretur de visitatione loci, tunc necessarius esset accessus ad locum, *cap. Romana, in princ. de censib. in 6.* Sed in exhibitione librorum, seu redditione rationum libri portandi sunt coram Episcopo in ejus domo, ut in fortioribus ex Trid. *cap. 6. sess. 25. de reform.* ibi: *Et in ejus Domo.* Eòque magis, quia

Episcopi

Episcopi exigunt has rationes, uti delegati Apostolici, *cap. 8. & 9. sess. 22.* & proindè, tanquam tales, honorari debent. Licèt contrarium in una Firmana declaratum fuisse à S. Congregatione, alibi retuli.

12 Ad quintum. Certum est, posse Prælatos pro delictis pœnam etiam pecuniariam imponere, *cap. Statuimus* 55. & alibi Gloss *v. bannum 16. quæst. 1.* Nam Ecclesia habet sufficientem potestatem ad se regendam, *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcumque ligaveris, &c. Jo. 21. Pasce oves meas, Act. 26. Quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*; quia cùm Ecclesia sit quoddam corpus, cujus caput est Christus, & Christus non sit visibiliter præsens, opus fuit capite, & ministris visibilibus, qui dirigerent Ecclesiam, & gubernarent homines intra ordinem præscriptum à Christo. Quare in Ecclesia esse potestatem condendi leges, obligantes etiam in conscientia, est de fide definitum in 4. *Synodo Act. 4.* & in Synodo 8. *Act. 1.* ac in Concilio Constant. *sess. 8. & 5.* in Concilio Chalced. *art. 5.* in Tridentino *sess. 6. cap. 20.* & probatur *Act. 13 & 16.* ac confirmatur, quia omnis communitas, ut sit ordinata, indiget potestate legislativa, per quam congruis legibus ordinetur, ut docet Aristotel. 7. *Polit. c. 6. & 9.* ac Plato *lib. 2. de Republ. & lib. 8. de legib.* Aliàs non posset dirigi in suum finem per congrua media. Atqui punire est effectus legis, quia est tanquam actus ipsius, ut *in l. legis virtus, ff. de legib. & in cap. Omnis d. 3.* & tradunt Theologi communiter cum D. Thoma 1. 2. *quæst 92. art. 2.* Ac proinde, ut est specialis actus legis, importat determinationem pœnæ. Quoniam taxare pœnam pro delictis confert ad bonum communitatis, & est actus potestatis legalis. Et si honestius sit pœnas loco pio applicare, potest tamen Episcopus illas suæ Cameræ, præsertim si sit pauper, applicare, Barbos. *de offic. & potest. Episcop. d. par. 3. alleg. 107. num. 18.* Maximè cùm pœna in hoc casu imponi permittatur; quia Judex Ecclesiasticus, quando imponit pœnam in casibus à jure permissis, tunc potest illam sibi retinere, Panorm. in *cap. 13. de pœn. num. fin.* & Covar. *var. lib. 2. cap. 10. num. 10.*

13 His accedit, quod cùm mulctæ, & pœnæ sint fructus jurisdictionis, pleno jure pertinent ad eum, qui de jurisdictione est investitus, etiam privativè quoad dominum investientem, Bartol. Castrens. & Alexand. *in l. final. ff. solut. matrim.* Præpositi *in præl. feud. numer. 17.* Ilsern. *tit. de pac. tenend. num. 5.* & ibi Afflict. §. *Siquis aliquem numer. 16.* Guidopap. *quæst. 76.* Carer. *de hær.* post suam *pract. crim. numer. 136.* Petr. à Plaza *in epit. delict. cap. 23. num. 12.* Cravet. *cons. 128. num. 3.* Cassan. *in catalal. glor. mund. par. 5. consid. 24. & in tit. Des confiscationes §. 1. per totum.*

Neque obstat Sacr. Concilium Trident. *loc. alleg.* Nam in eis mulctis, quæ ex ejus ordinatione sunt applicandæ locis piis, illud sanè est observandum. Unde pœnæ pecuniariæ, quæ arbitrariæ fuerint, locis piis sunt ab Episcopo applicandæ, reliquas verò, quæ non fuerint arbitrariæ, potest Episcopus ita demum sibi sumere, si ipse egeat, dummodò non sint mulctæ pecuniariæ, vel pœnæ non residentium, aut concubinariorum, quas omnes Concilium mandat locis piis applicari, ut ex Sac. Congregatione Concilii tradit Aldan. *in comp. resol. can. lib. 3 tit. 2. n. 5.* An autem pœnæ, & mulctæ pro delictis, etiam gravibus, ac Episcopo prædecessore defuncto non applicatæ locis piis, possint, Sede vacante, à Capitulo, seu ab illius Vicario Capitulari, ad favorem reorum reduci, respondeo negativè cum Sacr. Congregatione Concilii in Ripana 18. Aprilis 1654. *ad cap. 3. & 14. sess. 25. de reform.*

14 Non obstat, quod Prælati non habeant jurisdictionem civilem. Nam ratione potestatis spiritualis possunt disponere circa temporalia, quando ita exigit finis spiritualis; quod est habere indirectè jurisdictionem temporalem. Quo ex capite Pontifex transtulit Imperium, constituit electores cum facultate eligendi Imperatorem, privavit Reges regno, & alios hujusmodi actus exercuit circa temporalia; quia ita exigebat finis spiritualis; nam potestas spiritualis habet pro fine bonum spirituale communitatis, temporalis verò temporale. Ergo temporalis subditur spirituali, quia facultas subordinatur, sicuti subordinantur fines. Bonum autem temporale subordinatur spirituali, ideòque temporale dependet à spirituali, ac proindè spiritualis potest ordinare temporalem, quando deficit, & suplere defectum ipsius. Ita Almain. *de libert. Eccles. cap. 6.* Caietan. *opusc. de auctor. Pap. par. 2. cap. 13.* Victor. *de potestat. Eccles. quæst. 6.* Salas *de legib. disp. 7. sect. 7.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 6.* aliique apud ipsos.

Hujusmodi tamen pecuniam mulctatitiam, sive ex 15
constitutionibus Synodalibus, sive ex præceptis, sive decretis Episcopi, vel Vicarii proveniat, excepto casu paupertatis Episcopi locis piis applicandam esse, & non aliter, habemus ex Tridentino *sess. 25. cap. 3.* Et ita, ut pecunia teneri nequeat ab Ordinario, sed debeat consignari depositario mulctarum, creato cum idonea cautione de benè administrando, qui librum habeat, in quo distinctè expensorum ac receptorum dictarum pœnarum describat, qua die, quave de causa fuerunt receptæ, vel erogatæ, neque eas solvat sine expresso in scriptis mandato ab Ordinario subscripto, quod, habita confessione ejus, cui pecuniam solvit, conservabit. Ita declaravit Sacr. Congregatio super Episcopis, ut in Cavensi 5. Octobris 1577. in Nicoterensi 1. Aprilis 1596. in Catacensi 16. Augusti 1641. ac sæpè alibi. Imò eo ipso, quod exacta fuerit, debet Episcopus piis locis assignare ita ut, non possit portionem aliquam etiam in minima parte Vicario pro sua mercede limitare, & minus Cameræ suæ Episcopali applicare, non obstante contraria consuetudine, ut ex Sacr. Congregatione Concilii testantur Quarant. *in Summ. v. Pœnæ pecuniariæ*, Sbroz. *de offic. Vicar. in addition. libr. 2. quæstion. 143.* Piasec. *in prax. part. 2. cap. 4. num. 97. in princip.* Gallet. in *marg. cas. cons. v. pœna cap.* quos cum aliis refert Barbos. *de offic. Episcop. part. 3. allegat. 107. n. 19.* Deberque applicari causis, vel pauperibus, vel locis piis diœcesis arbitrio Episcopi, ut in Vritania 21. Maii 1580. & in Motulensi 21. Junii 1605. & cæteris paribus ii præferri debent, qui sunt in eodem loco, ubi existunt, vel habitant delinquentes, ut in Tranensi 15. Octobris 1578. & in Venusina 21. Novembris 1600. Præsertim verò Ecclesiæ, in quibus sunt intitulati delinquentes, à quibus exigitur, si indigeant, ut in Aprutina 10. Aprilis 1615. Maximè pro fabrica, ut in Ricinatensi 10. Januarii 1594. Atque ita, ut ne quidem in ditione Ecclesiastica Sanctissimum sepulchrum connumerandum sit inter pia loca, quibus eleemosynæ in genere factæ, ac mulctæ, seu pœnæ ex dispositione Sacri Concilii Tridentini sint applicandæ, ut respondit S. Congregatio de propaganda fide 7. Augusti 1637.

Unde nec quidem Episcopus extra gravem suam pau- 16
pertatem, potest has pœnas applicare sibi ipsi, neque fabricæ Cathedralis, neque suæ domus, neque Canonicorum, nisi illi à Sede Apostolica fuerit hoc specialiter permissum ob paupertatem Ecclesiæ, vel quia sit gravata pensionibus, ut ex eadem Sacr. Congregatione super Episcopis in Alerienſi 6. Augusti 1601. in Nibiensi 12. Martii, in Syracusana 19. Martii, in Caputaquensi 31. Maii, in Messinensi 2. Julii, & 25. Octobris, in Lancianensi 1. Octobris 1602. in eadem Messinensi 18. Martii, 8. Aprilis, & 4. Augusti, in Mazarien si 27. Octobris 1603. & S. Congregatio Concilii in Messanensi 15. Martii 1636. Unde non comprehenduntur in Spolio, ut declaratum in Hydruntina 23. Julii 1655. Si tamen sunt pœnitentiæ matrimoniales, non possunt mutarii n pecuniarias, neque eas S. Congregatio solet alterare, ut in eadem Alterien si 20. Augusti 1602. & 14. Januarii 1603. quod si concedatur Episcopo applicatio harum pœnarum pro Episcopatu, & Sacrario, sub nomine Episcopatus intelligitur Ecclesia cathedralis, palatium

Episcopale,

Episcopale, & omnes fabricæ, quibus Episcopus providere tenetur. Sub nomine verò Sacrarii non solùm supellex, quæ inservit pro Ecclesia Cathedrali, sed etiam quælibet alia necessaria pro aliis Ecclesiis, Oratoriis, vel Capellis ab ipso Episcopatu, vel Cathedrali dependentibus, ut in Assisiensi 17. Maii 1592. in Montispelusii 17. Novembris 1593.

17 Ac ita etiam, ut Episcopus nequeat applicare partem pœnarum suo Fisco, vel alteri officiali, ut declaravit S. Congreg. Concilii in Alexandrina 18. Januarii 2613. & in Clusina 23 Novembris 1640. quæ in Januen. 5. Junii 1632. & in Firmana 1. Septem. 1633. censuit ex mulctis assignari non posse salarium Promotori fiscali, vel executoribus, vel capellæ musicorum, neque capellano carcerum, neque in refectionem ipsorum carcerum, neque pro expensis mandati, seu lotionis pedum feriæ quintæ in Cœna Domini, neque in alios usus, quantumvis pios, si spectent ad Episcopum.

Pro majori autem eorum quæ dicta sunt explicatione, etsi procuratori fiscali actu inservienti, si ita se habeat consuetudo, assignari possit ex qualibet condemnatione decima pars ejus quantitatis, in qua reus cum Camera se composuerat, quemadmodum præscribitur in taxa fori Ecclesiastici, edita à Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum jussu Clementis VIII. nihil tamen eidem solvi potest ex ipsa pœna pecuniaria, cùm hæc sit locis piis integrè applicanda. Primò ex dispositione juris communis *in cap. presbyteri de pœn.* ubi id notat Gloss *in princip.* & *in v. utilitatibus Ecclesiæ*, Gemin. *in cap. unic. §. si autem in 3. not. de offic. Ordin. in 6.* Ostiens. Joan. Andr. & Doctores *in cap. irrefragabili eod. tit.* Dec. *in rubr. de Judic. n. 66.* ubi ait, opinionem illam, quæ adstruit pœnam pecuniariam deberi fisco, procedere de jure civili, non autem de jure canonico, quo hæc pœna debetur Judici, qui tenetur illam in pios usus distribuere, & Covar. *var. resol cap. 9. num. 11.* ubi post Abb. *in cap. 2. de succeff. ab inteft.* tradit esse quidem communem opinionem, Ecclesiam & Prælatum diœcesanum habere fiscum, non tamen id esse temerè permittendum ad explendam avaritiam Episcoporum, sed ut ea, quæ eorum fisco fuerint delata, in usus pios erogentur. Et hoc sanè intendit Gloss. *in cap. quia diversitatem in v. præter de concess. præbend.* cujus auctoritati innituntur Doctores, affirmantes, Episcopum habere fiscum. Nam Glossa dicit, bona Clerici damnati devolvenda esse in fiscum Ecclesiæ, non autem in Cameram Episcopi, & allegat textum in *cap. pen. de Cler. non resid.* ubi decidit proventus beneficiatorum absentium, qui supersunt, deductis ministrorum expensis, in utilitatem Ecclesiæ esse convertendos. Atque ita Glossa nomen fisci usurpavit non ad commodum Episcopi, sed ad utilitatem Ecclesiarum. Et ita etiam loquitur textus in decisione S. Rotæ allegatus in *can. Si quis deinceps 17. q. 4.* ut patet ibi: *Et bona eorum Ecclesiæ ipsius juris perpetuò tradantur.*

Deinde ex decretis Concilii Trid. *cap. 1. sess. 6. cap. 1 sess. 23. cap. 3. & 14. sess. 25.* quibus pœnæ pecuniariæ, & mulctæ jubentur piis locis applicari.

Postremò ex declarationibus sæpiùs editis à Sacra Congregatione Concilii. Et in specie cùm Episcopus Tudertinus deputasset quendam officialem ad jus reddendum super damnis, bonis Ecclesiarum illatis, eiq; applicasset pœnas pecuniarias ob eam causam inflictas sub certa annua responsione, & consuluisset Sac. Congregationem, an id fieri potuisset, responsum est, minimè potuisse.

Rursus in Curia Episcopali Montis Alcini pœnæ pecuniariæ inter illius ministros distribui consueverunt, cùm eis neque salarium ob nimiam Ecclesiæ paupertatem posset constitui, neque aliud perciperent emolumentum. Quas pœnas cùm Episcopus locis piis applicari jussisset, eaque de causa vix reperiretur, qui operam suam dictæ Curiæ præstare vellet, petiit idem Episcopus, ut dicti ministri saltem medietatem hujusmodi pœnarum percipere possent; die 10. Julii 1610. S. Congregatio censuit, hujusmodi ministros hac de causa nihil percipere debere, neque quidquam esse adversus justitiam, quæ aliquid percipi vetat, concedendum.

Quinimò hæc applicatio non modò prohibetur fieri procuratori fiscali, sed etiam locis piis, si id cedat aliquo modo in utilitatem Episcopi. Unde cùm fuerit quæsitum, an Episcopus vigore consuetudinis loci possit tuta conscientia applicare pœnas, vel mulctas Sacristiæ, vel fabricæ Ecclesiæ, quæ, etsi aliquid habeant, non tamen possunt absque auxilio impensis necessariis respondere. Sacra Congregatio censuit, posse Episcopum hujusmodi pœnas applicare fabricæ, vel Sacristiæ Ecclesiæ, dummodo talis applicatio directè, vel indirectè non cedat in ipsius Episcopi utilitatem. Et in casu Archiepiscopi Messanensis censuit pœnas omnes, sive ex constitutionibus Synodalibus, sive ex præcepto Episcopi, vel Vicarii proveniant, sive ex stipulatione Prætoria descendant, esse piis locis, non autem fabricæ Cathedralis Messanensis, vel Sacristiæ, cujus redditus sunt valde pingues, applicandas; injunxitque Archiepiscopo, ut pœnas omnes locis piis tantùm applicaret, pœnarumque depositarium aliquem ex Capitulo constitueret, qui Archiepiscopo quotannis, præsente Capitulo, rationem suæ administrationis redderet. Et successivè cùm ad Federicum Pontium Archiepiscopi Messanensis tunc defuncti Vicarium, atque Andream Maurum ad id deputatum multa aureorum millia pœnarum, ac mulctarum nomine exacta, & ex Sacræ Congregationis decreto piis usibus distribuenda adhuc superessent, ad supplicationem Capituli Messanensis datæ fuerunt litteræ ad Archiepiscopum Rheginum ut eas in pios usus distribui faceret, atque distributarum rationem exigeret.

Et paulò post conquerentibus Sacerdotibus Civitatis Messanensis, quod Visitatores dictæ diœcesis in suis visitationibus applicarent pœnas spretorum præceptorum Civitati Messanensi, non autem locis piis prædictæ diœcesis in maximum Ecclesiarum, hospitalium, & pauperum detrimentum. S. Congregatio censuit, scribendum ad eundem Archiepiscopum Rheginum, ut se instrueret, an decretum aliàs à Sacra Congregatione editum, servatum fuisset, & Congregationi referret, mandaretque S. Congregationis nomine eidem Archiepiscopo Messanensi, ut decretum ipsum in futurum sub pœna etiam suspensionis ad unguem observaret.

Ab hac regula fortassis excipi possunt pœnæ non observantium dies festos, & aliorum, de quibus in Constitutione B. Pii V. quæ incipit, *Cùm primum*, *versic. Cum verò dierum festorum.* Et inferiùs, *versic. Mulctæ autem pecuniariæ*, in Bullarii *tom. 2.* Ex his enim debetur accusatori tertia pars, ut ibi statuitur. Et fortè huc respexit Concilium provinciale primum Mediolanense in fine, *titul. de pœnitent.* dum decrevit, ut quotiescumque delicti causa Clerici mulctandi sunt, quæ ab illis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Episcopum perveniat, in ejusve commoda quavis ratione convertatur, sed idem Episcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non superet, assignata delatori, reliquam piis operibus, aut locis, quibus ei videbitur, omninò attribuat.

Quòd verò ad alios ministros, & executores Curiæ similiter nihil iis videtur solvi posse ex mulctis, ac pœnis pecuniariis tum ex rationibus superiùs allatis in casu procuratoris fiscalis, tum quia in dicta taxa fori Ecclesiastici jubetur dari his ministris certa quantitas ratione executionis duntaxat. Ex condemnationibus verò nihil eis attribui jubetur, nisi

in casu speciali, quo invenerint aliquem laborantem in diebus festis. Tunc enim habere debent quartam partem pœnæ ab ipso reo, quæ devenerit in manus depositarii Cameræ. Quod innuit regulam esse in contrarium in aliis casibus. Tum denique quia aliquando Sacra Congregatio ex gratia censuit concedendum alicui Episcopo propter Ecclesiæ paupertatem, ut pœnas pecuniarias usque ad præfinitas summas in usum executorum erogaret.

In aliis verò officialibus longè minor est difficultas, & præcipuè in Vicario Episcopi. Nam Sacra Congregatio consulta, an Vicario Episcopalis Curiæ ex pœnis ac mulctis aliqua portio assignari possit pro ejus mercede, ut vigilantius criminibus indagandis incumbat juxta antiquum ritum ipsius Curiæ, respondit, non posse.

Et ex his consequitur, idem juris esse de expensis Tribunalis. Tum quia hæc causa non potest dici pia. Tum quia cùm expensæ hujusmodi ad Episcopum spectent, *can. militare 23. quæst. 1.* & notatur *in cap. Cùm ab omni de vit. & honestat. Cleric.* hæc applicatio indirectè cederet in Episcopi utilitatem, quo casu nec ipsi Ecclesiæ, vel Sacristiæ, fieri potest applicatio, ut jam diximus.

Denique in reparatione palatii Episcopalis, aut domus Vicarii similiter nihil insumi posse ex hujusmodi pœnis pecuniariis sæpiùs censuit Sacra Congregatio. Nonunquam etiam ex gratia Sanctissimus fecit Episcopis pauperibus facultatem eas pœnas in certa summa in hunc usum erogandi, sed plerumque eam denegavit.

Quæ omnia multò magis procedunt in illis pœnis pecuniariis, quæ à Sacris Canonibus, vel synodalibus statutis pro delictis ad certam quantitatem non sunt præfinitæ, sed vel ab Episcopi arbitrio pendent, vel per sententiam, nulla præcedente canonum, vel statutorum synodalium determinatione imponuntur. Has enim omnes, sicut & pœnas Clericorum non residentium, & concubinariorum, ac mulctas contumaciales Sacra Congregatio etiam in casu egestatis Episcopi censuit indistinctè nequaquam aliis, quam piis locis, vel usibus esse applicandas, non obstante contraria consuetudine.

CONSULTATIO XVIII.

An sub edicto, quòd omnes Confessarii sæculares teneantur interesse disputationi casuum conscientiæ, bis in mense fieri solitæ sub pœna suspensionis ab exercitio confessionis per mensem, possint comprehendi etiam Confessarii regulares?

Et an Canonicos, aliosque Sacerdotes sub alia mitiori pœna compellere liceat ad interessendum dictæ disputationi, stante quod pauciissimi sint Parochi, & Confessarii sæculares, qui in præfato edicto comprehendantur?

1 REspondeo. Quoad Canonicos, & alios Presbyteros sæculares confessores posse cogi; quod verò ad Regulares non posse cogi, nisi sint Parochi. Ita etiam declaravit Sacra Congregatio Concilii in Urbinatensi 10. Martii 1663. Quippe Regulares, qui exercent curam animarum, tenentur intervenire collationibus casuum conscientiæ, & ad omnia alia, ad quæ tenentur curati sæculares, Sacra Congregatio Episcop. in *Vigevanensi* 7. Januarii 1586. in Lucensi 4. Februarii 1602. in Senogallien si 26. Augusti 1616. & 13. Septembris 1641. ac 22. ejusdem 1645. & 8. Octobris 1649. & 8. Januarii 1650. Ad quæ cogi possunt ab Episcopo, eadem Sacra Congregatio in Paduana 13 Februarii 1604. etiamsi sint ad nutum amovibiles. Et Sacra Congregatio Concilii in Curiensi 5. Curiensi 5. Aprilis 1931. Et ideò si renuerint, potest Episcopus procedere contra ipsos Regulares Parochos, non autem contra eorum Superiores; eadem Sacra Congregatio Concilii in Segobiensi 1. Aprilis 1656. Non tamen iidem Parochi Regulares cogi possunt ad assistendum divinis in Cathedrali, ne quidem in festo Sancti Patroni, eadem Sacra Congr. 1. Decembris 1626.

Probatur ex Concilio Trident. *sess. 25. de Regul. c. 11.* ubi Regulares curam exercentes subsunt immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi. Idem penitus habetur ex constitutione Gregorii XV. *de Exemptor. privil.* Unde eadem Sacra Congregatio 6. Martii 1634. declaravit, jurisdictionem contra Regulares exemptos, curam animarum exercentes *in cap. 1. sess. 25. de reg.* concessam Episcopis, illis cumulativè competere, non autem privativè quoad Superiores regulares. Secus verò si curam hujusmodi non habeant, licèt sint ad confessiones audiendas approbati, eadem Sacra Congregatio in Paduana, & Andrien si 6. Aprilis 1629. Nam sunt exempti à jurisdictione Episcopi, & respectu Regularium solùm spectat ad Episcopum facultas eos examinandi, atque idoneos declarandi. Quare si semel eos judicat idoneos, functus est munere suo, & Regulares exercebunt munus confessarii, tanquam ministri Sedis Apostolicæ. Præterea Regulares tenentur suam lectionem Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasteriis, & Conventibus habere, ad quam fratres omnes convenire debent juxta decreta Clementis VIII. *pro reformatione Regul.* quo verò ad alios Canonicos, & Sacerdotes non confessores eos hortari debent Episcopi, non cogere, ut alibi diximus.

CONSULTATIO XIX.

1 *An Episcopus juxta Constitutionem Gregorianam possit compellere Syndicos, & Ministros Monasterii Monialium Regularibus subjecti, ad exhibendos libros receptorum, & expensorum dicti Monasterii pro redditione rationis administrationis bonorum illius, etiam sine præsentia Ministri provincialis, cui subest dictum Monasterium, quatenus interpellatus recuset interesse.*

2 *An competat Episcopis facultas ex decreto Sacri Concilii cap. 9. sess. 22. de reform. circa exigendas rationes ab Administratoribus, quatenus debitores compertì fuerunt, ad reliquatum solvendum juris remediis cogendi.*

3 *Nec non etiam ad effectum in ipsos Administratores, quatenus fraudulenter administraverint criminali judicio animadvertendi.*

REspondeo ad primum, posse compellere. Ita Sacra Congregatio Concilii in Foro Sempronien si 11. Martii 1662. Et in Urbinatensi 10. Martii 1663. *ad cap. 9. sess. 22. de reform.* 1

Ad 2. & 3. censeo, affirmativè respondendum; quia cùm Sacr. Concilium *loc. cit.* non præscribat formam aliquam illos cogendi, censetur eam reliquisse dispositioni juris communis. 2

CONSULTATIO XX.

An Episcopus claudere possit fenestras, ac erigere murum viridarii Regularium, quia supereminent Monasterio Monialium, quas ipsi Regulares inspiciunt.

REspondeo, posse providere sumptibus, cui de jure. Ita Sacr. Congregatio Concilii in Urbinatensi 10. Martii 1663. *ad cap. 5. sess. 25. de reg.* ubi omnia, quæ ad conservationem clausuræ pertinent, Ordinario committuntur. Et ideò pro opportuno remedio potest Episcopus extollere murum viridarii Regularium, & claudere fenestras, saltem vitreis speculis, si non 1

respondent

respondent in Clausuram, itaut non possint aperiri. Fenestræ verò aliorum particularium respondentes in clausuram Monialium claudendas esse censuit S. Congreg. Episcop. in Mediolanensi 15. Januarii 1602. Ita etiam fenestræ omnes, & quævis alia foramina Regularium respicientia in hortum, & clausuram Monialium omninò claudenda sunt, eadem S. Congreg. in Amerina 23. Decembris 1603. & Neapolitana 2. Decembris 1639. Nulloque modo debent esse in Monasteriis Monialium, eadem S. Congreg. in Lyciensi 28. Februarii 1605. Neque à fenestris Campanilis alicujus Ecclesiæ vicinæ, eadem S. Congreg. in Portogallensi 16. Aprilis 1605. Ideóque pleno muro claudi debet, eadem S. Congr. in Aquilana 31. Julii 1612.

2 Unde non est permittendum, quod quis ædificium attollat, si per id prospectum in Monasterium sit habiturus, eadem S. Congr. in Interamnensi 15. Maii 1612. & in Barensi 18. Februarii 1617. Demoliendæque sunt mansiones fabricatæ in viculo intermedio, ac claudendum ambulacrum, quod à tecto Monasterii imminet prædominans, eadem Sac. Congr. in Assisiensi 11. Julii 1653. Nec tolerandum, quod propter vicinitatem, & correspondentiam fenestrarum, Moniales possint videre vicinos, vel videri, eadem S. Congr. in Neocastrensi 16. Augusti 1594. & in Parmensi 28. Novembris 1636. Ac prohibendus illis est sub gravibus pœnis usus conspicilli tabulati, sive telescopii, vulgò *l'Occhialone*, eadem S. Congreg. in Anconitana 1. Octobris 1627.

CONSULTATIO XXI.

Miscellanea.

1 *Legatum orandi in Missis pro anima testatoris an spectet ad presbyteros, vel ad fabricam Ecclesiæ, cui auctoritate Apostolica sunt applicata omnia legata pia, non habentia onus Missarum?*

2 *Scholastria an requirat doctoratum?*

3 *Capellaniæ constitutæ pro sæcularibus nolentibus illas propter fructuum tenuitatem acceptare, an consentientibus hæredibus, & Episcopo, possint transferri ad Regulares, qui, stante reductione Missarum ab illis obtenta, sunt parati eas acceptare, & oneribus satisfacere?*

4 *Episcopus rogatus à testatore pro assistentia, & declaratione ejus testamenti, an possit mandare executoribus, ut pecunias non possint investire in censibus ordinatis à testatore absque sua approbatione?*

5 *An Canonici habentes indultum non residendi per duos menses, gaudeant distributionibus quotidianis, si redditus pro majori parte consistant in distributionibus?*

6 *An Primicerius debeat cantum perdiscere?*

7 *An Canonici supranumerarii admissi ad honores, emolumenta, & præeminentias Canonicorum numerariorum, teneantur ad expensas Ecclesiæ?*

1 AD 1. Videtur spectare ad presbyteros, qui habent onus orandi in Missis *ex reg. Qui sentit. de reg. jur. num. 6.* & legatum relictum Canonicis, non communicatur Ecclesiis, Glos. *in cap. Requisiti 15. de testam. & in cap. Per exemptionem de privil. in 6.* Maximè cùm facultas adimendi legata sit odiosa, atque adeò strictè intelligenda, Rot. coram Panzirolo in Faventina Legatorum 23. Januarii 1637. Peregrin. *de fideicom. art. 18. num. 29.* Vincent. de Franch. *dec. 69. n. 15.* Et in dubio, si non constet, cui sit relictum legatum, hæres debet eligere, & declarare, *c Quoniam*, ubi Ab. *de offic. deleg.*

2 Verùm censeo, spectare ad fabricam. Nam verba privilegii intelligenda sunt in propria significatione, *l. non aliter, ff. de leg. 3.* Etiamsi agatur de præjudicio tertii, Surd. *cons. 140. nu. 63.* Dec. *cons. 113. nu. 6.* Præsertim quia mens illud concedentis est, quod legata pia, non habentia onus Missarum, censeantur applicata fabricæ prædictæ, *l. non omnis, ff. si cert. pet.*

Ad 2. Est conferenda Doctori, vel licentiato, aliàs provisio est nulla, Concil. Trid. *sess. 23. de refor. cap. 18.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 66. n. 62. p. 3.* 3

Ad 3. Affirmativè ex Trident. *sess. 25. de reform. cap. 8.* ubi disponitur translationem esse faciendam ad usus pios, institutioni proximos, maximè accedente consensu hæredum, & auctoritate Ordinarii, qui possunt eligere, & declarare voluntatem testatoris, Glos. *in c. Quoniam, de offic. deleg.* ubi etiam Adb. Cùm non solùm Capellaniæ, sed etiam beneficia sæcularia possint in Regulares transferri, stante necessitate, *cap. Inter quatuor de relig. domib.* Garz. *p. 7. cap. 10. n. 16.* Azor. *p. 2. lib 3. cap. 26. q. 5.* Abb. *cap. 1. de Capel. Monach. ex cap. Relatum, ne Cler. vel Monach.* 4

Ad 4. Etiam affirmativè ex Trid. *sess. 22. cap. 8. Clemen. quia contingit de relig. dom. cap. Tum & c. Joannes de testam.* Cùm Episcopi sint executores omnium piarum dispositionum, Rot. coram Coccino 28. Junii 1631. Et in dubio ad ipsos sit recurrendum, *l. 1. ff. de leg. 2. l. fin. §. Sed si quis, C. communia de leg.* Afflict. *dec. 371. nu. 10.* accedente præsertim voluntate testatoris, Dec. *in l. In personam, §. generaliter*, ubi Cagnol. *ff. de reg. jur.* Bart. *in l. 1. col. 2. ff. de solut.* Quinimò possunt compellere executores testamentorum ad eorundem executionem dato, quod testator id Episcopis interdixerit, *d. c. Tua, de testam.* quia præordinatio Ecclesiarum, & locorum piorum est officium proprium Episcopi, Rot. in Comensi juris conferendi coram Ghisterio 8. Junii 1637. Et voluntas testatoris non prædominatur, nisi sit legitima, *l. Cùm quæstio in fin. de leg.* quia privata dispositio non potest dispositionem legis immutare, *l. nemo potest, ff. de leg. 1.* 5

Ad 5. Negativè respondet Honor. III. *in cap. Licèt, de præb.* cùm distributiones debeantur tantùm interessentibus horis Canonicis, & concinit *cap. De cætero, de Cler. non resid.* 6

Posito tamen, quod præbendæ non sint distinctæ, potest demi tertia pars, Ricc. *in prax. resol. 70. num. 3.* Alioquin gratia esset inanis. Non comprehenduntur tamen inter distributiones mortuaria, & alia, quæ in dies dividuntur, Rot. coram Merlin. *p. 6. dec. 59 nu. 3.* & coram Verospio *d. p. 6. dec. 32. n. 7. recent.* & declaravit S. Congregatio Concilii per hæc verba: 7

In Ecclesia Anagnina Canonici nullas habent præbendas distinctas, sed tantùm distributiones quotidianas, quæ dantur interessentibus tantùm, & partim sunt certæ, ut illæ, quæ ex redditibus Ecclesiæ colliguntur, partim incertæ, ut mortuaria, & alia similia. Dubitatum fuit, an Canonico absenti ex causa studiorum, obtenta licentia, debeantur hæ distributiones? 8

Sacra &c. censuit exceptis illis quotidianis distributionibus, quæ tantummodo inter eos dividi solent, qui sacris interfunt, reliquas deberi iis, qui obtenta legitima licentia absunt causa studiorum 15. Kal. Maii 1568. 9

Ad 6. Affirmativè; quia dicitur primus cantor, & ejus officium est præcinere, & alios docere in cantu. *c. perlectis §. ad Prrimicerium d 25 cap. un. de offic. Primic.* Quippe qui non consonat, nec concinit, nec cantor, nec concentor est, inquit D. Isidor. *lib. 7. etym. c. 12.* relatus *in can. Clero, §. Cantor autem 21. d.* Imò & Canonici tenentur addiscere Cantum, Garz. *p. 3. cap. 2. nu. 113. de benef.* Navar. *de orat. cap. 10. num. 47. & cap. 11. ad fin.* Azor. *p. 2. lib. 3. cap. 16. q. 1.* Aliàs non debent admitti, & si fuerint admissi, Episcopus eos cogere potest ad illum ediscendum, etiam per subtractionem fructuum, Sacra Congregatio in Tropiensi 9. Maii 1620. & alibi sæpiùs. Nisi essent multum senes, eadem S. Congr. in Ulteranensi 9. Januarii 1602. cum charitate tamen, unde ante sequestrum debent præfigi quatuor, vel sex menses ad illum ediscendum, eadem S. Congr.

in Castellanetensi 10. Septembris 1590. & in Cassanen. 6. Aprilis 1596. Et Canonici examinari debent ab Episcopo, licèt institutio spectet ad Abbatem, vel alium inferiorem, S. Congr. Concilii 17. Sept. 1616.

10 Ad 7. Affirmat Paulus Jurisconsultus in *l. secundùm naturam, ff. de reg. jur.* Justin. *in l. un. § pro secundo in fin. C. de caduc. toll.* Gregor. XV. *decis.* 263. dicens, Canonicos teneri contribuere etiam pro litibus, quando respiciunt utilitatem, & commodum Ecclesiæ, ubi Add. latius.

CONSULTATIO XXII.

1 *De Episcopo suffraganeo, qui in suum Metropolitanum sententiam excommunicationis protulit?*

2 *Qui non paruit reiteratis mandatis ejusdem Metropolitani circa transportationem actorum, quam ob causam fuit ab eo interdictus ab Ecclesia, & successivè excommunicatus ob contumaciam.*

3 *Qui Cedulones ejusdem Metropolitani laceravit, & in illum suos cedulones publicavit.*

4 *Delinquens in diœcesi suffraganei, an efficiatur de ejus foro?*

1 QUod ad primum attinet, injungendum est Episcopo suffraganeo, ut circumscribat, & abolescat ex actis suæ Curiæ excommunicationis sententiam, quam inconsultis motibus adversus suum Metropolitanum protulit, & de hujusmodi circumscriptione reverentibus verbis illum certiorem reddat. Nam certissimi juris est, quod Episcopi suffraganei sunt sub Metropolitano, eique debent, tanquam Patri, & Pastori debitam obedientiam, ac pium devotionis respectum exhibere, Quaran. *in Summ. Bull. v. Archiepiscopi Auctoritas n.* 6. Ubi quod etiam in literis Apostolicis, quæ diriguntur suffraganeis inter alia hæc habentur: *Mandantes quatenus eidem Archiepiscopo, tanquam membrum capiti obsequentes, ei exhibeatis obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas.* Et inferiores ratione jurisdictionis dicuntur suffraganei respectu Metropolitani, *cap. Inferior d.* 21. Alphons. de Leon *de censur. resol.* 2. sub initio; inferior autem nequit ligare Superiorem, *d. cap. Inferior cum seqq. cap. Cùm inferior, de major. & obed.* Sicuti etiam est juris minimè dubii, quod in Patriarchas, & Archiepiscopos solus Summus Pontifex jurisdictionem habet, *cap. fin. 22. d.* Innoc. in *d. c Cùm inferior*, Clar. *in pr. crim. q.* 35. Nec ullo casu in Archiepiscopum Metropolitanum potest Episcopus suffraganeus actum jurisdictionis exercere, etiamsi Archiepiscopus in diœcesi suffraganei notoriè delinqueret; non solùm quia est major suffraganeo suo, sed etiam quia, quando est in diœcesi sui suffraganei, dicitur esse intra terminos suæ jurisdictionis, & intra suam Provinciam, Bald. post Innoc. *in d. c. Cum inferior de major. & obed. in princ.* & Abb. ibid. post *nu.* 1. Imol. *nu.* 11. & Soccin. *nu.* 19. & *in cap. Postulasti nu.* 8. & 9. *de for. comp.* Laurent. *tr. de judic. suspect. cap.* 4. *nu.* 34. Et proinde dum dictus Episcopus præsumpsit per publicos cedulones excommunicare proprium Metropolitanum, dignitatem Metropoliticam deprimendo, & jura Summi Pontificis, ad quem solum spectat cognoscere Archiepiscopos, usurpando, utique non videtur hujusmodi facinus in scripturam redactum aliter quàm contraria scriptura purgari, tam respectu retractationis, & absolutionis, quàm declarationis pœnitentiæ gestorum ex regula, quod temerè, & de facto facta contrario imperio revocari debent, & quod per ea, per quæ quis peccavit, debet corrigi, & coerceri.

2 Neque potest Episcopus Suffraganeus prætexere suum facinus ex Gregoriana; quia illa nullam tribuit potestatem Episcopis contra Archiepiscopos, ejusque verba circa potestatem concessam Episcopis in concernentibus redintegrationem Jurisdictionis Ecclesiæ, sunt directa in laicos quacumque dignitate fulgentes, non in Prælatos Ecclesiasticos.

Ad 2. Providendum est, ut Episcopus petat à suo Metropolitano absolutionem à censuris in ipsum ab eo prolatis eas ob causas; quia potest Archiepiscopus in casu inobedientiæ, & impedimenti præstiti suæ jurisdictioni Episcopum, suum suffraganeum suspendere, interdicere, & excommunicare, *c. 2. § fin. de offic. Ord. in 6. c. Venerabili*, ubi Abb. *de sent. excomm.* Quarant. *ubi suprà n.* 8. Genuen. *in prax. c.* 88. *n.* 6. Maximè quia id tendit ad purgationem violatæ obedientiæ inferiorum erga superiores, qua sublata, actum est de Ecclesiastica disciplina. 3

Ad 3. Pro redintegratione dignitatis Archiepiscopalis, & pro crimine in usurpando jurisdictionem, ac publicando cedulones contra Archiepiscopum, immediatè subjectum Summo Pontifici, consulo non solùm aliqua animadversione Episcopum dignum esse, prout in una Montis Politiani severè actum fuit cum Episcopo, & in una Tarentina cum Episcopo Uritano, ex quo ille publicaverat cedulones contra subcollectorem Apostolicum exemptum, & iste contra Archiepiscopum Tarentinum, necnon in una Liparensi contra Auditorem generalem Nunciaturæ, qui devenerat ad censuras contra Episcopum, & cum Vicario cujusdam Suffraganei, qui ausus fuerat excommunicare Vicarium Archiepiscopi, sui Superioris, de quo testatur Alphons. de Leon *loc. cit. recol.* 2. *n.* 301. Sed etiam obtinendam esse ab ipso Episcopo absolutionem à censuris contra usurpantes jurisdictionem in exemptos, ab ordinaria jurisdictione inflictis in Tridentina *sess.* 22. *de reform. c.* 11. & in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 20. & moneo, ne Episcopi, vel Archiepiscopi suis censuris, atque edictis facilè suam causam præcipiti furore corrumpant. Vapor quoque in nubibus pressus exclamat, & timidissimis feris sua arma necessitas ostendit. Et mihi fides, si permisissent aliqui iracundiæ suæ tempus, si diù librassent fulmen excommunicationis, quod immaturis nubibus emiserunt, forsitan mitigari cruda imperia potuissent, & lites miserrimæ per alterius partis infamiam constitutæ non essent, de qua re sunt cedro digna S. Concilii Tridentini verba *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* & præ oculis semper habenda. *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temere, aut levibus ex causis incutiatur magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem.*

Ad 4. Negat Baldus post Innoc. *in cap. Cùm inferior de major. & obed.* Quia minus dignus cedit magis digno. Estque mirum secundùm Bald. *loc. cit.* quod ratione delicti quis non sortiatur forum. Quod sequuntur Felin. *ibid. col.* 1. *& seqq.* Archid. & Gemin. *can.* 1. *qu.* 6. ubi, quidquid dicat ibi Glossa, concludunt, si Archiepiscopus delinquit in diœcesi sui suffraganei, dicitur delinquere intra terminos suæ jurisdictionis, & ideò condemnandus est à Patriarcha, vel à Papa per *cap. submittitur d.* 21. Quod notandum pro limitatione illius regulæ, quod ratione delicti quis sortitur forum, de qua in *cap. licet de for. comp.* cum aliis hujusmodi, ut non procedat in Archiepiscopo delinquente in diœcesi sui suffraganei per rationes adductas. 4

CONSULTATIO XXIII.

An Legatum relictum pro residentia Capellani in Choro, possit commutari in celebrationem Missarum? Ubi de non celebrandis Missis de requiem in duplicibus, exceptis anniversariis ex dispositione testatorum relictis, de altaribus privilegiatis tam perpetuis, quàm temporaneis.

AFfirmativè ex traditis per Lambert. *de jurepatr. lib. 1. p. 1. q. 9. art. 1. num. 75. n. 9. & seqq.* ubi in specie de onere, & obligatione residendi, & *numero* 188. ubi 1

in

in genere de mutatione ſtatus, ac onerum in fundatione beneficii appoſitorum, & *n.*202. ubi de fundatore, qui ſibi facultatem commutandi reſervavit in fundatione, & *num.* 227. ubi etiam de hærede ac ſucceſſore illius, qui hujuſmodi facultatem ſibi, & ſuis hæredibus, ac ſucceſſoribus in fundatione reſervatam eſſe voluit. Ratio autem eſt, quia Miſſarum celebratio eſt excellentior Chori aſſiſtentia, Garz. *de benef. p.*7. *cap.*1. *nn.*126. Ubi quod meliùs eſt tollere reſidentiam perſonalem, quàm reducere Miſſas in caſu, quo unum, aut alterum eſſet faciendum; quod etiam tenet poſt eum Monet. *de commut. ult. vol. c.*10. *q* 5 *nu.*356. & *cap.*11. *nn.*117. & 335.

2 Cum Alexander Papa VII. dubia in diverſis Mundi partibus occaſione decreti Congregationis Sac. Rituum die 5. Auguſti 1662. emanati. & ab ipſo Alexandro approbati, die non celebrandis Miſſis defunctorum in feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud ejuſdem S. Congregationis decretum in una Novarienſi die 22. Nov. 1664. editum approbaverit, quo declaratum fuerat, Anniverſaria, & Miſſas defunctorum cantu ex diſpoſitione teſtatorum quotannis recurrente ipſorum obitus die celebrandas, tametſi dies obitus hujuſmodi in feſtum ritus duplicis majoris incidere, non comprehendi in primo dicto decreto.

3 Ac ulteriùs quoad altaria privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie etiam in feſtis ritus duplicis, celebrandæ eſſent Miſſæ defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Miſſarum de feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & indulgentias per ejuſmodi privilegia Apoſtolica conceſſas animabus fidelium defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, & aliàs prout in ejuſdem Alexandri literis deſuper in forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditis, uberiùs continetur.

4 Cúmque deinde etiam dubitaretur, utrum dictarum litterarum diſpoſitio quoad altaria pariter quidem privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſæ non ex obligatione, ſed ex ſola fidelium devotione celebrantur, locum habeat, Clemens Papa IX. dubitationes hujuſmodi dirimere pariter, atque decidere cupiens, declarationem à memorato Alexandro, ſicut præmittitur editam, ad altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc & in futurum quandocumque privilegiata, authoritate Apoſtolica extendit. Et proinde, ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ defunctorum celebrari non poſſint, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur ita, ut animæ Chriſti fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia perinde ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate Apoſtolica conceſſit, ac indulſit 23. Septembris 1669. Pontificatus ſui anno tertio. Quare de hac re non eſt amplius dubitandum, prout dubitavi *tom.* 2. Atque ita conſultum rationibus Sanctorum, & animarum in purgatorio exiſtentium, qua de re etiam alibi ex diplomate Innocentii XI.

CONSULTATIO XXIV.

An valeat Matrimonium contractum coram Parocho prima tantùm tonſura initiato, & intra annum ad Sacerdotium non promoto?

1 IN *cap. Cùm in cunctis, de elect.* ſtatutum eſt ab Alexandro III. ut ad inferiora miniſteria ab Epiſcopatu, ut Decani, & Archidiaconi, & alia curam animarum habentia, & etiam ad Parochias non eligantur, niſi qui vigeſimum quintum annum attigerint, aliàs eligens punitur, ut ibi.

In eodem textu ſtatutum eſt, ut ſupradicti proviſi de beneficio curam animarum habente, ſi admoniti non receperint ordinem ſuo beneficio competentem temporibus legitimis, priventur dicto beneficio, & aliis conferatur, omni appellatione remota. 2

Gregorius verò X. in *c. Licèt canon, de elect. in* 6. ad removendam negligentiam ſupradictorum beneficiatorum, ſtatuit, ut Parochiales Eccleſiæ non poſſint validè conferri, niſi iis, qui attigerint vigeſimum quintum annum, qui intra annum à die commiſſi ſibi regiminis ſe faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi promoti non fuerint intra annum, ipſo jure ſint privati parochia, etiam nulla prævia monitione. 3

De hac re agunt, illamque explicant Gonzal. *glo ſ* 15. *n.*47. Garz. *de benef. p.*3. *cap.*4. *à nu* 1. Sanchez *conſil. lib.*2. *cap.*2. *dub.*22. notandumque, quod hæc pœna poſterior habet locum ſolùm in Parochis, non autem Decanis, Archidiaconis, & aliis curam animarum habentibus, Garz. *n.*10. Sanchez *n.*6. qui ait, nomine Parochiæ non intelligi curam cum dignitate. 4

An autem hæc pœna privationis parochiæ obliget in foro conſcientiæ ante ſententiam, reſpondetur affirmativè cum Navar. *cap.*25. *numero* 118. Rebuff. *in prax. tit. de non promot. num.*72. Leſſ. *lib.*2. *cap.*34. *num.*10 *in fin.* Sanch. *loc. cit. num.*1. & communem ait Garz. *p.*11. *cap.*10. *num.*28. quia non eſt pœna, ſed conditio reſolutiva; Quamvis negativam teneant Henriquez *lib.*10. *cap.*2. §. *ult. in fin.* Zerol. *p.*1. *v. Beneficium.* §. 4. *dic.*4. Saagun *in c. fi. de ſequeſt. p. ſ. n.*81. Mulan. *p.*1. *tit.*1. *q.*9. 5

Atq; ex his videtur reſpondendum dubitationi propoſitæ, nempe Matrimonium hujuſmodi non valere. 6

At nihilòn inùs valere cenſuit S. Congregatio Concilii ſub die 12. Martii 1593. & in Marianenſi 24. Martii 1653. Nam licèt hujuſmodi beneficium per non promotionem ad Sacerdotium intra annum poſſit per alterum impetrari, poſſeſſio tamen in conſcientia non vacat, donec ſpolietur; unde hujuſmodi vacatio operatur tantùm, quoad vacationem poſſeſſionis, adeò ut, ſi non ordinatus adhuc retineat poſſeſſionem beneficii, non poterit alter de beneficio proviſus capere poſſeſſionem, niſi vel non ordinatus conſentiat, vel primum ab eo auferatur poſſeſſio auctoritate Judicis, Innoc. in *c. Cum noſtris, col.*1. & Imol. *nu.*33. *de conceſſ. præb.* Idem Innoc. in *c. Accepta, verſ. aliis autem,* ubi Abb. *de reſtit. ſpol.* quam tamen poſſeſſionem tradere poteſt Judex, non citato, neque aliàs vocato eo, qui poſt recuſationem, vel privationem detinet beneficii poſſeſſionem, cùm de ejus non jure notoriè conſtet, Innoc. in *d. c. Accepta,* ibique Abb. & reliqui, Roman. *conſ.*499. *n.*5. Ferret. *conſ.*181. *n.*5 *& conſ.*188. *n.*3. 7

CONSULTATIO XXV.

An rectè, prudenter, & laudè dignum faciant, qui in, vel extra Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia &c. à ſe fundata, arma ſua gentilitia poni curant?

ET quidem id laudabiliter, & non præter rationem fieri ex ſequentibus pateſcere videtur. 1

Primùm enim multi ex Juriſconſultis apertè ſcribunt, in opere cujuſpiam impenſis, ac liberalitate facto, ſeu conſtructo arma ejus licitè affigi, atq; apponi poſſe per textum in *l. fin. in fin. C. de Stat.* notat Alberic. in *l. Legatum,* per textum illuſtrem in *fi. ff. de adminiſtr. rer. ad Civit. pertin.* Nec ſolùm habenti proprietatem in aliqua re arma ſua pingere licèt, ſed etiam uſufructuario in re, in qua habet uſumfructum, *l. æquiſſimum,* §. *ſed ſi adium uſusfructus legatus ſit, Nerva filius & lumina immittere eum poſſe ait, ſed & colores, & picturas, & marmora poterit, & ſigilla, & ſi quid*

ad domus ornatum pertinet, ff. de usufruct. & notat ibi, Angel. de Perus. & Flor. quia per hoc non efficitur deterior conditio rei, neque mutatur ejus substantia, quoniam aliàs secùs esset, *l. monumentum, C. de relig. & l. rep. §. rei mutatione, ff. quib. mod. ususfructus, vel usus amitt.*

3 Deinde, quod insignia etiam in ipsis Templis collocare liceat, non inelegantèr firmare videtur Chassan. in *catal. glor. mund. p. 1. consid. 13.* ubi dicit, donantem, seu legantem pecuniam, ut fiat aliquod opus, puta Templum, ædes sacræ, hospitale, imagines &c. nomen, vel arma sua in iisdem inscribere, ponere, seu depingere posse, nec debere abradi, seu deleri, etiam ut alterius arma ponantur, textus in *l. qui in liberalitate in princ. & fin. ff. de oper. publ.*

4 Nam ad Judicis pertinet officium tueri memoriam defunctorum, *l. quintus, §. Pomponius, ff. de arm. leg.* Per armorum insignia denotatur, & conservatur familia domus ejus circa divinum cultum, quæ per impressionem aliorum armorum confunderetur, & in modico tempore ignorari posset, quis dictam Ecclesiam, seu Capellam fundaverit, vel quæ domus, & sic non conservaretur agnationis dignitas, quæ debet esse salva, *l. 1. §. 1. ff. de liber. agnosc.* Per signa enim cognoscuntur signata, *cap. In novellis, de judic.* Et propterea armorum alienorum impressio est prohibita in alienis rebus, *l. 1. C. ut nemini liceat, & l. Basilicam, C. de nov. oper. nunc.* Et quando finiretur familia, ut quia nullus de domo supereresset, tunc non debet extingui memotia, sed extendi per aspectum ædificiorum Templi Dei, & similia, Mart. *de jurisd. p. 2. cap. 4. num. 28. in fin.* Hinc etiam post Petrum à Palza *in epit. delect. lib. 1. c. 6. nn* 17. tradit Schrader. *de feud. p. 9. cap. 4. nu* 24. eum, qui statuas, imagines, vel insignia alicujus concutit, delet, conflat, vel aliter violat, illum cujus sunt hæc statua, imago, vel insignia, & injuria afficere, & injuriarum ab eo conveniri posse. Sic etiam insignia Domini destruentem feudo privari, Rosenthal. *de feud. cap. 10. q. 37. num. 29.* eo casu admittit, si dolosè, & sine causa id ab eo factum sit.

5 Tertiò ab hac opinione aliena non est traditio Doctorum asserentium, obligari quem posse non solùm ex contractu, *l. ex hoc jure, §. fin. de donat.* sed etiam ex testamento, ut si quis institutus sit hæres sub conditione, ut nomen, & arma testatoris deferat, *l. facta* 63. §. *Si verò nominis, ff. ad Trebell.* quod exquisitè exornat Anton. Thesaur. *dec. ult. per tot.* ubi initio testatur, istam conditionem in institutionibus, & substitutionibus extraneorum in Hispania frequentem esse, & in Curiis judiciorum multùm agitari per Doctores, ibi per eum copiosè allegatos, & *n. 15.* apertè tradit, eo modo institutum hæredem gravari etiam posse, ut teneatur arma testatoris pingi facere etiam in domo, vel Capella, ut per Jo. de Anan. *cons. 86. col. fin.* & ibi Bolog. in *addit.* Anchar. *cons.* 113. & latiùs per Michael. Palaez *in tract. major. par. 2. quæst. 8. num. 4.* & Molin. *de primog. lib. 2. cap. 14. in fine.*

6 Quartò, nemo facilè inficias ibit, eum, qui Ecclesiam ædificavit, aut sacellum exornavit, expertem reprehensionis esse, etiamsi dicat: Hæc à me Ecclesia, hoc sacellum sumptibus meis ædificatum est; quid obstat, quo minùs idem possit scribere? Et si potest nomen suum, aut familiæ, quæ Ecclesiam dotavit in memoriam adscribere, cur ei non licebit significatione signi proprii idem efficere? Cùm præsertim ipsa scriptione contineatur & nomen, & cognomen, & universa perfecti operis historia, insigne verò Auctoris tantùm familiam significet per jura superiùs adducta.

6 Quintò videmus hunc sacris locis apponendorum insignium morem, nedum ætate nostra, sed etiam priscis sæculis ante Salvatorem nostrum in terris natum in usu fuisse, ut habetur 1. *Mac.* 13. ibi: *Ædificavit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito, retrò & antè: & statuit septem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam, & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Et 1. *Reg.* 31. ibi: *Posuerunt Philistæi arma Saulis interfecti in Templo Astaroth, corpus verò ejus suspenderunt in muro Bethsan.* Et hunc morem etiam hodie servamus, ut sepulchris arma, & insignia defunctorum, nomen & familiam referentia, affigantur, Thesaur. *d. dec. ult. n. 34.*

Sextò, si licitum, vel potiùs, quandoque necessa- 7
rium est, in sedilibus, scamnis, & scabellis Templorum signum fieri, ne loco moveantur, vel aliorum usui pateant per traditionem, Menoc. *de recup. remed.* 15. *n.* 47. ea ratione, quod sicut Patronus ex gratia habet in Ecclesia jus Patronatus, *cap. Quoniam, de jurepatr.* Sic ei ex gratia concedatur habere sedem in Ecclesia, honoris causa, ut tradunt Host. & Abb. in *cap. Abolendæ, de sepult.* Cur non idem permissum esse censeatur in parietibus, portis, aut turribus Ecclesiarum?

Septimò, non abhorret ab hac sententia, quod Sal- 8
vator noster in Evangelio præceperit, ut facta nostra omnibus pateant, omnibus cognita sint, luceantq; opera nostra corã hominibus, ut exemplo, & quasi cohortatione quadam alios in viam rectam ducamus, *Matt. c.* 5. Ut igitur facta per aliquem Ecclesiæ ædificatio, altaris constructio, vel cujusvis rei ad sacros usus destinata donatio aliis etiam innotescat, iisq; ad similia facienda incitentur, ejus rei admonitoria, & incitantia insignia in Ecclesiis ponere utiq; licitum esse videtur.

Consequitur, quod eam maximè ob causam funda- 9
torum imagines in Templis poni debeant, ut facilius homines adducantur, ut in Ecclesias liberalitatem exerceant, easque altaribus, picturis, & reliquo vestium, & rerum apparatu instruant, quæ parva impensa comparari non possunt, cùm intelligant in eisdem Ecclesiis monumentum aliquod nominis sui perpetuum relinqui posse, & hoc non leve est incitamentum apud animos hominum, qui cùm videant aliquorum nomina his insignibus illustrata, imitationis desiderio incenduntur, quo fit, ut per singula tempora Ecclesiæ & ampliores, & ornatiores existant.

Verùm juxta quæstionis statum suprà à nobis for- 10
matum, secùs nobis respondendum esse videtur. Contrarium enim firmatur ex regula subsequenti, cui adhærere debemus. Certum enim est, quod eo ipso dum Templa, vel Monasteria, Capellæ &c. ædificantur in solo ad Ecclesiam deputato, ea efficiuntur ejusdem, & cedant solo inædificato per textum expressum in *l. A deò, ff. de acquir. rer. dom. §. Cùm in solo, Institut. de rer. dom.* Sed juris expediti est, quod in re aliena non liceat imponere insignia, vel arma, *l. 1. & per tot. C. ut nemini liceat sign. impon. l. si Basilicam, Cod. de oper. publ.* Bartol. *in suo tract. de arm. & insign. circa princ.* & Jo. de Anan. *cons. 86.* Cùm ergo ædes Sacræ, Monasteria, atque Ecclesiæ domus Dei sint, & divino cultui destinatæ, atque dicatæ, non videtur æquum esse, ut quis sua insignia in alienas ædes inferat, vel in iisdem relinquat, Bartol. *loc. cit. n. 4.* quæ, ut alibi dictum est, jurisdictionis, & dominii argumentum præseferunt, eleganter Cardinalis Palæot. *de Sacr. & profan. imag. lib. 2. cap. 48.* quia planè inconveniens, atque absurdum est, origine rei mutata, ac dominio in alium translato, ea in re, quam quis in alium transtulit, imaginem, atque insignia ejus remanere contra textum expressum in *l. un. C. de lat. libert. toll. in princ.*

Deinde cùm provisi juris sit, quod venditor domus, 11
aut prædii alicujus, non queat in re alienata arma sua de novo ponere, multò autem minùs possit emptorem compellere, ut insignia sua vetera retineat, sed liberum ei sit auferre antiqua anterioris Domini, & sua propria reponere per notata Chassanæi *d. p. 1. consid. 2.*

ad

ad fin. multò minus sanè decet, eum, qui liberè Deo Ecclesiam, aut rem aliam dedicavit, signa ibi inferre sua; quandoquidem munus totum liberaliter Deo obtulit, atqueòmne dominium à se in cœlestem Dominum transtulit.

12 Tertiò, ad fulciendam hanc sententiam præmissis illud morale non impertinenter addimus, quod sicut imprudenter faceret & semetipsum aliorum ludibrio; ac risui exponeret, qui librum fortè, aut numisma vetus Principi donaturus, signum suum in eo appingeret, vel arma sua cum Principum insigiis conjungeret per ea, quæ in simili scribit Ereccia *de feud. aucl.* 47. *n.*2. ubi dicit. si in eodem loco, & æqualiter subfeudatarius poneret arma sua cum armis Domini, quod videretur eidem se æqualem facere, Jas. in *l.*1.*C. ne nemo privat. in princ.* ubi ait, quod insignia Principis non debent depingi, nisi super rebus quæ sunt Principis, ut Venetiis videre est in armis S. Marci quæ non pinguntur in ostiis aliorum, nisi sint Duces, Bald. in *l.* 1.*C. quæ res vend. non pos.* ubi tradit, eum, qui arma sua cum insigniis Principis conjungit, videri se parem facere eidem, sicut Lucifer, qui voluit se parem facere Deo, & ideò ejectus fuit è cœlo. Ita longè Deo despectus major infertur, si in eo, quod Principi omnium Principum donatur, aliud appareat, quàm divinæ Majestatis insigne; præsertim cùm Deus signo, ut nostri meminerit, non egeat, quod necessarium hominibus sæpè esse solet, D. Thomas 2.2. *qu.*19. *art.*1. qui aut multa ignorant, aut recordari omnia non possunt, quo fit, ut insigne adjectum Deo nulla in re serviat, sed tanquam instrumentum ad ostentationem inventum nos ipsos prædicet.

13 Quartò, cum in jure civili ab Imperatoribus cautum reperiatur, non licere homini privato imaginem suam in Aula regia ponere *per l. Si qua. C. de Spectacul.* nec quemquam, ut dictum, est in aliena domo sua ponere arma conveniat, quantò minùs hoc facere oportet in Sacrario Dei; ubi præ reverentia ipsi Angeli, & summæ Cœli Potestates contremiscunt, ut quispiam ignobilitatis suæ arma inferat, & tanquam gemmis, & auro carbones atros admisceat, ita arguente Palæoto, *d. c.*48.

14 Quintò decisionis nostræ armorum in Ecclesias illationem coarguentis, fundamentum positum habemus in *l. Basilicam, C. de oper. publ.* ubi Imperatores Theodosius, & Valentin. disertè inhibuerunt, ne in Basilica, quæ est Domus Regis, vel Ecclesia Sacra, insignia, seu arma alicujus apponantur vel alicujus imaginis, aut pictarum cujuslibet honoris tabularum obumbratione Basilicæ obfuscentur. Quo textu innixus Salycetus ibi ad terminos decisionis nostræ ad literam tradit, in Sacra Ecclesia non posse alicujus imagines pingi, vel statuam poni.

15 Sextò pro confirmatione enunciationis præmissæ illud in primis considerandum est, illos qui signa sua in Ecclesiis, quas construunt, & in vestibus, quas Deo donant affigunt, grave periculum incurrere, ne meritum omne amittant quod fieri tradidit ex antiquioribus Gemin. in *cap. Duæ sunt*, 45. *d.* quem refert ac sequitur Bernard. de Landriano *in addition.* Panormit. in *cap. Dilecta, de excess. Prælat.* Idem cum aliis admisit Chassan. *d. consid.* 13. ubi rotundè dicit, advertendum esse, quod ponentes arma sua in Ecclesiis, quas faciunt, aut in ornamentis, quæ donant in Ecclesiis, sive Monasteriis, meritum perdant. Et præter dissuasorem ejusdem rei se inter modernos præbet Anton. Sola *de arm. & insign. gloss.*2. *nu.* 8. ubi graviter monet Ecclesiarum fundatores, ornamentorumque Ecclesiasticorum largitores, ne in Capellis, vel ornamentis insignia depingi, vel insui curtent, eò quod per id boni operis meritum amittant.

16 Ultimò denique hanc ipsam satis superque confirmatam decisionem summæ authoritatis, ac nominis Jurisconsultus Gabriel. Palæotus *de imagin. lib.* 2 *cap.* 47. *vers. potest etiam*, expressè tuetur, inquiens, graviter errari, si insignia in Ecclesiis ponantur, aut cum rebus sacris, & divino cultui addictis conjungantur, quod inde non parva indignitas, & summa analogiæ offensio consequatur, ibidem subjungens, licèt hæc in laicis fortè dissimulanda sint, in personis tamen Ecclesiasticis minùs tolerari, & majus argumentum spiritus, & prudentiæ eos præbituros, si ista prætermittantur. Nam cùm Clerici & charactere, & vestitu, & piis fidelium oblationibus, ac eleemosynis, quibus fruuntur, item officiis, quæ sustinent, & sacris omnibus, quibus initiati sunt, publicè profiteantur, se à mundo abesse longiùs, & Summo Deo verè dedicatos, æquum, & eorum muneri conveniens est, ut in his familiarum insignibus, in his titulis affinitatum se cæteris præbeant dissimiles, & in ipsorum locum Ecclesiarum titulos, si quas habent, inferant; aut ab officio Ecclesiastico, cui addicti sunt, aut aliundè aliquid petant, quod & studiis ipsorum respondeat, & cum instituto vivendi genere congruat; denique re ipsa aliquid significent, quod ab eo, quod insignia facere solent, longissimè absit. Nam cùm ista ostendat, res illius esse proprias, cujus insigne ferunt debent ista quidem ostendere id, quod possidetur esse Ecclesiæ proprium, esse dignitatis, aut officii, in quo positi sunt, aut aliquid aliud cum vita Ecclesiastica consentiens.

Existimo autem præcitatos Authores in hac traditione potissimùm respexisse ad abusum hujus rei quem 17
Palæot. *d. cap.* 48. tam longè processisse, adeòque hominum animis dicit insedisse, ut si cui venit in mentem Ecclesiam ædificare, aut singulari aliqua re illam exornare statim etiam ante cœpti operis initium cogitare incipiat, quem reperire possit illustriorem locum, ubi insignia sua collocare possit, ut se fortasse in primis nobilitet, accuratè prospiciendo, ut signum suum summè conspicuum, impensèque elaboratum omnium oculis appareat.

Ex quo quidem abusu dubium non est, quin commu- 18
ne illud diverbium scaturiginem sumpserit, quod vulgò dicitur, hoc est, non fieri Ecclesiam, in qua sibi dæmon sacellum non occupet, quod urbanè, ac perbellè ad propositum applicat Palæot. *d. cap.* 48. ubi subjungit, nec verbi Dei prædicationem uspiam constitui, in qua ipse locum assidendi non habeat, nec ullam unquam sortem, aut conditionem proponi, in qua ipse suis suffragiis non utatur. Ita inquit ille. Cùm in casula sacerdotali, aut pallio, aut candelabro altaris, aut rebus hujusmodi signa auctoris fiunt, videri dæmonem, tanquam de specula quadã cum populo his dictis agere: aspicite me hoc in loco considentem esse, ista pars mea est. Ecce vanitatis, & inanis gloriæ meæ insignia. 19

Ex quibus omnibus satis patere existimo, non satis prudenter facere illos, qui insignia sua solo nomine militarem originem præseferentia, & merè profana in Ecclesias inferunt, quæ divini dumtaxat nominis laudibus, & non aliis mundanæ vanitatis solemnitatibus dicatæ fuerunt. Quibus ita firmatis, non est, quod laboremus multum de argumentis, quæ pro asserenda contraria sententia initio quæstionis adducta sunt.

Quod enim primò, & secundò, ad illatas Doctorum 20
authoritates attinet, asserentium, posse quemlibet in opere suis sumptibus fabrefacto insignia sua ponere, id non negamus quidem in profanis structuris licitum esse, minimè verò in Templis, aliisque locis Deo sacratis. Tametsi autem nulli ex citatis expressè etiam de locis consecratis, & sic de Ecclesiis loquantur; tamen magis est, ut illorum dicta, ad eos, qui jurapatronatus in Ecclesiis illis habent, quorum auctoribus per Summos Pontifices, vel ex indulgentia quadam, & speciali gratia, vel ex longæva consuetudine ad tuenda eadem jura, illud per quamdam quasi conniventiam permissum fuit referantur.

21 Quamvis nec in eo definit existimantes multò meliùs esse, si qui Ecclesias liberalitate Christiana ducti, optimoque consilio incitati, ædificent, vel congruente dote exornent, ut vel arma sua gentilia iis planè non inserant, ut priscis temporibus Sancti Patres fecerunt, qui rationes omnes ad solius Dei gloriam disseminandam contulerunt, vel si ea ad patronatus jura tuenda loco sacro apponere, ac familiæ monumentum relinquere, id non ostentationis causa, sed solo juris tuendi studio faciant, uti rectè nos monuit Salvator Noster in iis rebus, quæ pertinent ad pietatem, tutiùs, ac meliùs fore, si quod manus dextra facit, sinistra ignoret. Quod ipsum magis fieri debet in hujusmodi rebus, in quibus cùm magnum, liberalemque animum ostendamus, insignibus, tanquam argumentis proprii, indebitique forsan amoris, bona omnia, si qua inerant, evertimus.

22 Quare ex eodem fonte derivatum tantò minùs id aliis licere, cum jus singulare produci ad consequentiam non debeat, *l. 1. ff. de const. §. Sed & quod princ. Instit. de jur. nat. gent. & civil. l. si verò, ff. de legib. l. si verò, ff. de viro. ff. sol. matr.* ubi Bart. Castr. Imol. Everard. *in loco à ratione legis num.* 41. Si enim in uno casu aliquid est speciale, sequitur jus commune contrarium esse, *cap. Contra morem, d. 8. c. Petiisti 7. q.* Et quotiescumque tractatur de his, quæ de jure speciali competunt, illud videtur esse prohibitum, quod specialiter concessum non est, *arg. cap. Perveniſti, d. 73.* & quod ibi notatur, item *c. Consuluisti 2. q. 5.* Arch. in *c. Hortamur, d. 71.* Gloss. *in cap. ult. 24. quæst. 1.* & Menoch. *cons. 90. n. 82.* Unde consequitur, indignum esse, ut quis authoritate propria præsumat, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta, singulari privilegio indulsit. Constat autem speciali gratia Summorum Pontificum conditoribus Basilicarum hoc esse concessum, ut alii tantò promptiores ad hujusmodi pia opera redderentur.

23 Præterea adversus objectionem tertiam de testatore hæredem ad ponenda in Templo ejus insignia gravante illatam, parata responsio est, quia ut videre est, subjungit illic ipsemet Thesaurus *d. n. 15.* excusationem taliter gravati, quod nimirùm, si Præpositi Ecclesiæ nolint ea arma, seu insignia depingi in Ecclesia, excusaretur gravatus. Siquidem non stet per eum sed Ecclesiasticos, qui nolunt Ecclesiam, domum orationis, facere vanæ ipsius humanæ gloriæ, & ambitionis spectaculum, & cum Ecclesia etiam non sit hæredis gravati, sed Dei, & ipsius Præpositi non poterit in re aliena insignia apponere per notata Ananiæ *d. cons. 86. col. 2. in fin.* & Bartol. *in cit. tr. de insignib. col. 2.*

24 Ad quartum argumentum respondetur, haud minùs in dicendo, quam scribendo summam cautionem esse adhibendam, ut vitium ostentationis devitetur. Homines enim in re sua restrictiores esse oportet, nisi aut personæ, aut justitiæ, aut charitatis officium aliud deposcat; quod si quis passim jactitet, re nulla suadente, aut exigente, sacellum illud à se ædificatum, aut Ecclesiam fundatam esse, ipse videbitur tuba canere, & supellectilem suam ostentare, quam latroni vanitatis facilè diripiendam exponit; quod si eadem literis, & scriptioni committantur, idem subest periculum, atque eò majus, cum scriptura, tanquam publica res loco apertiore, non ad breve spatium, sed ad longi temporis memoriam omnibus proponatur, semperque loqui ac durare censeatur, *arg. text. in l. Ariani, Cod. de hæret. & in l. quædam §. numularius, ff. de edend.* ibi: *quarum probatio scriptura continetur*, Paris. *cons. 112. n. 44. vol. 1.* Bald. *in l. un. nu. 5. circa fin. C. de confes.* ubi dicit scripturam habere actum permanentem, sed non confessionem viva voce factam, Hippol. *sing. 469. incip. Viva vox*, Glos. *in d. l. quædam in v. decurritur*, Alexand. *cons. 245. nu. 1. cum seqq. vol. 6.*

25 Quinta dubitandi ratio pro defensione contrariæ sententiæ allegata, adeò frivola est, ut uno verbo destrui possit. Nec enim hic de iis insignibus loquimur, quæ alicui post obitum ab aliis honoris ergo ad rei memoriam ponuntur, sed de iis, quæ sibimetipsi aliquis vanæ gloriæ aucupandæ causa procurat. Jam verò in adducto Simonis exemplo, is non sibi, sed fratri suo vita functo sepulchralia ejusmodi monumenta constituit. Quem morem etiam hodie laudabiliter observamus, ut sepulchris arma & insignia defunctorum nomen, & familiam referentia, deferantur, & affigantur, Chassan. in *catal. glor. mundi part 2 consid. 6.* Tiraquel. *de nobil. c. 20. n. 149. cum seqq.* quod si ultimus familiæ moriatur, insignia franguntur, & simul cum eo sepeliuntur, Rudinger. 5 *obs.* 46. quod spectat illud Taciti *lib. 16. Annal.* Exequiæ à promiscuo secernunt funere nobiles, idque olim apud antiquos visitatissimum fuit, erantque hæc insignia defunctorum trophæa, ut apud Maronem *Æneid. lib 10.*

Ad sextum, quod attinet objectum de sedilibus, & scamnis respondetur, illa in Templis ab hominibus privatis ad usum & commodum proprium constitui & inde pro libitu rursus auferri, & in quemcumque profanum usum converti posse. Templa autem, & quæ iis inferuntur, tanquam Deo jam Sacrata, in alium usum traduci amplius nequeunt: adeòque cùm ad divinum dumtaxat honorem deputata fuerint, nullum in iis benemerentium signum necessarium, quandoquidem eorum, quæ nota sunt, universum dominium, à se in donatarium transfertur, *arg. textus*, juncta Glossa ordinaria, *in l. 2. ff. de publ.* Bald. *l. 2. C. Si quis alteri, vel sibi*, ibique Salyc. & alii, idem Bald. *in l. Cum hi ff. de transact. 1. lect. col. fin. & l. 2. ff. de leg. 1.* ibi Castr. Alex. & alii communiter, & idem *in l. Si mortis, C. ad leg. falcid.* Specul. *tit. de donat. col. pen.* & Notat Roman. *l. 1. ff. de donat. caus. mort. col. fin.* & ibi Cuman. aliique, Angel. de Aret. §. 1. *Instit. de donat. col. fin.* ubi Rimin. sub *num.* 653.

Nihil etiam negotii facessit, quod septimo loco ex præcepto Evangelico inductum erat; quia respondetur, Salvatorem voluisse, ut opera hominum, non tamen Auctores operum coram hominibus videantur ac pateant; quod longè abhorret ab insignibus, & titulis, qui nihil agunt aliud, nisi ut Auctoris personam ostentent, cùm opus ipsum se satis declaret nec signa aliqua ad sui declarationem desideret. Præterea addit idem Salvator causam, cur id requirat, dicens: *Ut glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis.*

Non est denique quod nos soliciret eodem loco proposita aliorum invitationis illatio. Ea enim per supradicta in primæ ac secundæ objectionis refutatione satis enervata intelligitur, ubi simul diximus ad probandum juspatronatus id indulgentia Sacrorum Canonum conniveri magis, quàm approbari; & consequenter si quis ad patronatus jura tuenda velit insignia gentilia loco sacro apponere, & suæ nobilitatis ac familiæ monumentum relinquere, id non ostentationis causa, sed solo juris tenuendi studio esse illi permissum, Palæot. *d. l. 2. cap. 48. §. hinc. sequitur.*

Cæterùm his ita dissolutis, licèt asserta hucusque negativa opinio theoricè disputando jure optimo defendi posse videatur, ne tamen quis sensum nostrum durius interpretetur, existimando, nos magnis Prælatis, & Principibus viris penè innumerabilibus, qui summa pietate præditi in construendis Ecclesiis, iisdemque insigni munerum thesauro augendis, toti insudarunt, & insignia ibi sua reliquerunt, aliquam reprehensionis notam inurere, idcircò, quia propositi nostri non est tantorum virorum facta redarguere, aut de alienis consiliis judicium ferre, sentimus, prædictam decisionem cum mica, quod aiunt, salis accipiendam esse, adeòque institutum illud affigendorum insignium, quod latiùs inter Prælatos Ecclesiarum dimanaverit, per se non esse reprehendendum. Cùm enim signi natura indifferens sit, & in medio quasi loco inter

virtutem,

virtutem, & vitium consistat, quod totum à vano hominis proposito alium, & alium finem respiciente profiscitur, ea propter hisce in rebus agentis intentionem spectandam rectiùs asserit Purpur. *in l. 1. num. 156. ff. si cert. pet.* eumque sequutus Anton. Sola *d. glos. 2. num. 8.* quæ si recta sit, armorum positio non solùm ab omni vituperatione aliena, verùm etiam admodum Deo accepta, & meriti loco esse, sicut è diverso quando deest rectus finis, per eamdem peccati labes contrahi potest.

30 Quare Prælatos illos excusatione dignos putamus, qui cùm videant consuetudinem hanc titulorum & insignium retinendorum usu, & consensu penè omnium, qui dignitates in Ecclesia obtinent, receptam, eamdem ipsi quoque, ut ad virtutes, quibus dignitates promeruerunt, consanguineos successores excitent. Itaque si quis est, qui insignia sua in turribus Templorum, vel ipsis etiam in Ecclesiis ponere velit, illud in primis illi curandum esse existimo, ut eum sibi finem præfigat, vel alios exemplo suo in exornandis ædibus sacris excitandi, vel quod instituti nostri ratio magis suadet insigniorum suorum appositione fidem tituli patronatus firmandi.

31 Id, quod clarum fit etiam ex adjectis declarationibus. Episcopus non debet amovere arma, seu insignia, & monumenta, seu memorias suorum Prædecessorum ab Ecclesia, vel palatio Episcopali, maximè si fuerunt constructa propriis ipsorum expensis. Sac. Congregatio super Episcopis in Messanensi 9. Martii 1593. & alibi 21. Novembris 1603. 26. Januarii 1604. 18. Septembris 1606. & 30. Aprilis 1609. Neque de paramentis, non obstante Concilio Provinciali, si in Metropolitana tolerantur 26. Januarii 1604. Unde coactus fuit per censuras Baro, qui eraserat insignia Episcopi à quibusdam paramentis factis ab Archipresbytero, & sua substituerat, ad restituendum omnia in pristinum 27. Novembtis 1615. Nec fundatorum Ecclesiæ, vel Monasterii 9. Octobris 1618. Et si fuerunt amota restitui debent, ut priùs 11. Augusti, & 6. Octobris 1645. Armaque ejus, qui Capellam ornavit, non debent amoveri 10. Februarii 1604. Sed ejus, qui nihil contulit, vel cui fuit erogata, pecunia restituta, debent amoveri 15. Octob. 1601. Maximè si est laicus 28. Septemb. 1596. & 20. Martii 1600. E contra Universitati permitti debet sculpere, seu apponere sua insignia in Ecclesia à se erecta, dotata, & restaurata, absque tamen eo, quod per appositionem hujusmodi insignium sibi acquiratur, vel augeatur aliqua ratio jurispatronatus super ipsa Ecclesia 11. Aug. 1645. Attamen patroni debent manuteneri in quasi possessione tenendi in Ecclesia sua insignia 17. Septembris 1601. & 4. Septembris 1602.

32 Faciat igitur quisq; & patiatur carpi dicterio, quo Trajanum carpsit, & libavit, qui eum *herbam parietariam* dixit, quod nomen ubique inscriberet operibus, vel novatis. Quid mali? Faciant alii, & inscribant.

CONSULTATIO XXVI.

An patronus, in quem legitimo titulo juspatronatus Ecclesiæ, Hospitalis, Capellæ &c. translatum est, arma, seu insignia primi patroni inde auferre, & sua apponere, vel appingere possit?

1 HAud præter rationem id omninò licitum esse videtur ex eo, quod tradit Marin. Freccia *de feud. lib. 2. auct. 47. n. 3.* ubi dicit, si alienetur feudum in alium, donetur vel vendatur, & in eo essent insignia prioris domini, posse novum successorem, & dominum illa amovere pro libito voluntatis; quia per alienationem validam jam definit ex toto dominus esse, neque aliquod jus penes alienantem remansit. Cùm igitur nulla imago prioris Domini remaneat, priorque origo sublata sit, absurdum esse Iustinianus inquit *in l. 1. in pr. Cod. de lat. liber. tol.* origine rei sublata ejus imaginem relinqui. Causa verò armorum, seu insignium in locum existentium erat dominium; eo igitur mutato, mutatur status, & conditio rei, cessatque causa causæ, extinguitur sequela, & accessorium ejusdem.

Deinde in eamdem partem affirmativam faciunt 2
tradita per Ancharanum, qui *cons. 113.* expresè concludit, quod armis fundatoris in Capella, vel sepultura pro se, & familia sua facta, appositis alii postea ex fœminis ejusdem familiæ descendentes sua etiam insignia conjungere possint, & Monachi id, deficiente etiam prole masculina, permittere debeant.

Sed præmissis non obstantibus, contraria sententia, 3
uti favorabilior esse videtur, ita crebriori ab interpretibus calculo approbata, & recepta est, firmante eam post alios Lambertino *de jurepatr. art. 4. qu. 5. n. 12.* ubi concludit nullo modo arma primi fundatoris à Capella, Ecclesia vel sepulchro esse amovenda, sed ibidem semper permanere debere in memoriam primi fundatoris, & ait, in hoc concordare omnes Doctores. Et hoc ipsum ante prædictum Lambertinum consulendo etiam decidit Anania *respons. 86. circa finem*, ubi dicit interesse memoriæ illius fundatoris, ut alia arma, vel insignia, quàm sua non ponantur; quia per talia signa armorum conservatur memoria defuncti. Et pro hoc dicit optimè facere textum *in l. legatum in fin. ff. de admin. rer. ad Civit. pertin.* & quod notat Bald. *in l. 1. C. ut nemini liceat.* Nam memoria fundatoris per impressionem armorum alterius posse facilè confundi, quia successu temporis posset dubitari quis illa Sacella ædificari fecerit, & sic non conservaretur dignitas agnationis fundatoris, quæ salva semper esse debet, *l. 1. §. Sed & servus, ff. de ventr. inspic.* Concurrit insuper in hanc sententiam Bart. *in l. qui liberalitati §. nec. ejus nomine de oper. publ.* disertè statuens, non esse licitum primi patroni insignia antiqua tollere, vel abradere, & ponere nova, ubi etiam per textum illum infert, Religiosos malè facere, qui Capellas antiquorum fundatorum, in quibus adpicta sunt eorum arma, immutant, veterum patronorum insignia auferentes, vel delentes, uti etiam notat Roman. *singul. 474.* & refert Jo: de Terrarubra *in suo opere de vinea Eccles. tract. 3. art. 6. concl. 8. in v. damnabilis.*

Ad quod facit textus *in l. Si quando, C. de oper. publ.* 4
ubi habetur quoties opus publicum, ut palatium, ædes sacræ, vel porticus reparatione indiguerit licitum quidem esse imagines, statuas, scriptiones nominum, vel arma quorumcunque deponere, sed refectis ædificiis unamquamque remotam reportari, & proprio loco denuò collocari debere. Idem non ineleganter firmare videtur Menoc. *de recuper. pos. remed. 15. n. 47.* ubi inquit honoris causa patronis esse concessum ut habere possint in Ecclesiis depicta familiæ insignia, quæ ab alio abradi sine domini injuria nequeant, allegans ad id Bartol. *in d. l. 1. §. ne ejus nomine, ff. de oper. publ.* ac Cæpol. *tract. de servit. urb. præd. cap. 71. de pictura.*

Præterea in confirmationem hujus conclusionis ac- 5
cedunt textus *in d. l. qui liberalitate*, ibi: *de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur.* Et ibi: *non ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, erasa, aliorum nomina inscribantur.* Constat autem, eum, qui de novo Ecclesiam, vel Monasterium fundat, magnam exercere liberalitatē. Quare si idem in signum patronatus ibidem insignia familiæ suæ posuit, videtur id fecisse sub ea lege, ne unquam amoveantur per *dict. l. qui liberalitate, & l. Si judices, C. eod. l. legatam, ff. de administr. rer. ad Civit. pertin.*

Denique non solùm jure communi, sed particula- 6
ribus etiam multorum locorum statutis cautum est, eos esse puniendos, qui alicujus familiæ insignia in Ecclesiis, aliove loco ad perpetuam memoriam collocata corrumpunt, & delent. Et quidem Roman. *de singul. 474.* scriptum reliquit pœnam ejusmodi esse Judici arbitrariam, cui subscripserunt Com. §. *pœnales, num. 5.*

Instit.

Inſtit. de actionib. Curt. Jun. *in l. Si quis, id quod num. 6. de juriſd. omn. Jud.* Rebuff. *in com. ad Reg. Conſt. Gall. tom. 3. tit. de mater. poſſeſ. art. 1. gloſ. 2. num. 35.* ex textu, ubi Bartol. *in l. qua liberalitate, ff. de oper. publ.* Menoch. *de arb. lib. 2. cent. 3. q. 281.* ubi *nu. 6.* dicit extare, Patavii ſtatutum ſub *rubr. quibus liceat acquirere bona, cap. Nullus hominum,* quo pœna quinquaginta ducatorum inducitur illi, qui arma, inſignia, & epitaphia à ſepulchris delevit, atque corrupit.

7 Nec verò illa quæ initio quæſtionis in contrarium adducta ſunt hanc deciſionem infringunt. Quamvis enim arma, & inſignia prioris domini per novum ſucceſſorem in feudo alienato auferri, aut deleri poſſe concedatur, tamen aliud dicendum eſt, quando inſignia tempore fundatæ, ac conſtructæ Eccleſiæ per patronum ad judicium juriſpatronatus appoſita fuerunt, idq; propter ſummum conſtructoris favorem, qui etiam extincto jurepatronatus, durare cenſetur per rationes ſupra allegatas, quemadmodum etiam ipſemet Freccia allegato loco innuere videtur, inſignia in Capella alicujus depicta, ex quibus demonſtratur eam ab aliquibus de aliqua familia conſtructam fuiſſe; tanquam reliquias primævi juris durare debere, ibidemq; ex Capicio, & Chaſſanæo ſufficit, jus illud præeminentiæ, ac honoris ex prima fundatione acquiſitum, non eſſe finitum, quemadmodum in ſimili etiam diſſoluto feudo, remanent tamen reliquiæ ejuſdem ex præſtito fidelitatis juramento, ut teſtatur ex Bald. *conſ. 16. v. Porrò, vol. 1.* Frec. *d. auct. 47. ſub nu. 3.*

8 Præterea non obſtant quæ ex Ancharano inducta fuere. Nam in caſu ab eodem in conſultatione deducto aliæ rationes, ac circumſtantiæ conſideratæ fuerunt. Nam in primis Baronis illius, de cujus inſigniis ibi loquitur, Ancharani cognati pro augmento divini cultus ornamentis Capellam augere, & pro fratribus alendis multa adhuc in eamdem Eccleſiam conferre propoſuerunt, pro ſolatio tamen viventium ſua etiam, relictis tamen prioribus, inſignia ibidem affigere cupiebant. Ne igitur ob talem appoſitionem à bono propoſito abducerentur, id eis propter affectionem, quam ad locum illum habebant, concedere, conſulenti æquum viſum fuit, ideòque conſulendo concluſit, poſſe fratres Mendicantes de jure permittere deſcendentibus ex via fœmina à fundatore ſua arma imprimere, & aliis prohibere, & dictis Capellis, ac rebus ipſarum pro utilitate animarum, fundatoris, & ſuorum diſponere, prout iis viſum fuerit expedire.

9 Ad hæc inter hanc quæſtionem noſtram, & caſum ab Ancharano definitum, in re principali ſumma eſt diſcrepantia, quia nos de inſigniis, quæ ad judicium, & ſignum juriſpatronatus ex conſtructa Eccleſia competentis poſita ſunt, loquimur; ille verò ſermonem habet de armis gentilitiis, quæ in Capellis Fratrum Mendicantium juriſpatronatus incapacibus, collocata, ſculpta, vel adpicta fuerunt. At in comperto eſt, quod jura, quæ loquuntur de jurepatronatus laicorum in Eccleſiis, vel Capellis fundatis, vel dotatis per eos juxta ea, quæ habentur *in rubr. & per tot. tit. de jur patron.* non vendicant ſibi locum in Capellis fundatis per laicum in Eccleſiis, in quibus habitant Mendicantes. Nam in eis præſentatio, vel inſtitutio eorum, qui ſervire debeant circa divina, non habent locum, & in dictis Capellis ceſſat juſpatronatus, *cap. indemnitatibus, in fin. de elect. in 6.* Cùm ergo in dictis Eccleſiis non ſit reſervatum aliquod jus laicis liberè, & reſervatum ſit in adminiſtratione ipſorum Fratrum, poſſunt ergo diſponere fratres de dictis Capellis, ſicut de corpore Eccleſiæ, ſuæ; nam judicantur, tanquam membra Eccleſiæ, & tanquam acceſſorium ſequuntur naturam ſui principalis, *cap. acceſſorium, de regul. jur. in 6. & l. cum principaliter ff. de reg. jur.* Ex ex his manifeſtum eſt, præmiſſam noſtram deciſionem negativam per allatas dubitandi rationes non everti, ſed firmam, ſolidamque perſiſtere.

Ampliatur porrò eadem deciſio in terminis propoſitæ quæſtionis, quod novus patronus non ſolùm non poſſit mutare arma fundatoris à Capella, Eccleſia, vel ſepulchro, ſed neque etiam ſi ipſe eſt alterius familiæ, ſua inſignia, ſeu arma ſculpi facere, etiam rem anentibus antiquis. Ita apertè volunt prædicti Doctores & præſertim Anan. *in conſ. 86.* & Bologn. *in addit. ad d. conſ. 113.* in quo de Barone quodam differens, ait, licèt fuerit finita agnationis dignitas illius Baronis quia nullus de domo ejus ſupererat, tamen dicit, non debere extingui ejus memoriam, ſed extendi per aſpectum ædificiorum, Templorum Dei, & ſimilium, & ad hunc finem arcus triumphalis, & ſtatuæ marmoreæ ſculpebantur in hac Urbe, in qua hæc ſcribo, ut illorum memoria, qui glorioſè vixerant & honores geſſerant, in perpetuum haberentur. Qua in re modeſtus fuit Septimius Severus, qui, ut habetur ex Spartiano, Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, inſtauravit, nuſquam propè ſuo nomine adſcripto, ſervatis tamen ubique titulis conditorum. Quæ moderatio etiam in Alexandrum Severum derivata videtur. Quippè qui, ut eſt apud Lampridium, opera veterum Principum inſtauravit, & maximè pontes omnes, quos Traianuus fecerat. Aliquos etiam novos fecit ſed inſtauratis Traiani nomen reſervavit. Idem & cuſtoditum à Tiberio, utpote qui conſimiliter ædificia, ut ait Dio *lib. 57.* quæ ab Auguſto inchoata ad faſtigium perduxit, Auguſtique nomen iis inſcripſerit. Quod non in Auguſto tantùm, ſed & in aliis obſervavit, quorum ædificia cùm inſtauraſſet, nihil enim de novo ædificavit, præter Auguſti templum, non ſuum, ſed eorum, qui primum ea extruxiſſent, nomen iis inſcripſit. Diſſimilis ſanè non ſolùm Domitiano, qui, teſte Tranquillo *c. 5.* plurima, & ampliſſima opera incendio abſumpta, reſtituit, in queis erat & Capitolium, quod rurſus arſerat, ſed omnia ſub titulo tantùm ſuo, ac ſine ulla priſtini auctoris memoria, ſed etiam nonnullis noſtri temporis Magiſtratibus, qui reſtitutis aliquot Urbis parietinis ſuperbè nomina ſua inſcribunt, & quaſi Urbis non dicam Conditores, ſed cuſtodes inſignibus veluti ſignaculis eam muniunt.

Deinde ampliatur eadem deciſio, ut neque agnatus hæres juriſpatronatus ex linea fœminina deſcendens primi fundatoris inſignia immutare, aut ſua apponere poſſit in Eccleſia, Capella, vel ſepulchro fundatoris, ut nominatim conſuluit Anan. *in d. conſ. 86.* cujus deciſionem ſequutus eſt Angelus in ſuo *teſtam.* ante *fin.* gloſ. *in verb. idem mandavit conſtruit Capellam unam,* ubi concludit, non ſolum hæredem, ſed nec Rectorem, vel conventum Eccleſiæ, poſſe mutare nomen illius fundatoris Eccleſiæ, & ponere ſub nomine alterius, & concedere alteri, nec poſſe mutare arma aliqua, allegans ad hoc Bartol. *in l. 2. §. fin. ff. de oper. publ.* Cæpol. *de ſerv. urban. prad. in rubr. 71. de pictur. in fin.* ubi quæres de eo, qui fundavit Capellam, vel Eccleſiam, ibidemque in memoriam nominis ſui apponere fecit inſignia ſua, an Clericis ea delere, aliaque ſubſtituere liceat? decidit negativè, videlicet id ipſum iis non licere, & ſi contra faciant Judicis arbitrio puniendos eſſe, *l. Opus, ff. de oper. publ.* Quod etiam ſtatuit Romanus *ſingul. 355.*

CONSULTATIO XXVII.

An Matrimonium irritè propter impedimentum dirimens, bona fide contractum cum diſpenſatione Ordinarii, facultatem non habentis, ſi per Summum Pontificem convalidetur debeat iterum coram Parocho & teſtibus contrahi vel ſufficiat novus conſenſus abſque Parocho & teſtibus?

Hujus

1 HUjus quæsiti refertur triplex sententia. Prima est eorum, qui dicunt semper renovandum esse coram Parocho. Secunda excipit casum, si scandalum, aut infamia oriretur. Tertia, satis esse consensus contrahentium inter ipsos solùm.

2 Tenendum tamen est primò. Si matrimonium ejusmodi jam contractum fuit coram Parocho & testibus cum impedimento occulto, habita dispensatione impedimenti, satis est renovari consensum inter ipsos tantùm, idque ad evitanda scandala. Quia intentio S. Concilii Trident. *sess. 24 de ref. matr. c. 1.* requirentis præsentiam Parochi, & testium, fuit impedire peccata consurgentia ex clandestino. At id non militat in casu, in quo prius matrimonium, quamvis occultè invalidum, tamen in foro Ecclesiæ validum fuit, & publicum; ideòque ratio legis non se extendit ad hunc casum, ut pluribus Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 37.* Et ita declarasse Pium V. testatur Navar. *in man. cap. 22. nu. 70.* Et disponitur per S. Pœnitentiariam, teste Leonio *p. 2. de form. disp. matr.* Videndusque idem Navar. *lib. 4. tit. de eo, qui dux. in matr. cons. 3. numer. 3. & cons. 4. num. 1.*

3 Tenendum est secundò. Si Parochus, & testes non ignoraverant hujusmodi impedimenta, quando astiterunt matrimonio, posteà esset renovandus consensus etiam iis præsentibus. Item si esset periculum, ut detegatur impedimentum, & probetur in foro externo, tunc etiam celebrandum esset coram Parocho. Quia cùm constet in foro Ecclesiæ esse nullum, non essent idonei testes valoris, sed nullitatis ejus. Idemque putat Sanchez, etiamsi unus tantùm ex duobus testibus, vel Parochus impedimentum nosset, eadem *disp. 37. n. 10.* Melius tamen tunc impetrari à S. Pœnitentiaria dispensationem, at non obstante decreto Tridentini possint secretò inter ipsos renovare consensum.

4 Itaque si res est publica debent rursus cum trina denunciatione, & omnibus aliis solemnitatibus contrahere, ut per Rot. in Hispalensi Matrimonii 26. Februarii 1609. & rescripsit S. Congregatio Concilii Henrico Cardinali Legato Portugalliæ anno 1579.

5 Et ita quoque censuit S. Congregatio Concilii die 25. Maii 1657. nempè *S. Congr. Em. S. R. E. Card. Concilii Trid. Interpr. censuit, hujusmodi matrimonia esse nulla, sed prævia dispensatione Sedis Apostolicæ renovanda, servata forma Concilii Tridentini, dummodò impedimenta sint publica.*

6 Verùm cùm aliàs sub die 28. Junii 1670. à S. Congregatione de propaganda fide occasione ejusdem dubii fuerint scriptæ literæ Internuncio Flandriæ, ut certiores faceret Ordinarios, & Missionarios illarum Regionum, qui sub prætextu facultatum dispensaverant in secundo & tertio gradu, licèt authoritatem in dictis gradibus dispensare non haberent, matrimonia, ut supra, cum dispensatione bona fide contracta fuisse nulla, sed ex gratia à Sanctissimo convalidata. Verba prædictarum literarum sunt.

7 *E condiscesa benignamente la Santità di convalidare con la pienezza dell'autorità sua li sudetti matrimonii con dispensare di secondo, e terzo grado; ma vuole, che V. S. nel dar notitia di questa gratia alli sudetti Vescovi, e Missionarii, che hanno simile facoltà di dispensare in terzo, e quarto, semplice, & misto, avverta loro, che non occorre manifestarla à quelli, che non ne hanno scrupulo, e vivono in una invincibile ignoranza di essere stati dispensati da persone, che non havevano tal facoltà.*

8 Sicque videntur inter se pugnare decretum S. Congregationis Concilii dum in eo requiritur novus consensus utriusque conjugis, & literæ S. Congregationis de Propaganda Fide, in quibus, nedum non requiritur ullus consensus, sed etiam mandatur, ne conjugibus reconvalidatio matrimonii notificetur.

9 Ideò quæritur, an juridicè conciliari possint supradicta decreta? Et quatenus affirmativè sit respondendum, quodnam ex prædictis decretis magis consonet Sacris canonibus & expediat servari pro conscientiarum tranquillitate?

Ad 1. respondeo posse facilè conciliari ita, ut de- 10
cretum S. Congregationis Concilii habeat locum, quando impedimenta sunt publica. Decretum verò S. Congregationis de Propaganda fide locum habeat in casu quo impedimenta sunt omninò occulta, & conjuges invincibiliter ignorent impedimentum de jure, vel de facto & non sit spes, quod eis proderit significatio impedimenti, ut per Sanchez *de matr. lib. 2. cap. 28. nu. 1. & 6.*

Ad 2. utrumque est juridicum. Primum constat ex 11
jam dictis, præsertim ex declaratione B. Pii V. ita declarante decretum Tridentini; quibus addo tradita per Poncium *de matr. lib. 5. c. 6. à n. 5.* ubi refert declarationes S. Congregationis Concilii, rescriptum Clementis VIII. ac S. Rotæ decisiones. Secundum probatur ex Innocentio III. *in c. Quia circa, de consangu.* ubi consultus Pontifex de quibusdam, qui subreptitia dispensatione matrimonium contraxerunt, sic respondit: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione grave videas scandalum imminere.* Existimabant enim conjuges bona fide se legitimè conjugatos esse, & ex veritatis detectione timebatur grave scandalum. Quapropter Pontifex tacendum, & dissimulandum esse dicit, illosque in matrimonio illo putativo, & invincibili ignorantia excusato permittendos esse, ut per Navar. *in can. Si quis autem, de pœnit. d. 7. à n. 67 & lib. 1. cons. in 1. edit. tit. de temp. ord.* cum aliis, quos sequitur Sanch. *loc. alleg. nu 12. in fine* Idem probatur *cap. super eo, de cognat. spir. in fin.* ubi Doctores.

Pro conscientiarum verò tranquillitate magis expe- 12
dit servari decretum S. Congregationis Concilii. Tum quia est magis conforme ipsi Concilio Tridentino, quod exigit pro forma præsentiam Parochi & testium, ac proinde ea requiritur, quando denuò celebratur matrimonium, cùm tunc verè contrahatur. Siquidem, ut dictum fuit, si impedimentum, ratione cujus matrimonium invalidè fuit contractum, sit adeò notum, ut sufficienter quoad forum externum probari possit, debent contrahentes iterum coram Parocho, ac testibus consensus mutuos exprimere. Quia cùm ex una parte prior contractus irritari possit propter probationes, quibus innititur, ex alia verò posterior, si sine Parocho, & testibus celebretur, in foro externo probari nequeat, possit ita contrahens, relicta uxore, cum qua secretò contraxit, alteri nubere, & ita sequerentur incommoda illa, quæ Concilium summoperè vitare intendit.

Contra verò si matrimonium invalidè coram Paro- 13
cho, & testibus propter impedimentum aliquod occultum, celebratum fuit, non opus esse, ut contrahentes iterum coram illis consentiant, sed satis esse, ut privatim mutuos consensus edant, & exterius exprimant. Quia finis legis latæ à Tridentino de adhibendo Parocho, & testibus ad valorem matrimonii non se extendit ad casum, de quo agitur. Quia cùm matrimonium coram Parocho & testibus celebratum fuerit, si quis contrahentium resilire vellet, ab Ecclesia impediretur, cùm nullitas matrimonii sufficienter probari non possit, ut supponimus. Id, quod etiam est magis conforme aliis ejusdem S. Congregationis declarationibus, S. Rotæ decisionibus, praxi S. Pœnitentiariæ, & sententiæ gravissimorum Doctorum, quos sequutus est Poncius loco citato. Tum quia est magis juridicum. Quod constat ex ipsa declaratione S. Congregationis de Propaganda Fide, in qua videtur Pontifex dispensare in manifestando conjugis impedimentum, quemadmodum per dissimulationem illam Innocentius III. *in cit. c. Quia circa*, dispensationem adductam fuisse, ratione cujus illos tutos esse in priori matrimonio, quod invalidum erat, intelligunt ibi Glos. & Innoc. aliique

Canonistæ,

Canoniſtæ. Ergo attento jure communi, id fieri non poterat; fruſtra enim eſſet diſſimulatum, vel diſpenſatum. Sic quoque in Bulla Cruciatæ conceditur facultas diſpenſandi in matrimonio cum occulto impedimento, ut iterum occultè celebretur, quod attento Tridentino id fieri nequit; inane enim eſſe privilegium, ut per Navar. *l.4. conſ.tit.1.de ſponſ.conſ.11.in 1.edit.& in 2.tit.de ſpon.impub.conſ.3.* Tum denique quia cùm agatur de animæ ſalute, in dubio tutior pars eſt tenenda, *cap. juvenis, de ſponſal. cap.ad audientiam 12.de homic.d. c. Si quis autem, de pœnit.d. 7.* Gloſ. *in cap. un.ſcrut.in in ord. fac.* & Doctores communiter.

Conſiderandæ itaque ſunt rerum ac caſuum circum-
14 ſtantiæ, bona fides & ignorantia invincibilis conjugum, pericula, ſcandala, quæ ex impedimenti notitia exoriri poſſint, & prout expedire animadverteretur juxta qualitatem perſonarum ita, diſpenſatio concedenda eſt, & exequutor ſe gerere debet.

CONSULTATIO XXVIII.

An ſi vir fide dignus tradiderit alicui reliquias Sanctorum, poſſint exponi publicæ veneration, approbante Epiſcopo?

1 Asserunt Azorius *inſtit.moralilib.9. cap. 8. qu.7. & ſeqq.* Fagundez *de præcept. leg. lib.1. præcept.1.cap. 4. nu. 4.* Joannes Novarius *Lucer. reg. in v. reliquiæ fol. 226.* ubi refert, ita fuiſſe declaratum à Sacra Congregatione in Viterbienſi 26. Junii 1627. Ratio autem eſt, quia atteſtatio viri prudentis, cùm non ſit in præjudicium alterius, facit plenam fidem, *cap. Parvulus, & cap. Placuit diſtinct. 4 de Conſecratione*, Bart. *l. non epiſtolis Cod.de probat.* Cardinalis de Lugo *de juſtitia diſput.39. ſect.2. num.27.* & Antonius Morales *Hiſt. Hiſp. lib. 17. cap. 3.* narrans intentionem, quorundam Sanctorum Cordubæ, tradit in hac materia non poſſe haberi evidentiam, ſed ſufficere probabilitatem moralem, & ita in praxi fuit obſervatum.

Nam innocentius VIII. Lanceam, quæ Chriſti latus
2 aperuit approbavit, nullo alio adhibito teſte, niſi quia à Baiazete Turcarum Tyranno eam acceperat; & Venetiis in Eccleſia S. Franciſci colitur Sanguis Chriſti Domini, nulla alia fide, niſi quia Triviſanus nobilis Venetus è Conſtantinopoli dixit ſe attuliſſe, & ſic de ſingulis, Cordub. *lib.1. qu. 17.* ubi ulterius arguit tanquam ſuſpectum de hæreſi, qui non adoraret hoſtiam poſitam in Altari, etiam ſi ab uno Sacerdote ſine alio teſte ſit conſecrata, cùm non ſit fundamentum dubitandi de viro probo, atteſtante hujuſmodi reliquias eſſe extractas è Cœmeterio, in quo conſtat, fuiſſe conditas; injurioſum enim eſſet hujuſmodi teſtimonium non approbare.

Aliam rationem addit Suarez *in 3 p.* D. Thomæ *tom.1.*
3 *diſp.55.ſect.55.ſect.2. verſ. Sed. quæret aliquis*, reprobatis enim prius hæreticis, qui venerationem reliquiarum non in prototypon referebant, ut faciliùs excitaret fideles ad earum cultum, reſpondet argumento ſuper incertitudine concludens, in hac materia non eſſe majorem certitudinem requirendam, quia in ratione formali adorandi, nullus poteſt eſſe error, ſed ſufficere, ſi approbantur ab Epiſcopo, ut præcipit S. Concilium Trident. *ſeſſ.25. de ref.in decr.de invoc. vener. & reliq. ſanct.* & cenſuit S. Congreg. in remiſſionibus ad dictum decretum. Quare cenſeo, poſſe Epiſcopum in ſua diœceſi exponere ad publicam venerationem hujuſmodi Reliquias ex præſcripto ſupradicti decreti Tridentini.

CONSULTATIO XXIX.

An religioſi Ordinum militarium, qui exercent curam animarum iſdem Ordinabus annexam, apponi, ac removeri ſoliti ad nutum ſuorum Magni Magiſtri, faciant tuta conſcientia fructus ſuos, inſpecto Sacro Concilio Tridentino cap.1. ſeſſ.23. de reformat. quando dimiſſo ſubſtituto pro ſervitio curæ Animarum, approbato ab eorum Magno Magiſtro, de ejus licentia, & mandato alibi inſerviunt Ordini?

CEnſeo Affirmativè reſpondendum. Quamvis enim 1
S. Concilium *loc.cit.* injungat onus reſidendi habentibus curam animarum ſub pœna etiam amiſſionis fructuum; hoc tamen non procedit, dum ipſi ex cauſa ab Ordinario cognita, approbata abſunt, dimiſſo Vicario, pariter per Ordinarium approbato, aſſignata competenti mercede, ſicuti patet ex illis verbis, ibi: *Ita tamen, ut quandocumque eos cauſa prius per Epiſcopum cognita & probata abeſſe contingerit, Vicarium idoneum, ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant.*

Igitur, ſi Rectores Parochialium, illas in titulum 2
retinentes tempore abſentiæ de licentia Epiſcopi faciunt fructus ſuos, eò faciliùs hoc affirmandum eſt in iſtis Vicariis amovibilibus, habentibus exercitium curæ abſque titulo, & inſtitutione, ſervitoribus etiam nuncupari ſolitis, Seraph. *deciſ. 923. in princip.* & in Hiſpalen. Juris amovendi Curatos 21. Junii 1641 coram Peutingerio.

Non officit quod Concilium loquatur de licentia 3
conceſſa per Ordinarios; cùm ſub tali nomine, ad effectum de quo agitur, veniant etiam Abbates, atque alii juriſdictionem habentes, Barboſ. *de offic. & poteſt Epiſc. alleg. 53. num.95. & 96.p.3.* & conſequenter ſuffragatur etiam hujuſmodi Magnis Magiſtris, omnimodam juriſdictionem habentibus, ut ex eorum privilegiis.

Minùs refragatur, quod Concilium ſubdat hæc ver- 4
ba: *diſcendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus niſi ex gravi cauſa, non obtineant*; ſive quia non agimus de juſta cauſa licentiæ diſcedendi; ſed ſuppoſita illius validitate, quæritur, An dicti Religioſi faciant fructus ſuos, abſentia durante, eò vel maximè, quia dum illorum ſervitium tendit ad utilitatem proprii Ordinis, à quo tanquam magis apti ad id eliguntur, ex gravi cauſa dicuntur abeſſe, Abb. *in cap. ad audientiam nu.8. de Cleric. non reſident.* Rot. *deciſ.222. num.3. & 4.p.2. diverſ.*

Verùm cùm hi Magni Magiſtri. ut ſupra diximus, 5
ad ſuum libitum ponant, & amoveant dictos Vicarios, inde aſſequimur, quod poſſint etiam permittere, quod Vicarius anteà deputatus relinquat ſubſtituum, ab ipſis approbandum cum debita mercede retinens pro ſe reliquos fructus, cùm in ſubſtãtia hæc ſit tacita remotio, mediante ſubrogatione alterius ad tempus cum diminutione ſalarii; taciti autem, & expreſſi par eſt ratio, *l. oum quid ff. ſi cert.petat. & l.triticum 9. ff. de verb.obl gat.*

Hinc ſicuti dubitari non poteſt, ſtantibus dictis ſup 6
poſitis, quin hi Magni Magiſtri poſſent removere Vicarium deſtinatum ad ſervitium alterius Conventus Ordinis, illi relicta portione fructuum Parochialis, & reſpectivè alium deputare cum limitato ſalario, ita etiam in caſu præſenti affirmandum videtur, quod Vicarii, qui, dimiſſis ſubſtitutis approbatis à Magno Magiſtro, cum certa mercede de licentia abſunt in ſervitium Ordinis, faciant fructus ſuos.

CONSULTATIO XXX.

An liceat Epiſcopo ſupprimere beneficia, Canonicatus, & dignitates?

REſpondeo, licere de jure communi, ubi concur- 1
runt juſta cauſa, & conſenſus Capituli, textus ſunt *in cap.cum acceſſiſſent 8.de conſtit.* ubi Gloſ. magna *v. confirmatum, in cap. ſicut unire 8.de exceſſ. Pralat.* & tradunt Innoc. *in d. cap. cum acceſſiſſent numero 1. & ſeqq.* ubi & cæteri antiqui ſcribentes, Azor. *Inſtit.moral.* relatus à Barboſ. *de Canon & dignit. cap.3. nu. 18. & ſeqq.* Idem *de poteſt Epiſc. alleg. 67. per tot.* plenè Lotther.

de re-

de re benef. lib. 1. q. 28. n. 78. ac Rot. coram Mantic. *decis. 1. n. 2.* Quamvis suppressio fiat per modum dismembrationis, tollendo, & dismembrando ab uno, & dando, & concedendo alteri, ad latè tradita per Tambur. *de Jur. Abb tom. 3. disp. 15. q. 6.*

2 De Jure speciali S. Concilii Trid. id quoque Episcopis reperitur permissum *sess. 24. de reform. c. 15.* ubi latè Barbosa, & in dicto *tract. de Canon. & Dignit. c. 3. n. 18.* Bellarm *ad d. text. Conc. per tot.* & signatè *in observ. in princ.* & ibi Sac. Congregatio censuit, suppressionem factam ab Episcopo, & Capitulo Aretino de quatuor Canonicationibus fuisse legitimam.

3 Ad terminos Juris communis causa sufficiens est fructuum diminutio, cum quibus supportari nequeant omnia onera, quæ sunt beneficio annexa, ut docent ferè omnes supracitati, & ex *cap. ult. de verb. signif.* tradit Lotet. *de re benef. lib. 1. qu. 28. n. 80. 83. & seqq.*

4 Ad terminos S. Concil. sufficit, quod Præbendæ sint frequentes, & tenues, sunt verba Concilii *in d. cap. 15 sess. 24. de reform* & sequuntur Barbos. *in d. c.* & Bellarm. *in observ. ad idem in princ.*

5 Sunt demum, qui dicant, necessarium esse beneplacitum Papæ, & tutiùs rem geri, si illud impetretur, Glos. *in d. c. cum accessissent v confirmatum*, Butr. *idem n. 15.*

6 Quantum verò attinet ad solemnitates, Episcopus ad talem suppressionem devenire debet cum consensu totius Capituli.

7 Quantum verò ad causam, illa Juris, communis probari debet, perpetua scilicet diminutio fructuum, & impossibilitas supportandi onera, illis annexa, ac illa Sacri Conc. Trid. quod *Præbendæ sint frequentes.* Quod facilius admittendum, si suppressio non est facta in favorem Capituli, sed in commodum Sacristiæ, & quod proinde nullum remanet dubium, quin Capitulum potuerit dictam suppressionem authorizare, ut dicit in hac specie Barbos. *d. alleg. 67. n. 9.*

CONSULTATIO XXXI.

An & quatenus, præsuppositâ etiam legitima licentia, Confraternitates suas processiones facere possint? Ubi an, & quatenus in bonis alienandis Confraternitatum laicalium requiratur assensus Apostolicus? Ad rem adducuntur decreta Conciliorum, Patrum, ac Imperatorum?

1 REspondeo, hujusmodi processiones non posse extendi ultra limites processionum, quæ ex devotione Confraternitatibus permittuntur, debentque contineri intra terminos habiles, & à jure permissos absque alterius detrimento; quia in licentia Principis, etiam motu proprio, & simpliciter concessa, semper tacitè subintelligitur clausula, absque alterius detrimento, *l. 2. §. Si quis à Principe ff. ne quid in loco public.* Abb *in c. 1 num. 20. de judic.* ac etiam licentia censetur concessa, salvis terminis habilibus, & servatis à jure requisitis, Rota *decis. 84. nu. 4. par. 2. divers. & dec. 106. nu. 10.* post Mangil. *de subhast.*

2 Proindeque servanda est per Confratres forma à jure præscripta in processionibus Confraternitatum, ut nempè processio protendi non debeat ultra circuitum murorum Ecclesiæ, seu ad summum vici proximi Ecclesiæ, ubi sita est Confraternitas, sicut pluries declaravit Sacr. Congregatio Rituum & S. Congreg. Episcoporum, & S. Congregatio Concilii in casibus, plenè relatis ab utroque Novario, nempè *in Lucern. Regularium verbo processiones in fin. & in Summa Bullar. tit. de process. regul.* à Lezana *in Summ. quæst. regul. par. 4. v. processio nu. 8. & 9.* Gavanto *in manuali Episcoporum v. processio num. 49.* Barbosa *in summ. apost. in v. processio nu. 26. & duob seqq.* quæ declarationes sunt hujusmodi: *S. Rituum Congregatio inhærendo decretis, aliàs in similibus factis, censuit, non licere Regularibus, neque Confraternitatibus laicorum facere processiones, nisi intra claustra Monasterii, carentibus verò claustris, non nisi intra ambitum, hoc est propè muros Ecclesiæ, extra verò ambitum non nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ in hoc habent speciale privilegium aliter faciendi, die 29. Februarii 1626. in una Hispalen.* T. Tegrinus Secretarius.

3 *S. Congregatio ad tollendas difficultates, quæ quotidie oriuntur circa processiones, quæ fiunt, tum per Regulares, quàm per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhærendo decretis aliàs in similibus factis, & signanter in Cæsaraugustana 17. Martii 1627. censuit, in processionibus fiendis tam per Regulares, quàm per Confraternitates laicorum ita imposterum servari debere, ut in Ecclesiis habentium claustrum processiones fieri non possint, nisi intra claustra & non extra, in Ecclesiis verò carentibus claustris fieri possint intra ambitum, hoc est, propè muros Ecclesiæ, sive exeundo à janua Ecclesiæ, & per aliam intrando sive per eandem, & propè muros Ecclesiæ, extra verò ambitum Ecclesiæ non licere, neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia, consensu, & cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale privilegium faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc decretum S. Congregatio non intendit præjudicari,* & de hac declaratione testatur Lezana *in summa verbo processio Regularium n. 9.*

4 Ex quibus, aliisque præallegatis etiam convincitur extra ambitum, seu vicum, proximiorem muris Ecclesiæ, processionem protendi non posse absque Cruce, & interventu Parochialis, & sic protendi non posse ulterius absque interventu Crucis Cathedralis, si unica est. Quare extensio per Civitatem in processionibus Confraternitatum non permittitur absque interventu, & Cruce Parochialis, Barbos *de offic. & potest. Paroch. c. 12. n. 13. & in sum. Apost. decis. in v. processio n. 16.* Lezana *loco supra allegat.* & in processionibus Confraternitatum non licet deferre Crucem, quæ per Clericos præferri solet, sed Imaginem Crucifixi, & Sanctorum & Concilio 7. Mediolanensi si Gavant. *in suo manuali Episcoporum v Confraternitates n. 51.* Vel saltem in omnem casum spectat ad Episcopum cum consilio Capituli Cathedralis statuere quò dirigenda, deducendaque sit processio hujusmodi, quia indubitatum est, & sæpissimè Sac. Congregationes declaratunt, processiones dirigendas esse, quò voluerit Episcopus cum consilio Capituli, & ad eundem cum eodem consilio spectare rationem processionum præscribere, non obstante immemorabili consuetudine in contrarium, Campanil. *in divers. jur. can. rub 12. c. 13. n. 18.* Franciscus Leo *in thes. fori Eccles. p. 4. c. 2. n. 145.* Barbos. *allegat. 78. num. 4. & in collect. ad sess. 25 de regul. cap. 13. num. 43. 45. & 46. & in summ. Apostol. decis. in verbo processio num. 1. & seqq.* Ricc. *decis. 379. num. 4.* Aldan. *in compend. canon. resol. lib. 2. tit. 8. num. 31.* Rubeus *in aphorismis Episcopalibus verbo processio n. 2.* Ex quo abusus, si qui sunt, coerceri possunt, remittendo id arbitrio Episcopi, quia processiones ex devotione Populi, & Confratrum introductæ possunt ex causa ab Episcopo prohiberi, sicut aliàs declaravit S. Congregatio Rituum in Elborensi 14. Januarii 1617. Barbos. *in collect. Bullar. verbo processio*, & Rubeus *in suis aphorismis Episcopalibus eodem verbo processio n. 6.*

5 In casu verò, quo Cathedralis, & Collegiata Ecclesia vellet easdem processiones facere, censeo, celebrationem festivitatis cum processione in utraque Ecclesia fieri debere, diversis tamen diebus arbitrio Episcopi, incipiendo pro prima vice à Cathedrali. Quod verò ad alienationem bonorum hujusmodi Confraternitatum Doctores aliquot, juris Civilis præsertim, suis ambagibus rem hanc perplexam, & obscuram reddiderunt. At eorum, qui accuratiùs illam disceptarunt perspicua, & dilucida expositio est hujusmodi.

6 Præ omnibus annotanda sunt verba Pauli Secundi in

Extravaganti *Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Ad unamquamque enim rem examinandam, momentoque suo ponderandam inspiciendum est ejus principium. Ea sunt hujusmodi: *Ambitiosæ cupiditati &c. immobilia &c. Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, monasteria, & pia loca reguntur &c. Eorumque ministri sibi alimoniam vendicant, &c. occurrere cupientes, omnem alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur &c. fieri prohibemus.* Et mox: *Alienanti verò bona Ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, &c.*

7 Videndum igitur est, an hujusmodi Confraternitates dicantur loca pia. Et quidem in hac specie quod sint, ac dici possint loca pia volunt Speculator in praxi, ac theoria magister *in tit. de instrum. edit. §. nunquam nu.* 62. Jo. Andr. *in c. Joannes vers. Unum est, quod refragatur de testam.* Abb. *in c. fin. not.* 2. *eod. tit.* Castr. *cons.* 167. *num.* 4. *volum.* Alex. *cons.* 219. *num.* 2. *volum.* 1. Rebuff. *in tr. de confratr. num.* 2. Gabr. *de pia caus. concl.* 1. *num.* 5. *& seqq.* Valasch. *decis.* 105. Tum quia de relictis Confraternitatibus, tanquam relictis piis locis, debetur quarta Episcopo, per Barbat. *cons.* 1. *num.* 4. *colum.* 1. Alex. *cons.* 102. *num* 5. *vol.* 7. Ubald. *de Can. Episc. cap.* 15. *numer.* 5. *& seqq.* Tum quia Episcopus potest, ac debet eas, tanquam pia loca visitare, Feder. de Sen. *cons.* 111. S. Concil. Trident *sess. cap* 8. *de reform.* Et tum quia legatum piæ cuusæ factum eis concedi potest, Castrens *cons.* 5. *volum.* 2. Alex. *cons.* 102. *num* 3. Decius plures alios adducens *cons.* 72. *col.* 3. *vol.* 1. Paris. *cons.* 34. *num.* 5. *vol.* 3. Tum etiam quia in illis opera multa pietatis exercentur, Capra *cons.* 54 *num.* 10. Dec. *d. cons.* 72.

8 Hoc posito fundamento, pro hujus quæstionis facili resolutione tres juris certissimæ conclusiones constitui debent. Prima est, Extravagantem *Ambitiosæ* procedere etiam in alienatione bonorum, non solum Ecclesiarum, & Monasteriorum, sed etiam omnium quorumlibet locorum piorum, ut per Abb. *in cap. nulli in fin. eodem tit.* Franch. *in cap.* 1. *eod. pariter tit. in* 6. Paris. *d. cons.* 34. Felin. *cons* 12. *& in c. de quarta de præscript.* Dec. *d. cons.* 72. & 158. Et habetut expresè in d. Extravaganti verbis superius relatis.

9 Secunda est declaratoria primæ, ut scilicet, tunc illa procedat, quoties dicta loca fuerint Episcopi auctoritate fundata, sive erecta, Rebuff. *in compend. alien. rer. Eccles. num.* 56. & 57. Rodoan. *q.* 28. *num.* 12. Afflict. *de jur. prothom. numer.* 12 Cæs. de Barz. decis. Rotæ Bonon. 124. Valasch. *decis.* 105. Sayr. *decis.* 3. *de relig. dom.* ac de Ponte *cons.* 18.

10 Tertia conclusio est. Quoties bona hisce Confraternitatibus eo animo sunt legata, donata, data, ut ad opera Ecclesiæ, sive oratorii necessaria, & ad divinum cultum, necnon ad sacram supellectilem, aliaque Ecclesiæ ornamenta, atque ad pauperes sublevandos puellasque miserabiles nubendas, pro eleemosyna eroganda sacerdotibus ibi celebrantibus, ac pro sustentatione presbyteri Rectoris ordinarii, aliorumque ministrorum in earumdem Confraternitatum Ecclesiis existentibus, talia loca judicanda sunt pia, atque adeò eorum bona non possunt alienari sine solemnitatibus requisitis in alienandis bonis Ecclesiarum, ac piorum locorum. Ita præ cæteris tradunt Zabarel. *cons.* 1. *col.* 1 ac per *tot. & cons.* 13. *in princ.* Soccin sen. *cons.* 82. *num.* 34. *vol.* 4. Quam conclusionem procedere, etiamsi in Confraternitatum erectione non intervenerit Episcopi auctoritas, docent Rebuff *in dict. compend. num.* 34. Guttier. *lib.* 1. *can. quæst. c.* 9. *in fin.* Cæs. Barz. *d. decis.* 124. Joseph Ludovic. *decis. Peruf.* 93 ac Rota Romana, in qua dictum fuit, quoad prohibitionem alienationis nullam esse differentiam inter bona Ecclesiastica, & Confraternitatum laicalium, ut refert Seraph. *decis.* 724. *numer.* 7. & ita demùm firmat Menoch. *de remed. possess. remed.* 15. *numer.* 16. & 34. qui sic intelligendos esse ait Doctores aliter sentientes, est-que ad mentem dict. Extravagantis.

Eòque magis id asserendum est, si accesserit saccus, 11
quo induitur Confraternitas, quo signo distinguitur à laicali, ut per Rotam in una Beneficiatus S. Laurentii in Damaso 7. Februarii 1628. coram Durano *parte* 3. *div. decis* 144. *nu.* 1. Concurratque insuper Ecclesia, quæ sit ejusdem Confraternitatis quæque absque auctoritate ordinaria, vel pontificia fundari, aut erigi non potuit, ut per Rotam coram Cerro in Caietana bonorum 3. Decembris 1649 §. *quod autem.* Quando enim alicui Ecclesiæ unita est. atque aggregata aliqua Confraternitas, exigente præsertim ab ea Camera Apostolica solutionem decimarum, quæ solvi solent pro solis bonis Ecclesiarum, & locorum piorum, non solùm resultant qualitates in d Extravaganti expressæ, sed tollitur possibilitas, quod ejusmodi Confraternitas possit esse laica, dum ejus bona conflata sunt ex bonis legatis ad divinum cultum, super quibus laici nullam possunt habere, neque exercere jurisdictionem

Atque ex his conciliantur, quæ tradit D. Cardinalis 12
de Luca in hac materia, aliique præsertim juris Civilis periti, qui non considerarunt loca, sed personas. Cætera in hanc rem vide quæ alibi dixi.

Fuit hic certè bonorum Ecclesiasticorum olim laudabilis, optimusque usus, & ne humana audacia iis sive 13
per venditionem, aut commutationem, aut legationem, aut quacumque alia ratione ab Ecclesiis abalienando, & in profanos usus convertendo abuteretur, multis Conciliorum decretis, sanctorumque Imperatorum, & Patrum statutis inhibitum fuit. Nam in Ancyrana Synodo circa annos Christi 308. statuitur, *Presbyteros res Ecclesiæ non debere vendere cap.* 15. *&* 12. *q.* 2. *can. Si qua.* In Arelatensi Synodo secunda anno 316 sancitur *cap.* 28. *ut qui oblationem fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia, cui fraudem fecit, excludatur.* Confirmatur in Vasensi Synodo. Et quia multis in locis quæ Ecclesiis conferebantur, ab Episcopis nonnullis præripiebantur, perexiguo Ecclesiis relicto, idcircò in Antiochena Synodo decernitur anno 344. *ut Episcopus, si convertat res Ecclesiæ in suos usus domesticos, ejusque commoda, vel agrorum fructus domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisve committat, pœnas persolvat c.* 25 Extat etiam Canon, in quo sancitur, *ut irrita sit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque subscriptione, & collaudatione Sacerdotum, & vicissim Sacerdotum abalienatio sine approbatione Episcopi.* Hoc decretum 12. *q.* 2. sine exceptione dicitur esse ex epistolis Leonis Papæ ad Episcopos Siciliæ. In decretis autem Ivonis *lib.* 2. legitur in impresso exemplari, esse ex Concilio apud Valentias, sed invenitur nec in epistolis Leonis, neque in Valentino Concilio vel Galliæ, vel Hispaniæ, verùm extat in decretis Concilii Carthaginensis 4. *cap* 32. *tom.* 1. *Concil.* Idem statuitur in Agathensi Synodo *cap.* 7 & 48. 49 & 51. & confirmatur à Symmacho Primo Papa in decretali sua *cap.* 1. & in Synodo Romana ab eodem habita. Item in Turonensi *c.* 2. & Aurelianensi 5. *c.* 13.

In eamdem sententiam Justinianus Imperator *l.* 43. 14
C. de Episcop. & Cler. Episcopis mandavit, *ne ea, quæ Ecclesiis relicta sunt, sibi adscribant, sed in necessarios usus Ecclesiæ impendant.* Idem sanxit, *vasa sacra, & vestes non posse oppignorari, aut alienari, nisi ob captivorum redemptionem lib.* 18 *C. de sacros. Eccles.* In Concilio Carthaginensi 4. *anno* 401. *cap* 95. sancitur, *qui oblationes defunctorum aut negent Ecclesiis, aut cum difficultate reddant, tanquam egentium necatores excommunicandos* 13. *q.* 2. *can. qui oblationes.* Idem præcipitur *c.* 4. Agathensis Synodi 13. *q.* 2. *can. Clerici, vel seculares,* 13. & in Vasensi *c.* 4. 13. *q.* 2. *can. qui oblationes,* Aurelianensis 5. *l.* 16. Matisconensis 1. *cap.* 4. ut licet videre apud Carranzam *in epit. Concil. fol.* 150. *&* 164. In Romana Synodi 6. & à Symmacho celebrata sub anathematis pœna præcipitur,

ne ullus

ne ullus bona Ecclesiæ à fidelibus oblata occupet, & quasi propria possideat. Idem sancitur in Concilio Parisiensi 1. c.1. Carranza *fol.*229. 6. In Synodo Aurelianensi 4.*c.*19. constituitur, *ut quod Ecclesiæ collatum sit, nec à collatore, neque ab illius hæredibus repetendum*, Carranza *fol.*122. 6. Item *ut quæ Episcopus Ecclesiæ dederit, hæredes sui non auferant c.*14.

In Concilio Toletano 2. anno 529. habito *c.*4. sancitur, *ut Clericus Ecclesiæ, cui præest, agellos, vineas, & alia hujusmodi usque ad diem obitus sui possideat, nec suis propinquis ea testamento leget, sed Ecclesiæ relinquat.* In Aurelianensi Synodo 4 anno 550. juxta Panvinum celebrata, decernitur, *ut siquis Episcopus alterius Ecclesiæ Clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donaverit, post ejus obitum, qui acceperit, ad Ecclesiæ jus, de cujus facultate discesserat, revertatur.* Synodus Aurelianensis 5.*c.*14. sancivit, *ut nullus Episcopus aut cujuslibet ordinis Clericus, vel alia quæcumque persona, alterius Ecclesiæ res aut petat, aut accipiat.* In Synodo Hispalensi 1.*cap.*1. statuimus, *ut Episcopus, qui res proprias, exceptis filiis ac nepotibus, alteri, & non Ecclesiæ suæ dimiserit, quidquid de Ecclesiæ rebus aut donaverit, aut vendiderit, aut quoquomodo ab Ecclesia transtulerit, irritum habeatur.* In Toletana Synodo 9 anno 658. juxta Panvinium, juxta alios autem anno 653. habita decernitur *c.*1. *ut nullus Sacerdotum vel ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri suo connectat.* Ita etiam Eugenius Primus Romanæ Ecclesiæ Episcopus Romæ in conventu statuit, *Episcopos non licere Ecclesiæ bona in proprios usus convertere.* Et quò minùs hoc fieri possit, filiis ac nepotibus, & propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licentia datur, *ut si Sacerdotem, seu alium ex collatis rebus viderit surripere, ipsum aut compescant, aut Episcopo indicent. Quod si reus pergat, excommunicetur.* In Toletana 9 Synodo *c.*6. sancitur, *si Episcopus tertiam partem, quæ sibi de oblationibus debetur, aut ipsi Ecclesiæ, unde habet, aut alteri, quam elegerit, velit conferre, ratum ac firmum habeatur*, Carranza *in epit. Concil.* hîc ad marginem addit? *Nota*, inquit, *quod hic nulla fit mentio consanguineorum, sed tantùm Ecclesiarum ipsius.* In Synodo Nicæna 2. anno 788. celebrata statuitur *c.*12 *Si quis Episcopus, vel monasterii præfectus ex Episcopatus, vel monasterii agris in Principis alicujus, aut Magistratus manus alienet aliquid, vel alteri personæ tradat, ut ea traditio sit nullius momenti.* Item: *Ne liceat ex hujusmodi bonis quicquam sibi vendicare, vel propriis cognatis elargiri. Sed si sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, non autem eorum prætextu res Ecclesiæ venundet. Sin autem detrimentum afferre causetur, nec quidquid ex agro emolumenti percipi, ne sic quidem Magistratibus, aut Principibus, qui sunt eo loco, venundet prædium, sed Clericis, vel agricolis, vel Clerico agrum præses, vel magistratus emerit, sic quoque nullius sit momenti venditio, & Episcopatui, vel monasterio restituatur. Qui secus fecerit, si sit Episcopus, vel monasterii præfectus exturbetur ab officio.* Aquisgrani Synodus habita fuit sub Pipino, Ludovici filio anno 809. in qua multa decernuntur contra eos, *qui negabant peccatum esse res sacras Deo, & Ecclesiæ donatas ad alios usus conferre tom.*3 *Concil.* In Concilio generali 8. Constantinopolitano anno 870. habito *c.*15. decernitur, *ut Episcopo vendere, vel utcumque alienare vasa, aut vestes sacras, nec ullas rusticas possessiones venundare liceat, ne propter hoc Ecclesiastici reddibus ladantur.* Eodem Concilio *can.* 18. præcipitur, *ut res, quas Ecclesiæ ex longa consuetudine habeant donatas, & ab eis* 30. *annos possessæ sunt, nequaquam à seculari potestate eis subtrahantur. Qui contra fecerit, sit sacrilegus.* Et Carolus Calvus in ep. ad Clerum Ravennatem scribit, Episcopos & Rectores monasteriorum, ac rerum, seu facultatum Ecclesiasticarum dispensatores, eas non ut proprias, sed ut vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia servorum Dei & pauperum debere fideli devotione tractare.

In Moguntina Synodo anno 888. habita *c.*11. *invasores prædiorum Ecclesiæ infamia, anathemate, & exilio jubentur puniri.* In Provinciali quadam Synodo Galliæ à Carolo Simplici habita, decernitur circa annum Domini 905. *bona Ecclesiastica sancta esse debere, quæ nefas sit politicis viris abalienare, atq; in profanum usum convertere.* P Æmilius in vita Caroli Simplicis Urbanus II. in Synodo Claramontana anno 1095. statuit, *ut laicus nec decimas vendat, neque retineat.* In Lateranensi Concilio sub Alexandro III. habito anno 1180. statuitur quoque *ne laici decimas Ecclesiarum in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non tradiderit, Christiana sepultura privetur c.*24. & *cap.*19. sancitur, *ne rectores, & consules civitatum Ecclesiis onera imponant, & gravibus, crebrisq; exactionibus eas premant ita, ut sive fossata, sive expeditiones, sive qualibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, Clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis circa hæc Ecclesiis non sint oneri & molesti.* In Turonensi Synodo anno 1163. ab Alexandro III. habita præcipitur, *ut quisquis alicui laico Ecclesiam, decimamve concesserit, excommunicetur.* Aventinus *lib.*6. *annalium* in Synodo quadam Alemaniæ ann. 1224 sancitur: *si fundatores Ecclesiarum, vel hæredes ipsorum partem decimarum, vel aliorum proventuum Ecclesiasticorum, in quibus jus habent patronatus, sibi retineant ex pacto, & nihilominus repræsentent Clericos ad eas dem, anathemate feriuntur, cum clericis, qui ita Ecclesiis repræsentantur, & terra ipsorum interdicto Ecclesiastico subjaceat. tom* 3. *Concil.* Edita quoque sunt aliquot decreta hac de re in Colonienſi Synodo anno 1266. habita, & in Tridentina, de quibus alibi.

CONSULTATIO XXXII.

An consuetudo, ut primo loco nominatus à patronis ad Parochialem Ecclesiam de jure patronatus, instituatur absolutè sine concursu, & secundo loco nominatus intret solùm in casu defectus primi, sit valida, & servanda?

CEnseo tespondendum, hujusmodi consuetudinem, quatenus etiam legitimè probaretur, non esse habendam in consideratione, atque adeò instituendum esse concursum inter dictos duos præsentatos; quia si concursus requiritur, ut ex infra dicendis requiritur, non potest evitari respectu contrariæ consuetudinis juxta antiquam adnotationem S. Congregationis ad *Concil. c.*18. *sess.*24. *De reform.* in hæc verba. *Omnis cura atque diligentia adhibenda est, ne prava consuetudine usus inducatur apud Episcopos Jurisdictionis Venetæ, ut in vacationibus Parochialium Ecclesiarum non adhibeatur examen, quod vocatur per concursum, sed curandum est, ut decretum Concilii Tridentini, & motus proprius Pii V. in hujusmodi concursu omninò servetur.* Ponderato præsertim, quod talis consuetudo dicitur prava, & consequenter irrationabilis, & rejicienda; & ponderata dispositione tam S. Concilii, quàm dictæ Constitutionis B. Pii, ubi irritantur provisiones aliter factæ, ex qua irritatione sonante in decretum irritans non potest induci consuetudo in contrarium, *c. sicut tempore de elect. in* 6. Gonzal. *gloss.*67. *num.* 12. & *seqq.* Grat *discept. forens. c.*344 *n.*7. Rota *dec.* 149. *n.*2. *p.*2. *divers.* & *dec.*514. *nu.*26. & *seqq. tom.*3. 4. *p. rec.* & d.302. *n.*13. *p.*5. *rec.*

Res ergo reducitur ad videndum, utrum in dicta forma præsentationum intelligatur necessarius concursus, qui tantùm requiritur, quando patroni laici præsentant, illique solùm admittuntur ad concursum, & ex illis Episcopus eligit digniorem, ut ex declarationibus Sac. Congregationis firmat Gonzal. *loss.*6. *num.*134. Garz. *par.*9. *c.* 2. *num.*255. cum aliis per Vivian. *de jure patr. lib.*10. *c.*1. *nu.* 59 & declarationes etiam habentur impressæ *ad d. c.* 18. *sess.*24.

3 Et necessarius omninò videtur, quia sunt in effectu præsentati duo, licèt prætendatur secundo loco præsentatus causativè in defectum primi, quia illa verba primo loco, & secundo loco sunt æquivoca, & æquè possunt intelligi cumulativè, ac subordinatè, ut cuilibet ratiocinanti patet. In hac specie autem, stante ambiguitate, sunt accipienda potius cumulativè, quia tali pacto provisio reducitur ad formam desideratam à Concilio, quod S. Congregationi cordi esse solet, cùm agatur de favore Parochialium, ut eis per viam concursus provideatur, prout firmant Addens ad Greg. XV. *dec.* 494 *nu.* 6. & Vivian. *d. lib.* 1. *c.* 1 *nu* 35. Attento præsertim, quod ea interpretatio est accipienda, per quam dispositio redditur rationabilior, *l. Salvius Aristo ff. de legat. præstand.* Rot. *dec.* 230. *n.* 3. *p.* 3. *rec.*

4 Tum quia dicto modo præsentando primo, & secundo loco, non exprimendo unum in defectum alterius, est in fraudem dispositionis Concilii; præsentantur enim in effectu duo, & prætenditur evitari concursus, quod non est ferendum. Eadem enim facilitate, qua nominantur duo eodem tempore, posset nominari secundus post non effectuatam præsentationem primi intra quadrimestre, cùm post primam præsentationem possit Patronus laicus facere secundam tam variando, quàm cumulando, ut per Garz. *de benef. p.* 8. *c.* 9. *n.* 211. *& seqq.* Vivian. *d. lib.* 10. *c.* 1. *n.* 10. *&* 11. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 62. *n.* 151. *&* 158. vel saltem expressè declarare, quod secundus præsentabatur, quatenus præsentatio primi non habuisset effectum.

5 Tertiò, quia ubi Patronus præsentat aliquem secundo loco simpliciter, non facta mentione de primo nec dixerit variando, nec cumulativè, nec à primo recedendo, tali casu valet talis secunda præsentatio, & datur optio Episcopo, qui judicio suo potest, ac debet gratificare primum in paritate meritorum, *c. cum autem*, ubi Doctores, & *glos. 2. de jurep.* Rocch. *de jurepatr. in v. honorificum q.* 13. *n.* 38. cum allegatis à Barbosa *d. alleg.* 22. *nu.* 159. super hujusmodi autem paritate non potest Episcopus melius judicare, quam mediante concursu.

6 Quartò, quia illa verba, quæ sequuntur, petentes instituti respectivè, repugnant dictæ prætensæ subordinationi, attento, quod illa dictio *respectivè* naturam habeat referendi singulis ex allegatis per Caval. *dec.* 581. *n.* 3 Rot. *dec.* 182. *n.* 2. *p.* 6. *rec.* & sic intelligitur pro utroque pari modo æquè principaliter petita Institutio, non pro secundo in defectum primi.

7 Quintò, quia si inter duos præsentatos ille præfertur in paritate votorum, qui est magis qualificatus, *cap* 3. *de jurepatr.* Rocch *in d. v honorificum q* 15. *n.* 41. Lambertin. *p.* 3 *lib.* 2. *q.* 5. *princ. art.* 24. *n.* 3. *in fin.* Roland. *conf.* 47. *n.* 71. *& seqq. lib.* 1. Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 22. *q* 14. Lotther *de re benef. lib.* 2. *qu.* 31. *nu.* 130. Vivian. *de jurepatr. lib.* 12. *c.* 9. *n.* 3. & Barbos. *in d. alleg.* 72. *n.* 200. Burat. *dec.* 316. *n.* 13. multò magis id procedere debet in casu, quo unus præsentatus superat alium unico suffragio; & regula est, quod ille sit præferendus, qui majoribus juvatur meritis, & à pluribus præsentatur, *d. c.* 3. *de jurepatr.* ibique Abb. *n.* 1. *&* 3. & alii, & in specie doctior præferendus est minùs docto, ut firmant Vivian. *de jur. patr. lib.* 12. *c.* 9. *nu.* 22. *& seqq.* Massobr. *in Prax. de Concur. requisit.* 5. *dub.* 2. *nu.* 2. major autem habilitas, & doctrina certè non potest dignosci, nisi per concursum.

8 Et quidem quatenus alter prævaleat votis, prævio simplici examine est instituendus, si verò non excedat, sed æqualia habeat suffragia, est locus concursui juxta distinctionem constantissimè servatam ex cumulatis per Burat. *dec.* 942. *n.* 1. *tom.* 3. Greg. *dec.* 494 *n.* 2. & ibi Beltor. *n* 4. Duran. *dec.* 94 *nu.* 10. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 133. Massobr. *de Concurs. præl.* 7. *dub.* 25. *n.* 6. *& seqq.*

9 Idque non obstante asserta consuetudine, cujus vigore prætenditur, quod citra concursum instituendus sit primo loco præsentatus, perindè, ac si secundus præsentatus conditionaliter veniret instituendus casu, quo primus assequi non posset.

10 Quia verba præsentationum, ut certa omnia, non possunt accipi, nisi prout subjecta materia patitur, Mant. *de tacit. lib.* 3. *tit.* 7. *nu.* 1. *cum seqq.* Rot. *in rec. dec.* 415. *p.* 4. *tom.* 2. *num.* 22 & apud Cenc. *de Cens. dec.* 443. *num.* 13. *&* 102. *nu.* 7. subjecta autem materia non patitur, ut Patroni laici possent plures præsentare, nisi cumulativè ita, quod gratificatio sit Ordinarii, non præsentantis, *Clement. plures de Jurepatr.* Cavaler. *dec* 57. *n.* 6. Lotter. *de re benef. lib.* 3. *q.* 17. *n.* 163.

11 Nulla facta distinctione, quis primo, vel secundo loco fuerit præsentatus, ut videre est *in c. quod autem* 5. *de Jur. patr.* ubi Glos. notabilis, quam satis explicat Jo. And. *ibidem in summario nu.* 1. ita scribens: *Præsentatus secundo loco à Patronis successivè post primum, si institutus sit, valet institutio, &c & in c. cum autem* 24. *eodem tit. de Jur. patr.* ubi Anchar. *n.* 6. *& seqq.* egregiè Bursatt. *cons.* 379 *à n.* 10. & Sperell. *dec.* 180. *à n.* 29.

12 Alioquin facilè esset Patronis laicis ita plures præsentando munus gratificationis sibi usurpare in fraudem Sacrorum Canonum; sicut enim expressè non licet, ita non decet indirectè, *l. non dubium C. de legibus, l. qui salvus ff. eodem.*

13 In Parochialibus verò pluribus præsentatis per vota paria à patronis laicis, licèt non sit locus simplici, & absolutæ gratificationi Ordinarii sed ita demum quatenus Episcopus eliget alterum ex approbatis in concursu juxta declarationem S. Congreg. de qua Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 6. *n.* 138. cum aliis supra allegatis, ideò non est aperienda via, ut laici plures possint ita præsentando subordinatè deludere edictum de concursu & gratificationes sibi usurpare, & sic extendere quod parcè & strictè accipiendum est, Calder *cons* 16. *Jur. patr.* Pacius Jordan. *Elucubr. diverf. vol.* 2 *tit. de re benef. lib.* 10. *tit.* 7. *nu.* 241. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 72. *n* 161. Ubi quod ista variatio concessa patronis laicis præsentandi plures, quamvis cumulativè, tanquam exorbitans, ita strictè interpretationem accipit, ut non excedat duos: ergo multò magis cavendum, ne pluribus præsentatis à pari numero patronorum possint laici etiam expressè ita concipere præsentationem, ut quem ipsi maluerint, cogatur Ordinarius instituere; nec verba primo loco, vel secundo loco, quæ sapiunt ordinationem compatibilem cum præsentatione cumulativa, possunt habere vim disjunctivæ præsentationis, inducendo conditionem subordinatatam, quæ, si regulariter non præsumitur, Grat. *disc.* 636. *n.* 14. *& disp.* 518. *n.* 13. *& seqq.* multò minùs interpretationem accipit, ubi repugnat subjecta materia ex deductis.

14 Et animadvertendum, quod in casu, quo attendenda esset hæc consuetudo evitandi concursum, non tamen probatur ita, ut concludat secundo loco præsentatum, prævalentem numero suffragiorum præsentantium, esse posthabendum in institutione; unde succedit conclusio, quod, non probata consuetudine in individuo, non sufficiat, quamvis genericè fuisset probata, nempè in casu paritatis suffragii, Grat. *disc.* 767. *nu.* 9. *& disp* 973. *nu.* 40. Rot. *in recent part.* 7. *decis.* 214. *num.* 20. *& part.* 4. *recent. tom.* 2. *decis.* 488. *num.* 9. *& decis.* 94. *numer.* 5. *& decis.* 323. *numer.* 4. *& parte* 6. *decis.* 185 *numer.* 6. & coram Cardinali Corrado *decis.* 139. *numer.* 25. apud Vivian. *de Jurepatr.*

15 Ad istum enim effectum debent testes interrogari interrogatorio de hac re speciali. Quod si nihil congruè responderint, hoc solùm sufficeret ad institutionem prævalentis majori numero suffragiorum, admissa etiam consuetudine generica, cùm versemur in decisoriis, Gratian. *doc. March.* 237. *num.* 27. latè Ridolph *in prax. part.* 1. *c.* 2. *à num.* 91. Burat. *decis.* 735. *nu.* 7. *& seqq.* Grat. *discept.* 486 *à num.* 29.

CON-

CONSULTATIO XXIII.

An Regulares habentes Conservatorem legitimè electum, debeant coram eodem Conservatore conveniri in causis civilibus, requirentibus discussionem & judicialem indaginem, quando sunt Rei, An potius coram Ordinario? Die 24. Martii 1657. S. Congregatio Emin. & Reverend. DD. Concilii Tridentini Interpretum, in hærendo declarationibus aliàs editis, censuit, *Regulares etiam Reos debere in hujusmodi causis judicialem discussionem & indaginem requirentibus, coram Ordinario, & non coram Conservatoribus conveniri.*

1 CUm autem aliqui Regulares asserant se habere Privilegia expressa, & specifica etiam circa hujusmodi cognitionem judicialem per suos Conservatores legitimè electos faciendam, ideò quæritur, *an eis obstet supradicta declaratio*? Videtur non obstare. Primò, quia quidquid sit de declarationibus aliàs editis, id videtur exprimere literalis dispositio Constitutionis Gregorii XV. in qua Conservatores, juxtà illius præscriptum eligendi, non deputantur, uti nudi, & simplices Conservatores pro conservandis, & defendendis Regularibus à manifestis injuriis & violentiis, quales considerati fuerunt *in c. 1. & 2. de offic & potest. Iudic. delegati in 6.* sed considerantur, & nominantur etiam tanquam Judices, ut in §. 1. 2. & 10. cum expressa, & speciali jurisdictione illis attributa in eis causis tantùm, in quibus Regulares, tanquam Rei coram ipsis trahi, & conveniri contigisset. Ex hujusmodi enim Judicum denominatione concessa censetur facultas procedendi in dictis causis, etiamsi requirerent judicialem indaginem ex deductis *in dec. 616. n. 2. & 3. p. 2. rec.*

2 Deinde quia §. 9. d. Constitutionis concedens dictam jurisdictionem literaliter comprehendit actorem trahentem, & convenientem Reum tractum, & conventum, & Judicem, coram quo dicta activa, & passiva tractio, & conventio exerceri debet, proindeque dato concursu dicti Judicis, Actoris, & Rei, necessariò resultat processus formaliter judicialis, & cum tela indagine, & discussione judiciali juxta *cap. forus de verb. signif.* & dixit Rot in Calaguritana beneficiorum de Morigo 11. Februar. 1611. coram Coccino.

3 Præterea quia eadem Constitut. §. 6. & 7. præfinivit unicum casum dumtaxat, in quo Regulares conveniri deberent coram Ordinario, nempè si electum, illiusque electionis instrumentum coram Ordinariis non exhibuerint; hæc specialis expressio continet tacitam ademptionem jurisdictionis in quolibet alio casu, etiamsi Ordinarius generalem habeat jurisdictionem, Angel. *cons.* 375. *n.* 1. & generaliter quælibet dispositio, includens certam rem, seu personam, excludit reliqua, Ruin. *cons.* 112. *n.* 3. *lib.* 5. & quod in privilegio, seu facultate aliquid faciendi, inclusio unius importet exclusionem alterius, Castr. *cons.* 468. super hoc puncto *lib.* 1.

4 Item quia hoc idem specialiter ordinaverat Gregorius XIII. qui, concessis Regularibus Conservatoriis specialibus, posteà omnes in hoc pariformiter tractando, generaliter concessit, quod ipsi Regulares in omnibus Italiæ Civitatibus Conservatorem semel eligerent, & electionis instrumentum coram Ordinariis exhiberent, ad unum; eundemque specialiter expressum effectum, ut coram dicto Conservatore tantùm conveniri debeant, alioquin coram locorum Ordinariis convenirentur, quæ concessio habetur impressa post declarationes Concilii Trident *sess.* 7. *c.* 5. *n.* 4.

5 Huic concessioni in hoc specialiter, & expressè adhæsit dicta Constitutio Greg. XV. §. 6. & 7. quæ usa fuit formalibus, & præcisis verbis, alioquin coram Ordinario conveniantur, expressis in dicta Concessione Gregor. XIII.

6 Non obstat, quod neutra Constitutio loquatur de causis requirentibus judicialem indaginem. Primò quia nec minùs restringuntur ad causas pro manifestis injuriis, sed generaliter, & indefinitè loquentes indefinitè intelligi debent, & si aliter voluissent, expressissent, Glos. *in c. fin. de potest. Iud. deleg. in 6. v. non præsumant*, ibi: *quia si hoc voluisset, hoc addidisset, si ut ibi fecit, l. si unum §. non dixit ff. de acqu hæred. & l. 2. §. 1. de judic.* Imò cùm abstulerit tantùm jurisdictionem quoad causas, in quibus sunt actores; remanet confirmata tota jurisdictio quam antèà habebant, quia constat de limitata voluntate Pontificis ad jurisdictionem quoad causas, in quibus sunt actores, & ideò ultra terminos limitationis non est extendenda, *l. voluntate C. de excus. & l. fin. C. ne ux. pro mar. & c. auditis, & c. cum olim de præscript.*

7 Secundò, quia earum contextus, & verba ità necessariò continent judicialem indaginem, & discussionem, ut superflua, & inanis reputata fuerit illarum expressio. Impossibile enim est, quod aliquis trahat, & conveniat aliquem coram Judice, & quod materia, pro qua trahitur, & convenitur, non indagetur, & discutiatur judicialiter.

8 Postremò quia suffragantur privilegia specialia quibusdam Religionibus concessa à Summis Pontificibus ut à Joan. XXII. Martino V. & Greg. XIII. Continent enim dicta privilegia eadem ferè verba, quæ continebantur in Conservatoria Eugenii IV. super qua emanavit *dec. 616. p. 2. rec.* firmans comprehensionem causarum requirentium indaginem judicialem indè resultantem.

9 Unde cùm dicta privilegia non fuerint revocata, sed simpliciter redacta ad terminos Constitutionis Gregor. XV. ut in specie declaravit S. Congreg. Concilii in hoc decreto.

Utrum Constitutio fel. rec. Gregorii XV. circa Conservatores Regularium, publicata anno 1621. *cum declarationibus Eminent. S. Congr. Concil. Trid. Interpretum desuper editis, æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Iesu, ac reliquos Regulares, ità ut omnia alia prædicta Societatis privilegia fuerint redacta ad terminos d. Constitutionis, & sic in posterum debeant ab eis eligi Conservatores juxta formam, & tenorem præfatæ Constitutionis; Respondit, huiusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut præfertur editis, æquè afficere Religiosos Societatis Iesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibuscumque privilegiis, quippe quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis*; & in eadem fuerit etiam declaratum, Regulares, ære alieno gravatos, ad ratiocinia, & pro testamentorum executionibus obligatos coram Conservatoribus, quatenus illos habeant, conveniri debere, ut in subjecto decreto.

10 *An Regulares gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores, possint conveniri coram Ordinario, si conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum; respondit, Regulares in causis prædictis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis sa. me. Gregorii XV. Conservatores non elegerint, ipsiusque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint.*

11 Ita verò cùm expediri non possint absque discussione, & indagine judiciali, utique dicendum videtur, supradictam S. Congregationis declarationem non obstare Regularium privilegiis.

12 Non esse insuper revocata per dictam Constitutionem Gregorii, sed adhuc subsistere resolvendum videtur; si quidem observanti a subsecuta post Gregorianam declarat, non fuisse revocata, cùm per ipsam pluries Conservatores pro esserint in causis requirentibus judicialem indaginem. Observantia autem, etiam unius actus, defecit pro interptetatione, Rota coram Buratto *decis.* 679. *num.* 9 & in Florentina Jurispatr. de Ricasulis 11. Febr.

1604. §. *non obstat*, coram Lancellotto, & coram Emin. Otthobono *dec.* 165. *n.* 19. & adeò defertur observantiæ interpretativæ, ut præferatur interpretationi magis veræ, & juri magis conformi, Hond. *cons.* 92. *n.* 30. *lib.* 1. Rot. coram Burat. *d. q.* 44. *in* 6 & coram Eminent. Otthobono *dec.* 1001. *n.* 20. & in Barchinon. Canonicatus 15. Decem. 1645. §. *nec prædicta* coram Royas

14 Non obstat, quod in Constitutione Gregoriana innovetur Constitutio Bonifacii VIII. *c. fin. de Iud. deleg. in* 6. quia hæc innovatio non plus operatur, quàm si Constitutio concederetur de novo; condita autem de novo non derogaret juri particulari privilegiorum juxta *c.* 1. *de constit. in* 6. & cùm disponat de Conservatoribus, qui sunt tantùm Conservatores puri, non se extendit ad Conservatores, qui simul etiam sunt Judices, quales sunt electi à Regularibus vigore eorum privilegiorum, in quibus leguntur hæc verba: *In quibus deputati estis Conservatores, & Iudices.* Dictio enim copulativa, *Et*, attribuit Conservatoribus qualitatem etiam Judicis, Menoch. *cons.* 497. *n.* 17. Rot. *dec.* 165. *n.* 11. *p.* 5. *rec.*

15 Neque item obstat, quod in dicta Gregoriana derogetur omnibus privilegiis, & proindè etiam quatenus contraria Constitutioni Bonifacii innovatæ; quia derogantur cum clausula quoad ea, quæ præsentibus adversantur; quatenus autem concedunt privilegia Conservatoribus procedendi in causis requirentibus judicialem indaginem, non adversantur dispositis in Gregoriana, cùm non disponat oppositum, nec dispositio Bonifacii VIII. id vetans, venit nomine præsentium, cùm non sit inserta in Gregoriana, sed tantùm sit innovata, nec dicta privilegia obstant innovationi, cùm possit stare innovatio dictæ Constitutionis cum privilegiis, ex deductis. Cùm ergo sit quid diversum derogari privilegiis, quatenus adversantur dispositis in Constitutione Bonifacii, derogatio quoad unam partem, non debet extendi ad aliam, cùm materia derogationis sit strictè accipienda, *l. Sancimus C. de Testam.* Gemin *cons.* 15 *n.* 2. Oldrad. *cons.* 190. *n.* 10. Cravet. *cons.* 26 *num.* 7. Rot. coram Penia *dec.* 1582. *num.* 10.

16 Nec denique obstat declaratio S. Congregationis, de qua supra. Quia, cùm sit generalis, recipit interpretationem, quod non comprehendat in specie privilegiatos, qualis interpretatio aliàs emanavit in simili declaratione generali quod Abbates non possent benedicere ea, in quibus requiritur Sacra Unctio, siquidem posteà declaravit, quod ea declaratio non comprehendebat privilegiatos in specie, ita sub die 10. Septembris 1614. *Const.* 275. apud Bullar. Casinensium.

17 At nihilominus censeo, persistendum esse in superiùs adducta declaratione S. Congregationis Concilii pro jurisdictione Ordinariorum. Siquidem ita in tali casu ratiocinari necesse est post dictam Constitutionem Greg. XV. de exemptorum privilegiis. Examẽ, & discussio quarumdam causarum non potest fieri sine judiciali indagine, ideſt, sine processu, & litis institutione. De jure autem communi Conservatores tam Regularium, quàm alii quicumque, potestatem, & jurisdictionem non habent, nisi in defendendo à manifestis injuriis, & violentiis, in iis tamen, in quibus non requiritur judicialis indago, juxta *d. c.* 1. *& c. final de off. Delegat. in* 6. Gloss. *in d. c.* 1. *in verb. Conservatores*, docentque Sylvest. *in summ. verb. Conservatores in princ. & qu.* 3. Mirand. *in Manual. prælat. regul. p.* 2. *q.* 47. *art.* 1. *& 7. concl.* Cocchier. *de jurisd. in exempt. p.* 1. *q.* 39. *n.* 1. *& 6.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 34. *q.* 1. 3. *& 7.* Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 106. *nu.* 1. 6. 30. 52. Lezan. *regul. q. p.* 2. *c.* 10. *n.* 1 & admittit Rot. *in d. dec.* 616. *nu.* 1. *p.* 2. *rec.*

18 Et cum tali juris dispositione concordat Concilium Trid. *in c.* 15. *sess.* 14. *de refor* prohibens Conservatoribus ullum Tribunal habere erectum.

19 Quod si dicti limites excedantur, apposita est pœna suspensionis per annum ab officio contra Conservatores & pœna excommunicationis latæ sententiæ contra procurantes talem excessum, à qua non absolvuntur, nisi postquam parti satisfecerint, *d. c. fin. de off. Deleg. in* 6. si tamen sit pars litigans, quæ id procuret, ut ponderant Navar. *in manual. c.* 27. *n.* 125. Roderic. *q regul. tom.* . *q.* 65. *art.* 20. Mirand. *d. q.* 47 *art.* 9. Barbos. *d. alleg.* 106 *n.* 49.

Dictaque juris communis, & Concilii dispositio confirmata fuit per d. Constitutionem Greg. XV. dum in ea Pontifex expressè innovat *d. c fin. de off. Deleg. in* 6. in omnibus, quæ tali constitutioni non adversantur, prout etiam innovat dictas pœnas. 20

Et in terminis hujusmodi Constitutionis declaravit aliàs sub anno 1624. S. Congregatio Concilii, attendendam esse dictam dispositionem juris per hæc verba *Congregatio Concilii censuit, non esse sublatam facultatem per Constitutionem Greg. XV. quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, & violentiis, dummodo observent formam præscriptam constitutionis Innoc. IV. & Bonifacii VIII. relatam in c.* 1. *& c. fin de offic. Deleg. in* 6 quæ declaratio habetur in Bullario *tom.* 1. *post* 9. *Bullam dicti Gregorii*, & apud Barbos. *d. alleg.* 106. *inisin.* & Lezan. *d. c.* 10. *n.* 47. *&* 62. 21

His verò stantibus, ex quibus constituta remanet ultima juris dispositio, nulla habenda est ratio privilegiorum quarumcumque Regularium, quomodolibet concedentium ampliorem jurisdictionem Conservatoribus, & decretorum emanatorum ante Greg. XV. De illis enim non est opus disputare post dictam Constitutionem, quæ omnia latissimè revocat per verba generalissima: *Non obstantibus quibuscumq; Constitutionibus ad favorem quorumcumq, Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, Militiarum, Congregationum, Societatum, &c. consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis, etiam mari magno, & literis Apostolicis, &c. etiam competentibus per viam communicationis, &c.* 22

Quæ derogatio contrariis consuetudinibus etiam immemorabilibus tollit expressè etiam præscriptionem ultra quadragenariam. 23

Idque præsertim si agatur de Conservatore deputato non ex vi antiquorum privilegiorum, quia omnes deputationes sunt annullatæ per dictam Constitutionem, sed de electo vigore ejusdem Constitutionis, & consequenter ad terminos illius. 24

Nec obstat, quod ipsa Constitutio Greg XV. præservet jurisdictionem hujusmodi Conservatoribus in causis tantùm in quibus Regulares sunt rei quia sicut ex vi constitutionis præfatæ, & dictæ declarationis anni 1624. fundatæ *in d. c.* 5. *sess.* 14. S. Concilii, non possunt Conservatores procedere pro manifestis injuriis, nisi quando sine judiciali indagine procedendum est, ut per Barbos. *d. alleg.* 106. *n.* 40. *& seqq.* & Lezan *q. regul. tom.* 2 *d. c.* 10. *n.* 60 *&* 62. Pari modo non habent jurisdictionem, quando Regulares sunt rei, si causa verè requirat judicialem indaginem, stante quod dispositio juris communis sit generalis de omnibus causis, & illam ipsa Constitutio generaliter innovat, & servari mandat in omnibus, quæ dispositis in ipsa Constitutione non adversantur, & proindè talis innovatio referenda est ad omnia contenta in Constitutione, & consequenter etiam ad casum, quando Regulares rei sunt. Semper enim verum est, Conservatores non habere jurisdictionem, tam ex dicto jure communi, quàm ex Constitutione, ubicumq; procedendum est, servata judiciali indagine. Quod si hoc procedit in casu magis favorabili ipsis Regularibus, quando scilicet ageretur de manifestis injuriis eisdem illatis, ut in supracitata declaratione anni 1624. quæ emanavit ad interpretationem dictæ Constitutionis, ut argumentatur Lezan *in d. c.* 10. *n.* 63. Idem quoque procedere debet, quando Regulares sunt rei in causis, in quibus judicialiter de pluribus juris, & facti articulis disputandum est. 25

Accedit Conservatoria concessa ab Innocentio X. Carthusiæ Papiensi cum expressa, & speciali facultate attri- 26

attributa Conservatoribus, in ea nominatis, procedendi in causis requirentibus judicialem indaginem, & cum amplissima derogatione omnibus Constitutionibus in contrarium, quomodolibet facientibus. Ergo ut derogetur dictæ Constitutioni Gregorii XV. necessariò requiritur privilegium speciale, quod concessum servandum est.

CONSULTATIO XXXIV.

1 *An liceat eligere in Vicarium Capitularem non Doctorem, sed aliàs idoneum reputatum, stante reprobatione Doctorum de Capitulo?*

2 *An facta electione intra octo dies de non Doctore, ea devolvatur ad Metropolitanum, vel potius facta per Metropolitanum declaratione nullitatis, remittenda sit electio de novo ad idem Capitulum?*

1 QUoad primum, videtur respondendum, quod, licèt S. Concilium disponat, ut debeat deputari, qui saltem in jure canonico sit Doctor, vel licentiatus, contentatur tamen ut in defectum Doctorum deputari possit alius, quoad fieri possit idoneus. Non adesse autem Doctores, vel adesse minùs idoneos judicio Capituli, idem est juxta notata *in leg.* 1. *§ fin. ff. quod cujusque univers. nom.* stante præsertim, quod non est, reperiri non Doctores, qui sunt plusquàm Doctores, & è converso Doctores, qui nomine, & privilegio tantùm sunt Doctores, quo respectu S. Congregatio aliquando declaravit ad præsentem effectum non sufficere esse Doctorem, nisi qui sit Doctoratus in publica Universitate, ut in Cotronensi 9. Maii 1637 & in Materana 10 Decemb. 1640. Doctos volo, non Doctores, aiebat Greg. XIII.

2 Tenendum tamen est, nisi desint Doctores, & licentiati, non posse eligi in Vicarium Capitularem alium his qualitatibus carentem. Primò quidem, etsi alternativa regulariter electionem tribuat, & alteram ejus partem adimplere sufficiat, *ut in cap. inter cæteras de rescript. & in c. cùmplures*, ubi Gl. *v. forma de off. deleg. in 6.* quando tamen est posita inter personas habentes diversas qualitates, & in primo nominatis sub majori ratione, quàm in posterioribus in secunda parte alternativæ comprehensis, tunc alternativa ordinem inducit, non electionem, & ad secundam partem alternativæ perveniri non debet, nisi in subsidium, & in defectum primæ. Ita probat textus, *in c. Metropolitano*, juncta Gloss. *ut ex presbyteris 63. d.* ubi cùm textus jubeat, ut Metropolitano defuncto, in ejus locum subrogetur alius ex presbyteris, vel diaconis, Glossa notat, illis verbis esse designatum ordinem, ut ex Diaconis Metropolitanus non eligatur, nisi desint Presbyteri. Idem probat textus *in l. hæredes mei §. fin. ff. ad Trebell.* ubi fideicommissum relictum alternativè nepotibus, vel cæteris cognatis non debetur cæteris cognatis, donec extent nepotes, qui prædilecti præsumuntur, *& in l. cum pater §. penult. ff. de leg. 2* ubi disjunctiva posita inter personas, inter quas cadit affectio ordinaria, non resolvitur in conjunctivam, ut ibi per Bartolum. Undè si testator mandet, aliquid dari liberis, aut, iis deficientibus, consanguineis, aut affinibus, sequimur ordinem, ut ait Gloss. *in cap. in alternativis de regul. jur. in 6. vers. sunt tamen quædam alternativæ, in quibus debet ordo servari.* Id ipsum colligitur *ex l. si fundum sub conditione, §. his verbis de leg. 1. & cap. mandato de præb. in 6.* & notat Gloss. *in c. licet v. vel Parochiali de sepult. in 6.* quam ibi Jo. de Lignano relatus à Francho testatur, esse communiter approbatam, Felin. *in c. cum dilectos n. 4. de rescript.* At in hoc casu major ratio subest in Doctoribus pro illorum idoneitate, quàm in non Doctoribus. Ergo ordo scripturæ spectandus est ita, ut hi eligi non debeant, nisi ubi illi deficiant.

3 Secundò idem suadetur, quia aliàs prima pars alternativæ esset otiosa nisi designaret ordinem, & satis fuisset tribuere Capitulo facultatem eligendi idoneos. Ad quod absurdum vitandum fateri necesse est, secundam partem alternativæ esse subsidiariam.

4 Tertiò, quia aliàs Sac. Congregatio Concilii idem in hoc casu videtur sensisse circa intellectum textus *c. 16. sess. 24.* ubi jubetur eligi Vicarius Capituli, Sede Vacante, qui sit saltem in jure Canonico Doctor, vel licentiatus, vel aliàs, quantum fieri poterit, idoneus. Declaravit enim, nisi desint Doctores, & licentiati, non posse eligi alium his qualitatibus carentem, sicque pluries declaratum ab eadem S. Congregatione testatur Garz. *de benef. p. 5. c. 7. nu. 9. & seqq* & in *addit. ad idem c. 7. nu. 2.* sicque sæpiùs observari præcipitur à Sac. Congregatione super Episcopis.

5 Non obstat, quod illa verba posita in fine secundæ partis alternativæ videantur tribuere facultatem præferendi non Doctores, si sint magis idonei Doctoribus; quia respondetur, vel illa verba posita in fine ex regula vulgata referri ad totam clausulam ita, ut eligi debeant magis idonei ex singulis gradibus, ibi expressis, vel si referenda sunt ad secundam partem alternativæ tantùm, hoc importare, ut cùm in defectum habentium qualitates expressas in prima parte alternativæ, perveniatur ad personas expressas in secunda, & ex iis eligatur qui ad id magis idoneus videbitur. Et sic illa verba non adversantur nostræ sententiæ.

6 Deinde respondetur, S. Concilium absolutè voluisse, ut primo loco deputentur Doctores; quia cùm hi studiorum cursus peragere, & in publicis functionibus literaturæ periculum facere consueverint, eos juris præsumptione sufficienter idoneos judicavit, à qua quidem juris præsumptione, quemadmodum noluit posse recedi ex eo, quod alii aptiores, & doctiores reperientur, cùm alternativa, ut dictum est, sit ordinis, non electionis, ita nec censendum est, voluisse, ut posset recedi ex eo, quod aptiores reperirentur ex non Doctoribus.

7 Cæterum illud omittendum non est. Si alicubi non reperiantur Doctores, nisi prorsus imperiti, eo casu licere Capitulo, prætermissis Doctoribus, alium idoneum eligere, ut aliàs in hac specie electionis Vicarii Capitularis respondit Sacr. Congregatio Concilii. Approbavit enim electionem factam de Vicario non Doctore, nec licentiato, aliàs idoneo, cùm ibi non extaret, nisi unicus Doctor, isque omninò imperitus. Doctor enim ignarus perinde ac nullus, Felinus post alios *in cap. Clerici n. 1. de judic.*

8 Ad secundum videtur repugnare non solùm Concilio, sed etiam toti juri canonico, ut superior, ad quem devolvitur electio, vel collatio ob negligentiam, vel malam electionem inferioris, non possit conferre, sed debeat eidem inferiori novam collationem, vel electionem demandare. Hic enim est effectus devolutionis, ut ea facultas, quæ inferiori competebat, transeat in superiorem, illaque pro ea vice destitutus remaneat inferior in pœnam suæ negligentiæ, vel culpæ in non conferendo, vel malè, ad textum *in c. cum in cunctis §. fin. de elect. & c. si compromissarius eod. tit. in 6. c. 2. de concess. præben.* Cum aliis, & ita in his terminis docent praxis quotidiana, & resolutiones SS Congregationum, nam repugnat principiis juris in materia devolutionis, & Concilium ad literam disponit, ut ipsa deputatio devolvatur ad Metropolitanum, ibi: *Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.*

9 Eòque magis si constet, Metropolitanum in optima fide versatum esse, deputando Doctorem in Vicarium, qui poterat ex ratione justitiæ prætendere, se jam canonicè electum per Capitulum. Quia scilicet in primo actu Capitulari habuit majorem partem votorum, pro qua constituenda sufficit excessus in uno voto supra medietatem, *c. cum in Iure, & c. Cumana de elect. c. cum omnes de Const.* Burat. *dec.* 809. *n.* 1. nihil obstante, quod inter hæc adesset illud ejusdem electi, si ad hujusmodi electionem

nem processum esset non per secretum Scrutinium, sed per publica suffragia. In hoc enim casu potuit ipse adhærere concurrentibus, cùm se ad constituendam majorem partem, ut probat textus *in cap. cum jure de elect.* ubi ex septem vocalibus electus à tribus cum accessu sui ipsius, dicitur electus à quatuor; & consequenter à majori parte; quem textum non esse correctum, sed etiam hodie attendendum, quoties non agitur de electione juxta formam *c. quia propter*, notant communiter scribentes, de quibus Vivianus, & Burat. *suprà.*

10 Imò etiam si electio facta esset per Scrutinium secretum, quoties non versamur in casu, quo præcisè servanda sit forma præscripta *in d. c. quia propter*, adhuc publicato Scrutinio potest electus à medietate sibi ipsi accedere, ad effectum augendi numerum, & perficiendi electionem aliàs imperfectam, ut benè Abb. *in d. c. cum in Iure n.* 5 cujus doctrinam communiter esse receptam, testantur Navar. *cons.* 6. *de elect. n.* 5. Rot. *dec.* 291. *p.* 4. *rec. n.* 2. Butat. *decis* 316. & 481. utrobique *num.* 4. Rot in Cæsaraugustana beneficii de Linares 26. Junii 1646 coram Bichio, Vivian. *de Iurepatron. decis.* 135. *numer.* 9. & 10. Ubi enim cessat necessitas servandæ formæ rescriptæ, non est necessarium electionem perfici per solum Scrutinium, sed sufficit cœptam per Scrutinium perfici cum accessu.

11 Quod autem in electione Vicarii non sit necessaria forma *c. quia propter*, inducta solùm in electione Pastoris Ecclesiæ viduatæ, firmat in puncto Garz. *de benef. d. c.* 7. *p.* 5. *num.* 21 & 22. ubi refert declarationem S. Congregationis. Verè enim non est electio, sed simplex deputatio, & generaliter in electione ad Dignitates, Canonicatus, vel Officia Capitularia, Rot. *dec.* 289. *n.* 30 & 38 *p.* 6. *rec.* Adden ad Burat. *dec.* 809. *num.* 19. in Toletana Canonicatus 16. Junii 1643. & 4. Maii 1644. coram Eminentiss. Cerro.

12 Vel quia perfecta fuit electio per Capitulum ab initio, si ex pluribus eligentibus aliqui elegerint dignum, alii verò scienter indignum, electio de digno dicitur perfecta, quamvis à pauciori numero. Ea ratione, quia eligentes scienter indignum pro ea vice privantur jure eligendi, quod totum devolvitur ad eligentes dignum, in quibus, & si paucioribus, consolidatur totum jus Capituli ad textum expressum *in c. dudum* 1. & *c. cum Vintonien se de elect.* ubi communiter Doctores, traditque Rota in Leodiensi Abbatissatus 4. Julii 1642. & in Ragusina electionis 1. Julii 1643. coram Ghislerio, estque conclusio indubitata.

13 His tamen minimè obstantibus, quoad secundum censeo respondendum, mentem Concilii fuisse inducere dictam devolutionem ad Metropolitanum in casu non factæ electionis intra terminum octo dierum, non tamen si in tempore facta fuerit, sed nulliter de non Doctore, existentibus Doctoribus. Devolutio enim hujusmodi est pœna, Seraph. *dec.* 794. *n.* 23. Rot. *dec.* 356. *n.* 10. *p.* 1. *recent.* imposita principaliter ob negligentiam in gerendo actu, quæ non debet extendi ad casum, quo actus quidem gestus fuit, sed nulliter, cùm minùs sit peccare in qualitate, quàm in substantia, maximè quia erratum fuit in intelligentia Concilii, dum credebatur, ex verbis illius alternativis posse eligi, vel Doctorem, vel aliàs idoneum, qui error excusat à pœna, ut excusat quælibet causa, etiam irrationabilis, & ad hoc sufficit probabilitas credulitatis, ut per Gratian. *discept. for. c.* 675. *n.* 33. Greg. XV. *dec.* 388. *n.* 4. Seraph. *decis.* 738. *n.* 10. Rota *dec.* 232. *nu.* 2. *par.* 2. *rec.* Et quia regulariter conceditur aliquid fieri per secundum actum, quando per primum non valuit, nec fuit satisfactum menti disponentis ex allegatis per Gabr. *tit. de legib. concl.* 2. *num.* 28. & 30. & Tiraquell. *in l. boves §. hoc sermone, limit.* 1. & 6. *per totam.* Prout tali, fuit antiquus sensus Sacr. Congregationis, quæ sub die 19. Decembris 1596. in Mazarien si declaravit, *Archiepiscopum debere Constituere Capitulo terminum octo dierum ad eligendum novum Vicarium Doctorem casu, quo elegisset non Doctorem, &, eo non electo, omnem potestatem in Archiepiscopum transferri.* Idemque respondit in Trivisana 18. Maii 1570.

Eumdemque sensum habere etiam recentiùs declaravit in Campanien si 4. Aprilis 1637. Dum consulta in casu electionis factæ de non Doctore, existentibus Doctoribus, *An intraret devolutio ad Metropolitanum*, respondit dumtaxat *illam esse nullam.* 14

Et in Ragusina 2. Aprilis 1650. stante invaliditate duarum electionum factarum injunxit eidem Capitulo, ut de novo eligeret unum ex Doctoribus Capitularibus, Quæ declarationes sunt hujusmodi. 15

Mazarien si. *Archiepiscopus constituere debet Capitulo octo dierum spatium ad eligendum Vicarium Doctorem, casu quo elegisset non Doctorem; & eo non electo omnis electionis potestas ad Archiepiscopum transfertur die* 19. *Decembris* 1569. Idem in Trivisana fuit responsum die 18. Maii 1570. 16

Et in Campanien si. Quæritur, *An deputatio Vicarii Episcopi prædefuncti non Doctoris in Vicarium Capitularem, non obstante, quod in Capitulo adsint Doctores, sustineatur, seu potiùs jus deputandi fuerit devolutum ad Metropolitanum, die* 4. *Aprilis* 1637. *S. Congregatio censuit, deputationem esse nullam.* 17

Ragusina, *Nel concorso dell' Arciprete Stefano Gradi, e del Canonico Francesco Tudisi al Vicariato Capitulare di Ragusa, havendo havuto ciascun di loro voti pari, & essendosi proceduto doppo scorso il tempo delli* 8. *giorni all' elettione in persona del Vescovo di Mercana, residente in Ragusa, la cui elettione è notoriamente nulla, & insufficiente la prima, però si supplica per provisione, acciò quella Chiesa non si riempia di confusione, &c.* 18

Die 2. *Aprilis* 1650. *S. Congregatio Concilii censuit, primam, & secundam electionem fuisse invalidas; ideòque injungendum Capitulo, prout tenore præsentium injunxit, auctoritate ejusdem S. Congregationis eligant unum ex Doctoribus Capitularibus.* 19

Et quod pro dicta devolutione requiratur, omninò peccatum fuisse in tempore, indicant verba ipsa Concilii, ibi: *Et si secus factum fuerit*, nam positis duobus adimplendis, nempè, ut electio fiat intra octo dies, & ut eligatur Doctor, utrumque deficere debet, ut incurratur pœna apposita. 20

Et ibi: *si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, vel exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, &c.* ergo devolutio est in pœnam negligentiæ; negligentia autem cadit circa non factam electionem in tempore, sed non circa qualitatem Doctoratus, quæ potiùs est ignorantia. 21

Neque vim debent facere in contrarium declaratio facta 24. Februarii 1594 & aliæ concordantes, quod, stantibus in Capitulo Doctoribus, necessariò unus ex illis eligatur, alioquin deputatio ad Metropolitanum devolvatur; quia, ut declarationes contrariæ ad concordiam reducantur, devolutio prædicta intelligitur in casu electionis non Doctoris, quando post octo dies à remissione ad idem Capitulum, nova electio facta non esset, ut benè explicat dicta declaratio in Mazarien si Anni 1569. ibi: *& eo non electo in termino assignato ab Archiepiscopo.* 22

Nec subsistit, quod electus prætendat fuisse primo loco electus, cùm ipse, habens medietatem votorum, sibi ipsi accesserit suo voto. In nullo enim casu licitum est eligere se ipsum, *c. fin. de instit. c. Cumana*, ubi Gloss. *in ver. ad majorem partem*, & Doctores *de elect.* Abb. *in c. cum post n.* 2. *de elect.* Gonzal. *ad regul. Cancel. gloss.* 2. *nu.* 57. Castellin. *de elect. c.* 5. *n.* 45. Non obstante, quod aliud dicatur in præsentatione ad beneficium juris patronatus in gratiam patronorum; quia eo casu accedens sibi ipsi est ex patronis, & habet aliquod jus super beneficio. Quod non est ita in electione Vicarii Capitularis, in qua servanda est 23

da est forma *d.c.Quia propter de elect.* Nec obstat textus *in c.cum in jure de elect.* quia illud procedit ex forma compromissi facti, aliàs requiritur major pars in ipso scrutinio, ut concordat glossa *in d. c. Cumana v. ad majorem partem in fine de elect.*

CONSULTATIO XXXV.

An Canonici possint cogi ab Episcopo ad ei assistendum, uti Convisitatores in visitatione Diœcesis?

1 NEgativè. Primò, quia nec S.Canones neque Concilium Trident. ullibi de hoc habent præceptum; nam per Concilium *in c 3.sess.24.* ubi præcipuè agitur de visitatione Diœcesis, solus Prælatus, eoque impedito, illius Vicarius deputatur visitator, qui, si auxilio indigeat, non est necesse, ut graventur Canonici, sed omnes Sacerdotes, & Doctores Civitatis, & Diœcesis sunt idonei, qui nunquam, aut rarò deficiunt. Ubi autem cessat obligatio debet cessare coactio.

2 Secundò, quia verba *c.4.sess.6.de refor.* ut Episcopus possit sibi visitando adjungere, quos voluerit, non intelliguntur, ut possit cogere pro suo libito quemcumq; etiam renitentem, sed quod non teneatur adhibere personas de Capitulo. Quare poterit sibi assumere, quas voluerit alias ad visitandum Capitulum Cathedralis exemptum, de quo *in d.c.4.sess.6.* est sermo, repetitus deinde *in c.6. sess.25.de ref.* & indicant verba sub principio *d.c.6 sess 25.* ubi datur facultas in utroque loco visitandi, etiam ex delegatione Apostolica, & prout ita declaravit S. Congregatio in impressis *ad sess.25.sub n.2.* & in illa adnotatione antiqua, quæ habet: *prima difficultas excitata per Dominos fuit, an cap.4.sess.6.& cap.6.sess.25.procedat in Capitulis exemptis tantum, Congregatio censuit procedere tantùm in Capitulis exemptis.*

3 Tertiò, quia ex Concilio *c.3.sess.25.* finis visitationis Diœcesis esse debet, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere populum cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, & pacem accendere &c. quæ omnia facilè præstari possunt per quoscumque Sacerdotes, Religiosos, ac per Canonicos.

4 Quartò, quia si Concilium voluisset Canonicos, tanquam necessarios, posse ad id compelli, eis utique pro tempore absentiæ gaudere concessisset distributionibus quotidianis, ut illis gaudent in aliis casibus necessariæ absentiæ. Comitantes autem Episcopum in visitatione, illas amittunt ex declarationibus S.Congregationis apud Garz.*de benef.part.3.c.2.n.345.& seqq.* & *in impres.ad c. 12.sess.24.de refor.n.38.§.Congreg.censuit duos & n.43.*

5 Quintò, quia extra Civitatem Canonici non tenentur præstare Episcopo assistentiam in functionibus, quas facere vellet, ut sunt declarationes *ad d.c.12 sess.25. in impressis sub n.43 §.In conferendo, & sub n.44.* & specialiter ad petitionem Archiepiscopi Ragusini, declaravit S. Congregatio Rituum die 13. Julii 1658. tenoris sequentis *Proposita fuerunt in S.Rituum Congregatione tria dubia. Secundò an Canonici Cathedralis teneantur assistentiam præstare Archiepiscopo, Pontificalia exercenti extra Cathedralem? S. Rituum Congregatio respondit ad secundum, Canonicos Cathedralis in Civitate teneri assistere Archiepiscopo, Pontificalia exercenti, & extra Civitatem non esse cogendos die 13. Julii 1658.*

6 Sextò, quia cùm Canonici Ragusini ægrè ferrent, Archiepiscopum velle eos in visitatione ipsi inservire in missis privatis, & præstare assistentiam in Ecclesia in functionibus sine habitu Canonicali, declarari obtinuerint à S.Rituum Congregatione 16. Martii 1658. non teneri, & sufficere illi dare titulum Illustrissimi in benedictionibus Ecclesiasticis ab eo petendis, ut patet ex sequenti decreto.

Capitulo, & Canonicis Ragusina Cathedralis instantibus ad infrascripta dubia Sac. Rituum Congregatio respondit.

Archiepiscopi titulum in petitionibus benedictionem, & instantiis admissionis ordinandorum, & publicatione indulgentiarum non debere extendi ultra expressum in Pontificali, & Cæremoniali. 7

Diaconos Assistentes non teneri imò non debere inservire Archiepiscopo de bugia, seu candela, sed eam esse administrandam per Capellanum; & non posse cogi Canonicos ad inserviendum Archiepiscopo in missis privatis præter consuetudinem. 8

Canonicos non indutos Canonicalibus indumentis non teneri ad præstandum assistentiam Archiepiscopo; imò contra ritum præstari die 16. Martii 1658. 9

CONSULTATIO XXXVI.

An exactio taxæ pro Seminario, nondum instituto cum seminaristis, restitui debeat?

ET quidem hujusmodi restitutio denegari non posse videtur, cùm prænarrata exactio non fuerit legitima, neque ad mentem S.Concilii *c.18. sess.23.* Quia ibi disponitur, quod, postquam Seminarium fuerit ædificatum, institutum, & erectum, fiat subsequenter pro subministrandis alimentis, & aliis necessariis contributio ex fructibus beneficiorum, & non aliàs ideòque injungitur, ut ex dictis fructibus priùs domus ædificetur, & postea Seminarium instituatur, neve in longum hoc utilissimum opus protrahatur, ut accuratè advertit Rot. *dec 836.n.4.ver. Hæc refragatur part.4.divers.* 1

Indebitè igitur facta fuit exactio, adhuc non instituto Seminario, cujus erectionis substantia non consistit in sola præparatione, seu constructione Domus, sed in actuali introductione personatum, & alumnorum ibi viventium & literas addiscentium. Et jure quidem; nam non muri, sed personæ faciunt Seminarium, ut firmant Corradus *in praxi benef.lib.4.c.8,n.34 & seqq.* & Rota *dec.835.n.4.p.4.divers.* 12. Maii 1656. *v.non obstat* coram Dunozetto cum aliis ibi citatis. 2

Deficiente igitur actuali existentia puerorum cessare dispositionem Concilii Triden. injungentis contributionem ex fructibus beneficiorum pro subministrandis alimentis, & aliis necessariis, comprobatur ex eo, quod si pensio esset reservata Seminario, illa non potest exigi pro annis, quibus absunt scholares, licèt non expiret, nec extinguatur, ut firmant Garz.*de benef.p.12.c.2.v.roz.* Ventrigl.*in prax.fori Eccles.ad text.in c.1.de Magistris adnotat 29 §.1.n 46 in fine.* 3

Idque suadetur evidentiùs ex mente S. Congregationis Concilii, quæ pluries declaravit, & signatè sub anno 1588. in Giennensi per hæc verba; *Congregatio Concilii censuit, unionem nullam esse, & invalidam, cùm seminarium non fuerit erectum juxta formam Concilii, utpotè nec magistris, nec scholaribus verè, & actu in eo existentibus,* quæ declaratio fuit comprobata per Breve Sixti V. ut refert Garz.*de benef.p.12.c.2.de unione n.193.* & idem firmant Barbos *de officio, & potestate Episc.alleg.77.n 23.* & in Apostolicis *decis.collect.62.n.6.* Corrad *in prax.benef. lib.4.c.8.nu.34.& seqq.* & decidit Rota in Adiacen. beneficii 15. Aprilis 1622. coram Coccino impressa penes Barbos.*dict.alleg.77.* & in Verulana beneficii 19. Junii 1626.§.*validitas autem* coram Pitovano, & optimè *dec. 837. nu.2.* coram Merlino, qui cum aliis ibi allegatis reprobat contrariam sententiam. 4

Si itaque ex mente S.Congregationis invalida est unio ante erectionem Seminarii, & adolescentum admissionem, utique cùm nulla diversitatis ratio assignari possit, idem dicendum erit respectu contributionis, sed taxæ factæ ex beneficiis totius Diœcesis, & hoc non obscurè, sed apertè potius idem Concilium insinuat, ponderando illam dictionem *necnon*, quæ resolvitur in copulativam, & unica videtur oratio, in qua tam beneficia unienda, quàm contributio facienda ex fructibus beneficiorum ab eodem verbo videntur regi, ut in his præcisis terminis est expressa decisio prima Cæsar. 5

de

de Graff. *num.*4.*& 5.de rebus Eccles. non alienand.*

6 Quinimò multò magis videtur dicendum respectu taxæ assignatæ Seminario, quod quidem non potest intelligi, nisi de illo, quod actu existit, cùm qualitas sine subjecto adesse non possit, *l.*2.*ff.de usufr.& l.*10 *ff.de verb. oblig.* & sic indebitè quis gravaretur contribuere, antequam præcedat receptio puerorum, quibus deficientibus Seminarium non dicitur esse in rerum natura, ut ait Corrad.*in prax.benef.lib.*4.*c.*8.*n.*35.

7 Nec suffragatur, quod pecuniæ solutæ conversæ fuerint in fabricam ipsius Seminarii, temporis vetustate collabentis, & sic quasi in necessarium antecedens ipsius Seminarii. Quia nullo modo id videtur Episcopis permissum; nam Concil. Trid. *d.*§.*& quia*, disponit Seminarium erigi, & eo erecto tantùm mandat ex fructibus beneficiorum, quæ sunt in Diœcesi, subministrari alimenta, & alia necessaria, ut ad rem hanc decidit Rota *d.dec.* 835.*n.*5.*vers.nec verum est part.*4.*divers.*

8 Excessit itaque Episcopus terminos suæ jurisdictionis, exigendo hujusmodi taxam prætextu fabricæ, maximè si per longum temporis spatium nihil actum fuerit circa introductionem puerorum, ac circa eorum gubernium, vel bonorum administrationem, prout facilè id peragere potuisset erigendo Seminarium in domo conductitia, sive alio meliori modo absque eo quod tam ingenti stipendio tota summa exacta erogaretur in solam ædificationem Seminarii. Unde in tam diuturna contumacia, & negligentia non debet ei suffragari supradicta excusatio, ut ait Rota *dec.*837.*n.*4.coram Merlino.

9 Eòque minùs poterit se excusare, si id propria auctoritate peregerit, & non cum consilio duorum de Capitulo, & duorum de Clero juxta formam à S Concilio Triden.*d.c.*18.præscriptam, cujus observationem esse necessariam, firmat Merlin *dec.*713.*n.*11. & ulterius cum peritorum, vel S. Congregationis nunquam adhibuerit consilium, prout id agere debuisset, profectò juris ignorantia excusari non potest, ut decidit Rota *dec.*836.*n.*4.*in fine p.*4. *divers.* & è contra, cùm taxa soluta fuerit bona fide cum credulitate, quod adessent pueri in Seminario, pro quibus alendis inserviret taxa, locum esse videtur restitutioni, prout justissimam causam præbet dicta ignorantia facti, maximè cùm simus in facto alieno, prout advertit Odd.*de restit.in integr.p.*8.*n.*17. *& seq.& n.*45. ubi plures alios constipat.

CONSULTATIO XXXVII.

An Constitutio Urbani VIII. quæ incipit: Secretis æternæ Providentiæ consiliis, edita sub die 11.*Decemb.* 1624. *qua statuitur, Italos Clericali charactere insignitos cum falsis dimissoriis ab alieno Episcopo, fori privilegio minimè gaudere, & seculari jurisdictioni plenè in omnibus subjacere, comprehendat etiam Melitenses?*

1 PRo hujus dubii resolutione adverto primò, Jacobum Bosium in Historia S. Religionis Hierosolymitanæ adhærendo nonnullis gravissimis Historiographis, & Geographis, qui Europæ provincias, seu regiones describunt, numerare Insulam Melitæ inter alias Africæ subjectas, & si acriter impugnetur à Francisco Abela, qui amore Patriæ ductus, vult esse partem Europæ, & inter Insulas Italiæ adjacentes locum habere, & pro sua sententia quamplures authores adducit, qui apud ipsum in suo *Tomo de Melita illustrata* videri possunt. Certum tamen est adhuc sub Judice litem esse, cùm utraque sententia plures habeat pro se authores.

2 Adverto præterea, consuetum esse stylum Summorum Pontificum in suis constitutionibus, & edictis, expressam, & claram mentionem facere Insularum Italiæ adjacentium, quoties illas unà cum Italia comprehendere volunt, & hoc passim observari videtur.

3 Adverto denique, multa comprehendi in favorabilibus, quæ tamen in odiosis excludunrur, nisi de illis fiat mentio expressa, cùm privilegia sint amplianda, & odia restringenda, ut est regula juris. & patet exemplo: Nam licet nomine Clericorum in materia favorabili comprehendantur Episcopi, & Religiosi utriusque sexus, eorumque novitii, non tamen in materia odiosa, uti docent Sylvester *v.Clericus*, Armilla, Sà, *ibid* & Layman.*lib.*1.*tract.* 5.*p.*2.*c.*4.*n.*3. His præsuppositis.

Dico, dictam constitutionem non comprehendere Melitenses. Moveor primò, quia Insula Melitæ est extra Italiam, ut ex Cosmographia apparet, & declaravit Sac. Rota *p.*11.*rec.dec.*327. per hæc verba: *prout regulariter fieri solet ad favorem actoris ad probandum, quando præfigitur extra Italiam, ut est Insula Melitæ*; loquendo de termino ad probandum, quando præfigitur actori extra Italiam. *Si igitur extra Italiam est Melita*, & Summus Pontifex solùm Italos privare intendit privilegio fori quando cum falsis dimissoriis ad statum Clericalem promoventur, certum est in præfata constitutione Melitenses minimè comprehendi. 4

Moveor secundò, quia in præfata constitutione Urbani nulla fit mentio de Insulis adjacentibus, inter quas dubium est Melitam comprehendi, nec habetur aliquod signum universale, ut *omnis*, seu *universa*, *&c.* adeò q; cùm dispositio limitata limitatum pariat effectum, ut *l.in Agris* 6.*de acqu.rerum dominio*, dicendum videtur, prædictam constitutionem non comprehendere Melitenses, de quorum comprehensione dubium etiam esset, si de Insulis Italiæ adjacentibus mentio expressa fieret. 5

Moveor denique tertiò, quia Constitutio illa est inflictiva pœnæ, uti patet, ac proindè odiosa; pœnæ verò sunt restringendæ, & Melita in odiosis non venit sub nomine Italiæ, uti expresè docet Tambur.*in sua methodo confessionis lib.*3.*c.*7.*n.*16. per hæc verba: *Saltem enim probabile est, & totam Siciliam, Sardiniam, Corsicamq; multò magis Melitam non esse in odiosis censendas sub nomine Italiæ, sed Insularum Italiæ adjacentium in favorabilibus.* Idem docet *lib.*7.*de ordinatione c.* 8. pro qua sententia quamplurimos non infimæ notæ authores adducit; ideòque cùm nulla expressa adsit declaratio S. Congregationis Concilii Tridentini, aut Immunitatis de Insula Melitæ speciatim loquens, de qua mihi non constat, dicendum existimo, in dicta constitutione non comprehendi Melitenses. 6

Neque obstat, quod in multis nomine Italiæ comprehendantur Insulæ adjacentes; quia ea vel sunt favorabilia, adeòque amplianda, vel consuetudo præscripsit. In hoc autem casu est materia odiosa, utpotè pœnalis, nec ulla in contrarium adduci potest consuetudo, aut præscriptio. 7

Dices: Melitenses, si velint intra Italiam ad aliquem Ordinem promoveri, non tenentur ostendere dimissorias recognitas, probatas, & subscriptas à Nuntiis, uti tenentur Ultramontani. Ergo signum est, ipsos comprehendi intra Italiam. 8

Respondeo totum esse verum; quia hæc est materia favorabilis, & in favorabilibus probabile est, Melitam comprehendi, uti docent quamplures authores, quos citat, & sequitur Tambur.*loc.cit.tom.*1.*disp.*1.*c.*2. *dub.*1.*c.* 2.*dub.*16.*n.*543. 9

Dices rursus cum Merolla: Si Episcopus Siciliæ ordinaret Ultramontanum absque speciali licentia Summi Pontificis, vel sine patentibus literis Episcopi illius, continentibus justam causam, quare nolit, vel non possit illum ordinare, subjacebit pœnis, quas minatur Clemens IV.*in c.*1 *de temp.ordin.lib.* 6. contra Italiæ Episcopos. Ergo non solùm in favorabilibus, sed etiam in odiosis nomine Italiæ veniunt Insulæ adjacentes. 10

Respondeo, hîc nullam fieri mentionem de Insula Melitæ; deindè gratis asseritur à Merolla, comprehendi Siciliam, cùm nullum decretum Summi Pontificis pro sua sententia adducat, sed solùm innititur authoritatibus nonnul- 11

nonnullorum authorum, quia tamen ab aliis non inferioris conditionis impugnantur.

12 Dices denique: Privilegio, quo gaudent Mendicantes, scilicet absolvendi à nonnullis casibus Summo Pontifici reservatis extra Italiam, non possunt eo uti in Insulis Italiæ adjacentibus; Ergo Insulæ Italiæ adjacentes comprehenduntur intra Italiam.

13 Respondeo negando antecedens: quia Tamburinus, & alii supradicti hoc negant. Deinde dato, & non concesso, eo non posse uti in Insulis adjacentibus, non sequitur, hoc esse indubitatum; quia privilegium illud respicit exercitium Sacramenti Pœnitentiæ. In administratione autem Sacramentorum sequenda est sententia magis tuta, & si minùs probabilis uti docent communiter Theologi, cùm agatur de maximo bono animæ. In casu verò nostro id non habetur imò potiùs contrarium.

14 Ex his infero quod si certum non erit, dictam Constitutionem non comprehendere Melitenses, erit saltem probabile. In dubio autem standum est pro reo, & immunitate, & ad pietatem propensum judicium habere Judex debet, ut post Bald. *cons. 26. in fin. lib. 1.* docent Tuschus *tom. 6 concl. 337.* Sanctarellus, & alii.

CONSULTATIO XXXVIII.

Fiscales Regii ab omnibus Ecclesiis, possidentibus loca jurisdictionalia intra fines Regni Neapolitani sub prætextu, quod ea sint feuda, petunt quindennium suffectum vice Relevii, quoties novus Prælatus succedit in locum demortui. Ideòque tria discutienda sunt ad ejusdem prætensionis veritatem indagandam.

Primum scilicet, *An verè subsistat, quod omnia loca jurisdictionalia, possessa ab Ecclesiis in Regno, præsumenda sint feuda?*

Alterum, *An posito, quod sint feuda, de jure verum sit, quod in successione cujuslibet Prælati, debeat Regiæ Cameræ solvi Relevium, & consequenter ejus loco præassertum Quindennium?*

Tertium. *Coram quo, Ecclesiis dissentientibus, & negantibus, se teneri ad illius præstationem, hæc controversia cognoscenda sit? Num coram Judice Ecclesiastico, an potiùs coram Domino feudi, sicque Curia summaria?*

1 DE hac re plura olim diximus in primo tomo, nunc propter nova causæ fundamenta iterum rem ipsam versabimus. Et sanè quoad primum negativè respondit Andreas Isernia, omnium feudistarum Dux *in Constit. Justitiarii nomen, & normam inter Constit. Regni lib. 1. tit. 44. De offic. Justitiariatus, verbo de feudis ad medium pag. 68.* distinguens, ut infrà: *Sed quid in Ecclesia, si habet Castrum? An dicatur feudum, & sic eo ipso feudum Regis? Cum omnia, quæ sunt in Regno, præsumantur Regis, sicut omnia, quæ sunt in Diœcesi, præsumuntur esse de jurisdictione Episcopi, &c. Potest acquiri feudum Ecclesiæ ex munificentia Principis, & tunc est planum, si dicat: donamus tale Castrum in feudum tali Ecclesiæ, potest enim feudum haberi ab Ecclesia, & quolibet alio, &c. Item etiam si præstitisset servitium, sicut de feudo per tantum tempus, quo esset præscriptum per quadraginta annos, in laico per triginta, &c. His enim casibus esset feudum. Sed si Ecclesia tenuit Castrum liberè, nihil indè redditus præstando, si non probaret Curia Regis, esse feudum, liberum censebitur, sicut aliæ res Ecclesiæ, quæ non sunt de jurisdictione Regis, eo ipso, quod sunt in Regno ipsius, &c. Hæc autem Constitutio si expressè diceret, quod omnia Castra sint feuda, non intelligeretur de Castris Ecclesiæ; quia non potest rebus Ecclesiæ temporalis Princeps legem imponere, &c.*

2 Idemque scripsit Petrus de Manforte, Consiliarius Caroli in Annotationibus ad Constitutionem post mortem Baronis *lib. 3. tit. 25. de morte Baronis nuntianda Imperatori sub fine pag. 236.* ibi: *Omnia Castra sunt feuda, scilicet quæ sunt feuda, nam posse esse Castra, sed non feuda, sicut habet Ecclesia Salerni, Cassinensis, & Cavensis, & aliæ Ecclesiæ in Regno.* Quare Marinus Freccia *de subfeudis lib. 2. Author. 29. nu. 5.* conclusionem ab eo relatam sub præcedenti *nu. 3.* quod omne Castrum in Regno censeatur esse feudum quaternatum ex dictis ab Isernia *in Constit. si dubitatio lib. 3. tit. 8.* quia eo ipso, quod est Castrum, Curia Regis dicitur in eo habere intentionem fundatam, ut sit feudum quaternatum ex lege Federici Secundi *in Constit. Justitiarii nomen, & normam propè finem*, intelligenda esse ait, *quando Castrum possidetur à privato, secus si ab Ecclesia, quæ illud possidet, &c. Ita Andreas ibi in dicta lege per rationem, quam ipse assignat; quia ipse Rex non potest quicquam decernere super bonis, quæ ab Ecclesia possidentur liberè, &c.* subdens, *Et hoc verum, quando Ecclesia possidet Castrum liberè, & pro eo non præstat Curiæ Regis aliquem redditum; secus si solveret Regiæ Curiæ redditum secundum Andream in dicta lege, quem omnes Regnicolæ sequuntur, sola freti authoritate Andreæ; posset super eo dubitari, de quo redditu ipse Andreas sentit: An de redditu feudali, quia solvit de feudo, vel in feudum concesso, vel quando simpliciter Ecclesia possidet; quia si dedit simpliciter Ecclesiæ, & non expressit in feudum, adhuc videtur locum habere ratio per ipsum expressa, ut Rex non possit hanc legem concedere, & Castrum sit feudum quaternatum, & libere Ecclesia teneat, & omne dominium sit translatum in Ecclesiam, redditu seu Canone excepto, habeat jus redditus, seu Canonis super eo Castro sub illa natura, vel qualitate, quæ intelligitur de jure communi, & non de jure condito, & statuto per ipsum Regem, & lib. 3. tit. de differentiis inter feuda, quæ quaternata, plena, & de tabula dicuntur n 31.* post medium *pag. 424.*

Ubi quoque dictum axioma, quod Castrum est feu- 3
dum quaternatum in Regno per supradictam legem Federici, & consequenter, quod etiam jurisdictio in dubio præsumitur in feudum, declarat, nisi fortè teneat illam Ecclesia ex authoritate Andreæ, & Peritorum Regni, quod pariter adnotarunt Jacobus de Ayello *de jure Adhoæ num. 69. post medium vers. nisi in Ecclesia tractat. tom. 12.* & Genuensis *Practicabil. Ecclesiast. Tricenario 1. quæst. 1. num. 1. vers. Idque in Ecclesia*, & tenuit Balzaranus *ad lib 2. de feud tit 54. num. 6* quod res, quando devenit ad Ecclesiam, censetur libera, nisi de gratia detur in feudum, Joan. Andr *in c. 1. post. nu. 5 de Immun. Eccles. in 6.* etiam quod sint Castra, *Cap. in verbo feudales appellationes circa fin & in verb. feudorum clausulæ* ibi: *Castris circa fin in verb. feudum dant*, ibi: *Imperator verb. Prima erit declaratio circa fin* Castra præsumuntur feuda quaternata, nisi sint Ecclesiæ. Loffred. *n cap. 1. col. 8. in princ. de nat. succes. feud.*

Et dicuntur quaternata, quæ spectant ad collationem 4
Regis, vel Principis & sunt scripta in quaterno Cameræ, Jason *in repet. feud in princ. n 127. in fin.* Unde in Regno valet consequentia: est Castrum, ergo feudum, nisi teneat Ecclesia; nam tunc præsumitur allodiale, *Cap. in ver feuda allodialia circa fin. & in cap. Imperiale in gloss. fin. in 4. concl. 1. not. infra tit sequen.* Quare, concesso Castro, non veniunt causæ appellationum, nisi esset donatum Ecclesiæ Romanæ. Idem *cap. in ver. feudorum accessoria col. 5. circa med.*

In specie autem, quod Ecclesiæ Metropolitanæ Brun- 5
dusina, & Tarentina in Provincia Hydruntina possideant loca jurisdictionalia in allodium, non in feudum, colligitur ex eo, quod Tassonus *de Antephato* scripsit *pag. 158.* Nam quoad Terras per Ecclesias in Burgensaticum possessas videbis infra hic cum Episcopis, dumque postea *pag. 483. & 599.* respectivè meminit de Archiepiscopatibus Brundusino, ac Tarentino, simpliciter dixit, P. omissa litera F. significante Feudum, quam patet expressè in aliis Dominiis utilibus.

Quod verò ad secundum. Regula negativa statuenda 6
est,

est, ut in Ecclesia possidente feuda novus Prælatus, qui succedit in locum Prædecessoris defuncti, non teneatur Relevium solvere ob ejus mortem. quam firmarunt in dicta Constitutione *post mortem Baronis lib.3.tit.25.pag.* 235.*col.*1.*ad medium*, ibi: *item hoc Relevium non solvitur ab Ecclesia*, & latiùs *in c.*1.§.*si mulier aliàs similiter in ostenditiis n.*15.*de Capitulis Corradi, Afflict.in d.c.*1. *n.*17. cum *seqq.* Marinus Freccia *de subfeudis lib.* 2. *author.*3.*n.*39.*pag.* 327. Jacobus de Ayello *de Jure adhort. n.*75. tractatuum *Tom.* 12. Jacubin.de S.Giorgio *in Invest.feudal.verbo feudum n.*33. Mar. *de jurisdictione p.*4. *centur.*1.*cas.*17.*in primo articulo ex n.*8 *sub fin.vers. Primus usque ad* 23. Rovitus *in Pragm.*1.§.*Item volumus n.* 16.*de offic. Procuratoris Cæsaris*, Genuensis *Practicab. Ecclesia Tricenario* 1.*qu.*21.*n.*1. dicens esse communem, & receptam conclusionem in Regno, Cæsar Camillus Medices *cons.*13.*nu.*20. Andreas Capanus *de jure Relevii,p.*4.*q.*28.*n.*1.& infra, moti præcipuè, quia solutio Relevii est inducta de consuetudine in hærede. Ecclesia autem possidens feuda non habet hæredes, sed possidet per Prælatos, procuratores, & Colonos. Item *in d.*§.*similiter in Ostenditiis n.*16.*de cap.Corrad.* & hic post *n.*49. Balzaran.*supra n.*9. Adeò, quòd donatio, si est facta alicui, & post ejus mortem, Ecclesiæ, si est acceptata à primo, non revocari respectu secundi, Molina *de Hisp.primog. lib.*4.*c.*2.*n.*74.

7 Nam Ecclesia, Imperio vacante, supplet vices illius, *not.in c.licet de for.comp.* & ejus bona sunt pauperum, *not.in c.*2.& ibi Gloss.*verb.de causis, de præscript.* Ecclesia enim nunquam moritur, *Can.libertis* 12. *q.*2.nec possessio rerum illius unquam dicitur vacare, etiam mortuo Prælato; quoniam ipsa possidet secundùm Baldum, & alios *in l.fin.C.de edict.D.Adrian.toll.* & principio *l. unicæ C.de caduc.tollend.* Paris.*cons.*24. *n.*7.*vol.*1. Cumque utile dominium feudi semper maneat penes ipsam Ecclesiam, sequitur perneccesè, quod novus Prælatus suffectus in locum demortui non succedit in feudo, tanquam utilis Dominus, sed uti Procurator Ecclesiæ, *Cap.*2.*de donat.* Et ideò, successione non immutata, quoad utile dominium, non tenetur ad solutionem dicti Relevii cujus consuetudo induxit, ut solvatur ab hærede, Isern.*in c.*1.*circ.princ.n.*7.

8 Et fundatur in facto Vasalli, vel in casu contingenti in ejus persona, ex quo sequitur mutatio feudi, Gloss. Paris. *tit.*1.§.22.*n.*145. Nam, quando accidit mutatio Vasallorum, feudo transeunte ad aliam personam, ultra recognitionem fidelitatis, quæ est inseparabilis à feudo, debentur patrono quædam jura, & commoda pecuniaria, quæ Relevia, seu aptiùs Relevamenta appellantur, eadem Gl. Paris.*in princ.tit.*1.§.2. & non attenditur mutatio possessionis, sed totalis dominii feudi, *d.gloss.* §.22.*n.*133.*in fin.* Unde, quando mutatio accidit aliter quàm per successionem, non debetur Relevium, atque adeò nec per successorem Prælati pro feudo Ecclesiæ, Loffred. *cons.*15.*n.* 14. sic enim se habet consuetudo, mos, & forma Curiæ, Isern.*ibid.* Balzaran.*tit.*3.*n.*17.& alii.

9 Hinc quia Isernia *d.*§.*n.*16.ante additionem dixit, *Curia incumbere onus probandi Relevium ei deberi solitum* ab Ecclesia, & solutum esse, cùm pro Ecclesia contra eam vigeat præsumptio libertatis, *l.Manifestè C.de servit.* & regulariter onus probandi incumbit ei, qui dicit, *l.*2 *ff de probat.* & cum Isernia transit Capan. *d.q.*28.*n.*18.

10 Quæ regula limitatur primò, si ex pacto fuerit expressè conventum in Investitura, ut solvatur Relevium, quoties, Prælato moriente, alter sufficitur, cùm lex conventionis feudalis omninò servanda sit, etiam si diceretur esse contra naturam feudi ex notatis *in cap.* 1. §. *Præterea quid sit Investitura*, & inquiunt Isernia *propè finem dicti numeri* 15.*vers.Item si probaret Curia*, ibique Afflict.*nu.* 24.*vers.*2.*fallit*, Freccia *d.lib.*2.*Auth.*3. *num.*39.*vers.nisi aliud*; Genuens.*d.q.*21.*n.*2.*in fin vers. secundo declaratur* cum *seqq.* Capanus *d.*28.*num.*6.*vers.Declaranda tamen* cum *dub.seqq.*

Secundò, si Fiscus probaret per Registra Regiæ Cameræ, ubi Relevium solutiones describuntur, quod Prælatus talis Ecclesiæ solitus sit Relevium solvere; quoniam ita contra eam urget hujusmodi probatio, ut ejus Prælati, dum succedunt omninò teneantur illud solvere, sicut *in præcitato*, §. similiter adnotarunt Isernia *n.* 16.ante additionem, ibi, *quod solverit Ecclesia probabitur per Registra*, & Afflict.*nu.*25. Genuens.*d.q.*21.*n.nu.*3. *vers* 3 *fallit*, & Capanus *d.q.*28.*num.*15 *vers. vel si fiscus.* Quod Isernia *d.n.*15. non solùm ampliat, ut si, Curia existente in quasi possessione exigendi Relevium, Prædecessor Prælati non solverit, quia indulgentia Officialis omisit, possit alius à dicto successore illud exigere, argumento *l.locasio* §.*penult.ff.de public.& Vectigal*, sed amplius inquit, quod licèt Prædecessor immediatus non solverit, si tamen Curia probet alios sueccessores solvisse, non tamen propter hoc perdidit suam quasi possessionem, quæ non amittitur sine animo. Imò si dictus Prædecessor immediatus denegasset solvere, & Curia ex hujusmodi denegatione suam quasi possessionem perdidisset, ipsaque Ecclesia jam esset constituta in quasi possessione contrarii, scilicet non solvendi, adhuc Curia posset agere utili Interdicto, *Unde vi* per textum *in d.Cap querelam* cum ibi notatis ab Innoc quæ ibidem prosequitur, Afflict.*nu* 31.cum binis sequentibus, & repetunt Genuensis *d.qu.*21. *num* 4. *vers. sed si ille Prædecessor* cum *seqq.* & Capan.*d.q.*28.*n* 16.*&* 17.qui *num.* 19. *sub vers.quæ solutio Relevii facta per Prælatum*, si ostendantur registra, in quibus appareat, Prælatum illud solvisse de tali feudo Ecclesiæ.

Tertiò, si Regia Camera præscripsisset hanc solutionem Relevii, illud exigendo per longi, aut longissimi temporis spatium, quia præscriptio facit de indebito debitum, sicut *in d.*§.*similiter* tradunt Isernia *n.*15 ibi: *secus si Ecclesia præstitisset longo tempore, tunc Curia Regis, allegato titulo vinceret, &c.*& Afflict.*num.*22.*vers sed hæc conclusio fallit, nisi sit præscriptum* cum *seqq.* atque ex utroque referunt Genuens.*d.q.* 21. ante finem *n.*1.*vers.* limitat Andreas & Capanus *d.q.*28 *n.*9.

Quin etiam Afflictus in eodem §.*n.*23.ait, sufficere, si semel novus Prælatus Regi solvisset Relevium, & posteà vixisset annis quadraginta, inquiens eorum lapsu videri præscriptum contra Ecclesiam adeò, ut novus Prælatus succedens, eis transactis, teneatur Relevium solvere, quia talis præscriptio prodest Fisco tam in possessorio, quàm in petitorio. Verùm si non vixisset per annos quadraginta, tunc ex dicta solutione Fisco solùm acquiri jus in possessorio, non autem in petitorio & novus Prælatus successor valeat quidem in possessorio conveniri, & condemnari ad illius solutionem: quia in istis incorporalibus, quasi possessio acquiritur ex unica præstatione *Cap.Cum Ecclesia Sutrina de caus possess.& propriet.* sed ipse condemnatus debeat relevium solvere cum protestatione, quod scilicet non credit Fiscum fovere jus in causa proprietatis, sicque talis solutio Relevii non præjudicabit Ecclesiæ, quoad proprietatem ex notatis *in c.Cumana de elect.*

Idemque prius sensisse videtur Isernia sub *d.nu.*15, ibi: *Item si semel Prælatus solvisset, & vixisset quadraginta annis. videtur præscriptum, &c.* Juncto *vers. quod si Curia esset in possessione*, quod Prælatus Prædecessor solvisset, cogeretur Ecclesia solvere, salva causa proprietatis, utrum debeat, *extra de Elect. c.querelam in fin* quæ videtur exigere multas solutiones, quia dicit, quod multa tempora, sed idem si semel, ut notatur in Gl. & per Imol. *in c.cum Ecclesia constit.* Et hoc videtur verum, quando expressum esset, quod pro relevio solvit, & sic jure suo recepit, & uti credidit Fiscus, *ff.de Aqua quotid.l.*1.§.*Aristo*, nisi solvisset cum protestatione, argumento *de elect. cap.Cumana.* Verùm quia *num.*16. ante additionem alternativè inquit; Imò si semel solvisset quadraginta annis; vel non solvisset, præcedente denegatione, quando Curia erat in quasi possessione, & vixisset hic

Prælatus

Prælatus 40. annis, esset præscriptum, quæ ex eisdem repetunt Genuens. *d. q.21. n.4. vers. si tamen Prælatus*, & Capanus *d.q.28.ex n.9.in fin. vers. declaratur* 3. cum pluribus *seqq.* recensuitque etiam Freccia *d. lib. 9. Author.3. n.39.* propè finem, quod si Curia esset in quasi possessione exigendi relevium, tunc illud exiget, salvo jure proprietatis secundùm Abb. *cons.23.p.2.*& Rom. *cons. 32. in fine.*

15 Cæterum Martha *de jurisd.d.p.4.Centur.1. d.cas.17.n. 20 vers.ex quo infertur eum seqq.* negat, hanc limitationem veram esse, quod dictæ Regulæ locus non sit, quando esset præscriptum contra Ecclesiam, & si Prælatus prædecessor solverit relevium, & postea transacti sint anni 40. successor tunc ad illius solutionem teneatur tam in possessorio, quàm ~~in petitorio~~, si verò hoc tempus non sit decursum in possessorio tantùm; non enim inquit, posse hæc admitti in præjudicium Ecclesiæ, cùm Prælatus illi in feudalibus nequeat ullum præjudicium inferre ex sententia Iserniæ, *d.Cap.1. §. & Iterum si Clericus de Capitul. Corrad.* quem refert, ac sequitur Fabius de Anna *singul.398.* Vnde infert, quod, & si unus ex Prælatis solverit relevium animo fortè gratificandi Regi, vel ejus Ministris, non poterit suæ Ecclesiæ, ac successori præjudicium facere, quod generaliter affirmat Capanus *d. q. 28. num.19.* ut scilicet factum Prælati in hoc casu non præjudicet Ecclesiæ, pura si Prælatus solvisset relevium Curiæ, id comprobans authoritate Iserniæ *d.n.16.* in additione, dicentis per Registrum Imperatoris Federici, quod est in archivio, probari, quod Prælatus Neocastrensis fecit fidelitatem D. Imperatori, & solvit relevium, sed non præjudicaverat Ecclesiæ factum Prælati.

16 E converso tamen subdit Capan. *ibid. in vers. sicuti*, quod si Prælatus successor, pro una vice non solvisset relevium Ecclesiæ, & alii Prædecessores solvissent, non per hoc Curia amittit suam quasi possessionem exigendi relevium, nisi sequuta denegatione Prælati, illud solutum non fuisset effluxis annis 40. ut supra ex notatis à Ioanne Franc. de Ponte *in lectura feudal.5.n.35. & 6. n.6.* & Genuens. *d.b.5.sub n.4.*

17 Ampliatur verò, ut nihil pro Regia Curia valeat argumentum ductum ex eo, quod probet relevium solvi à novis Prælatis, qui succedunt in aliis Ecclesiis vicinis; cùm relevium debeat solvi, ubi consuetudo introduxit ejus solutionem. Vnde liquet, non deberi, ubi non reperitur inductum. Quin etiam ejus solutio videtur onerosa, sicque strictè intelligenda est, quoad illas Ecclesias tantùm, earumque Prælatos, de quarum legitima solutione constat, nec trahenda in exemplum, & consequentiam quoad alias, sicut hujusmodi articulo discusso, concludit Iserna *d.§. similiter n.16.* post additionem sub *vers. quid si probet Curia*, cum quo transiit Afflict. *nu.17. vers. sed certè ista fallentia cum seqq.* ac pro veritate probarunt Genuens. *d.quæst.21.n.6. vers. in contrarium est veritas*, & Capan. *d quæst.28.n.21.*

18 Nec aliter intelligenda est asserta consuetudo solvendi quindennium, loco relevii, pro quo exigendo Regia Camera solet expedire significatorias, teste Capano *d. q. 28. nu.26.* ut scilicèt in illis Ecclesiis procedat, contra quas est concludenter probata limitatio dictæ Regulæ, quæ aliàs servari omninò debet.

19 Demum quoad tertium distinguendi sunt duo casus. Primus, si Ecclesiæ negent, loca Iurisdictionalia, quæ possident, esse feudalia, asserentes ea possidere in allodium, ac uti Burgensatica. Alter, si admittant esse feuda. Siquidem primò casu erit agendum coram Iudice Ordinario ipsius Ecclesiæ negantis, rem esse feudalem ex Innoc. *in Cap. Cæterum 5. de rescriptis*, Bald. *in Cap. unico §. Præterea si contentio est inter Vasallos nu.4. de prohibit. feud. alienat. per Federic.* Angel. *in l.1. nu.13. C. si à non compet. Iudicat. sit*, Felin. *in cap. Cæterum 5. nu.21. vers.12. fallit, de Iudiciis*, Gemin. *in c. Romana §. debet n.5.* ibi: *sed si Episcopus negaret rem feudalem, Rex, qui esset actor, deberet eum convenire coram Archiepiscopo, de appellat. in 6.* Franc. Marcus *decis.369.n.1.p.2.* Bero. *cons.81. num.1.& 2. vol.1.* Paris. de Puteo *de redintegrat. feudi cap. 198. incip. An citatus super redintegratione feudi*, Martha *de Iurisdict. p.4. centur.1. cas.89.n.26.* & *Centuria 2. cas.183. nu 10. & 11.* Ansald. *eod. tract p.3. titulo unico cap.2. num.162 & 163.* declarans *nu.164.* procedere solum, donec probatum sit per Dominum, rem esse feudalem, Ang. *d.l.1.n.11.* quod Host. *in summa tit. de feudis §. final. num.13. vers. quia tamen*, ait menti tenendum esse.

Secundo verò coram Domino feudi, sicque Regia Ca 20
mera Summatiæ, tum inspecta generali dispositione juris communis per textus expressos *in cap. novit 13. vers. non enim intendimus judicare de feudis, cujus ad ipsum spectat judicium, de Iudiciis, cap. ex transmissa 6.* ibi: *per Dominum feudi causam jubeas terminari*, & *cap. Verum quoniam 7.* cum utrobique notatis *de for. compet.* cum similibus plena manu congestis à Martha *cas.89. ex nu.4 vers. & quod hæc conclusio*, & Ansaldo *d.cap.8. ex nu.118. vers. feud. aliisque quæstio* usque ad 162.

Quod tamen limitatur, si ad feudi amissionem aga- 21
tur; tunc enim quæstio movenda, ac terminanda est coram Iudice Ecclesiastico, sicut docent Abb. *in præcit. cap. Verum quoniam nu.17. vers. sed si agitur contra Clericum Vasallum ad amissionem feudi*, Marian. Socin. *d. cap. ex transmissa num.32. vers. Hæc tamen conclusio procedit*; *de for. comp.* Stephan. Aufrer. *In repetitione Clem. ut Clericorum ordo 1.n.80. vers. ex quibus omnibus*; *de offic. Ordin.* ac *de potest. secular. super Ecclesiast. personis regul.2.nu.2. vers. secus si ageretur contra Clericum Vasallum*, *tract. tom.16. fol.289.* Foller. ad Marant. *in spec. p.4. dist.11. nu. 79. vers. Intelligitur sanè hæc conclusio*, Bero. *d. cons.83. nu. 51. vol 1.* Roland. *cons.4.n.45. vol.1.* Soccin. sen. *cons.12. nu. 23. vers. Vnde etiam si Clericus Vasallus vol.1.* Menoch. *de retinend possess. Remed.3. num.402.* Martha *d. cons.89. in 3. art. ex n.26. vers. Tertium* usque *ad* 34. Ansald. *d. cap.8. n.255. & 256.*

Tum speciali exceptione ex lege Investituræ Regni 22
Neapolitani, sicut legitur in Capitulis Caroli I. confirmatis ab Honorio IV. & insertis literis Regis Ferdinandi de Aragonia, relatis inter Pragmaticas Regni *Constit. pag.454.* ibi: *Item quod Clerici, nisi pro bonis feudalibus, prout continetur in conventionibus inter dictum Regem, & Romanam Ecclesiam habitis ad judicia secularia non trahantur.*

Ex quibus liquet; dum civiliter agitur citra amissio- 23
nem feudi, causam concernentem jus feudale, qualis esset, An relevium debeatur, vel ne, sicque, An Ecclesia sit in terminis Regulæ, vel potiùs Regia Camera in terminis limitationum, cognoscendam esse coram dicta Regia Camera Summariæ.

CONSULTATIO XXXIX.

An conventio Summorum Pontificum cum Proregibus Neapolitanis, ut ipsi exules, sive bannitos possint hinc inde prosequi intra fines sua ditionis per decem millia passus adhuc perduret?

REspondeo negativè. Nam, licèt Pius IV. id con- 1
veniret cum Parafano Duce Alcalà, Regni Neapolitani Proregè nomine Catholici Regis Philipi II. ut patet ex literis ejusdem Pontificis, datis Romæ 10. Novembr. 1564. Pontificatus anno quinto, impressis in Bullario veteri *tom.1. Constit.3.* meminitque idem Dux Alcalà *in pragm.3. col. pen. de perseq. malefact.* Et B. Pius V. cum eodem Parafano, sicut ex parte dicti Pontificis habetur in literis emissis die prima Februarii 1566. Pontificatus sui anno primo Bullarii veteris *tom.2. Constit.2.* ex parte verò dicti Protegis in præcitata *pragm.3.* Idque etiam in vita B. Pii V. referatur à Ioann. Antonio Gambuccio *lib.1. capit.15.* & Hieronymo Catena *tit. riforme, Bolle, Decreti, & altre prohibitioni*, deque ista conventione loquutus sit, Baiard. *ad Clar. §. final. quæst.72.*

*num.*18. ibi: *Item quod banniti Status Ecclesiastici in regno Neapolitano, & è converso banniti & delinquentes illius Regni non possunt stare in statu Ecclesiastico, & Iudices hinc inde eos capere tenentur, & sibi remittere per conventionem inter Sanctissimum Pontificem, & Serenissimum Regem Philippum initam de ann.*1566. *de qua in libro pragm. sub tit. de malefactor. fol.* 359. memineritque etiam Thor. in annotat. ad Ioan. Grand: *de bello exulum in prædicam. Pati quæst.* 1. *num.* 6. *prag.* 35. *col.* 1.

2 Item Sixtus V. cum Petro Duce Ossunensi, dictique Regni Prorege nomine ejusdem Regis Catholici Philippi II. juxta litteras ipsius Pontificis datas Romæ die 28. Iulii 1585. Pontificatus sui anno primo, & pragmaticam septimam de exulibus desuper editam à dicto Prorege, de qua loquuntur Ioannes Grande *l. c. in prædicamento quantitatis qu.* 3. *nu.* 88. ibi: *Secundo intellige, ut non procedat hodie vigore novæ Capitulationis factæ contra exules inter Sixtum V. Pontificem Maximum, & Proregem Ducem Ossunæ. Et prædicamento ubi q.* 2. *n.* 4. his verbis: *Quintum jus, & capitulatio ultimo loco facta inter Papam, & Proregem contra forussitos, publicata* 1. *Augusti* 1585. Thorus *in annot. num.* 4 *pragm.* 22. *col.* 1. sic addit: *Capitulatio Papæ, & Proregis circa capturam malefactorum extat pragmat.* 7. *de exulib. & in predicam. pati qu.* 1. *num.* 6. ait: *vigore Capitulationis factæ inter eundem Papam, & Proregem* 16. *Augusti* 1565. *& in constit.* 3. *fol.* 283. *& ita servatur, &c.* Angel. Scialoya *in prax. fore judicat. cap.* 19. *n.* 40. ibi: *Sed hodie banniti, & forejudicati Romanæ Ecclesiæ possunt insequi per Officiales Papæ intra Regnum, & decem milliaria, dummodo ipsi Officiales Summi Pontificis non intrent loca munita, & sic versa vice quando banniti, & forejudicati hujus Regni aufugiunt in statum Ecclesiasticum pragm.* 7. *de exulib. & pragm.* 3. *de per seq. malefactor. & cap.* 6. *n.* 8.

3 Nulla tamen vis fieri potest super prædictis, cum rectè animadverterit Farinac. *cons.* 136. *num.* 14. *vol.* 2. omnes fuisse temporales, sicque expirasse morte dictorum Pontificum, sineque regiminis prædictorum Proregum.

4 Idemque patet primò; quia dicti Pontifices non processerunt per viam legis, cui si non positivè, scilicet verbis expressis, saltem negativè, hoc est donec non revocetur, sit annexa qualitas perpetuitatis, quam de ratione legis, statuti vel constitutionis esse, inquiunt Gloss. in *c. Anobis* 21. *v. non nisi*, ibique Abb. *num.* 12. *de sent. excomm.* & alii relati à Suarez *de legib. lib* 1 *cap.* 10. *num.* 5. licet è contra id negent Gloss. 1. *in cap.* 1. *de Constit.* dicens, aliquos Canones esse temporales, Benin. *cons.* 98. *num.* 4. *cum seqq.* Gomez in *proœm. regul. q.* 2. sed supponendo suum, ac certi Proregis consensum in idem placitum, cui pactioni nomen dedit Vlpian. in *l.* 1. *ff. de pact.* processerunt per viam simplicis præcepti, & mandati, quod dederant Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & aliis suis officialibus, præcipuè vero Gubernatori Civitatis Beneventanæ, ac decreti super inquisitione, ac perquisitione bannitorum, & exulum Regni permissa ministris, & officialibus ejusdem Proregis per decem milliaria intra fines ditionis Ecclesiasticæ, ea lege, ut idem decerneretur ex parte ipsius Proregis. Nam sicut mandatum expirat morte mandantis, ita quoque expirat simplex præceptum Superioris, etiam habentis potestatem legis ferendæ, quod in hoc æquiparant mandato Imol. in *l. qui in aliena* 6 §. *Si is, qui putat num.* 5. *ff. de acquir. hæred.* Dec. *in rubr. C. de mand. num.* 10. *cum seqq.* Menoch. *de arb. lib.* 1. *q.* 69, *num.* 4. Silvest. in *Summ. v. mandatum qu.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 38. *num.* 47. Salas *de legib. disp.* 1. *sect.* 9. *nu.* 62. & Suarez *d. cap.* 10. *num.* 9. exemplificans *num.* 11. non solum in præcepto dato personæ singulari, sed etiam in præcepto facto in communi, & in generali, quia in utroque militat eadem ratio, declarando *n.* 12. ut quotiescumque Princeps tantum præcipit non statuendo, signum sit, eum non pro futuris temporibus, sed pro tempore suæ gubernationis tantum voluisse præcipere, neque usum esse propria potestate legislativa, sed præceptiva dumtaxat, atque ideo quod tale præceptum morte præcipientis expiret.

Secundo uterque Pius usus fuit verbis indicantibus 5
personam propriam, ibi: *Volentesq; propterea nos, & dilectus filius nobilis vir Parafanus Alcalæ Dux, & Prorex & Locum tenens generalis suæ Catholicæ Majestatis in Regno Neapolitano opportunè prævidere, &c.* Quare locus est dicto Gemin. in præcitat. *cons.* 93. *numer.* 13. quod exprimentes verba denotantia personas ipsorum censentur voluisse, quod disposita ab ipsis solum durent tempore suo.

Sixtus vero durationem temporalem nedum expressit 6
in Piana, referendo: *quod Pius V. exulibus, facinorosisque hominibus, tunc impiè, & crudeliter grassantibus, non solum in statu Ecclesiastico, sed ferè utique in Italia ac populorum quietem, & pacem perturbantibus, nullum aptius remedium potuit reperire, quam si vicini Principes in id concordi animo consentirent, ut pro sua quisq; parte provideret, ne exules, & criminosi prædicti tuto alicubi consistere possent, neque ex una ditione ad alteram receptus eis daretur, atq; ideo communicata cum Prorege Neapolitano tunc existente, & facta ab eo promissione parem se gratiam in eo relaturum, inhibuit omnibus Magistratibus, Officialibus, & subditis Ecclesiæ, ne bannitos & criminosos homines prædictos, è Regno Neapolitano ejectos, vel fugientes receptarent, aut salvos facerent, quinimò caperent, & ipsi Proregi, vel ejus Officialibus traderent & consignarent*; Sed amplius ponderato majori cura, & diligentia eo tempore, quam antea opus fuisse in eodem morbo extinguendo, qui superiorum temporum licentia magis creverat, disposuit in hæc verba: *Nos Pii prædecessoris vestigiis, & consiliis inhærentes, ac dilecti filii nobilis viri Petri Ducis Ossunæ Proregis &c. in dicto Regno supplicationibus inclinati præsentium auctoritate prohibemus omnibus, & singulis Legatis, Vicelegatis, aliisque Ministris, & Officialibus nostris, & præcipuè Gubernatori Civitatis nostræ Beneventanæ &c. seu ejus Locumtenenti, ne ab eo, vel eorum aliquo in Civitatibus, Terris, & locis nostris &c. à Regno præfato exules aliquo modo recipiantur, aut securi, vel tuti fiant, quinimo capiantur & carceribus mancipentur, ac ipsi Petro Duci, & Proregi, vel Officialibus, & ministris suis ad omnem eorum requisitionem capti remittantur &c. ac etiam ut ministri, ac Officiales dicti Proregis delinquentes præfatos intra fines, & territorium Status nostri Ecclesiastici per spatium decem milliarium &c. capere, & captos secum abducere liberè ac licitè valeant, permittimus &c. quæ quidem eo libentius fecimus, atque decrevimus, quia idem Prorex per suas litteras &c. significavit nobis, & pollicitus est, se cuncta superius expressa, ut in dicto Regno à suis Ministris, & Officialibus erga nos observentur, sedulo mandaturum, & curaturum.*

Vsus quippe Sixtus fuit solis verbis personalibus tam 7
respectu sui ipsius, simpliciter dicendo *Nos, & erga Nos*, quod referri ad solam personam proferentis, non autem ad ejus dignitatem. notat Gemin. *dict. cons.* 93. *numer.* 3. per textum in *cap. Si gratiosè* 5. juncta Gloss. *de rescript. in* 6.

Quam respectu Proregis primo loco exprimendo pro- 8
prium, nomen, ibi: *Petri Ducis*, addendoque etiam pronomen personalissimum *ipsi Petro Duci*, utendo relativis *dicti Proregis, ac idem Prorex*, restringendoque verba suæ dispositionis ad Ministros, & Officiales illius per dictiones *sui, ac dicti Proregis*. Nam quando præponitur nomen proprium appellativo dignitatis, sicut ex ordine litteræ arguitur talem fuisse intentionem disponentis secundum Gloss. in *l. cum ita* 94. §. 1. *ff. de condit. & demonstr.* & theoricam Bartoli communiter receptam tum in *lib. more* 5. *numer.* 13. *in fin. ff. de jurisdict. omn. Iud.* ubi præ aliis eam probarunt Fulgos. *num.* 25. Iason. *num.* 65. Dec. *num.* 55. dicens communem, & ab ea non esse recedendum, Iacobin. de S. Georg. *num.* 33. Curt. Iun. *n.* 105. & Zas. *num.* 47 *in fine*. Tum in *l. Si communis servus* 37.

num. 2.

num.2.ff.de stipulat. serv. ubi quoque idem adnotarunt Angel.*num.1.* ac Imol. *in princ.* Abb. in *cap. Mandata num.1.de præsumpt.* Anchar. *c.cap. Si gratiosè num.6.de rescript. in 6.* Dec.in *cap.Quoniam Abbas num.45.*dicens communem *de offic.delegat.* tunc res non egreditur personas disponentium.

9 Quod tripliciter confirmatur. Primo quidem ex ponderatis à Baldo in *l.1.num.3. ff.de Offic.Consul.* quod major ratio specialitatis inest personæ.Secundò ex animadversis à Decio *d.c.Quoniam Abbas n.39 & seq.*quod cùm dignitas considerabilis sit duplici modo altero in abstracto, ac de per se, altero in concreto, prout inhæret tali personæ. Primo casu tantum videtur contemplata ipsa dignitas, quæ non mutatur, nec variatur mutatione personæ. Secundò verò consideratur solum quoad validitatem actus, qui geritur cum tali persona habente dignitatem, ut valeat, non autem quoad perpetuitatem, ut transeat in successorem ejusdem dignitatis. Tertio adjectione pronominis *ipsi Petro*, quod personalissimum esse, ac demonstrativum certæ personæ ad oculos respondit Bald. *cons.* 304. *num.* 1. *volum.*5 cum quo transeunt plena manu congesti à Barbos. *d.usu freq.* 177. *ex num.*4. atque adeo personalitatem ostendendo restringit actum ad personam demonstratam, ut alios omnes prorsus excludat ex notatis per Rip.in *filiusfam.* §. *divi num.*711. *de leg.*1. Natt.*consil.*163.*num.*8. Surd.*cons.*53. *n.* 7.*vol.*1.Tiraquel.*de retract.conv.*§.1 *glos.*6. *n.*25. Seraph. *dec.*552.*n.*1. & Rot.coram Pamphilio *dec.*619.*n.*3.*pagin.*1. *rec.*

10 Quibus accedunt in primis dictio *idem* repetitiva precedentium ex congestis à Barbos. *dict.*143.*nu.*2. Secundò relativa dicti referenda solùm ad personam superius expressam, quæ oculis corporeis legi possit ex Bartolo, & aliis adductis per Surd. *cons.*123. *num.*2.*vol.*1. *& de alim. tit.* 8.*privil.*31.*nnm.*4. & Rot. *dec.* 19. *num.*8.*p.*7. *recent.* Tertio possessorium *suis*, quod stat restrictivè, & personalitatem importat, Aym. *cons.*929. *num.*11. Seraph. *dec.* 1337. *num.*4 Rot. *dec.*25.*num.*5.*p.*7.*recent.* quare Gemin. in sæpè *cit.cons.*93. *num.*22. duxit nomen *suum* non concernere dignitatem. sed personam concedentis, ad rem nostram inferens *num.* 24. *suum* esse intelligendum de tempore suo, non de tempore successoris. Quarto, quod dictæ conventiones non fuerunt celebratæ inter Pontifices nomine Sedis Apostolicæ ac Regem Catholicum nomine Regni Neapolitani à Piis, & Sixto, sed cum persona Parafani Ducis Alcalæ, & Petri Ducis Ossunæ tunc Proregum, atque ideo sunt Iudicandæ personales, tum quia in omnibus causis id observatur ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiat ex *l. cum patronus de legat.*2. quoniam quod illius personæ præstatur, hoc nequaquam ad alium pertinere debet. Tum ex eo, quod non constat ex parte Proregum in eis interveniisse auctoritatem Superioris, nempè Regis Catholici ejusque Consilii ad tradita in *cap. Veniens* 8.§. *mandamus de transact.* Gloss. in *c.Ex multiplici v.eandem conventionem, & in c. Nuper* 34.*v.componendum de decim.* Quæ fortius procedunt in concordia per se strictè intelligenda, Seraph. *dec.*1050.

Quintò quia ita in terminis supposuerunt Doctores Neapolitani, referendo casum, quo Sacrum Consilium Neapolitanum animadvertit in eum, qui bannitum à Regno occiderat in Civitate Beneventana, quæ subest immediatè Sedi Apostolicæ, nempè Rovit. *Super pragmat. Regni tit.de exulib. num.*7.ibi: *Et eamdem opinionem approbavit S.Consilium Neapolitanum, dum referente Regio Consiliario Obbignano condemnavit Ioannem Gambaram in Insulam per decennium, eo quod in Civitate Beneventana quæ immediatè subest Sedi Apostolicæ interfecit Sigismundum quemdam bannitum ab hoc Regno.*Quod ex eo repetunt Amindol. *in addit.ad Farinac. dec.*276. *num.*4. ibique etiam Viscont. *n.*3.Thor. *in compend. dec. Neap.p.*1.*v.occidens, bannitum extra territorium*, Dansa de *pugn.Doctor.tom* 1.*tit.de foro jud.num.*21.*& tom.*2,*de armat per Campan.cap.*7.*n.*25.

Nimirum, cessante speciali conventione, standum est 11
conclusioni juris, quod bannitus Regni nec persequi, neque impunè occidi potest extra territorium bannientis, adeo ut occidens puniendus sit de homicidio à Iudice loci, ubi illud commisit, quam tenent Bald.in *margar.vers. Excommunicatus repellitur col.*2. Ias.in *l.omnes populi n.* 49 *ff.de just.& jur.*& alii antiquiores, relati à Roman. *singul.*27.*num.*2. & Cæphal *cons.*35. *numer.*19.*vol.*1.Nel.*de bannit.*2.*p.secund temp.fol.*387. Caret.*in pract. crimin. tr. de homicid.num.*38.Cott.*memor.vers.bannitus ad mortem* Boss. *tit.de for.comp. num.*63 *& tit. banniti quid amittant num.*5. Moron.*de fid. treug.& pac.par.*2. *quæst.*5. *num.*3. Hercul. *de caut. de non offend.cap.*23.*numer.*11. Brunor. & Sol. *quæst legal.*26.*nu.*34.*& q.*27.*num.*14.*& seqq.* Peregr. *de jur.fisc. lib.*3.*tit.*7. *de bannit. nu.*28.Anton.Gomez in *leg.thauri* 76.*num.*17.Viv. *opinion.*770.*num.*21. *cum seqq.* Claud.Bertazol. in *addit.ad cons.crimin.patris* 159.*lit.A lib.*1.Farinac.*quæst.*103.*num.*208..Tapp.*tom.*5 *juris Regni Constitut.pœnam eorum numer.*26. Tallon. *de antefat.observ.*1.*num* 56. Donat Anton de Marin.*resolut.quotid.lib.* 1.*cap.*116,*num.*8. Baldas de Angel. *in addit. ad Gizarel. decis.*13.*nu.*1:.Quod etiam in terminis banniti è Regno interfecti in Civitate Bononiensi à quibusdam Scholaribus Apuliæ respondit Bonfin.*cons.*8.*in* 2. *difficult. ex nu.* 25.*ad finem.*

Optimamque rationem reddit Bald.in *l.*1.*num.*33.*C.de* 12
hæredit.instit. quia bannum non afficit personam, nisi in territorio, unde est bannitus, ex quo infert pœnam bannitæ personæ in loco bannientis, non autem personæ simpliciter. Nam jurisdictio coarctata quoad locum nequit extra ipsum locum se extendere, cohæret enim territorio habenti suos fines limitatos.Quare jurisdictionem ibi obtinens redigitur extra suum territorium instar privati, concludendo ex hoc bannitos tales esse à certa parte scilicet à territorio bannientis, & pro alia parte non esse bannitos in aliis locis, in quibus liberas ædes habent; præsertim quia hodie de consuetudine non fit remissio.

CONSVLTATIO XL.

A quodam Senatu emissi sunt hujusmodi articuli de forma procedendi contra Ecclesiasticos in delictis atrocibus, quæ vocant privilegiata.

IN delictis atrocibus privilegiatis, quæ merentur pœ- 1
nam infligivam, corporalem, Senatus, & judices Ducales informabunt contra Ecclesiasticos privativè ad omnes Iudices inferiores continuando usus antiquos.

Si Clericus prævenius pro dictis delictis privilegiatis 2
apud Iudices laicos quærit remitti ad suum Iudicem Ecclesiasticum, ejus remissio non debet admitti, nisi cum conditione, quod ejus processus fiat à Iudice laico pro casu privilegiato unà cum Iudice Ecclesiastico, stante delicto communi, & quod actus processus remanebunt in suo statu ut considerentur.

In delictis læsæ Majestatis Index laicus non tenebitur 3
remittere Clericum accusatum apud suum Iudicem Ecclesiasticum, ut unà cum ipso procedatur, sed Iudex laicus poterit per se solum procedere ad instructionem, & ad judicium.

Ecclesiasticus, qui reperitur delinquens in habitu pu- 4
rè, ac merè secular, potest capi, & puniri à Iudice laico pariter in casu delicti communis, & non privilegiati.

Quando Iudex Ecclesiasticus, & Iudex laicus simul 5
procedunt in delictis atrocibus privilegiatis contra Ecclesiasticum accusatum postquam processus est plenè instructus, quisque ex dictis Iudicibus suam profert sententiam Ecclesiasticus quidem juxta pœnas Canonicas, secularis juxta pœnas præscriptas à rigore legis.

Antequam procedatur ad executionem arresti, sive sen- 6
tentiæ mortis contra Clericum, ejus Episcopus diœcesanus requiratur,

requiratur cum hortatoria ad illum degradandum, nisi fuerit requisitus, cum reservatione delictorum læsæ Majestatis, & assassinii, in quibus Ecclesiastici poterint condemnari absque præcedenti degradatione.

7 *Postquam Episcopus requisitus fuerit, si recusaverit degradare Clericum condemnatum à Iudice sæculari, ipse Clericus habebitur uti degradatus, & subjectus executioni judicii.*

8 *In casu absolutionis à Iudice Ecclesiastico, Iudices laici non omittent procedere in suis perquisitionibus, arestis, & judiciis super casu privilegiato, ne à Iudice Ecclesiastico compellantur.*

9 *Quando Iudex Ecclesiasticus, & Iudex laicus simul procedunt, si in continuatione processus casus delicti privilegiati non habetur pro stabilito, ac probato, Iudex laicus relinquet Iudici Ecclesiastico judicium processus.*

10 *Quando personæ Ecclesiasticæ reperiuntur implicatæ, & complices ejusdem delicti cum personis laicis, si delictum cadit simpliciter in casu delicti communis, Ecclesiasticus judicabitur à suo Iudice Ecclesiastico, laicus verò à Iudice sæculari, ad quem pertinebit cognitio.*

11 *In casu, quo Iudici laico Senatus remittet processus complicum laicorum, poterit ipse exhortari Iudicem Ecclesiasticum, ut conficiat processum contra Clericum delinquentem.*

12 *Princeps supremus dumtaxat potest concedere literas gratiæ Ecclesiasticis, qui commiserunt casus, & delicta privilegiata.*

13 *In omnibus supradictis æstimabuntur pro Clericis omnes illi, qui constituti fuerint in sacris ordinibus, saltem Subdiaconatus, & Clerici actu servientes officiis, beneficiis, ac ministeriis Ecclesiasticis, & deferentes assiduè habitum clericalem.*

Quæritur, *an, & quatenus præfati articuli sint contra immunitatem, libertatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam?*

1 CEnseo ad primum. Hic articulus est contra *can.*19. Bullæ Cœnæ Domini verbis illis: *Item excommunicamus &c. omnes, & quoscumque Magistratus, & Iudices, Notarios, scribas, executores, & subexecutores quomodolibet se interponentes, &c. processando, &c.* quibus verbis absolutè damnat processum; processus autem est etiam informativus, & sine animo puniendi, & ex eo, quod non declinatur læsio Ecclesiasticæ exemptionis per hoc, quod interpositio fiat tantùm ad cognoscendum de crimine; comprehendit enim processus omnem actum causæ, quæ in causa criminis à Iudice fit, ut per Sous. in *relect. Bullæ Cœnæ c.*20. *in not. circa textum n.*3. *& disp.*95. *n.*2. Scort. in *Bull. select. theorem.*428. *col.*2. Filiuc. *to.*1. *tr.* 16. *c.*11. *n.*312. & alios.

2 Eoque magis, si id fiat juridicè, & authoritativè eo modo, ac si ad laicos pertineret de clericis cognoscere; quia tunc processatio, & multò magis cœteræ actiones significant actum judicialem, ut per Sayr. *de censur. lib.*3. *c.*23. *n.*2. Imò alii, inter quos Filiuc. *d. n.*312. communiùs, & probabilius extrajudicialem etiam interpositionem opinantur damnatam ex particula *quomodolibet*, quæ omnes modos excogitabiles includit.

3 Solùmque aliqui negant induci censuram interpositione ad effectum recutrendi ad Iudicem Ecclesiasticum facta, ut Duard. in *d. cap.*19. *Bullæ q.*5. *num.* 2. dummodò tamen talis interpositio fiat ex necessitate, ne delicta remaneant impunita, & modo minùs præjudiciali Ecclesiasticæ jurisdictioni, ac personæ ignominioso, aliàs secus, ut si nulla sit necessitas interpositionis laicæ, quia per Iudicem Ecclesiasticum fieri potuisset, vel fiat judicialiter, & publicè, cùm posset fieri extrajudicialiter, & occultè.

4 Item si criminis apparentis, aut putati tantum ignoretur auctor, potest Iudex laicus ad perquisitionem auctoris procedere, modo desistat, post quam inverierit esse Ecclesiasticum. Siquidem non prohibentur Iudices inquirere de delinquentibus, ut unusquisque puniat eos, qui sibi subditi sunt, Bon. *de cens. in par. disp.*1. *q.*20. *punct.*1. *n.*9. & Filiuc. *d. num.*312. Imò reperto culpabili Clerico licitum erit inquisitionem prosequi, modò sit sine Clericatus dedecore, & sine tractione personæ Clerici ad tribunal, laicum, vel ad effectum, ut veritas legitimè innotescat, & probari possit, vel ne laici falsò criminari de eodem facinore puniantur, vel ut complices laici detegantur. Id enim omne muneris est laici Iudicis; quod si de facto laicus simul, & Ecclesiasticus delicto cooperati fuerint, poterit idem Iudex laicus, quatenus opus fuerit, ad formandum processum contra laicum, etiam dicta testium, vel complicum recipere contra Ecclesiasticum, vel aliud quid simile peragere, ut notant Bonacin. & Filiuc. iisdem in locis, & Graff. *p.*1. *decis. aur. lib.* 4. *cap.*18. *n.*149.

Non suffragatur usus antiquus, sive antiqua consuetudo. Tum quia laici non possunt acquirere consuetudinem neque præscriptionem contra jurisdictionem Ecclesiasticam, quia sunt incapaces. Et tum quia abrogatur quotannis in dicta Bulla Cœnæ solemniter publicata. Et tum ex alias à nobis dictis. 5

Ad 2. Hic articulus, data etiam in laicis facultate cognoscendi, ac puniendi hujusmodi delicta, quæ vocant privilegiata, est in præjudicium jurisdictionis Ecclesiasticæ. Nam cum possit etiam Ecclesiasticus cumulativè cognoscere, Carol. de Graff. *eff. Cler.* 1. *nu.*1289 dum procedit absque præjudicio prævention is, injustè impeditur à laico præveniente, ac proindè inducitur censura *cap.*16. *d.* Bullæ Cœnæ contra impedientes Ecclesiasticos in usum jurisdictionis. Sicuti è converso Iudex laicus prævention e facta per Ecclesiasticum non dicitur impedire, si sine præjudicio Iudicis Ecclesiastici se ingerat tanquam præparatoriè ad judicium suum. Videndus Gram. *cons.* 2. post Baiard. *Clar.* §. *fin. q.*36. *nu.*37. Præterea esset in potestate laicorum inquirere in Clericos, illosque condemnare tanquam reos criminum privilegiatorum, sicque penitùs destrueretur jurisdictio Ecclesiastica. 6

Ad 3. Hic articulus est contra textum in *c. Ad si Clerici de jud.* ibique DD. ac fusè Clar. in *pr.* §. *fin. q.*36. *per tot.* & Gail. *lib.*1. *de pac. publ. c.*11. *n.*17. quia Princeps laicus ob delictum nullam habet jurisdictionem in personas Ecclesiasticas etiam ratione Regalium, feudorum, ac beneficiorum secularium juxta ea, quæ alibi diximus, licet eo casu considerentur ut Principes politici. Id ipsum & jure civili consentaneum est; quia omnes causæ Clericorum tam civiles, quàm criminales ad Iudicem Ecclesiasticum pertinent adeo, ut huic privilegio ne tacitè quidem renunciari possit per textum in *c. Si diligenti de for. compet.* §. *Si Clericus de pac. publ. & ejus viol. text. in* §. *Nos Fridericus*, v. *Idem statuimus de stat. & cons. & usib. feud.* 7

Deinde pugnat pro hac sententia textus in *c. Clericum* 11. *q.*1. ubi habetur negotia Clericorum sive criminalia sive civilia, nonnisi apud Iudicem Ecclesiasticum ventilanda esse, ut latè probat Alex. *cons.* 8. *vol.*1. quare clericos in enormissimo crimine ante degradationem non esse puniendos per Iudices laicos, etiamsi esset læsa Majestas humana, diserè tradit Gigas *tr. de crim. læs. majest. in rubr. quis de crim. læs. majest. cogn. pos. numer.*12. Roland. à Val. *cons.*4. *num.*6. *vol.*1. & alii exceptis tantùm casibus, in quibus ex dispositione expressa Sacrorum Canonum sunt omnino privati privilegio Clericali absque alia degradatione, sive declaratione, ut puta ratione bigamiæ, *cap. un. de bigam. in* 6. & assassinii, *c.*1. *de homic.* item *in* 6. 8

Nam ad effectum quod Clerici amittant privilegium fori, requiritur præcedens sententia declaratoria Iudicis Ecclesiastici secundum communem, ac veram sententiam, & censuit Sac. Congr. Concilii sequenti declaratione. 9

Die 5. *Martii* 1616. *in Lucana S. Congregatio censuit,* 10

hujusmodi

hujusmodi Clericum ita demùm fori privilegium amisisse, si priùs fuerit à Iudice Ecclesiastico declaratus incorrigibilis; observata forma præscripta in c. Cùm non ab homine de judic. De quo nos etiam aliàs.

11 Vnde meritò, teste Rabardeo *de cavendo schism. sect.* 1. *num.* 2. & 3. apud Delben. *de immun. cap.* 5. *dub.* 4. *num.* 19. Rex Christianissimus Galliarum Ludovicus XIII. ut quoad tale crimen læsæ Majestatis contra Clericos procederetur in facti contingentia recursum habuit ad Vrbanum VIII. ut constat ex ejus diplomate dato in Arce Gandulphi 8. Octobris 1632. Vide Consultationem nostram in 1. *tom.*

12 Ad 4. Hic articulus est pariter contra immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam. Licèt enim Clericus habitum clericalem, & tonsuram dimiserit, ac pro laico communiter habitus fuerit, in habituque laicali fuerit deprehensus, non tamen idcircò poterit Iudex laicus post oppositionem, & notitiam Clericatus contra Clericum procedere absque incursu censurarum, antequam præcedat declaratio Iudicis Ecclesiastici, quod reus non esset Clericus, vel quod amisisset privilegium fori, illoque gaudere non possit per textum in *c. Si Iudex laicus v. non sic* ubi Glos. *v. fecerit de sent. excomm. in* 6. & firmat Farinac. *de inquis. q.* 8. *num.* 33. & 35. Dian. *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 27. ac Fagnan. in *cap. Contingit* 2. *de sent. excomm. à n.* 14. & 21. ubi respondet objectionibus, & Mart. *de jurisd. p.* 2. *cap.* 31. *n.* 22.

13 Quare si Iudex Ecclesiasticus pronunciaverit reum, de quo agitur, esse Clericum, tunc Iudex laicus tenetur, illum remittere unà cum processu contra eum condito ad Iudicem Ecclesiasticum per *d. c. Si Iudex laicus*, ubi hoc notant Doctores. Idque sive Clericus sit captus in habitu laicali, sive clericali, Cæphal. *cons. crim.* 11. *num.* 2. licèt Covar. *pract. q. c.* 35. *nu.* 1. dicat, quod apud Gallos non sit recepta Cóstitutio Bonifacii VIII. in *d. c. Si Iudex laicus.*

14 Nec refragatur Ant. Faber. *definit.* 14. *de jurisd. omn. Iud.* quia loquitur de Clerico qui dimisso habitu, ac tonsura effectus est miles, facitque actum omninò contrarium ordini clericali, & per tacitam renunciationem assumendo statum incompatibilem amittit privilegium clericale, Episcopo eum non vendicante. In quo casu sine ulla monitione eo ipso amittit privilegium, ut per *can. quisquis* 84. *d.* & Doctores quos refert, ac sequitur Fagnan. ic *d. cap. Contingit* 2. *de sent. excom. num.* 16. & de Grass. *d. eff.* 1. *n.* 866;

15 Ad 5. Hic articulus est etiam contra exemptionem, & jurisdictionem Ecclesiasticam; nec potest habere locum, nisi in causis mistis in personas laicas; nam Clerici pro delicto semper ab Ecclesiastico coercerentur. Et nihilominus in casu, quo Iudex Ecclesiasticus processerit contra Clericum, & eum condemnaverit ad pœnam non condignam delicto ex defectu potestatis, ut quia deberet pro delicto imponi pœna mortis naturalis, quam imponere non potest, & imponit pœnam perpetui carceris, tunc posse Iudicem laicum eundem punire pœna à jure statuta, etiam mortis, docet Scacc. *de judic. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 101. cum aliis ab eo allegatis, ac sequitur de Crass. *dict. eff.* 1. *n.* 1289.

16 Ad 6. Hic articulus, quatenus non requirit sententiam degradationis in crimine læsæ majestatis est contra immunitatem, exemptionem, & jurisdictionem Ecclesiasticam ex superiùs dictis. In assassinio verò probabilius est, illam non requiri ex *d. c.* 1. *de homic. in* 6.

17 Ad 7. Hic articulus destruit omninò exemptionem, & jurisdictionem Ecclesiasticam; quia poterit contingere, quod Episcopus fuerit requisitus ad degradandum Clericum, qui verè non commisit delicta, quæ illi imputantur, ac propterea non poterit Episcopus illum degradare, & nihilominùs habebitur pro degradato. Remedium Canonicum est, quod si Episcopus recusaverit degradare clericum convictum de hujusmodi delictis, recurrendum est ad ejus Metropolitanum, quo etiàm recusante, vel negligente, recurrendum est ad Summum Pontificem per textum in *cap. Qualiter in fin. de judic.* & *can. placuit* 11. *q.* 1. quo tamen negligente ad Principem laicum recurri non potest, nisi facto id necessarium sit in defensionem suorum subditorum; quia tunc locum habet jus naturæ ac fit per modum defensionis purè naturalis. Atque ita respondetur ad textum *can. filius* 16. *qu.* 7. ubi Prælatis negligentibus imploratur auxilium Regis, scilicet, ut protectoris, ac defensoris, non autem ut Iudicis.

Ad 8. Hic articulus est præjudicialis jurisdictioni Ecclesiasticæ; quia non potest Iudex laicus judicare Clericum delinquentem, si antequam Iudex ille se ingerat, fuerit per Ecclesiasticum punitus, vel absolutus. Nam privatio privilegii, etsi pœnalis sit delinquenti, non debet esse præjudicialis foro Ecclesiastico, quominùs possit suum Clericum punire, vel absolvere, sed hunc tantùm habet effectum, ut cùm priùs non posset per Iudicem laicum judicari Clericus, non possit; quod annotant Dec. *in pr. crim. p.* 1. *lib.* 4. *c.* 9. *num.* 86. & Ambros. *de Immun. cap.* 17. *n.* 27. 18

Ad 9. In hunc articulum nihil animadversione dignum occurrit. 19

Ad 10. Hunc articulum ex Doctoribus sunt, qui admittunt, sunt qui explodunt, ut videre est apud Dian. *p.* 3. *tract.* 1. *resol* 1. & *par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 7. Declarationes S. Congregationis Immunitatis hac de re plures addoxi, illas adi. 20

Ad 11. In hoc item articulo nihil est observatione dignum. 21

Ad 12. Sunt, qui defendunt hunc articulum per Gloss. in *auth. Clericus, Cod. de Episcop & Cleric. v. Et si reus* ubi Glossa tenet, quod Iudex sæcularis possit absolvere, Clericum à crimine, licèt non possit eum condemnare, quam Glossam servat generalis Franciæ consuetudo apud Aufrer. in *repet. Clement.* 1. *de Offic. Ordin. quæst.* 11. 22

Et pro affirmativa possunt adduci jura, quæ dicunt consuetudines observandas. Ea enim, quæ jure communi sunt prohibita diuturnitate temporis, cujus initii memoria non existit; licitè obtinentur per textum in *cap. Super quibusdam § præterea de verb. signif. cap. Quid per novale,* & *cap. Veniens eod. tit. in* 6. *can. hac quippè; qu.* 6. & *can mos antiquus* 65. *d.* cum aliis; quod maximè procedit in Principe ex eo quia præsumitur, quod justè faciat, & semper in eo justa causa præsumitur per notata Butrii, & Panorm. in *c. Quia in Ecclesiarum de constit.* Cyni, & Baldi in *l. resc. C. de prec. Imper. offer.* 23

Cùm igitur de consuetudine Supremus Princeps concedat hujusmodi gratias sive remissiones, etiam Clericis, est observanda. Vnde postquam talis gratia semel fuerit intimata juxta notata in *l.* 2. *C. si contra jus, vel util. publ.* Clericus ille non debebit ulterius de eodem crimine inquietari, vel accusari. Ad quod facit textus, Glos. Bart. & Angel. *in l. si cui §.* 1. *ff. de accus.* Hoc enim videtur esse regulare, quod de crimine semel absolutus ulterius non debet accusari, maximè si talis absolutio facta non fuerit in foro pœnitentiali, ut tenet Io. Fab. in *l. Si quis homicidii C. qui accus. pos.* ibique Salic. & tradunt Innoc. Ost. Io. Andr. Panor. & Aret. in *c. De his de accus.* idemque Panor. in *c.* 1. §. 2. *de purg. canon.* 24

Secundò videtur, quod saltem dicta gratia, sive remissio ipsi Clerico prodesse debeat, ubi pro delicto pœna confiscationis esset imponenda, ut scilicet quoad confiscationem bonorum immobilium possit Supremus Princeps Clerico delinquenti gratiam concedere, quod verò ad mobilia nihil prodesse videatur. Maximè quia juxta generalem Franciæ consuetudinem, quam sæpè servari se vidisse testatur idem Aufrerus loco citato, licèt bona mobilia Clericorum damnatorum Episcopis applicentur, & immobilia temporalibus Dominis, à quibus retinentur, ut tuetur Anchar. in *c. Ea, quæ de regul. jur. in* 6. *quæst.* 22. & Oldr. *cons.* 47. quam consuetudinem refert Io Andr. *in addit.* ad Spec. *tit. de feud. §. pen.* pro qua servanda inducitur *l. minimè ff. de sepul. viol.* & *lib.* 1. *C. de emancip.* 25

lib. & l.ult.Cod.de diverſ.off. Sic & lex Friderici diſtinguit inter res mobiles, &, immobiles *de pac.ten.§.ſi vero & §. ſi Clericus eod.tit. & l. abditos C. de Epiſc. and.* & quod ibi notatur, nempè Clericum puniri in patrimonio per judicem ſæcularem. Et ad hanc diſtinctionem bonorum mobilium, & immobilium ſuffragatur *c. Ad hæc c. Relatum 2. §. ad hæc de teſtam. l. ſi filius C. famil. herc. & l.1.C.de impon. lucr. deſcript. & l.3. ff.de ſupel.leg.*

26 Quod autem proceſſus agitatus ſuper hujuſmodi gratia, vel remiſſione coram Iudice ſeculari teneat, probari videtur. Primo ex regula, quod ſicut quando conſtat citationem arctare, citatus tenetur venire, ita & quando dubitatur, ut notant Gloſ. & DD. in *c. Veniens de accuſat. & can. Si Epiſcopus 3.q.2.* traditque Innoc. in *c.2.de dilat.* Panor. in *c. Cum ordinem reſcript.* ac ibi Gloſ. & Bartol. *in l.2 ff. Si quis in jus v. non jer. & in l. Si quis ex aliena ff. de judic.* quod nimirum ſi Iudex laicus citat Clericum, tenetur is comparere, & ſuum privilegium allegare. Atque adeo videtur, quod proceſſus ſuper hujuſmodi gratia valere debeat, ac gratia, cum nunquam impetrans ſe Clericum dixerit.

26 Secundo, ſi Iudex probabiliter errat in facto, & credit ſe eſſe Iudicem, cum verè non ſit, proceditque, tenet proceſſus *c. Si duobus de apell.* ſecus autem ſi erraret in jure *c. Cum ſuper de offic.d. c. Ex parte de conceſ.præbend.* Princeps autem hujuſmodi gratiam concedens, vel Iudex probabiliter errare poſſunt in facto, ſi impetrans non proponat, ſe eſſe Clericum, quia cum quilibet naſcatur laicus, talis eſt præſumendus, niſi probetur Clericus *can. legum 2.qu.1.* Cum igitur talis Clericus impetrans ſit de Regno, & ſe offert ſponte judicio, poteſt à Summo Principe abſolvi; vel eidem indulgentia concedi ita, ut ab Eccleſiaſtico Iudice de eodem crimine puniri non poſſit.

27 Tertio, quia Princeps ex conceſſione talis gratiæ in Clericum juriſdictionem non exercet, cum iſte Clericus impetrans ſit actor, qui petit contra procuratorem Principis ſuas gratiæ litteras concedi. Actor autem ſequitur forum rei, ſive actor ſit Clericus, ſive laicus, *l. adire C.de ord.jud.can.experientia, 11.q.1.c.Si Clericus, & cap. Cum ſit de for.c.l. juris ordine, & l. in criminali C. eod.* Maximè cum talem gratiam concedere ſit in libera voluntate Principis. Ex eo enim gratia dicitur, quia gratis accipitur, vel datur, alias non eſſet gratia *can. quicumque 1.q.1.* judicium autem redditur in invitum, *l. ante ſtipulantem §. ſtichum ff.de verb. oblig. & cap. intelleximus de judic.* quia Clericus tunc non trahitur. Tunc enim Canones locum habere poſſunt, qui hoc vitare videntur, non autem quando ultro ſe offert per notata Innoc. *c. Cum inter de except.*

28 Sic quoque in emancipatione Iudex competens eſt Iudex patris, & non filii, ut notatur in *l.fin. C.de emancipat.* ac tenet Anchar. *in cap. Ea, quæ de regul. jur. in 6. quæſt.18.* Ergo à ſimili in conceſſione hujus gratiæ Iudex competens eſt Iudex procuratoris Principis, qui videtur eſſe reus, & conventus, & non Iudex impetrantis Clerici.

29 Sic etiam ſtatutum generale laicorum, & favorabile includit Clericos. Vnde ſi ſtatutum dicat, quod ſtantibus maſculis filia non ſuccedat, in illo ſtatuto includitur Clericus, & Monachus, *cap. Diligenter de for.comp. can. Si in adjutorium d.10.* & Doctores in *c.fin.de ſolut.* facitque *c. Cum veniſſent de eo, qui mit. in poſ. & cap. Eccleſia ut lit.pend.* & conſuluit Io.de Lignano, ut refert Lap. *alleg. 117.* ac tenet Bartol. *in l. cunctos populos C.de Sum. Trinit.* Butr. in *c. Quod Clericis de for.comp.* de quo per Bald. in *l. Deo nobis C.de Epiſc. & Cler.*

30 At nihilominus hiſce minimè obſtantibus tenendum eſt, talem gratiam non valere.. Primo, quia eſt contra utilitatem publicam, cujus intereſt, ne crimina remaneant impunita, *c. Vt famæ de ſent.excom. l. ita vulneratus ff.ad leg. Aquil. licitatio §. quod illicitè ff. de public. l. nec damnoſa C. de pr. Imper. offer.* Maximè quia per conceſſionem hujuſmodi Clericis audacia tribuitur delinquendi contra *Clem.1. de offic. Ordin. & cap. ut Clericum de vit. & honeſt. Cleric.*

Secundo, quia Princeps in dubio non præſumitur velle præjudicare juri tertii *c. Super eo de offic.d.c. Quamvis de reſcript. in 6. l.2. §. Si quis à Principe ff. ne quid in loc. public.* Et licet, quando ſolius fiſci intereſt, Princeps pœnam remittere poſſit, ut tenere videntur Cynus, Baldus & Salicetus in *l. reſcripta C.de prec. Imper. offer.* Panor. in *c. Quæ in Eccleſiarum de conſtit. in c. Niſi ſpecialis de offic. leg.* De pœnis tamen, & jutibus ſingularium perſonarum non poteſt hoc licitè fieri in præjudicium ejus, cui jus eſt quæſitum per tex um, qui videtur eſſe notabilis in *l. venia C.de in jus voc.* cum Gloſſa ſecundùm Baldum in *l. fin. ff. de pac. l ſi cum Hermes ff. de locat.* cum aliis. Sic Princeps gratiam hujuſmodi Clerico concedens pœnam delicti remittere non videtur, ſaltem quatenus Eccleſiæ præjudicium concernit. 31

Tertiò, quia certum omninò eſt, quod nec in foro contentioſo, neque in foro pœnitentiali quis à non ſuo Iudice condemnari poteſt, vel abſolvi, *can. in primis 12 qu. 1. c. Ad noſtram de conſuet cap. Olim. de injur.* Non licet enim laico dare legem de Clerico *can. benè quidam. 96.d. can. non placuit 6.q.7.* Imo contra faciens tanquam ſacrilegus eſt puniendus *can. Si quis Principum eod cauſ. & q.* & de univerſa Eccleſia malè judicat, qui quærit judicium laicorum *can. placuit 11.q.1.* Sicut non tenet ſententia à non ſuo Iudice lata, *d.c. Ad noſtram de conſuet. & cap. Et ſi Clerici de judic. tot. tit. C. ſi à non compet. Iudic.* Ita nec confeſſio coram eo facta *d. cap. Et ſi Clerici*, neque abſolutio, *c. Venerabilibus de ſent. excom. §. ubi autem in 6.* nec purgatio ab eo indicta, *c. Cum delictis de purg. can.* neque examinatio *cap. Licet de offic. legat.* neque citatio arguendo de toto ad partem *cap. Paſtoralis §. item de off. deleg. c. Romana de for. compet. in 6. & cap. Contingit. de arg.* cum ſua Gloſſa. 32

Hinc ſtatutum non ligat, niſi ſubditos ſtatuentis, *c. A nobis de ſent. excom. cap. Novit. de off. leg. l. fin. de juriſd. omn. Iud. cap. fin. de conſtit. in 6.* Et indulgentia in foro pœnitentiali, quæ conceditur à non ſuo Iudice, non tenet, *cap. Quod autem de pœnitent. & remiſſ.* ubi ait Panorm. quod in multis forus pœnitentialis regulatur ad limites fori contentioſi. Vndè ſicut in foro contentioſo quis à non ſuo Iudice ligari non poteſt, neque abſolvi ita nec in foro pœnitentiali, *cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſ. can. placuit de pœnitent. d.6.* quilibet enim tenetur confiteri coram ſuo Sacerdote; nam in foro pœnitentiali non ſortimur forum ratione delicti, ut latè comprobat *ad ſingulare Romani 468.* Gabriel. Sar. 33

Clariſſimum autem eſt, quod Princeps ſæcularis clericos condemnare non poteſt de crimine, quia ſunt exempti jure divino, ut alibi probavimus. Ergo neque etiam abſolvere. Par enim eſt jus ligandi, & abſolvendi *can. verbum de pœnitent. d.1.* & cui denegatur cognitio, multò fortiùs denegatur diſpenſatio, *l.2. C.de his, qui ven. ætat. impetr. can. quamvis, & can. Dudum 3.quæſt.6. & c. Cum illorum de ſentent. excomm.* Imo ad illum ſolum pertinere videtur reſtitutio, ad quem examinatio *can. Euphemium §. hinc. colligitur 2.quæſt.3. & l. cum principale ff. de reg.jur.* 34

Talis igitur gratia, ſive remiſſio, tanquam contra jus divinum conceſſa, eſt nulla, Gloſ. Bart. Bald. & Io. Fab. in *l. fin. ff. ſi contr. jus, vel util. publ.* Bald in *d. l. reſcripta* de qua penè per Bart. in *conſt. ff. ſub initio, cap. Non minus de immun. Eccleſ. cap. Quanquam de cenſib. in 6.* ubi Archid. Geneſ. 47. Eſdr. *cap. 8.* Et Conſtantinus Auguſtus Clericorum accuſationes recipere recuſavit *can. Sacerdotibus, 11.qu.1.* 35

Quarto ex defectu juriſdictionis *c. Nullus 11.q.1. cap. Nullus de for. comp. l. generaliter C. de Epiſc. & Cleric.* qui planè defectus opponi poteſt adverſus hujuſmodi gratiam, ſive proceſſum, ac ſententiam, etiamſi 36

Conſtitutio,

Constitutio, vel statutum adesset, quod nulla exceptio admittatur, ut notatur in *Clemen. 1. de jequestr. pos. & fruct.* ac tenet Baldus post Cyn. in *allegat. & generaliter*, Specul. *tit. de citat.* §. 1. & § *penult.* & Archid. in *cap. placitam 15. quæst. 4.*

Quintò, quoties imminet factum, quod à jure reprobatur, taciturnitas ejus, qui non potest expressè actu consentire, nihil operatur, *cap. dilecto, de præb.* cum similibus, & notata in *l. 1. C. ubi de crim. ag. oport.* ubi Accurs. ait, quod quando Iudex est talis, quod citatus sua voluntate non possit eum facere Iudicem, non nocet taciturnitas, ex *c. Dilecto de præb.* ibique Innoc. & Ioan. Andr. & Specul. *loc. allegat.* Imò Clericus expressè confitens coram sæculari Iudice, se non esse Clericum, sibi non præjudicat, *d. cap. Et si Clerici*, & Bald. in *l. Si qua per calumniam C. de Episcop. & Cler.* Clericus enim non potest neque expressè, neque tacitè in laicum consentire; nam pacto privatorum juri publico præjudicari non potest, *l. neque pignus ff. de reg. jur. cap. Si diligenti de for. comp.* Ius autem publicum consistit in sacris, & Sacerdotibus *can. jus publicum d. 1.* 37

Maximè in hoc casu, in quo tale jus concessum in favorem non solùm Clericorum, sed Cleri. *c. Contingit de sent. excomm. & d. c. Si diligenti.* Atque adeò Clerici impetrantis hujusmodi gratiam, & tacentis se esse Clericum coram Iudice non suo, jurisdictionem ei non tribuit. Imò, si Clericus expressè se laicum fateretur coram Iudice sæculari, qui scit, vel scire debet eum esse Clericum, non excusaret secundùm Innocent. in *dict. cap. Vt fama de sent. excommun.* & Io. Andr. in *cap. Si Iudex eod. tit. in 6.* ac notata per Bald. in *dict. l. Si qua per calumniam*, ubi reddit rationem, quia ista confessio est facta coram judice non competenti, *allegat. capit. Et si Clerici de judic.* 38

Nec relevat, quod gratiam obtinens communi forsitan opinione habeatur pro laico, quia, licèt communis opinio operetur, quod ea durante servetur gratia, manifestata tamen veritate cedit opinio, *can. veritate d. 8.* & ita declarabitur nulla, & nullus quoque totus processus inde sequutus, ut notatur de sententia lata per falsos testes in *c. Cum venerabilis de except.* & de sententia excommunicationis lata post appellationem legitimam non prosequutam in *c. Licèt eod. tit. in 6.* 39

Minùsque videtur obstare Gloss. *in præcit. auth. Clericus C. de Episc. & Cler.* ubi Glossa videtur tenere, Iudicem sæcularem posse Clericum absolvere à crimine. Nam Baldus ibi tenet contrarium, ea quidem ratione, quia deficit jurisdictio. Vnde cùm judicium non possit fundari, non potest ferri sententia, *ut d. cap. Et si Clerici de judic.* 40

Neque videtur excusare contraria consuetudo, quia non valet; nam est contra statum, ac libertatem Ecclesiasticam, onerosa, & gravis Ecclesiis, *cap. 1. de consuet. cap. Nostram, & cap. Cum inter eod. tit. cap. Decernimus, cap. Quantò, cap. Clerici de judic. cap. Quæ in Ecclesiarum de constit. & c. Ecclesia S. Mariæ eod. tit. cap. fin. de reb. Eccles. non alien. can. benè quidem d. 96. auth. Cassa C. de sacros. Eccles.* ibique Batt. Bald. & Salic. Innoc. & Panorm. in *cap. Noverint, de sent. excom.* ac notat Io. Fab. in *auth. statuimus C. de Epis. & Cler.* Præcipuè cùm dicta consuetudo sit contra jura habentia perpetuam causam prohibitionis, nedum canonica. & civilia, sed etiam divina, quare non valet, *can. vides d. 10. can. Imperiali d. 25. d. cap. Si diligenti, ac l. non dubium Cod. de legib.* estque dicenda corruptela, *cap. Cùm venerabilis de consuet.* cùm temporis diuturnitas sine veritate sit erroris vetustas *dict. can. veritate dist. 8.* & quantò diuturniora sunt peccata, tantò graviora, *can. flagitia 32. quæst. 7. & cap. final. de consuetud.* 41

Nec tandem juvare videtur Episcoporum tolerantia, imò culpæ eorum est adscribendum ex *can. ad reatum d. 81.* & ex tali facto jura præcipiunt Clericos puniendos, idcircò patientia non sufficit, & cùm Clericus pœnam mereatur, indè præmium consequi non debet *l. sine hæreditaria ff. de neg. gest.* ibique Doctores. 42

Ad 13. Hic articulus quod attinet ad Clericos, qui continuò deferre debent habitum clericalem, & habere requisita juris communis, & Concilii Trid. *sess. 23. cap. 6. de reform.* est contra decreta S. Congregationis Concilii, quæ sæpè censuit, quod etsi Clericus privilegio fori non gaudeat, quia qualitates Concilii non habet, cum tamen non posse à Iudice laico detineri, nisi priùs super qualitatibus hujusmodi Judex Ecclesiasticus cognoverit, & pronunciaverit. Ideòque Episcopos utique posset hoc casu contra laicos ad sententiam censurarum procedere, ut alibi docuimus. 43

Quod si aliter diceremus, funditùs everteretur jurisdictio Ecclesiastica, cùm esset in potestate laicorum aliquam probationem facere, ac declarare, quod Clerici non haberent hujusmodi qualitates. Præsertim Episcopo volente vendicare Clericum, ut ex rationibus, & decretis ejusdem S. Congregationis Concilii, quæ adduxi *tom. 1. consult. 46.* ac alibi. 44

CONSULTATIO XLI.

An Regulari danda sit petita copia actorum in causa criminali cum nominum testium expressione? Et quid in crimine hæresis?

Affirmo; quia id expressè disponitur in Concilio generali relato in *c. qualiter, & quando 24. de accusat.* his verbis: *Et non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum, appareat publicanda, necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ*; quod etiam clarè sancitum legitur in reformatione Tribunalium Pauli V. §. 10. *tit. de Iudic. crim. n. 26.* & concinunt omnes Canonistæ in *d. c. qualiter, & quando*, & Doctores communiter, excipientes solùm crimen hæresis ob contrariam dispositionem Constitutionis 40. Pauli IV. quos referunt, ac sequuntur Farinac. *de indic. & tortur. q. 39. n. 105.* Clar. *lib. 5. sent. § fin. q. 49. num. 2.* Guazin. *defens. 24. n. 8.* traditque Paris. *cons. 2. num. 154. ac seqq. lib. 4.* ubi *nu. 158.* ait, id locum habere etiam in causa, & inquisitione summaria, & *nu. 159.* idem inquit, servandum esse etiam in crimine hæresis, sed de hoc alibi. 1

Ratio autem, ob quam publicanda sunt nomina testium, legitur in allegato *c. qualiter*, nimirùm; *ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum audacia præbeatur.* Cognitis namque nominibus possunt opponi exceptiones contra personas, & dicta, quæ depositionibus omnem tollerent fidem; aliàs si nomina, & cognomina celarentur, sequeretur absurdum, quod nempè quis ex dicto forsan inhabilis plecti posset, ut præter adductos observat Diaz. *discep. crim. 22. n. 4. & seq.* qui loquitur etiam in crimine hæresis. 2

Non urget timor offensionis eorum, qui deposuisse dicuntur ad hoc, ut dicta nomina non patefiant, vel saltem in confuso sint publicanda. Nam periculum, quod testibus evenire potest ab inquisitis, longè levius est audacia, quam ex subticendis dictis, ac nominibus suis prædicti testes sumere solent ad falsè, confusè, temerèque deponendum, ut per Rodriquez *tom. 2. qu. regul. 16. ar 1. ad fin.* Nunquam enim defuere testes diobolares, egentes, sine censu, atque etiam sine sensu communi. 3

CONSULTATIO XLII.

An Edictum Episcopi, quo præcipitur sub pœna excommunicationis, aliisque arbitrariis, quod nemo admittat ad celebrationem Missarum presbyteros exteros absque ejus licentia, comprehendat etiam Regulares? Vbi summatim explanatur decretum de observandis, & evitandis in celebratione Missæ sess. 22. S. Concilii Tridentini.

Nonnulli Regulares, inter quos & Pasqualig. *de sacrific. Missæ quæst. 366. numer. 7.* negant; quia præcep- 1

præceptum dirigi solum potest ad subditos, & pro locis subjectis, *cap. Vt animarum de constit. in 6.* Regulares autem exempti, & eorumdem Ecclesiæ non subiiciuntur Episcopis.

2 Nec dici potest, quod hoc possint, ut delegati Sedis Apostolicæ per decretum *de serv. & vit. in celebr. Missar. sess. 22. S. Concilii Trid.* quia illa delegatio se extendit solum ad ea, quæ concernunt avaritiam, superstitionem, & irreverentiam in celebratione Missarum, atque adeo solum, quoad eos, qui circa hæc peccant. Et ideo non se extendit ad prohibendum Regularibus, ne admittant exteros ad celebrandum.

3 Accedit etiam, quod quando Concilium vult tribuere auctoritatem supra Regulares, eos nominat. Solum autem nominat, quando agit de celebratione extra Ecclesias, & oratoria tantum cultui divino deputata.

4 At hoc nec jure, neque moribus dictum est, neque ex usu Ecclesiæ, cui res perversè constitutas in ordinem ac statum decorum restituere cordi semper fuit. Sacrum itaque Concilium Tridentinum adhibens omnem curam ut sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione, celebretur; decrevit, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit: quæ tantum refert Pasqualigus. Sed deinde subdit: S. Synodus, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicat, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat, &c. Neve diceretur, quod Episcopi in dicto decreto constituantur delegati Sedis Apostolicæ etiam quoad Regulares, quando agit de celebratione extra Ecclesias, & oratoria tantum cultui divino deputata, his verbis conceptis cautum, & sancitum est: Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam, ut delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque adeo inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. Huc usque Concilium; qui ad hæc? Vtrùm id negabitur? Qui potest? An ut tanta auctoritate convincantur?

5 Quæ causa non solum magna auctoritate Concilii, sed etiam ejusdem S. Congregationis, totque testium nititur, ipsiusque Cespedis exemptionis Regularium assertoris, ac vindicis *cap. 5. dub. 89.* qui refert, quod cum à fratribus Bononiensibus coram eadem Sacr. Congregatione fuerint proposita aliqua dubia, inter alia sic fuit consulta. *Essendo publicato un' ordine generale da Monsignore Arcivescovo, che niuno lasci celebrar Messa à Preti forastieri, senza prima vedere, che ne habbi havuta licentia da Sua Sig. Illustriss. ò dal suo Vicario generale, si ricerca, se i Frati siano tenuti ad osservarlo. Fuit responsum die 2. Iulii 1620. Ad 12. non licere Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere presbyteros sæculares contra prohibitionem Illustr. Archiepiscopi.* Sic quoque declarasse Sacr. Congregationem 2 Novembris 1594. ait Barbos. *in declarat. ad c. 19. Concil. Trid. sess. 23. num. 5.* & in Neapolitana 17. Augusti 1630. & alibi apud Gallet. *in marg. cas. conscient. v. Missa*, Ricc. *in prax. for. Eccles. dec. 748. in 1. edit. & resol. 635. in 2. edit. & dec. 294. p. 4.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 21. n. 8. & de jur. Eccles. lib. 1. cap. 11. n. 3.* & Novar. *in Lucern. Regul. v. Missa.*

6 Atque ex decreto ipso S. Concilii respondetur rationibus supra deductis. Etenim Regulares non subiiciuntur Episcopis, tanquam Ordinariis, sed tanquam delegatis Sedis Apostolicæ. In decreto autem Tridentino Episcopi hac in re constituuntur delegati Sedis Apostolicæ, atque adeo iis subiiciuntur, quod autem generaliter hoc decretum comprehendat etiam Regulares quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinariis locorum circa observanda, & evitanda in Missarum celebratione statuta, fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis ac censuris Ecclesiasticis ab eisdem Ordinariis cogi, & compelli posse, censuit S. Congregatio apud Fagnan. *in Grave n. 46. de Offic. Ordin.*

Quod vero ad decretum S Concilii Tridentini. In eo 7
proponuntur observanda in Sacrosancto Missæ Sacrificio ad hoc, ut omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, *can. nihil in Sacrificiis*, ibique Glos. *d. 2.* & reprehenditur, qui facit opus Domini negligenter, *Hierem 48.* secundum editionem septuaginta; nam secundum vulgatam habetur: maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter, & rectè, negligentia enim operis Domini quodammodo fraus, & dolus est.

Quæ autem in Missæ Sacrificio evitanda sunt in tria 8
capita colliguntur, quæ sunt avaritia, irreverentia, & superstitio: quoad avaritiam pertinet, eleganter S. Ambrosius *ser. 81. in Luc.* relatus in *can. Sicuti ii d. 47.* cujus verba opportunè hic appendo, ut perpendantur: *Sicut ii, qui per insaniam mente eranslati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident, ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper redditus computat gratius aurum intuetur, quàm solem, & ipsa ejus oratio, & supplicatio ad Dominum aurum quærit. Interdum etiam usuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur. Sed quid agis? Nec satietas unquam, nec finis aderit cupiditati. Sed ais; quid injustum est, si cùm aliena non invadam, propria diligentius servo? O impudens dictum? Propria dicis? Quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es? Proprium nemo dicat, quod est commune, quod plus, quàm sufficeret, sumptum, etiam violenter obtentum est. Nunquid iniquus est Deus, ut nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? Vt tu quidem esses affluens, & abundans, aliis verò deesset, & egerent? An idcircò magis, quia & tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò susceptis Dei muneribus, et sin sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam injustus, tàm avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta suum non usum, sed abundantiam, & delicias facit? Neque enim minùs est criminis habenti tollere, quàm cum possis, & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu reeludis, & miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis præstare, quod velis.* Lege etiam *cap. Avaritiæ de elect. in 6.*

Damnantur in decreto conditiones, & pacta. Censuit 9
tamen Sac. Congregat. ratione obligationis posse recipi eleemosynam inter partes constitutam pro Missis celebrandis, & eum, qui promisit, posse conveniri, cùm concurrant tot temporalia in hujusmodi obligationibus, ut intelligatur non spiritualem rem, sed temporalem locari, & conduci. Illa enim obligatio ea ratione tali videtur onere gravata, quia quilibet in traditione rei suæ, onus, quod sibi placuerit, potest imponere, non autem oblatio deducta in pactum, quod hic expressè prohibetur, Doctores *c. Significatum, de prab.* Sic etiam in obligationibus manualibus, de quibus ibi Canonistæ, non potest dari tanta pecunia, ut propterea dicatur una Missa, vel fiat unum anniversarium, quia eleemosyna debet libenter offerri, & contra etiam offerri spirituale ita, ut cesset obligatio. Vnde aiunt Doctores, quod licèt Episcopus possit taxare stipendium, quod debetur Sacerdoti, qui obligat se ad sic, & pro certo tempore, vel in

perpetuum

perpetuum celebrandum, non taxare stipendium pro singulari Missa dicenda, quæ non est obligatio, sed simplex actio; attamen ex quo ita datur, scilicèt ut in stipendium sustentationis cedat, & aliter celebret, seu saltem celebrare valeat, accipiens tacitè, ad id se obliget, non subest ratio, quare contra *l.1. de pact.* non teneatur promissa servare.

Subdit textus, & quidquid pro Missis novis celebran-
9 dis datur. Non inde tamen prohibetur presbytero ex sententia S. Congregat. quominùs primam suam Missam decanter, & in illa post offertorium in medio altaris ad populum se convertat, accipiendo, ut solent Parochi diebus festis, à sponte offerentibus oblationes & elemosynas. Perambulationes verò per Ecclesiam similiter, & extorsiones prohibentur.

Sic quoque damnantur illiberales eleemosynarum exactiones, quo nomine non venire consuetudinem, quæ inolevit, dixit Sacr. Congregat. ut Parochus diebus festis solemnibus, vel non solemnibus post Offertorium in medio altaris vertat se ad populum, & incitando ad oblationes manipuli, vel aliud offerentibus præbeat osculum.

10 Deinde, ut irreverentia vitetur, mandat, quod singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat, quæ prohibitio cùm sit distincta, correcta videtur dispositione juris veteris, qua Sacerdos ignotus secretò celebrare poterat, *c. Tua frater. italis de Cler. peregr.*

11 Necnon qui publicè, & notoriè criminosus sit, sicuti in crimine fornicationis, *can. Nullus, & can. præter d.32.* ibique Glossa, & Doctores in *c. Vestra, & cap. Tua*, & præsertim quod sit notorium, *cap. ult. de cohab. cler. & mul.* Criminosum autem hìc non modò intelligi puto obnoxium crimini, quo ipso jure quis venit suspendendus, sicut notorius fornicator, sed eum etiam, qui quocumque peccato mortali obstrictus, i. a tamen, ut sit publicus, & notorius, cùm lex nullam admiserit exceptionem, sed indifferenter statuerit de publico, & notorio criminoso, *arg. can. 1. & 2. d. 49.* Et quia in primitivam Ecclesiam sacrosancta Synodus nos quoad fieri potest restituere intendit, hinc comprehendi his verbis publicè, & notoriè lenones jure dixit S. Congregatio.

12 Neve patiantur in domibus privatis &c. Nunc agit de irreverentia ex parte loci, nam hoc Sacrificium in locis Deo sacratis celebrari debet, ut habetur *can. Clericos, can. Si quis de consecrat. d. 1.* Idem statuitur in jure civili *constit. ut nullus fabr. orat. dom. præt. vol. Episc. & ut deput. pr. & in auth. ut in privat. dom. sacr. minist. non fiant collat. 6.* Non tamen ex his verbis ex sententia S. Congreg. ipsis Episcopis prohibetur in propriis domibus oratorium habere, in quo tum ipsi, tum alii de eorum licentia celebrare possint, neque eorum privilegio, de quo in *c. fin. de privileg. in 6.* derogatur, quin & eo uti possunt extra casum absentiæ à suis Ecclesiis, & diœcesibus, veluti ex causa valetudinis, vel alterius magni incommodi, vel ingruentis periculi, cùm de licentia Episcopi jus commune permittat in Oratoriis privatis celebrari, *d. can. Clericos, & can. Si quis de consecr. d. 1.* & Gloss. in *can. Concedimus, & can. Missarum de consecr. eod. d.* hoc est justis de causis, quidquid dicat ex una parte Turrecrem. in *dict. can. Missarum num. 6.* & Speculat. *in tit. de dispensat. §. nunc de Episcoporum num. 121* & ex altera Innocent. in *cap. 1. de consecr. Eccles.* hoc, inquam, justis de causis, nempè ex causa necessitatis, Gloss. in *can. 1. v. necessitas de consecr. d. 1. v. sub dio*, seu tentoriis, in itinere, in exercitu cum tabulis sacratis, ubi frequentissimi sunt Sacerdotes. Item propter inimicitias, infirmitatem, vel decrepitam ætatem, dummodò in iis omnibus celebretur cum petra sacrata, Glossa sæpiùs citata in *d. can. 1.* dictæ dispositioni juris communis ex Sententia Sac. Congregationis per hæc verba Concilii: *neve privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam non est derogatum.* Ista enim non videntur excludere dispensationem, & permissionem justa de causa, cum lex dicens aliquid per Episcopum non posse fieri, non excludat dispensationem, Dec. in *cap. Et si Clerici §. num. 9.* aliàs 49. *de judic.*

Debent tamen Episcopi ex eadem Sacr. Congregatio- 13
ne talem licentiam concedere in casibus, à jure permissis, vel ex alia rationabili causa arbitrio suo in casibus, à jure non prohibitis, his concurrentibus conditionibus, ut Oratorium, in quo celebrandum est, Oratorii formam habeat, ab Ordinario visitandum, approbando omnia ad cultum necessaria, non enim satis est, ut locus destinatus sit, in quo adsit altare, salvis semper juribus parochialibus, quæ requisita, & conditiones in hunc usque diem consueverunt apponi, etiam quando Sedes Apostolica hujusmodi licentias concedit. Consuevit enim & illa concedere, licèt Episcopi concedere non sint prohibiti. Sed an hodiè has licentias possint Episcopi concedere, alibi tradimus in Consult. de Oratoriis.

An autè dicta Oratoria sic debeant deputari ut in alios 16
usus converti ampliùs non possint, ne quidem in cubicula, & habitationes Religiosorum in dicto decreto nullum verbum habetur. Et cùm Procuratores claustralium, ut dixit S. Congregatio, non teneantur habere hujusmodi Oratoria ad divinum cultum tantùm dicata, si pro negotiis monasteriorum extra claustra degerint, voluerintque Oratoria habere, oportere item dixit S. Congregatio prius ab Ordinario ut diximus, approbari. In ipsis verò præter Missas, etiam divina officia celebrare, verbum Dei prædicare, & confessiones audire absque Ordinarii licentia, cùm præsertim in illorum Monasteriis observantia non vigeat, non posse. Monialibus verò in Oratorio in infirmaria constructo celebrandi licentiam omninò denegandam censuit Sac. Congregatio, cùm talis casus omninò non comprehendatur in *cap. Periculoso de Stat. Regul. in 6.* nec in cæteris Constitutionibus Summorum Pontificum. Huc non abs re erit adducere, quod Episcopo instanter petenti reconciliari Ecclesiam unà cum Cœmeterio, in qua Parochus celebrans, cùm posset à circumstantibus defendi, fuerat occisus, Sacr. Congregatio consulto Gregorio XIII. dixerit, reconciliandam, injuncta tamen pœnitentia publica populo, qui potuit prohibere, & non prohibuit.

Neque omninò extra Ecclesiam. Notandum hic fuisse 17
concessum cuidam tricemium Duci, ut in littore maris, aliove loco honesto celebraretur cum altare portatili, quod ipsi in navi liceret circumferre. Item aliis in Ecclesia nondum consecrata cum eodem altare.

Prosequitur decretum: *At nisi prius qui interfint, de-* 18
center composito corporis habitu declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse. Nunc de irreverentia respectu eorum, qui intersunt, & in primis illorum, qui habitu corporis incomposito adsunt, & quasi pro functione electo in Oratorium, ut Missam audiant, accedunt. De hoc habitu incomposito Apostolus reprehendit Corinthios *cap. 1.* quod indecenti habitu ad Sacram mensam, & ad Ecclesiam accedebant, nempè viri coopertо capite, & mulieres non velato capite. Cùmque præceptum Ecclesiæ sit, ut quilibet omni die festo Missam audiat, *can. Omnes fideles, can. Missas de consecr. d. 1.* faceret contra præceptum, cùm intendat Ecclesia, ut iis, quæ dicuntur eo tempore, mente vacent, non modò præsentes ibi sint. Debet autem audiri Missa à principio usque ad benedictionem, *ibidem.* Et notandum, quod ante orationem inquit Ecclesiasticus *cap. 15.* præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Tentat enim Deum, ut habetur in Romano Catechismo is, qui cùm benè orat, malè agit, ut cùm loquatur cum Deo à precibus animus ejus abhorret. Contra mentis distractionem S. Basilius *in regul. brevior.* remedium adhibet, qua ratione aliquis assequi possit, ne mente unquam distrahatur.

Ab Ecclesiis verò musicas, &c. Idem prohibetur *in can* 19
Cantantes d. 92. desumptus à D. Hieronymo *lib. 3. com.*

ad cap.5 Ep.ad Ephes. ibi: *Audiant hæc adolescentuli, audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine liniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, in opere, in scientia scripturarum.* Prohibentur etiam *in 6.Synodo cap.* 15. Cantores Ecclesiastici modulatione inordinata canere, item & in Cabilonensi Concilio *cap.*19. turpia cantica in Ecclesia, sive in porticu canere, de quo nos etiam aliàs. Ex quibus tamen non videtur musica, & cantus honestus, ac devotus prohibitus, ut in *cap.*12. *sess.*24. *de reform.* & *can.non mediocriter de consecr.d.*5.

20 *Item sæculares omnes actiones.* Idem habetur *can.* 76. *sextæ Synodi*, qui intra Ecclesiarum ambitum mercimonia vendi vetat, & *c.Cùm decorem de vit.* & *honest.Cler.* Ludi theatrales etiam prætextu consuetudinis in Ecclesiis vel per Clericos fieri non debent, & *cap.*1. *eod. tit.* & *can.Sacerdotum de consecr. d.*2. In hoc verò Concilii decreto omnes sæculares actiones prohibentur.

21 *Vana, atque adeò profana.* Adde, quod B.Pius V. in principio sui Pontificatus edidit Constitutionem, *incip. Cùm primum Apostolatus officium*, in qua sancivit universaliter contra hujusmodi irreverentiam, & alia, quæ in Ecclesia indecenter peragi solent.

22 *Strepitus, clamores. Ex cap. decet domum Domini de immun. Eccles.in 6.* habetur, quod ingressus ad Ecclesiam debet esse humilis, & insistendum est orationi; humiliter enim ingredimur, & stamus coram Domino temporali. Item quod cessare debeant in Ecclesia clamores, seditiones, & Universitatum concilia, ac laicorum publica parlamenta; subnectens egregiè, qualis esse debeat conversatio in Ecclesia. Item prohibetur in Ecclesia, aut cœmeterio negotiatio, aut Iudicis sæcularis cognitio, & quod locorum Ordinarii debent ibi contenta exequi, nec contra illa dispensare possunt, cùm sint deputati ad exequendum, quibus examinatis censuit Sacr. Congregatio, Iudices etiam Ecclesiasticos, qualis est Vicarius cum adjunctis intra corpus Ecclesiæ non posse jurisdictionem exercere.

23 *Postremò ne superstitioni.* De his, quæ continet abusus ratione superstitionis, quæ importuna, & inepta dicitur religio, lege Tullium *de natur. Deor. lib.*2.

24 *Quam debitis horis celebrent.* Quæ est hora tertia *can. nocte Sancta de consecrat. d.*1. Et hoc servandum præcipuè festis diebus ex Concilio Aurelianen 3. *cap.*14. Nam aliis diebus potest celebrari in parte diei *can.necesse ead. d.* in festo verò Nativitatis Domini licèt presbyteris Missam nocte celebrare. Quadragesimæ, quatuor temporum, & di bus jejunio dicatis hora nona potest Missa celebrari, *can.solent de consecrat. d.*1. Sabbato Sancto, & Sabbato quatuor temporum circa vespertinas horas ab aliquibus Missa celebrari solet. Ex Sacra tamen Congregatione quibusvis Regularium non obstantibus privilegiis nec ante claram diem, nec post meridiem licet sacrum facere.

25 *Neve ritus alios.* Ritus mos est comprobatus in administrandis Sacrificiis. Hinc Rituales libri, in quibus describitur, quo ritu sacra peragi debeant. His verbis tamen ritus singulorum Regularium, ab Ecclesia approbatos minimè tolli, dixit S.Congregatio. Ideòque Regulares sua instituta possunt servare, & dummodò ex concessione Iunocentii IV., sint; ii verò qui lingua Sclavonica celebrari consueverunt, minùs consentanei Concilio Tridentino esse videntur; unde cùm Sacr. Congregatio dubitasset, an appellatione divinorum officiorum comprehenderetur Missa; in concessione enim nihil de celebratione Missæ habetur; audita sententia Cardinalis Sirleti dicentis, Innocentium IV. attestari Missam in lingua Sclavonica à S. Hieronymo compositam, & ab Innocentio approbatam absque illa consuetudine, quod Evangelium in primis latinè recitetur, ut habetur in Epistola, quæ in Bibliotheca Vaticana asservatur, censuit concedendum. Non est autem prætermittendum B.Pium V. statuisse, ne latini græco, & Græci, præsertim si uxorem habeant, Missam latino celebrent ritu, & facultates talia permittentes sustulisse.

26 *Aut aliàs cæremonias.* Cæremoniæ dicuntur, teste Valerio Maximo *lib.*1. *cap.*11. à Cæteribus Etruriæ populis, quasi res æternæ, quibus Religionem procuramus. Hebræi nullum videntur habere proprium vocabulum, & vox cæremonia decreta. vel constitutiones significat. Ita S. Hieronymus vertit *Genes.* 26. *Exod.* 28. quasi dicas servitutem, & cultum Divinum, sicut etiam idem Hieronymus vertit *Exod.*12.27. & 28. Ex quibus colligitur cæremonias esse Regulas, quibus continetur cultus Religionis externus, & generaliter potest etiam Sacramentum appellari cæremonia, sed in duobus differt. Primò, quia Sacramentum non vocatur omnis cæremonia sed ea solùm, quæ ab ipso Deo instituta sit. Quandoquidem & cæremoniæ ab homine, & à natura ipsa aliquando institutæ sunt. Secundò, quia Sacramentum est majus, & illustrius cæremonia, unde baptismum, non cæremoniam vocamus, sed ea quæ ad ipsum baptismi Sacramentum adhibentur, cæremonias vocamus, ut quod fronte signemur, quod ter interrogemur, &c. Cæremoniarum autem genera quinque sunt. Primum respicit eum, cui Religio adhibetur, veluti ara, thus, cùm soli Deo sacrificetur. Secundum pertinet ad eum, qui operatur, cujusmodi sunt omnes vestes Sacerdotales. Tertium intuens res, earumque naturam; hinc fit, ut Cereis, non sevo utamur, cùm materia illa sit fabrefacta ab animali purissimo, Quartum considerans locum, sicut olim nonnisi ad Orientem conversi consueverunt orare. Quintum annotans tempus, veluti cùm quadragesimæ jejunium observamus.

27 Cæremoniarum portò cum ipso homine fuit origo. Cùm enim nulla fuerit gens adeò barbara, quin in animo Deum aliquem esse conciperet, factum est, ut hoc etiam signis quibusdam externis, scilicet cæremoniis ostenderetur, Tertul. *lib. de præscript.* S. Augustl. *lib.*19. *contra Manich. cap.*21. Hæ quidem omninò institutæ sunt partim à Deo, partim ab hominibus, quas Christus traditiones hominum vocavit, partim ab ipsa natura, ut homo flexis genibus Deum oraret, dictavit, ac similia, adeòque verum est, ut nulla fuerit gens, quæ non habuerit cæremonias cum Religione conjunctas. Nulla tamen privata persona, sed Ecclesia tantùm eas potest introducere, ne oriantur schismata, dum non unus eademque ratione, qua alter cultum suum publicè explicat.

28 Earum multiplex est utilitas, quemadmodum enim primò orator sua ipsius actione, & pronunciatione, ita & qui res sacras peragit cæremoniis excitatur. Multùm enim refert, quo loco, qua hora ores. Vnde Psalm. *Media nocte surgebam. Adorabo ad templum sanctum tuum.* Item an silentio, an voce. Et quomodo an expansis manibus Secundò, sicut figuræ, & ornatus orationis excitant auditores, ita adstantes cæremoniæ, S Augustl. *lib.*10. *confes. cap.*33. Tertiò, movent ad ipsum Deum, ut de Publicano habetur in Evangelio, qui percutiebat pectus suum. Dices, animi affectum Deum placasse. Sic equidem. Sed negari non potest, quin ista ex se bona sint, & bonum animi affectum indicent. Hinc S. Cyprianus in *lib. de orat. Domin.* docet, qua compositione corporis orare debeamus, sintque instar picturæ hominibus rudibus Exod.12. *Cùm interregaverint vos filii vestri, qua est ista Religio, dicite, transitus Domini est.* Quartò, sunt veluti Characteres Christianorum. Hac ratione Macchabæi mortem potius subierunt, quàm carnibus suinis vescerentur. Hincque Tertullianus integrum librum scripsit de corona militum; & propterea hæretici nostri temporis conantur cæremonias Ecclesiæ funditùs evertere. Quintò, declarat sensum Ecclesiæ, alioquin non intelligeretur, veluti cum infantes exsufflamus, dum eos baptizare volumus. Sextò, Religionem conservant, ut videre est apud Hebræos, & salvem propensiores ad bonum sunt semper.

Consti-

29 Constituendæ igitur sunt ad Religionem conservandam, & illustrandam, & quæ id non habent purgandæ sunt, ac resecandæ, ut plus habeant emolumenti, quàm ponderis.

Et candelarum certum numerum. Sacra Congregatio Concilii censuit, comprehendi etiam missas ad devotionem aliorum, non ex superstitione, veluti tres de Trinitate, vel quinque de plagis Domini, & similibus cum totidem candelis.

30 *Moneant eumdem populum.* Quia licèt de jure unusquisque teneatur audire Missam in sua Parochia, ut satisfaciat præcepto Ecclesiæ de audienda missa, generalis tamen consuetudo observavit contrarium. Et quod Episcopus non possit contrarium præcipere, docet communis sententia Doctorum in *cap. 2. de Paroch. & in rubr, ejusdem tit.* ac Summistæ *v. missa*, nisi ex contemptu hoc fieret, ut in *d. c. 2.* quia id faciens peccaret mortaliter. Quapropter decretum in quibusdam Conciliis provincialibus Galliæ editum, ut quisque audiret missam festis, & Dominicis diebus in sua Parochia sub pœna excommunicationis ob generalem consuetudinem Galliæ, ut missa talibus diebus in propria Parochia audiatur, retinendum. Regulariter tamen neque pœnis, neque mulctis potest Episcopus populum astringere, etiam in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, ut accedat ad audiendum missam, vel Sacram Concionem in Ecclesia Parochiali. Item nec prohibere Capellanis Confraternitatum, ne in illarum Oratoriis festis diebus missam celebrent. Poterit tamen pro sua prudentia cum Capellanis Confraternitatum agere, ne sint impedimento Parochiis, quominus eorum munus peragant, & monere populum, ut frequenter ad suas Parochias Dominicis diebus saltem, & majoribus festis accedat; Quod etiam cum iis, qui privata habent Oratoria ex concessione servare poterit. Et hæc ex S. Congregatione, ex qua etiam festis diebus solemnibus, quominus missæ celebrentur in Ecclesiis Regularium ante missas solemnes Ecclesiæ Cathedralis, vel Parochialium, Episcopus non potest prohibere, neque similiter ipsis Regularibus, si hujusmodi consuetudo extat in illis partibus, ne in eorum prædictis missis solemnibus faciant confessionem etiam vulgari lingua, & dent generalem absolutionem, & dies festos enuncient quemadmodum à Parochis servatur, Possunt tamen cogi Regularium laici famuli Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum die Paschatis percipere in propria Parochia.

31 *Atque adeò inviolatè servanda* Hinc Regulares etiam, ut superius diximus, quantumvis exemptos comprehendi censuit S. Congregatio. Unde quæ ab Ordinariis locorum circa ea, de quibus in hoc decreto agitur, statuta fuerint, omninò servare tenentur, ipsorumque verò Ordinariorum partes erunt, ut in Ecclesiis dictorum exemptorum ita servetur, censuris Ecclesiasticis, juris tamen ordine servato, ut censuit eadem Sac. Congregatio, quare non ex eo solum, quod Regulares non possunt admittere ad celebrandum in suis Ecclesiis, nisi qui facultatem habent celebrandi, ideòque possunt Episcopi prohibere, ne exteri Sacerdotes admittantur sine licentia, quia hæc prohibitio afficit ipsos Sacerdotes, ex quo resultat, quod Regulares nequeant eos admittere, tanquam non habilitatos, ut ita declarasse S. Episcoporum Congregationem 21. Octobris 1586. & in una Venetiarum 14. Januarii 1625. & Sancti Officii Congregatio 11. Augusti 1649. testatur Pasqualig. *d. decis. 366. nu. 7.* sed afficit directè ipsos etiam Regulares vigore supradicti decreti Sac. Concilii Tridentini, tanquam prohibitio emanata ab Episcopo, uti Delegato Sedis Apostolicæ.

32 Et quoniam multa cum hac causa conjuncta sunt, ideòque non rejectanea, ut argumento litis affinia, puto ad me pertinere, & id disquirere.

CONSULTATIO XLIII.

An, & quibus in casibus Monachi, & Regulares subsint Episcopo? Ubi prius de eorum origine, successione, progressu, & aliis hujusmodi strictim?

MOnachus Græca vox est, & significat hominem solitarium, qui solus vivit, & vitæ solitariæ genus elegit. Unde D. Hieronymus ad Paulinum, Monachum in Vrbibus commorantem, & inter homines viventem, nequaquam suo nomini respondere scribit. *Si cupis*, inquit, *esse quod diceris monachus, id est solus, quid facis in Vrbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Ad Heliodorum verò: *Interpretare*, inquit, *vocabulum monachi, id est tuum, quid facis in turba, qui solus es?* Et ad Rusticum in eamdem sententiam ait: *Quid desideramus Vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* 1

Nomen autem inde sumptum, quod olim pii quidam homines, partim non ferentes Gentilium in Christum blasphemias, partim afflicti ab inimicis Christianæ fidei profugerent aliquò in vastas solitudines, atque ibi viverent; alii gregatim, quos Cœnobitas vocant; alii semotim, quos appellant Anachoretas. Progressu verò temporis, remittente fervore pristino, in Vrbes commigrarunt. Ac testatur sanè D. Ambrosius *Epist. 82.* ad Vercellensem Ecclesiam, *Eusebium ejus loci Episcopum*, qui circa annos Christi 360. floruit, *primum in Occidentem Monasteria in Civitates introduxisse*, ut S. Basilius circa annos Christi 370. in Oriente. 2

At Bellarminus aliter *cap. 1. de monachis* hanc Etymologiam interpretatur, inquiens: *Hieronymus videtur velle nomen monachi propriissimè convenire Eremitis, qui soli habitabant. At non ita esse tum ex eo cognosci potest, quod Eremitæ cœperunt à Paulo primo Eremita, ipso Hieronymo auctore in ejus vita. Nomen autem monachi invenitur apud Dionysium Areopagitam, qui ferè 300. annis Paulum primum Eremitam antecessit; tum ex eo, quod omnes veteres, & ipse etiam Hieronymus in Epistola ad Eustachium de servanda virginitate, nomen monachi tam Eremitis, quàm Cœnobitis voluit esse commune.* Et addit: *Augustinum testari Canticum illud Psalmi 132. de secularibus monachos fecisse, nihilque aliud significare monachum, quàm hominem in tali unitate, & communicate cum aliis ejusdem instituti viventem, ut cum illis omnibus unum cor habeat, & unum, ac solum hominem faciat.* 3

Canonistæ ex *can. placuit* §. *Agnoscat 16. quæst. 6*, monachon dictum putant à Monon, & Achon, quod non tristem hominem, ut dicto Canone explicatur, sed ipsam tristitiam, & dolorem ejusmodi significat. Author Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ Dionysio Areopagitæ adscribitur, *cap. 6.* dicit, monachos vocari inde, quod rebus divisibilibus relictis, monachi; hoc est Deitati soli placere studerent. 4

Sanctus verò Thomas, & S. Bonaventura eos Regulares, & Religiosos appellarunt. Regulares quidem, quod regulæ certæ vivendi addicti sint. Religiosos verò, quod se se totos servitio Dei mancipaverint. 5

Latini monachi nomen retinuerunt, non tamen id ante Ambrosium, & Hieronymum apud Latinum authorem facilè reperies, quod hoc vitæ genus Europæis ante horum tempora ferè incognitum fuerit. Sozomenus certè *lib. 3. cap. 14.* disertè affirmat Thraces, Illyrios, & quotquot Europam incolunt, ante Constantinum Magnum, & aliquandiù post, monasticorum contuberniorum expertes fuisse. 6

Est & Ascetæ nomen frequens apud Basilium, & alios, quod significat exercitatorem. Omnium autem Christianorum, non tantùm monachorum est, se se in virtutum palæstra, ac officina exercere dies ac noctes. 7

Clericorum quoque nomine appellantur monachi, ut patet ex Rubrica, seu titulo *de vit. & honest. Cleric.* ubi in textu agitur de monachis. Volunt tamen in favorabilibus tantùm monachos appellari Clericos, in odiosis non, item quod habeant aliam qualitatem à Clericis secularibus, ut refert Archid. in *cap. statutum de elect.* 8

in 6. Sic etiam in favorabilibus appellatione Ecclesiarum veniunt Monasteria, ut patet *can. Abbati §. hac autem authoritate d.64.* & notatur in *cap.2. de suppl. negl. Pral. in 6.* Appellatione tamen monachorum nunquam veniunt Clerici seculares, quod non competit Etymologiæ vocabuli *can. placuit 16. q.1.*

9 Philosophi denique à D. Chrysostomo, Sozomeno, aliisque Ecclesiasticis scriptoribus appellantur frequentissimè monachi hanc ob causam, quod eum tenent monachi apud Christianos, quem Philosophi apud Ethnicos, ut Nylus testatur in libro, quem de philosophia Christiana inscripsit.

10 Monasterii verò, & Cœnobii nominibus habitationes monachorum, vel solitariorum apud veteres appellatæ sunt. Et Isiodorus in libro *de offic.* hanc dicit esse inter illa differentiam, quod Monasterium possit etiam unius monachi habitatio nuncupari, Cœnobium autem nonnisi plurimorum. Evagrius *lib.1.c.21.* vocat scholam, locum curarum, disciplinæ, & Conventus. Posterioribus seculis, cum monachorum, & monialium pietas muris esset concludenda domicilia, & habitationes eorum *Claustra*, à claudendo appellari cœperunt.

11 Hæc vero consuetudo non primis Christianis adscribenda videtur. Cœpit enim sub Dagoberto demum circa annos Christi 640. Rex enim ille Francorum primus legitur homines exilii, seu pœnæ loco in Monasteria detrusisse, ut est videre in Stumpii Cheronicis *l.3.c.60.* Deinde non solum scelerati, sed innocentes quoque utriusque sexus homines Religionis ergo in monasteria, velut in perpetuos carceres detrusi leguntur. Atque hi eleemosyna, quam pii largiebantur, victitabant, quemadmodum Cœnobiticæ ex certis redditibus, ac annuis censibus victum sibi quærebant, ut liberè possent Deo, ac rebus Divinis vacare. Quod non est intelligendum de primis Cœnobitis; nam illi nullos omnino redditus, seu annuos census, ac proventus habuerunt, sed omnes labore manuum suarum sibi victum, aliaque necessaria comparaverunt. Primi omnium Benedictini monachi post annos Domini 530. villas, agros, prædia, territoria quoque, census annuos, & redditus possidere cœperunt.

12 Monasterii etiam nomen progressu temporis impositum fuit Ecclesiis, quæ Collegia, & Capitula habuerunt Hoc inde originem sumpsit, quod veteres Episcopi, quales fuerunt Basilius, Augustinus, & alii prope suas Ecclesias, aut intra eas Monasteria, ideſt Collegia, seu Cœtus studiosorum, & Doctorum virorum habuerunt, ex quibus plurimi ad Ecclesiarum gubernacula sunt promoti.

13 Origo Monachatus apud Iudæos hæc fuit. Anno ante natum secundum carnem Filium Dei circiter centum, & triginta sub Ioanne Hircano, Simonis filio tres sectæ emerserunt, & confirmatæ sunt hac occasione, quod legis Doctores nimium sibi authoritatis usurparent & singuli doctiores, sanctioresque reliquis & dici, & haberi vellent, quæ diversam à Verbo Dei doctrinam tradebant & sententiis, vestitu item, ac certis ritibus non solum à Sacerdotibus, & Levitis, qui adeo instituti erant, sed inter se ipsos quoque discernebantur.

14 Inter hos primatum facilè tenebant Pharisæi quos Alexandra, Hircani & Aristobuli mater in summam potentiam, ac dignitatem evexerat, eo quod præ aliis scripturarum Sacrarum cognitione, & morum integritate commendarentur. Nam sacras literas sedulò interpretabantur, unde & illos nomen accepisse plerique volunt. Idem enim Pharisæus est, quod Latinis expositor, seu Doctor; licet sint, qui eos à Pharez, ideſt à separatione dictos velint, quod ab aliis profanis hominibus, quorum victum & amictum immundum, & vitam peccatis contaminatam haberi cupiebant, voluerunt esse distincti, ne ab illis ipsi quoque contaminarentur. Vnde Hieronymus adversus Luciferianos, & in quæstionibus Hæbraicis, eos à dissidio sic apellari dicit.

15 In genere quædam capita veræ doctrinæ retinuerunt ex quorum numero hæc fuerunt. Esse Deum, & quidem unum. Venturum esse Messiam, ac multa beneficia in genus humanum collaturum. Legem, & Rempublicam Iudaicam à Deo esse. Semen Abrahæ esse Ecclesiam Dei, animas cum corporibus non interire. Futuram esse resurrectionem, in qua retributio boni, & mali futura sit, & similia. Horribiliter vero errarunt in his præcipuè capitibus. Vnum tantum esse verum Deum & quidem unicam personam crediderunt, *Ioan. 8.* Messiam tantum humanam naturam habiturum putarunt; legis observationem ad externa tantum facta, non etiam ad interiorem, & quidem absolutissimam obedientiam referebant; quædam fato Stoico tribuebant. Hominis enim arbitrium simul asserebant docentes agere, quæ justa sunt, vel negligere majori ex parte in hominis esse potestate, adjuvare tamen in singulis nonnihil Deum, & Fatum. Hinc præcipuus illorum error enatus est, quod docerent, legem divinam potestate liberi arbitrii, seu humanis viribus impleri posse; ideòque ipsi suorum operum meritis, & propriæ justitiæ fiducia elati, gratiam Dei aspernabantur, & Dei justitiam reiiciebant, dum suam stabilire contendebant. Sabbato ita strictè ab omnibus operibus abstinuerunt ipsi, aliosque abstinere docuerunt, ut sanationem ægroti unico verbo factam, & vellicationes spicarum ob urgentem famem grande scelus esse dicerent. Cum publicanis, & peccatoribus non sumebant cibum; lotiones externas plurimas instituebant, quibus non modò corpora sua, verum etiam omnis generis vasa quotidie abluebant, quasi ipsorum etiam animę istis purificari possent; Orationes crebras, easque longas in plateis etiam instituebant; Peregrinationes terra, marique suscipiebant ad faciendum unum proselytum. Non jurabant; decimabant mentam, & anethum, & cyminum, & rutam, & omne olus. Bis in sabbato, & aliàs etiam frequenter jejunabant; Vestes longas gestabant, pitacia chartarum in fronte gerebant, & in sinistro brachio, quibus Decalogus inscriptus erat, & hæc phylacteria dicebantur, quæ dilatabant, ut magis essent conspicua, quæ purpurea dicit fuisse Epiphanius.

Pharisæorum autem septem fuisse genera in Talmude 16
Iudæorum indicatur. Sichimita, Impingens, sanguinem fundens Mortariarius, Pharisæus, ex amore, ex timore. Omnes tamen erant acerrimi virorum Doctorum hostes, & persecutores, ut testatur historia *Matth. 15. Marc. 3. Ioan. 11. & 18.* Erant quoque arrogantes, & ambitiosi, ut qui primos accubitus in cœnis, primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro amarent, *Matth 23.* erant etiam potententes, ac formidabiles. Refert Iosephus *Antiq. Iudaic. lib. 13. cap. 23. Pharisæos apud populum plurimum potuisse, sive exosum aliquem concupiverit ladere sive socium, & amicum juvare. Valdè enim his fidem habuisse vulgus, etiamsi per invidiam de aliquo male loquuti fuerint.* Et *lib. 17. cap. 3.* scribit, *Pharisæos esse genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestum, ut eos apertè etiam impugnare non vereantur interdum. Nam cum universa Iudæorum gens fidem suam jurejurando obstrinxisset Regi, & Cæsari, soli Pharisæi sex millium numerum excedentes, non jurarunt.*

Proximi à Pharisæis Sadducæi fuerunt; qui magnifi- 17
cum sibi nomen à justitia imposuerunt. Zaddikim enim justi dicuntur. Videtur autem inde hæc secta enata, quod Pharisæi immodicis cæremoniis homines onerantes, ipsi hæc vincula nonnihil laxare volebant. Nam, & si à Religione minimè alieni esse vellent, & proinde libros Moysis reciperent, Prophetarum tantum repudiarent, & in plerisque falsis dogmatibus cum Pharisæis consentirent, tamen homines nimium politici, fidei, ac Religionis præcipua fundamenta negabant, providentiam Dei, deinde animarum immortalitatem, & corporum retributionem. Ex quo absurdo, ut fieri solet, multa alia sequuntur, nempè corpora, & animas simul post mortem interire; pios bonorum operum

nullam

nullam retributionem, malos, & sceleſtos è contra nullas pœnas accipere, quàm in hac vita; nullum eſſe infernum, nullum Cœlum, in quo æterna futura ſit vita. Attamen, ut Reſpublica, & pax inter homines conſiſteret, juſtitiæ ſtudendum eſſe docebant, non aliqua futuri præmii ſpe, ſed propter ipſam juſtitiam, aſſeverantes in noſtra ipſorum eſſe poteſtate, ut tam felicitatis nobis ipſi authores ſimus, quàm infortunii, ut Joſephus indicat *antiquit. Judaic. lib.* 13. *c.* 9. & *de bello Judaic. lib.* 2. *cap.* 7. item Matth. *cap.* 22. Marc. *cap.* 12. Luc. *cap.* 20. Hoc utcumque in Ethnicis ex Epicuri Philoſophia ferri potuiſſet, illud verò mirandum, quod à Sadducæorum partibus in populo Dei plurimi ditiores in primis ſteterunt, ut Joſephus *lib.* 13. *cap.* 18. *antiquit.* oſtendit.

18 Inter autem Phariſæos, & Sadducæos magnæ contentiones fuerunt. Multas enim conſtitutiones à majoribus per manus acceptas Phariſæi tradiderunt populo, quæ non ſunt ſcriptæ in lege Moſaica. Sadducæi autem his authoritatem derogantes dicebant, oportere eas tantùm ſervari, quæ ſcripto continentur. Et tamen ſimul ſuas contra Chriſtum aliquoties conjunxerunt operas, eique exitium machinati ſunt, ut eſt legere Matth. *cap.* 16. & 22. Luc. *cap.* 20.

19 His tertii acceſſere Eſſæi, ſeu, ut aliàs vocantur, Eſſeni, quos nonnulli interpretantur Sectatores, vel operarios ab Aſſah, quod ſalutem bonis hominum operibus acceptam ferant, non autem gratiæ Dei. Hi cum effrænem licentiam Sadducæorum, nec Phariſæorum hypocriſim, & ſimulationem ferre poſſent, ſeceſſerunt in ſolitudinem quamdam Palæſtinæ haud procul ab Jericho ubi erant fragrantes Balſami, colles, & horti ad lacum Marian, ſeu Aſphaltiten ſicut Plinius *lib.* 5. *cap.* 17. de ipſis ſcripſit, ibique Monaſticam planè vitam agentes, peculiares ſcholas inſtituerunt, in quibus præter leges ſacras, alias quoque liberales artes, præſertim autem eam philoſophiæ partem, quæ eſt de moribus, diligenter tradiderunt, & exercuerunt. Sed ut rectiùs hoc hominum genus cognoſcatur, legenda eſt Joſephi narratio de Eſſenis *lib.* 2. *cap.* 7. *de bello Judaico*, & *lib.* 18. *cap.* 2. *antiq. Judaic.* De iiſdem ex libro Philonis, quem pro Judæis compoſuit Euſebius *lib.* 8. *de præparat. Evangel. c.* 4. ac ipſe Philo in libro, quem inſcripſit, *Omnis ſtudioſus liber*, multa narrant lectu digniſſima.

20 Ex ea verò narratione Philonis de ritibus, inſtitutis, moribus, & toto vitæ genere Eſſæorum, Euſebius *lib.* 2. *c.* 16. elicere conatur, fuiſſe ritus, inſtituta, & mores monachorum Chriſtianorum temporibus Apoſtolorum. In quam opinionem eum adductum arbitror duabus ex cauſis. Primò, quod Euſebii tempore talis fermè fuit Monachorum vita, qualis Eſſæorum à Philone deſcribitur. Philo autem nihil uſpiam de Chriſtianis ſcripſit, nec ullo verbo in toto illa narratione Chriſtianorum mentionem facit. Tam igitur abeſt, ut Chriſtiani fuerint illi, de quibus Philo ſcribit, ut pertinaciores hoſtes non habuerint Chriſtiani, ut qui cæremoniis Judaicis pertinaciſſimè fuerint addicti, Sozomeno etiam teſte *lib.* 1. *cap.* 12. ut non immeritò Scaliger. *in lib. de rat. tempor.* non tantùm in hac re, ſed etiam in tota Hiſtoria pertexenda, plus judicii, quàm diligentiæ, ac ſtudii requirat in Euſebio.

21 Succedunt Nazaræi. Vox Nazir, vel Nazaræus primum legitur *Gen.* 49. Ubi Jacob fauſta imprecatus Joſepho, *Benedictiones*, inquit, *erunt ſuper caput Joſeph, & ſuper vertice Nazaræi Fratrum ſuorum.* Quod Moyſes repetit *Deuter.* 33. Ea ſignificat ſeparavit ſe, conſecravit ſe, alienavit ſe à profanis uſibus, & ſanctificavit ſe. Erant igitur Nazaræi, qui Valedicentes mundanis rebus, ac profanis negotiis, & celebrem aliquam continentiam, & ſtrictiorem vitam, diſciplinamque inſtituere volentes, ad tempus aliquod ſe ſe totos Deo devovebant, & conſecrabant.

22 De eorum inſtitutis, moribus, & conſuetudinibus *Numer.* 6. ferè per totum caput agitur, ubi tria potiſſimùm ipſis ſervanda præſcribuntur. Primum eſt, ut quidquid inebriare, gulam irritare, procurare libidinem, & ſtatum mentis enervare, vel evertere poſſit, ab eo univerſim abſtineant. Alterum ut nullus effœminatus corporis cultus Nazaræo permittatur, ne fomenta libidinis increſcerent, & ad cuticulæ curam, ac ſenſuum lenocinia corpus aliqua ſui parte pertraheretur; quia igitur molles, & delicati eo tempore caput radere ſolebant, ideò raſio capitum prohibita, & ut promitterent capillos toto Nazareatus tempore mandatum eis fuerat eodem *cap.* 6. *Numer.* Tertium, ne exequiis, & funeribus mortuorum, parentum quoque, & fratrum interſint, quominùs à ſtudio pietatis, & legis divinæ meditandæ abſtrahantur, qua nihil charius amplecti debent Domino conſecrati, ut Dominus ibidem ait.

De Rechabitis autem D. Hieronymus in *Epiſt. ad Paulinum de inſtitutione Monachi*, aliiſque in locis dicit, 23
ut etiam citatur à Bellarmino *cap.* 5. *Rechabitas fuiſſe Patres Monachorum.* Qui iſti fuerint, cujuſve generis, ac ſtirpis, cognoſci poteſt ex libri primi *Paralip. cap.* 2. Ratio vivendi eis præſcripta fuit à Jonadabo filio Rechabi, quæ talis fuit, ſicut ex *c.* 35. Jeremiæ habetur.

Prophetarum filios veteris Teſtamenti D. Hieronymus 24
Monachos facit in *Epiſtol. ad Ruſticum.* Sciendum eſt, Prophetas, uti Samuelem, Heliam, & Heliſæum Collegia inſtituiſſe, in quibus ſimul vivebant plures diſcipuli. His præerant Prophetæ illi. Legitur enim in Hiſtoria Samuelis, ipſum Samuelem præfectum fuiſſe Naioth, hoc eſt Collegio, quod erat extructum in monte Sancto in ipſa Rama. Ejuſdem gymnaſii mentio etiam fit 1. *Samuel* 10. *cap.* Collegio Hierechuntino, & Ramoth Galaad, aliiſque Helias aliquandiù præfuit, deinde Heliſæus, ut legitur 2. *Reg.* 4. & 6. *cap.* Diſcipuli iſti vocabantur *Filii Prophetarum*, quod à Prophetis in vero Dei cultu, pietate, literis, diſciplinis, ac moribus denique erudirentur fideliſſimè.

Ethniciſmus olim innumeras habuit ſacrorum for- 25
mulas, quibus initiati Religionis certam quamdam ſectam conſtituere videntur. Primò occurrunt ſectæ Deæ Syriæ Sacerdotes, qui maleficia Religionis ſpecie provincias peragrando, pecunias, & alias res corradebant. Ii ſimulacra Deorum circumferentes quibuſdam fallaciis vaticinabantur, Deos ſuos propitios offerentibus futuros ſpondebant, multa malitia, multa mentientes, de quibus Apulejus *lib.* 8. meminit, ac ſub perſona Aſini ſui, oppidò quam ſcienter eorum technas, machinas, atque fraudes enarrat. De Dea autem Syria Lucianus libellum ſcripſit, ac de ejus Sacerdotibus lege, quæ habet Polydorus Virgilius *lib.* 7. *de invent. rer.* Videbis, & ridebis.

Dryidæ, ſive Druidæ huc quoque referendi ſunt. Fue- 26
runt illi Gallorum magi, & quidem in ſylvis, ſeu laicis maximè, unde & nomen habere creduntur, habitarunt, ac ſub quercubus philoſophati ſunt. De his ſcribit Cæſar *lib.* 6. *Comment.* de bello Gallico. Hos Imperator Tiberius exegit omni Gallia ſucciſa eorum ſylva, ipſi verò trans Rhenum in Germaniam demigrarunt, Aventino teſte *lib.* 2. *Annal.*

Magnæ Matris Deum Sacerdotes his etiam annume- 27
randi videntur. Galli illi vocati fuerunt à flumine Phrygiæ, authore Feſto, quod qui ex eo bibiſſent, ita fuere inciperent, ut ſe virilitatis parte privarent, unde & ſemiviri dicti ſunt, quia caſtrari, & execti. Eorum magiſter Archigallus dicebatur, ut Giraldus indicat de Diis Gentium *Syntagm.* 4. Videndus Strabo *lib.* 10. ubi dicti Curetas, Corybantes, Dactyli Idæi.

Romulus cum legibus, armiſque Urbem muniviſſet, 28
ne Religio in benè inſtituta Civitate deeſſet, Collegium Fratrum Arvalium, & undecim in eo fratres conſtituit Sacerdotes. De iſtis Alexander ab Alex. *lib.* 1. *c.* 26. Girald. *Syntagm.* 17. ex Fulgentio, Varrone, & Plinio, De Veſtalibus agemus cùm de Monialibus.

Indorum Gymnoſophiſtæ huc etiam referendi videntur, 29
quod nudi in ſylvis vitam egerunt, voluptatum omnium

expertes, quibus vita mortalium corrumpitur. De his D. Augustinus *lib. 15. de Civit.* sic scribit: *Indorum Gymnosophistæ, qui nudi prohibentur philosophari in solitudinibus Indiæ, à generando se cohibent. Hi ab exortu ad Occasum perstare dicuntur, solem contuentes immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die alternis pedibus insidentes. Hi frigora nivium, & æstus flammæ circa dolorem perferunt.* Eadem de iis refert Plinius *lib. 7. c. 2.*

30 Turcis etiam non desunt & sui Religiosi. Eorum magnam turbam habent habitu exteriore, moribus, institutis, ac consuetudinibus inter se differentes. Neque mirum hoc alicui videri debet. Sergius enim, cujus operibus Mahomet in conscribendo suo Alcorano usus est, Monachus Nestorianus fuit, ac propterea suæ professionis homines in Turcica gente cum primis etiam plantare studuit. De hisce Turcarum sectis Joannes Cuspinianus paulò fusiùs ita scribit. Quidam, inquit, incedunt nudi, operientes verenda tantùm, tantam præferentes patientiam, ut quasi impassibiles neque hyemis sævitiam frigore, neque æstatis ardorem calore sentiant. Stigmata, cicatrices, incisiones cutis, ulcerationes æquè ferentes, si quis faciat, insensibiles penè. Quidam eò deveniunt abstinentiæ, & tantam induunt perfectionem, ut rarissimè cibum, ac potum, nonnunquam penitus sine cibo, ac potu degant. Alii magnam paupertatem professi nil de terrenis rebus cogitant, nec in crastinum aliquid reservant. Alii rursus perpetuum silentium tenent, ut muti Czamutlar dicti, nullam cum hominibus conversationem habentes, ac ne provocati quidem summis injuriis, ac tormentis ad loquendum cogi possunt.

31 Dicunt alii, se visiones, ac revelationes, alii raptus, ac ecstases supernaturales habere; quicumque autem in hoc statu degunt *Dermschler*, vel ut Georgievic habet, *Dervischlar*, nominantur, signaque diversæ professionis gestant, quibus internosci possint. Aliqui in capite pennas, quibus significant se meditationibus, ac revelationibus deditos. Aliqui inaures, quibus notant obedientiam in spiritu propter raptus frequentiam. Nonnulli catenas in collo, aut brachiis, quibus violentiam, quam in ecstasi patiuntur, notificant. Nonnulli centones variegatos, quibus paupertatem repræsentant.

32 Varios quoque habent vivendi ritus. Aliqui inter homines conversantur, alii seorsum congregati in modum villæ, plerique in nemoribus, ac locis desertis. Quidam in Civitatibus aquam bajulant in utribus ad bibendum optimam, nihil inde mercedis exposcentes, sed hospitalitatis officium exhibentes. Si quid tamen illis ultrò porrigitur, accipiunt. Habitant aliqui circa sepulchra mortuorum, & ex oblationibus populi vivunt. Mares non servant leges Mahometis particulares, quia uxores aliqui non habent, nec lotiones, nec orationes secundùm cæremonias prædictas faciunt. Fœminæ autem quædam his sese Religiosis clam commiscentes, dicuntur, natos sine virili semine parere, qui Nefesogli vulgò vocantur, quam Diabolico id fieri suggestu feratur; quorum semper duo in magna illa civitate, & ante Constantinopolim captam Sede Regia, quæ Bursa corruptè, Prusi ab antiquis dicta, capillis, vel vestimentis suis omnes infirmitates dicuntur depellere, quia eorum & actio, & vita mirabilis, & supernaturalis censetur. Ob id Christianis illudentes, minimè mirum esse dicunt, si Jesus Christus ex Maria Virgine natus dicatur. Omnes verò Religiosi illi, qui Dermschler vulgò nominantur in magna habentur veneratione, quasi Sanctorum successores, Regnique totius conservatores, & amici Dei, ac Mahometis. Horum opinio est, legem prodesse, sed gratiam Dei, qua hominem salvari oportet, quæ sine merito, & lege sufficiens est ad assequendam salutem, quam ipsi Rach Matallach nominant. Sed nulla ratione, nulla authoritate opinionem suam, prodigiis tantùm, & signis asserunt, multos in sui favorem trahentes, potissimùm, qui spirituales, & devoti sunt.

Sunt, qui Czofilar appellantur, quasi meditationi, vel Spiritualibus exercitiis dediti. Hi quasi successores prophetarum, & patrũ, qui hanc sectam fundarunt, magnæ authoritatis habentur, traditiones patrum allegantes, & per meritum homines salvari asserentes, sive gratia, & lege, quod Percketallach vocant, intenti orationibus particularibus, exercitiis spiritualibus, vigiliis & meditationibus. Nunquam enim orationem intermittunt continuam, quam ipsi Izillaraithmach vocitant. Noctu convenientes in circulo considunt, ac commotione capitum per aliquod tempus repetendo dicunt Layllachillabach. Subjungunt deinde crebrò item repetendo Lahu. Tandem repetunt iterùm Huhu, & quasi examines cadunt, & obdormiunt. Hos maximè illi venerantur, qui generis antiquitatem, & stemma nobilitatis referunt. Efflier Embieler dicti, quorum genus eorum alterius nationis cõmixtionem non accipit, nec à patrum sanctione hujus sectæ unquam recessit. 33

De Japoniorum verò Religiosis, seu monachis in Commentario Patrum Jesuitarum de rebus Indicis, & Japonicis anno 1574. Coloniæ edito Japoniis in novo Orbe habetur narratio, Bontii ab ipsis appellati, qui ampliſſima incolere dicuntur Christianorum ritu monachorum Cœnobia, cœlibem vitam ducere, in phano medio aram excitare, in qua Amidæ signum ligneum, in rosa item lignea considet, præclara ad aspectum, ingentes habere bibliothecas, cœnationes ad cibum unà sumendum, æramenta, seu tintinnabula, quibus ad precationes horarias excitentur; vespere Præfectum certum unicuique argumentum ad meditandum proponere, à media nocte ante aram illam Templi alternantibus choris quasi matutinas recitare preces è Xacæ libro novissimo. Prima luce unà horam singulos meditando consumere, per magna construere peristilia, & in iis Fotoquiorum, quo nomine Japonii quidam Sancti appellantur, sacella, mento, capiteque raso dies per annum festos celebrare multos. Ibidem refertur, eosdem Bontios vita, moribusque esse turpissimos, & omnium mortalium avarissimos, omnesque nosse conficiendæ pecuniæ vias, vendere populo multa chirographa, quorum præsidio se tutos fore à Dæmonibus vulgus existimat. Mutuari etiam nummos, quos in altera vita duplicato reddant fœnore, dareque cautionis causa creditori syngraphas, quas secum è vita discedens deferat ad inferos. Claro eosdem esse ut plurimum genere, eo quod Japonii Proceres multiplici prole onerati, quibus filiis satis amplum patrimonium relinquere se posse diffidant, hos ferè ad Bontiorum numerum aggregent. In expiandis denique suorum manibus Bontios primas tenere, neminemque esse, quamvis pauperrimum, quod ob hanc causam munus aliquod non offerat Bontiis. Mitto aquam lustralem, vascula vaporaria suffimenti causa prunis imposita, multas, & magnas indulgentias, quas populo in concionibus perseveranti, & Cœnobia ipsorum ditanti proponere dicuntur in eodem Commentario. 34

De iisdem S. Franciscus Xaverius Jesuita in Epistola anno 1549. ad suos socios scripta, ita scribit: *Bontii cùm reliquis flagitiis, tum præposteræ libidini turpiter adeò dediti sunt, non modò ut id non celent, sed etiam profiteantur palam, & longo jam usu virorum æquè, ac mulierum aures callum ad tam nefarii sceleris nomen obduxerint; quod tamen vitium cùm à Christianis in eis reprehenditur, tantum abest, ut erubescant, aut doleant, ut etiam apertè rideant eos, & illudant. Permultos habent in Cœnobiis filios Optimatum instituendos literis, horum ætatis flore abutuntur. De Bonziis quidam sunt cultu corporis monachis non absimiles. Vestibus utuntur cinericii coloris, tertio, vel quarto quoque die capillum, ac barbam penitus videntur abradere. Horum laxior etiam est disciplina, mulieres, quibus cum vivunt, ejusdem Ordinis habent cœtus, quas fama consentiens est, prægnantes partum medicamentis abigere.* 35

De

36 De his etiam Gotardus Arthus in *epit. hist. indiæ Oriental.* multa narrat. Vario autem dogmate, multisque mendaciis, in tollenda pariter Dei providentia, & animarum immortalitate desudant. De eorum impietate, Religionis vanitate, & ineptiis, de Talapois in Regno Peguano superioris Indiæ, repræsentantibus nostros Monachos, deque monachis, ac Monasteriis in Candesio Ceilanæ Insulæ Regno Indico, lege ipsum Gotardum in eadem epitome.

37 Nunc de variis generibus primorum monachorum apud Christianos. D. Hieronymus *de custod. Virginitat. ad Eustoch.* indicat tria potissimùm genera monachorum hinc inde per Provincias, præsertim autem in Ægypto ab initio fuisse. Refert idem ex Hieronymo Vincentius *lib. 17. cap. 54. Specul. hist.* Cassianus *lib. 5. cap. 6. & 36. de spirit. Castrim.* item *collat. 18. cap. 4.* Durandus in *rational. divin. lib. 2. cap. 1.* D. Anton. *tit. 16. cap. 1. & 2.* Ottho Frisingensis *lib. 7. cap. 35.* Nec multùm etiam ab his dissentit Evagrius de Palæstinæ monachis scribens *lib. 1. cap. 21.* & Isidorus in *lib. de offic.* ubi sex ordines monachorum facit, qui tamen sub tribus sequentibus facilè comprehendi possunt.

38 Primum genus est Anachoretarum, seu Eremitarum, qui soli per deserta habitant, & ab eo, quod procul ab hominum conversatione in Eremos recesserint nuncupantur, Anachoretæ enim secedere significat. Ita etiam Rabanus *lib. 4 c. 6.* de proprietate sermonis Anachoretas, Et Eremitas pro iisdem ponit. Paymon Abbas apud Cassianum *collat. 18. c. 4.* eos Anachoretas, ideſt, secessores vocat, qui prius in Cœnobiis instituti, in secreta solitudinum loca demum secesserint; cujus professionis se quoque participem esse dicit.

39 Alterum genus est Cœnobitarum, quos Ægyptii Sauses gentili vocant lingua, Latinè in communi viventes possunt appellari, Aul. Gell. *noct. Attic. lib. 1. cap. 9.* Idem Durandus loco citato distinguit inter Anachoretas, & Eremitas, & inquit, Anachoretæ sunt, qui ædificant solitudines, & quamvis in communi vita positi, privatæ tamen contemplationi deserviunt. Eremitæ autem, qui solitariè in desertis degunt.

40 Tertium est, quod Remboth ipsi dicunt deterrimum atque neglectum, de quo egimus in *consult. de immunitate, & exemptione Eremitarum.* De his tribus generibus monachorum Evagrius fusè *lib. 1. cap. 21.* scribit. Ottho Frisingensis *lib. 7. cap. 35.* tria genera Eremitarum, quos etiam Anachoretas, & solitarios vocat, enumerat. Alii sub Priore degentes. Alii vitæ suæ solum Deum testem habere cupiunt. Et qui squalores solitudinum requirant, bestiale ferarum consortium non pertimescant, herba pascantur. Hos Nicephorus *lib. 14. cap. 50.* pabulatores appellat.

41 Sozomenus *lib. 1. cap. 12.* varias variorum opiniones de origine, & primis auctoribus Eremiticæ vitæ enumerat. Quosdam enim Heliam, alios Joannem Baptistam huic instituto, ac Religioni initium dedisse affirmare dicit, sicut etiam refert Nicephorus *lib. 8. cap. 39* Isidor. *in lib. de offic.* Antonin. *lib. 15. cap. 1. §. 1.* Opinor autem, Sozomenum, Patres veteris Ecclesiæ hoc loco innuere, qui suo tempore, & paulò ante vixerunt, quique Heliam, & Joannem Baptistam Eremitarum Principes fecerunt. Hieronymus enim ad Eustochium *de custod. virgin.* de Eremitis differens: *Hujus vitæ*, inquit, *auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiores conscendam, Princeps Joannes Baptista. Et in Epist. ad Paulinum: noster*, inquit, *Princeps Helias, noster Elisæus.* Chrysostomus quoque *hom. 1. in Marcum*; *sicut*, ait, *Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic monachorum Princeps Joannes Baptista est.* Quod defendit Bellarmin. *de monach. cap. 39.* Etsi alii Eremiticæ vitæ institutorem Paulum Thebæum velint anno Christi 260. ut Frisingensis *lib. 4. cap. 5.* Sozomenus *lib. 1. cap. 12.* Unde à Jacobo de Voragine & à Petro de Natalibus Primus Eremita appellatur, & Hieronymus in vita ejus disertè attestatur.

Paulum deinceps alii sunt imitati quamplurimi, non 42
solùm persecutionum, & tyrannorum metu, sed bono zelo, ac pio animi proposito. Quibus haud immeritò annumerari debent clarissima illa lumina Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Hieronymus, aliique Sanctissimi viri. Primus autem, cujus quidem Historiæ meminerunt, qui post Paulum illum Thebæum solitariam vitam egit, Antonius est, qui in Ægypto hoc vitæ genus instituit, unde in alias deinde Regiones propagatum fuit. Hunc Antonium sequuti sunt multi alii, inter quos præcipui fuerunt Hilarion primus Eremita per Palæstinam, & Syriam; Paulus item cognomento simplex, Amon & ipse Ægyptius, Eutychianus, Macarii duo, quorum unus Ægyti, alter Nitriæ deserta incoluit, Pambo, Paphnutius Apollonius, Anub, alii; qui tamen omnes non tam Eremiticam, quàm Cœnobiticam vitam egerunt, instituendo Monasteria, & communitates per Ægyptum, Palæstinam, Libyam, Syriam, Arabiam, aliasque Regiones.

De studiis, moribus, exercitiis, victu, & amictu 43
primorum Eremitarum differunt D. Hieronymus *in vita Pauli, & Hilarionis*, Marcellus *lib. 1. c. 9.* Sabellicus *lib. 2. cap. 2.* Alvarez Guerrero in *Thesaur. Christ. Relig. c. 57.* Sozomenus *lib. 1. cap. 13. & lib. 5. cap. 10. & 15.* Theodoretus *lib. 8. c. 5.* Athanasius *in vita Antonii.*

Utrum autem Eremitica, an Cœnobitica vita præ- 44
stantior sit, ac melior, dissident sententiæ. D. Hieronymus in *Epist. ad Rusticum* pluribus rationibus præfert Eremiticæ vitæ Cœnobiticam. Idem scribit ad Demetriadem; Cutbertus etiam Lindisfarnensis in Anglia primò Anachoreta, Cœnobiticam vitam Eremiticæ prætulit. Eum refert Surius ex Beda *tom. 2. de vit. Sanctor.* Et Carolus Magnus in suis Constitutionibus dicit, *Anachoretas monendos esse, quod melius ipsis sit, si in Congregatione permaneant, quàm ut in solitudine recedant.* Hinc etiam Jvo Carnotensis: *vita solitaria*, inquit, *communi inferior est, quia importunis cogitationibus plena.*

Cassianus autem *collation. 19.* Antoninus *tit. 15. cap.* 45
18. Ottho Frisingensis *lib. 7. c. 35.* Laurentius Surius ex Metaphraste *in Vita Onuphrii* contrarium adstruunt. At Basilius, quem refert Antoninus *tit. 10. c. 4. §. 3.* media incedit via. Idem tamen Basilius, Anachoreticam, seu Eremiticam vitam societati, & communi hominum vitæ, atque etiam eorum cœtibus, & Congregationibus, qui in Urbibus Ecclesiæ Dei serviunt, præfert *Epist. 181.* ad Chilonem Monachum. Id ipsum scribit Chrysostomus *Epist. 1.* Ego autem apud Deum utrumque Monasticæ vitæ genus ejusdem ponderis esse arbitror. Tum quia secundùm voluntatem Dei instituta atque suscepta sunt. Tum verò maximè, quod verbo ejus sunt consentanea, ut probat Bellarm. locis allegatis.

De prima origine Monasticæ, vel Cœnobiticæ vitæ 46
variæ sunt Authorum sententiæ. Adeò antiquam eam Bellarminus facit, ut dicat, quamdam ejus adumbrationem fuisse in lege naturæ ante diluvium. D. Hieronymus originem Cœnobitarum ad Rechabitas, & filios Prophetarum refert *in Epist.* ad Rusticum, & Paulinum. Idem verò Bellarminus ex Historia novi Testamenti probare conatur fuisse annis 300. ante natum Christum monachos in Ecclesia authoritate Athanasii, Damasi, & aliorum, ubi etiam probare conatur, Apostolos primos fuisse monachos, & Cœnobiticæ vitæ authores, rerum omnium communionem instituendo *Act. 4.* profertque denique Patres, quorum plurimos asserere dicit, ab Apostolorum exemplo Religiones monasticas cœpisse. At alii Eremitas, puta Paulum Thebæum, & Antonium Ægyptium Monasticæ vitæ authores constituunt, in qua opinione sunt Hieronymus, Vincentius, Sabellicus, & plures alii. Quomodo autem, & quando in Urbem Romam Monachatus immigrarit, D. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ indicat, & in consolatione ad Pammachium super obitu Paulæ.

Inter classis hujus primæ monachos celeberrimi fuerũt 47

Thabennenſiotæ. Sic eos vocat Vincentius *in ſpecul. hiſt. lib.* 18. *c.* 83. Nicephorus eos Thabennenſes nominat, Author eorum fuit Pachomius quidam Antonii diſcipulus, Amon verò illuſtrator, quippè qui 300 Ordinis hujus monachis præfuit. Nomen habent à loco, in quo habitarunt. In Thebaida enim Provincia Thabenna, ſive Thabennenſis inſula fuit, in qua primò quidem Eremiticam vitam exercuit Pachomius ille circa Conſtantii Conſtantini Magni filii tempora, poſteà verò Cœnobitarum contubernia ibidem inſtituit. Eorum regulam habes apud Sozomenum, *lib.* 3. *cap.* 14. Nicephorum *lib.* 9 *c.* 14. & Vincentium *in ſpec. hiſt. lib.* 18. *c.* 82.

48 Ex ſolitudinibus verò ac cellulis Baſilius Magnus Monachos in cœnobia congregavit, & diſciplinam inſtituit, qua monachi non ampliùs vagarentur, atque fluctuarent, ſed eſſent ſemper unica Religionis forma devincti. Quod *in Monodia* Nazianzenus indicat. Et confirmat id Tapia *in auth. ingreſſi de Sacroſ. Eccleſ.* & Hieronym. Plat. *lib.* 1. *cap.* 22. *de bono ſtat. Relig.* Valentinianus etiam, Theodoſius, Arcadius Imperatores. Lege, quæ in Theodoſiano Codice extat *lib.* 1. *tit. de monachis*, liberos in oppida ingreſſus monachis conceſſerunt. Extat ejus Regula, quam ſuis monachis Baſilius præſcripſit *cap.* 95. comprehenſa. Sunt tamen multi, qui non credunt hanc Regulam veri Baſilii eſſe. Primò, quia ſtylus cùm veris Baſilii ſcriptis non convenit. Secundò, quia Nazianzenus, qui orat. de vita, & obitu Baſilii ſcripta, & monumenta ejus recenſens, hujus Regulæ nec eum quidem verbo, meminit. Tertiò, quia in multis exemplaribus non extat hæc Regula capitibus 95. comprehenſa, ſed quædam alia, quæ tantùm capita 35. habet. Tandem inſunt ei multa, quæ nec cum veri Baſilii ſcriptis, nec cum temporum illorum ratione congruunt. Sed quod ſit vera Baſilii Regula convincitur ex eo ſolùm, quod Ruffinus, qui aliquot annis poſt Baſilium vixit, eam in latinum ſermonem tranſtulit.

49 Sub Regula ſancti Baſilii militaſſe dicuntur ferè omnes Orientales Monachi, & quidam Armenii nuncupati, quorum alii hodie ſub Auguſtini, Regula, alii ſub aliis conſtitutionibus degere affirmantur. Scripſit ad eoſdem Monachos Baſilius Aſceticos ſermones, in quibus etiam Monaſticæ vitæ rationem, obſervationem, & cultum prolixè deſcribit. Quid autem ſint Aſceteria vide, ſi vacat, Budæum in commentariis ad Pandectas, &c.

50 Quod ad Hieronymitas duæ ſunt Hieronymianorum familiæ, quæ utræque D. Hieronymum Baſilii coætaneum ſuum Authorem prædicant. Quidam enim Hieronymiani, alii verò Hieronymitani Eremitani dici volunt. At Polydorus *lib.* 7. *cap.* 3. aſſerit, multas eſſe Congregationes, quæ Hieronymi, & aliorum Regulares ab ipſis editas profiteantur, quas tamen tantum ad fuerit, ut ipſi inſtituerint, ut etiam ne tale quid unquam cogitarint futurum.

51 Credibile igitur aliquot ſæculis poſt Sanctiſſimi viri hujus obitum Chriſtiana quadam pietate aliquos permotos, ut Hieronymi inſtitutum imitarentur, ortamque inde novam quamdam familiam, quæ à Hieronymi nomine Hieronymiani ſint appellati. Quo tempore autem, quove authore hæc familia cœperit, adhuc ignoratur. Polydorus loco præcitato, ubi teſtatur horum inſtitutum longè eſſe diverſum ab eo, quo Hieronymus vixerat, quippè qui nativo amiciuntur colore, pallioque ſuper tunicam rugato, atque ſuperiore parte à ſummo ad imum ſciſſo, ſcortea Zona tunicam ſunicâ ſuccingunt, & ſoleis ligneis pedes puniunt, Sabellic. *Ennead.* 7. *lib.* 7. Hoc verò de Hieronymo, ejuſque diſcipulis nuſquam legitur.

52 De Hieronymianis Eremitanis autem certum eſt, eos circa annum demum Domini 1365. cœpiſſe, authore quodam Petro Gambacita Piſano. Alii authorem eorum conſtituunt Carolum cognomento Granellum Florentinum. Nonnulli etiam Rhedonem quemdam Montiſgranelli Comitem, ut Sabellic. *Ennead.* 6. *lib.* 9. Polydor. *d. cap.* 3. Panvin. *in chron.*

De D. Auguſtini Monachatu ita teſtatur Poſſidonius in vita ejus: *habitaſſe Auguſtinum in Monaſterio à ſe intra Hipponenſem Eccleſiam extructo, ſed cum doctis, & Theologiæ ſtudioſis, vixiſſeque ſecundùm Regulam Apoſtolorum, & ex ſuo illo Collegio dediſſe primò Hipponenſi Eccleſiæ clericos, deinde verò Eccleſiis quibuſdam aliis rogantibus Epiſcopos, viros undequaque doctiſſimos, & piiſſimos.* Legatur *cap.* 5. & 11. *ejus hiſtoriæ.* Hoc ſi adhuc hodie obſervaretur, & ſocietates piorum haberi poſſent, & Collegia benè, rectèque inſtituta, ubi homines, quandiù vellent, probè, ac ſanctè eruditentur, & quoad ſacras literas, & quoad mores. Felix revera fuit Eccleſia Chriſti, quandiù in hoc inſtituto permanſit. Felices fuerunt & Civitates, Regioneſque, quæ talia olim contubernia habuerunt; undè perpetuò valebant benè, ſanctèque eruditis viris abundare, illoſque pro neceſſitate vel ad Eccleſiam regendam, vel etiam interdum ad Rempublicam adminiſtrandam evocare. 53

Etſi Auguſtinianenſium Eremitarum, & Canonicorum origo, & initium in dubium vocetur, ut ipſe quoque Polydorus teſtatur *d. lib.* 7. *cap.* 3. tamen quæ de Canonicis referuntur ab Authoribus aliqua commemoranda videntur. Erant ab initio Ordines monachorum, & Clericorum prorſus diſtincti. A viris autem Religioſis, & piis ad Monaſticæ vitæ imitationem, etiam Presbyterorum, & Canonicorum Collegia inſtituta ſunt, ex quibus Clerici Monaſteriis Eccleſiæ initiati, ac deſtinati, & & presbyteri in Eccleſiæ miniſterio jam conſtituti ad certam, & præſcriptam regulam vitam agerent, quæ quamvis Monaſtica illa paulò fuerit liberior, tamen etiam certis legibus, & canonibus adſtringebatur, undè & vita illa Canonica, & qui eam profitebantur Canonici dicti ſunt, ipſorumque Collegia Monaſteria quoque dicta fuerunt, ob eamque cauſam in antiquioribus Conciliis Monaſteria monachorum, & Clericorum memorantur, atque his præerat Epiſcopus, ut illis Abbas. 54

De authore hujus inſtituti variæ proferuntur variorum ſententiæ. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 188. comprobare nititur, Apoſtolorum eſſe inſtitutum, ſicut etiam refert Polydorus eo *cap.* 3. & Volateranus *lib.* 1. *Antrhop.* D. Thomam ſequuti. Alii hujus Canonicæ vitæ initium ad Urbanum Primum Romanum Pontificem referunt, qui floruit circa annum Chriſti 230. Ideò, quod is conſtituiſſe legitur, ut ex prædiis, & bonis matricibus Eccleſiis collatis Epiſcopi omnes communem vitam degere volentibus cuncta neceſſaria ſubminiſtrent, ſicut legitur in decretali 1. Urbani. 55

Nonnulli D. Auguſtinum hujus inſtituti præcipuum authorem faciunt, qui cùm cœtum quendam piorum virorum congregaſſet, qui extra Urbem, & turbas hominum pietatem exercerent, factus Epiſcopus intra Epiſcopium Monaſterium quoque Clericorum, & presbyterorum, cum quibus communiter viveret, inſtituiſſe legitur. 56

Onuphrius Panvinus in ſuis ad Platinam annotationibus indicat ex Archivis Eccleſiæ Lateranenſis, Gelaſium primum Papam Circa annum 495. Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini Laterani primùm collocaſſe. De origine hujus Ordinis ita ſcribit Sabellicus *Ennead* 9. *lib.* 9. *In hac*, inquit, *tempora*, quibus nimirùm Schiſma ingens inter Benedictum XIII. Gregorium XII. & Alexandrum V. *reponit Canonicorum regularium ortum Philippus Eremitarum apud Friſonariam Lucenſis agri oppidum. Sed hujus fidem elevat inveterata contentio de Eremitanæ, & Canonicæ familiæ ortu, utraque ſuam ad Auguſtinum referens originem. Potuit igitur inſtauratio eſſe verius, quàm origo.* Unde Cranzium *lib.* 4. *cap.* 37. *Metropol.* Vincentium *in ſpecul. hiſt. lib.* 26. *c.* 51. Antoninum *tit.* 15. *c.* 17. Panvinium *in Chron.* Gilbert. Cognat. *lib.* 3. & alios. De ipſorum Canonicorum reformatione agitur in Concilio Moguntino anno 813. ſub Carolo celebrato, & apud Trithemium in Chron. Hirſaugenſi *fol.* 41. Synodum Educenſem circa annos 57

Domini

Domini 1083. relatum *can.* 19. *quæst.* 3. Synodum Colonienſem anno 1260. celebratam *can.* 7. Poſt annos Domini 1300. hic ordo inſtauratur, & in plures familias diducitur circa annos Chriſti 1380. ut refert Antoninus dicto *tit.* 15. *cap.* 17. eo enim tempore exorta eſt Congregatio Canonicorum Servatoris, quæ & Scopetina nuncupatur. Alia item Friſonaria, quam & Lateranenſem appellant. Tertia D. Georgii in Alga Venetiis, ut Polydorus indicat dicto *cap.* 3. Eorum veſtitus habetur apud Sabellicum *Ennead.* 7. *lib.* 9. & Polydorum *ibidem*, & Synodum Senonenſem *cap.* 22. ac Volateranum *lib.* 23. *Anthrop.*

58 De Acæmetis autem, vel Studitis hæc extant. Aucta eſt Gennadii Epiſcopi tempore circa annos videlicet 459. Conſtantinopolitana Eccleſia nobiliſſimo Monachorum Cœnobio Acæmetarum, hoc eſt, inſomnium, in quo plurima multitudo habitans monachorum juges die, noctuque pervigiles Deo laudes offerebat tripartito tempore, & monachis ſibi invicem ſuccedentibus. Vocati ſunt iidem Studitæ à Studio viro clariſſimo, qui ejuſmodi Monaſterium erexit, de quo Nicephorus *lib.* 15. *cap.* 23. Ad eum extat luculenta S. Ambroſii *Epiſtola* 58. Geſſit cum Aetio Conſulatum, ut Faſti produnt Conſulares. Eorum inſtituti non fuit author Marcellus, ſed propagator. Verùm Alexander Abbas, ejuſdem Marcelli inſtitutor religioſum illum cultum invenit, ſi vera ſunt, quæ in actis Marcelli referuntur apud Surium die 29. Decembris. Circa annos verò Domini 540. in Neſtoris hæreſim prolapſi ſunt monachi Acæmitæ, & à Juſtiniano Imperatore propterea damnati, à Conſtantino verò Copronymo Monaſterio ſuo ejecti.

59 De ſtudiis autem, exercitiis, inſtitutis, victus item, & veſtitus ratione omnium monachorum lege Sozomenum *lib.* 6. *c.* 38. Evagrium *de Paleſtina monach.* Ephrem *lib.* 2. *de compunct. cord. cap.* 3. *Adhortat. ad monach. operibus Athanaſii annexam*, Ambroſium *Epiſt.* 82. *lib.* 10. Hieronymum *Ep. ad Paulinum*, & *Ep. ad Ruſticum*, & *Ep. ad Euſtoch.* Auguſtinum *lib.* 1. *de morib. Eccleſ. Cath. cap.* 31. *de morib. & exercit. monach. utriuſque ſexus Romæ commorantium*, Baſilium *ſerm.* 2. *exercitatorio de vita ſpirit.* Epiphanium *de diſciplina, & vita Monach.* Chryſoſtomum *homil.* 73. *in cap.* 32. *Matth.* & præ cæteris Caſſianum, auctorem Monaſticæ vitæ in Gallia, qui ab ipſa propemodum infantia inter monachos adolevit, & in utraque genere tam Eremitarum, quàm Cœnobitarum ad extremam uſque vitæ metam perduravit, ac ſtudio Monaſtices ſuſcepit varias, difficiles, & longinquas peregrinationes. Peragravit enim Paleſtinam, Meſopotamiam, & Cappadociam. Inviſit Ægyptum, ac Thebaidos deſerta. Pervenit & ad Nili uſque oſtia. Scythiæ quoque deſerta perluſtravit ſtudio cognoſcendi vitam, mores, inſtituta, & exercitia monachorum hinc inde commorantium, cujus rei locupletiſſimi teſtes ſunt ipſius libri his de rebus conſcripti.

60 Annis poſt Antonium illum Thebæum circiter 166. claruit Benedictus. Is tumultuum, & bellorum, quæ Juſtiniani Imperatoris tempore exorta fuerant, pertæſus, in ſolitudinem abijt, in qua perdiù verſatus, ſe demum Sublacum contulit. Hìc cum à multitudine ob ſanctitatis famam frequenter adiretur, & ei ſolitudine nihil gratius eſſet, poſtremò ejus celebritatis vitandæ cauſa, Caſinum, in quo caſtrum, & ara Apollinis habebatur antiquitus, venit, ubi & Monaſterium, ſeu Cœnobium condidit, ibique ſibi ſedem poſuit, ſparſoſque hinc inde per Italiam, & ſolivagos eo tempore monachos in id Cœnobium, quaſi in unum contraxit, mores, & vitam, quam Baſilius cum certa vivendi forma conſtituiſſet in Oriente, ipſe in Occidente inſtituit anno Domini 530. Volater. *lib.* 21. *anthrop.* Polydoro *lib.* 7. *cap.* 2. ſancto Gregorio *dialogor. lib.* 2. *cap.* 1. & 2.

61 Euſebius Vercellenſis Epiſcopus Monaſteria, & monachos in Civitates introduxit in Occidente primus, ut Ambroſius teſtatur. Idem deinde ab aliis multis in locis factum eſt. Athanaſius enim in Urbem Romam primus invexit monachorum inſtitutionem, idque vitæ genus nobiliſſimæ Romanæ fœminæ conſectari cœperunt. De iis enim Hieronymus *Ep.* 16. *ad Principiam* hæc ſcribit: *Nulla eo tempore nobilium fœminarum noverat Romæ propoſitum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominioſum, & vile in populis nomen aſſumere. Hæc*, Marcella, *ſub Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionem Arianæ hæreſis declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum, Romam confugerant, vitam B. Antonii adhuc tunc viventis, Monaſteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum & Viduarum didicit diſciplinam*, & Baronius *tom.* 3. *Annal. Factum eſt*, inquit, *feliciter, ut Athanaſio propalante, inferretur, ac pariter coleretur in Urbe ſublime illud vivendi genus, cujus in montibus, ac deſertis locis tantùm cernebantur veſtigia.*

62 Sanctus Martinus monachos in Urbes Galliæ tradu-xit primus, ut Baronius teſtatur dicto *tom.* 3. Bonifacius Germanorum Apoſtolus in Urbes Germaniæ, atque Benedictus in Italiæ, aliarumque regionum oppida. Is natus fuit anno Domini 480. venit ad converſionem anno ætatis ſuæ 14. Moritur anno Domini 542. ætatis ſuæ 62. Martii 21. die, ut Trithemius *de vir. Illuſtr. Ordinis Benedictini lib.* 1. *cap.* 1. indicat. Duodecim Monaſteria conſtruxiſſe dicitur, quibus ſingulis unum ex duodecim ſuis Diſcipulis Abbatem dedit, Leo Oſtienſis *in chron. Caſin. lib.* 1. *cap.* 1. His multa alia progreſſu temporis acceſſerunt adeò, ut Ordo, quem inſtituit Benedictus mox à principio, & inde per annos ſexcentos valdè cœpit multiplicari, & uſque in longiſſimas terrarum Provincias dilatari, atque extendi. Atque hic eſt ortus monaſticæ vitæ, & præſertim Benedictinorum Ordinis, ejuſque Monaſteriorum in Europa conditorum, quibus ab hoc initio certatim omnia loca paſſim repleri cœperunt mira hominum cujuſcumque ſtatus ad Sanctimoniam promptitudine, ac prodigioſa liberalitate.

63 Ex his apparet, Benedictum ferè omnium monachorum occidentalium patrem, fundatorem, inſtitutorem, vel ſaltem reſtauratorem Trithemio, & aliis nominati uſque ad tempora Ordinum Mendicantium, hoc eſt per annos ferè 666. à quo tempore, ut Trithemius loquitur, non adeò frequenter Monaſteria fundabantur Ordinis hujus, quemadmodum præteritis temporibus. Suo autem tempore, hoc eſt, circa annos 1580. Monaſteria Ordinis Benedictini Abbates habentia, exceptis Præpoſituris, Prioribus, & Cœnobiis Monialium, ultra quindecim millia fuiſſe idem author refert, & addit; *ſi unuſquiſque ſua poſſideret, tertiam partem Orbis Chriſtiani Benedictum occupare videri potuiſſe.* Prodierunt ex his ejus Cœnobiis multa agmina monachorum toto hoc tempore. Ex ejus ſaltem Diſcipulis Volateranî temporibus 24. extiterunt Romani Pontifices. Cardinales ejuſdem Volaterrani ætate ferè 200. Archiepiſcopos in diverſis Eccleſiis 1600. Epiſcopos 4000. Abbates eruditione, & ſcriptis celebres 15700. Canonizatos, & Sanctorum Cathalogo inſertos, 15600. Volater. *lib.* 21. Trithem. *lib.* 1. *cap.* 4. *de vir. illuſtr. Ordin.* Sabel. *Ennead* 8. *lib.* 2. Genebrard. *in Chronograph.* Sebaſt. Franck. *in Chron.* Ejus Regula eſt 73. Capitibus comprehenſa. Sub ea militant Ordines circiter 23. & maximè nigri, qui vulgò dicuntur Benedictiui, de quibus Joan. Andr. in *Clem. de ſtat. monachor.* Ij ſunt ordo Specuenſis, Carthuſienſis, Ciſtercienſis, S. Vuilhelmi, Scotorum Montis Olivetenſium, album portantium habitum, Cœleſtinorum, Sclavorum, Vallis Umbroſæ, Fontis Ebrandi, Humiliatorum ſub Albo habitu Grandimontenſis, S. Ambroſii, Camaldulenſis, Vallis Scholarium, S. Pauli primi Eremitæ, quem alii ad Auguſtinianos referunt, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis,

S. Justinæ, Sylvestrinorum, Gilbertinorum, & Ordo de S. Burga vidua, ut Trithemius indicat *lib. 3. cap. 3. de vir. illustr. Ord.* His Polydorus *lib. 7. c. 2.* Eremitanos D. Hieronymi annumerat, quos dicit postremò per Martinum V. in familiam Benedicti ascitos fuisse. Qui tamen omnes diverso amiciuntur vestitu, differuntque in traditionibus, & statutis, sunt que omnes exempti præter Silvestrinos, ut Alphonsus Alvarez Guerrero indicat *c. 57.*

64 Præscripserat quidem Benedictus monachis suis Regulam omnibus numeris, ut opinabatur, absolutam, quam etiam simpliciter ab iis custodiri, atque observari voluit. Sed quia tempora mutantur, & nos mutamur in illis, & hæc dies, hæcque ætas aliam vitam, aliosque mores, quàm alia, sæpè postulat, factum est, ut à Synodis, vel necessitate cogente novæ leges sint conditæ, & monachis propositæ, Regula interim salva, & incolumi manente; vel vetus disciplina in usum revocata, cùm ex negligentia collapsa esset & prorsus inculta jaceret, vel denique multa prohibita, & abrogata, quæ à monachis fiebant.

65 Unde in Turonensi tertia Synodo hujusmodi Canon editus fuit. *Monasteria monachorum, in quibus Regula B. Benedicti Patris conservabatur, sed nunc fortè qualicumque negligentia subrepente remissius, ac dissolutius custoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur, ut ad pristinum revertantur statum, & Abbates eorumdem in eodem habitu, ac vita, qua ipsa Regula præcipit, eos incedere, vivere studeant; quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus jam pauci sunt monachi, qui prædicti Patris Regulam suis Abbatibus promissam, habeant. Quippè cum ipsi Abbates magis canonicè, quàm monasticè inter suos conversari videntur.*

66 Hinc in Aurelianensi prima Synodo *cap.* 22. relata *in can. nullus monachorum* 18. *quæst.* 2. sancitur, *ut nullus monachorum, Congregatione Monasterii derelicta, ambitionis, & vanitatis impulsu cellulam construere sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat.* Item, *ut monachi, qui hinc inde vagantur, si inventi fuerint, cum auxilio Episcopi, tanquam fugitivi sub custodiam revocentur.* Et ante hanc Synodum in Agathensi Concilio similiter decretum fuerat, *ne Monachis ad solitarias cellulas liceat à Congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem, asperior ab Abbatibus, regula permittatur.* Extat etiam apud Gratianum *caus. 20. quæst. 4. can. monachum, § servandum*, ubi simul Gratianus indicat, de quibus monachis hoc sit intelligendum, *de religiosè* nimirùm *viventibus, quibus vota specialis abstinentiæ, vel alicujus districtionis, quæ generalem consuetudinem suorum fratrum excedat, sine Abbatis consensu vovere non licet, ne super eos fratres scandalizentur.* Illorum etiam causa hoc statutum esse idem testatur eodem loco, *qui regularem disciplinam subterfugientes, peregrinationis suæ vota sibi assumunt.* Quod nec monacho, nec ulli Clerico licet, ne hac occasione ad sæcularem conversationem redeat. In Aurelianensi autem Synodo ambitionis, & vanitatis causa hoc monachis prohibetur, sicut extat in *can. nullus monachus* 18. *q. 2.*

67 In Synodo Turonensi secunda anno 570. juxta Panvinium celebrata, statuitur *cap. 15. nullus monachorum assumere alium in lectum suum præsumat. Nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint; sed ut locus labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut Præposito gubernante.*

68 Cùmque negligentiores in observatione jejuniorum essent, ita sancitum fuit in dicta Synodo Turonensi secunda *cap. 18. De jejuniis antiqua à monachis instituta serventur, ut de Pascha usque in Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die Fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exactè jejunent. Posteà usque ad Kalendas Augusti ter in septimana jejunent, secunda, & quartà, & sexta die, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Missæ Sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Novembri ter in septimana. De Decembri usque ad Natale Domini omni die jejunent. Et quia inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die Festivitates sunt, itemque prandebant*, excipit triduum illud, *quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres statuerunt, privatas in Calendis Januarii fieri litanias, ut in Ecclesia psallatur, & hora octava in ipsis Calendis Circumcisionis Missa celebretur. Post Epiphaniam verò usque ad Quadragesimam ter in septimana jejunent.*

Divus Gregorius Magnus *in Epistol.* ad Valentinum 69
quemdam Abbatem à Baptismo omninò removit monachos, nec idoneos censuit, qui pueros susciperent ex baptismo. Citatur etiam à Gratiano in *can. pervenit* 18. *qu. 2.* itemque à Sabellico *Ennead. 8. lib. 5.* & Chronico Chronicorum. In Antisiodorensi Synodo quoque anno 614. celebrata *cap. 25.* sancitum fuit, *ne Abbates filios de baptismo levent, nec monachi commatres habeant.* Causa hujus decreti redditur in Glossa ad dictum locum Gratiani, ne scilicet *nimia hac occasione à monachis contrahatur familiaritas cum laicis, & præsertim cum mulieribus*, quas ibidem Gregorius monasteria ob eamdem causam, ne accedere quidem vult.

In Antisiodorensi Concilio etiam Abbatibus, & mo- 70
nachis nuptiarum solemnitatibus interdicitur *cap. 24.*

Decrevit etiam Gregorius Magnus, ne liceat mona- 71
cho sua bona monasterio collata, testamento abalienare. Sic enim inquit. *Ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusmodi Monasterii juris fiant, lib. 7. Epist. 7.*

In Concilio universali Constantinopolitano 6. anno 72
681. celebrato, decretum fuit, *ne monachi intersint ludis theatricis.* Quod jam anteà quoque in Carthaginensi 3. Synodo sancitum fuerat

In Moguntina Synodo, anno 813. habita, decretum 73
fuit *c. 12. & 14. ne monachi judicia sæcularia tractent, nec canes, vel accipitres ad venandum habeant.* Reperitur, & confirmatur hoc in Rhemensi Synodo eodem anno celebrata *cap. 29.* in qua simul præcipitur *c. 26. Ne monachi tabernas ad edendum, & bibendum ingrediantur.*

Reprehendit monachos sæcularia tractantes Hugo *lib.* 74
2. de claustro animæ *cap. 16.* ubi agens de duodecim abusibus, ait: *quod quintus abusus sit monachus Curialis. Qui enim sæcularium hominum consortium diligunt, quique consiliis Principum libenter ingerunt, qui secretorum conscii, & sunt internuntii, curiales possunt appellari. Ordo autem claustri, & ordo Curiæ adversus est valdè. Ibi sedes in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficias innocentem; hic audis: non sedi cum Consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, ut rapias pauperem; hic dicis; Odivi Ecclesiam malignantium; & cum impiis non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus; hic lavas inter Innocentes manus tuas. Ibi pauperum res violenter auferuntur; hic pauperibus sponte offeruntur. Ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur; hic benedicitur justo. Si vis monachus esse curialis, laudas, quod non debes. Quod non expedit, defendis. Quod non licet, operaris.* Hæc ille.

Hoc vitium in monachis notavit etiam Bernardus, 75
qui in *homil. super missus est*, ita dicit: *Qui antea in suo Oppido, vel vico vix cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias, Curias frequentantes, Regum notitias, & Principum familiaritates assecuti sunt.* Excipit autem hìc D. Thomas 2. 2. *q.* 187. *ar.* 2. dilectionem proximi. Eamdem charitatem Monachis impendere licet suis parentibus quoque, si ipsorum auxilio indigent. Debent tamen, quantum possit salva Ordinis sui obedientia, satagere, ut per se, vel per alium suis parentibus subveniatur.

In Synodo Aquisgranensi anno Christi 816. celebrata 76
de monachis multa sunt constituta, quæ ibi legi possunt.

Hinc pleraque monasteria Episcopis erant subjecta 77
cum

cum Abbatibus, & monachis, à quibus etiam visitabantur, & corrigebantur, si quid minus piè, rectèque ab ipsis ageretur. Nam in Aurelianensi prima Synodo *cap.* 21. ita sancitur: *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant: Et si quid extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, can. Abbates* 18. *q.* 2. Citat etiam Gratianus eodem loco ex Aurelianensi quadam Synodo, sed in nulla reperitur, *Canonem, qui præcipit, ut non semel, sed sapius in anno Episcopi monasteria monachorum visitent, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigant.*

78 In Cabilonensi quoque Synodo anno 658. habita *cap.* 22. sancitum fuit, *ut Episcopi monachos à Benedicti regula discedentes in ordinem redigant.* D. Gregorius Magnus etiam constituit, *ut visitandi, exhortandique gratia ad Monasterium, quoties placuerit, Episcopus eat; sic tamen charitatis officium illic impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat, can. visitandi* 18. *q.* 2. Sancivitque Aurelianensis secunda Synodus tempore Vigilii Papæ celebrata, *ut Abbates, qui Episcoporum præcepta contemnant, ad Communionem penitus non admittantur, nisi contumaciam, humilitate suscepta, deponant.* Et Moguntina Synodus sub Vvelfrido ejusloci Episcopo, tempore Pipini Francorum Regis habita, decrevit, *ut monachi ubique Episcopis sunt subjecti, eosque diligant, nec Ecclesiasticis, nec sæcularibus se se negotiis miscere audeant, nisi eos Episcopus ad necessarium aliquod opus evocarit.*

79 Quidquid etiam sine licentia Episcopi ab Abbate de rebus Monasterii venderetur, ad potestatem Episcopi revocandum Agathensis Synodus statuit *cap.* 56. Extatque in *can. in venditionibus* 17. *q.* 4. Qua de re, & Aurelianensis 3. Synodus tale decretum edidit 23. *Abbatibus, Presbyteris, cæterisque ministris, de rebus Ecclesiasticis vel sacro ministerio alienare, vel obligare absque permissu & subscriptione Episcopi sui, nihil liceat. Quod qui præsumpserit, degradetur Communione concessa. Et quod præsumptum, vel alienatum, vel temerè ordinatum est, ordinatione Episcopi revocetur, can. Abbatibus* 12. *qu.* 2. In eamdem ferè sententiam ita quoque precipitur *cap.* 11. Aurelianensis 4. Synodi. Nec licere cuiquam monachorum absque venia Episcopi Monasterium ædificare Concilium Chalcedonense, & Agathense præceperunt *can. quidam monachorum, & de monachis* 18. *q.* 2. Imò ne peregrè quidem eis licebat ire sine Episcopi assensu. Nam in Cabilonensi Synodo *cap.* 15. statuitur, *ne Abbates, vel monachi ad Principem eant sine Episcopi sui concessione sub anathematis pœna.* Ecclesias denique monachorum Episcopo subjectas esse debere in Concilio apud Faventiam celebrato definitum fuit *can. statuendum* 16. *quæst.* 4.

80 Quia verò Episcopi hac sua potestate sæpè sunt abusi, ipsorum audacia non rarò fuit repressa. Nam S. Gregorius Magnus in Concilio quodam Lateranensi decrevit, *ut nullus Episcoporum ultrà præsumat de redditibus, de rebus, vel curtis Monasteriorum, vel de cellis, & villis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo, qualibet exquisitione minuere, vel dolos, vel immissiones, aut violentias aliquas facere; aut in describendis, pervidendisque rebus Monasterii acquisitis, vel datis, acquirendisve ulla occasione se permiscere. Sed si qua causa fortè inter terram venientem suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum evenerit, & pacificè non potuerit ordinari apud electos Abbates, & alios Patres, sive voluntaria dilatione, mediis Sacrosanctis Evangeliis finiatur.* Idem sancivit Herudfordiana Synodus Angliæ *c.* 3. & in Toletana Synodo decretum fuit, ut *Episcopi, si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quicquam de monasterii rebus tentaverint, excommunicentur, can. hoc tantum* 18. *quæst.* 2. In Toletana 7. Synodo *c.* 7. cautum etiam fuit, *ut defuncto Abbate, nihil ab Episcopo auferatur, & aliquid de Monasterii rebus minuatur.* Et Gratianus eodem loco *can. non semel* §. *pro talibus* indicat; *propter Episcopos tales, qui animarum curam non habentes, bona tantùm Monasteriorum in suos usus convertere cupiant, statutum esse, ut Monasteria cum suis rebus penitus sint libera à potestate, & dominio Episcoporum.*

Sæpè etiam Monasteria ab Episcopis, aliisque Clericis occupabantur, & tanquam ab Abbatibus regebantur. Hoc verò prorsus non vult fieri Gregorius Magnus. Sic enim hac de re scribit *lib.* 6. *Ep.* 40. Maximiano Ravennatensi Episcopo: *Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, Monasteria in Ravennatibus partibus constituta, omnino clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis, ea velut in proprietate possideant; quibus non modicum condolentes, decessori vestro literas misimus, ut hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citus præoccupatus, ne hoc onus Monasterio remaneret, fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, ut comperimus, in hujus rei hactenus cessatum correctione est, hac ad vos iterum prævidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora, omnique excusatione submota, ita Monasteria ipsa ab hujusmodi studeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi, qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodò causam, accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda Sancta Missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne vel pro cujuslibet monachi, aut Abbatis promotione, onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est, ut si quispiam Abbatum, aut monachorum ex quocumque Monasterio ad Clericatus Officium, vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius potestatem, ne Monasteria hujus occasionis velamine, ea, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam secundò commonita Sanctitas vestra non differat, ne si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter Monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati Servorum Dei Congregationem subjacere amplius non patimur.* Idem Gregorius decrevit quoque, *ne Episcopus in Monasteriis Cathedram collocet, vel aliquam potestatem exerceat, seu ordinationem, quamvis levissimam faciat, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus.*

81

Imò Politici quoque avaritiæ studio Monasteria, & 82
Abbatias regendas post ea tempora non rarò susceperunt, easque suo nomine gubernandas aliis commendarunt, ipsis interim politico regimini vacantibus, ut est videre apud Annonium *lib.* 5. *cap.* 41. *de gest. Francor.* & Jacob. Meyer. *in Flandric. hist.*

In Turonica secunda Synodo quoque *cap.* 6. sancitur, 83
ne Episcopus Abbatem sine omnium fuorum Abbatum consensu loco ejiciat, & alium per præmia ordinet. Et in Moguntina Synodo præcipitur, ne liceat Episcopo res Monasterii ob peccatum Abbatis tollere, *can. Episcopo* 16. *q.* 6.

Quidam etiam Abbates cum suis monachis, & Mo- 84
nasteriis omni obedientia Episcoporum erant penitus exempti. Nam Gregorius Magnus Monasterio in Suessorum Civitate privilegium dedit, ut tantùm Pontifici Romano pareat, ut est videre in libro ejus 12. *cap.* 32. & Leo Ostiensis *lib.* 1. *c.* 4. indicat, Casinense Monasterium tantùm Romano Pontifici subjectum fuisse, & ab omnium Episcoporum jurisdictione liberatum. Sic etiam Monasterium S. Maximi prope Treverim, Ordinis primùm, & Regulæ Orientalium Monachorum, nunc verò Benedictinæ professionis, quam suscepit circa annum Domini 764. ab Imperatore Constantino sub perpetuò duraturam tuitionem Imperatoriam susceptum est, & adhuc hodie ab omni Archiepiscopali, & Episcopali jugo exemptum in temporalibus soli Imperatori Romano, in spiritualibus soli Summo Pontifici subest. Adrianus Pontifex Maximus hujus nominis primus Andegario Campidonensi Abbati circa annum Christi 780. insigne privilegium dedit, in quo Pontifex Campidonense Monasterium ab omni Episcopali jugo exemptum, & perpetuò liberum esse statuerit. Zacharias etiam, & posteà Benedictus Romani Pontifices, Fuldense Cœnobium

bium sibi solis voluerunt esse subjectum, ut patet ex Epistola Theotonis ad Benedictum Papam, & Harton. ad Leonem.

85 Circa annos etiam Domini 676. Monasterium S. Martini Turoni in Gallia à Theodato Romano Pontifice exemptum esse dicitur ab omni Episcopali subjectione, & gubernatione. Exemplum privilegii hujus profert Baronius *tom.* 8. *Annal.* Quod inter alia sic habet: *Mos, atque traditio Sanctæ Ecclesiæ nostræ plus non suppetat è regimine Episcopalis providentiæ Religiosa loca secernera.* Ex quibus verbis colligit Baronius, cessasse hoc tempore Romanos Pontifices ejusmodi exemptiones, & immunitates concedere Monasteriis. Ex iis verò exemplis Gregorii Magni, & Leonis Ostiensis, quorum paulò ante nuntio facta est, constat, non cessasse, sed subinde durasse hunc morem, & consuetudinem etiam in Romana Ecclesia. Atque hæc res valdè suspectam facit hanc Epistolam, seu privilegium Adeodati Pontificis, præsertim cùm Baronius ipse testetur, Pontificis hujus res gestas alto silentio sepultas esse, unicam hanc Epistolam per Papirium Massonum nuper in lucem vindicatam.

86 Experientia autem docuit, ejusmodi immunitates obfuisse potiùs, quàm profuisse monasticæ observantiæ. Nunquam certè placuit S. Bernardo; quod ex pluribus locis Epistolarum ejus apparet, ut monachi ab Episcopali obedientia hujusmodi privilegiis se subtraherent, ut nos etiam aliàs.

87 A Justiniani Imperio usque ad Conradi primi Imperatoris tempora per annos quadringentos S. Benedicti Ordo Monasticus sub una Regula, iisdemque ferè legibus, moribus, & habitibus per omnes totius prope Occidentis Provincias solus viguit, & in pretio fuit. Ab illo verò tempore, hoc est, post annum à nato in carne Filio Dei nongentesimum hæc Benedictinorum familia, quæ hactenus unica fuit, & sub uno parte militavit, in plures divisa est, quæ etiam cum suis institutis, legibus, habitibus usque adhuc vigent.

88 De hac successione, seu divisione D. Bernardus ita inquit: *Quemadmodum arbor una est in radice, & trunco, multiplex autem in ramis, & fructibus, qui tamen humorem, & vigorem habent à radice & trunco; ita status monachalis in Occidente unus, est ab uno Patre derivans, à radice Regulæ Benedicti habens vigorem, qui tamen processu temporis distinctus est in plures ramos diversarum Religionum monachalium, convenientium in Regula, sed differentium in constitutionibus, additis ad Regulam variis & moribus, & habitibus*, referente Antonino *tit.* 15. *cap.* 14. Ex Anselmi autem Hanelburgensis Episcopi, qui floruit circa annum 1150. quadam Epistola apparet, eo seculo non paucos fuisse, qui hanc veritatem, novitatem, & multitudinem Ordinum monasticorum subinde in Ecclesia exorientium, eamque in varias sectas discerpentium valdè improbarint.

89 Causa verò hujus secessionis in Benedictina familia corruptus, ac deploratus inter monachos status ex Volater. *lib.* 21. anthrop. Quæ causa etiam fuit, ut Summi Pontifices quoque, & Concilia aliquot reformationes multas, ac varias in Ordine instituerint, quo ipsi etiam labescenti Ordini aliqua saltem ratione succurrerent, opemque ferrent. De hac re diligenter scripsit Trithemius *lib.* 1. 6. 8. cum frequentibus *de vir. illustr.*

90 Quod verò ad Mendicantium Ordines, eorum initia valdè exigua, & Ordines pauci numero fuere, sed progressu temporis ita creverunt, ut in infinitum pene procederent. Gregorius Decimus igitur Pontifex Summus anno 1273. vel secundùm Flores temporum anno 1274. Concilium Maximum Lugdunum convocavit, cui interfuerunt, ut Martinus Capellanus, & Lucensis indicant, Episcopi 500. Abbates 60 & Prælati 1000. ex Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Sicilia, Ungaria, Dacia, Bohemia, Polonia, &c. Nominatim autem evocaverat eò Pontifex omnium Mendicantium, quorum jam tum multa, & varia genera erant, primores ex omnibus nationibus, qui omnes tamen, viginti tribus eorum Ordinibus damnatis, ac abolitis, in quatuor dumtaxat eo in Concilio redacti sunt.

Approbati autem hi Ordines mendicantium non simi- 91
liter ab authoribus enumerantur. Volaterranus *lib.* 25. *anthrop.* & Alphonsus Alvarez in suo *Thesaur.* hoc ordine commemorant, ut primum locum dicant tenere Prædicatores, seu Dominicanos. Secundum Minoritas, seu Franciscanos. Tertium Augustinianos. Quartum Carmelitas. Adrianus Dramma verò Gandavus primo loco ponit Augustinianos, secundo Prædicatores, tertio Carmelitas, quarto Franciscanos. Polyd. Verg. *lib.* 7. *cap.* 3. & 4. *de rer. invent.* dicit, Augustinianam familiam primam esse ex mendicantibus, secundam Carmelitarum, tertiam Prædicatorum, & quartam Minorum.

Quæri autem posset, cur ab omnibus Dominicani 92
præponantur Minoritis, cùm Minoritæ ante Dominicanos sint confirmati à Pontifice Romano? Hoc enim certum est, Innocentium Tertium somnio admonitum Ordinem Prædicatorum confirmare voluisse, sed dum scriptioni Regulæ suæ Dominicus occuparetur, Pontifex rebus humanis excedit. Honorius igitur, qui ei in Cathedra successerat, eorum institutum demum comprobavit anno 1216. juxta Vincentium *in specul. hist. lib.* 30. *cap.* 67. Franciscus autem Romam profectus Innocentii Tertii se subijcit judicio. Pontifici non modo vitæ genus, & norma agendorum probatur, sed & facultatem ubivis locorum prædicandi concessit, Vincent. *lib.* 29. *cap.* 98. & 99. Respondet Antoninus *tit.* 24. *cap.* 7. quantum ad quandam concessionem simplicem habitus, & modo illius vivendi, & quasi permissionem, fuisse prius institutum Ordinem Minorum per Innocentium Tertium. Quantum verò ad solemnem approbationem per Bullas Apostolicas authenticè fuisse prius Ordinem Prædicatorum confirmatum ab Honorio; hocque probare conatur ex literis Honorii Minoritis datis. Continent autem illæ non confirmationem, sed defensionem tantùm contra hostes Ordinis Minoritarum.

Et quamvis olim, attento jure communi Regulares 93
omnes pariter, ac Clerici seculares Episcopis subdebantur, prout ex sacris Canonibus, & Conciliis constat, modo tamen ab eorum jurisdictione sunt exempti ex multis privilegiis Apostolicis, quæ observari jubentur per *cap. nimis iniqua, & cap. nimis prava de excess. Prælat. & Clem.* 1. *eod. tit. & Clem.* 1. *de Regul.* ac demum per S. Concil. Trid. *sess.* 25. *de regul. cap.* 20. Et immediatè subsunt Romano Pontifici, de quibus privilegiis latè Rodriq. *tom.* 2. *q.* 63. *art.* 1. & 2. & 3. Henriquez *de Indulg. cap.* 24. Villalob. *p.* 2. *sum. tr.* 35. *diff.* 4. *à n.* 1. Cespedes integro volumine *de Exempt. Regul.* Lezana tota ferè summa *de Regul.* Peyrinis *in privil. Minim.* Bordonus, Tamburinus, omnesque alii Regulares scriptores, qui pro suis pugnant.

Siquidem Sedes Apostolica quorumcumque Ordi- 94
num Religiosos totaliter exemit ab Ordinariorum jurisdictione etiam ratione delicti commissi, contractus initi, ac rei existentis extra locum exemptum. Et ex Ordinibus Mendicantium Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici habent super hoc amplissimum privilegium à Sixto IV. ut in Constitutione, Mare Magnum appellata, quæ incipit, Regiminis universalis Ecclesiæ edita anno 1474. cujus hæc sunt verba. *Et ne prætextu Constitutionis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri, quæ incipit, Volentes, locorum diœcesani, & alii Ordinarii, aut alii quicumque in personas, & loca fratrum prædictorum sibi jurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus, ne quisquam absque dictæ Sedis speciali commissione, & authoritate in personas, domos, & loca dicti Ordinis fratrum Prædicatorum, utpote prorsus exempta, aliquam præeminentiam, superioritatem, & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumant etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua ageretur, ubicumque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat,*

in

in Bullario *tom.* 1. Idem privilegium exemptionis cum supraſcripta clauſula de verbo ad verbum habent Fratres Minores Ordinis S. Franciſci ab eodem Sixto IV. qui antea fuerat ejuſdem Ordinis Generalis miniſter, ut in Conſtitutione ſimiliter Mare Magnum nuncupata, quæ incipit, *Regimini*, edita eodem anno 1474. prid. Kal. Sept. in Bullar. *tom.* 1. Eamdem clauſulam habent in eorum Mari Magno Fratres Eremitæ Ordinis S. Auguſtini, cujus fit mentio in Conſtitutione Julii Secundi, *Et ſi ad benemerendum* 17. Junii 1508. in Bullario *tom.* 1. Fratres itidem B. Mariæ de Monte Carmelo habent privilegium cum expreſſione dictorum trium caſuum à Clemente VI. ut in literis directis ad Priorem Generalem, & Fratres dicti Ordinis datis Avenioni Pontificatus anno 6. 14. Kal. Auguſti incipientibus *Sacer Ordo veſter*, & ab eodem Sixto IV. in Bulla confirmationis privilegiorum ejuſdem Ordinis data Romæ anno Pontificatus quarto, quæ incipit, *Dum attenta*, in qua ad literam inſerta eſt antedicta clauſula, quæ legitur in literis Prædicatorum, & Minorum. Similiter fratres B. Mariæ Servorum ab Urbano VI. in Bulla edita 7. Idus Aprilis Pontificatus anno ſecundo, à Martino V. & ab Innocentio VIII. in eorum Mari Magno confirmata eximuntur à quacumque Ordinariorum juriſdictione ita, ut iidem Ordinarii non poſſint in ipſos ratione cujuslibet delicti, ſeu contractus, aut rei, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem, aut dominium aut juriſdictionem aliquam quomodolibet exercere.

95 Et cum eadem clauſula exempti ſunt à Sixto IV. Fratres Minimi S. Franciſci de Paulo, ut in Bulla *Sedes Apoſtolica* 6. Kal. Junii 1474. in Bullario *tom.* 1. & eodem modo Clerici Regulares de Somaſcha eximuntur à Greg. XIII. in Conſtitutione edita 1. Id Martii Pontificatus anno 13. & confirmata cum inſertione à Sixto V. in literis incipientibus *Æquum*, Kal. Maij 1585. in Bullar. *tom.* 2.

96 Ex Ordinibus verò non Mendicantium Monachi Caſinenſes ſimiles habent privilegium exemptionis cum eadem expreſſione trium caſuum delicti, contractus, ac rei ab Eugenio IV. in conſtitutione, quæ incipit, *Et ſi quolibet*, edita Bononiæ prid. Kal. Julii 1436. Pontificatus anno 6. Carthuſiani ſi Bonifacio IX. *ut in Conſtit.* quæ incipit *Sacroſancta* 17. Kal. Aprilis Pontificatus anno 2. in Bullar. *tom.* 1. Olivetani ampliſſimum habent exemptionis indultum cum prædicta caſuum expreſſione à Julio Secundo, quod incipit: *Et ſi ad univerſos* prid. nonas Junii 1507. in Bullar. *tom.* 1. & indultum omninò ſimile habent Camaldulenſes à Leone X. in conſtitutione incipiente: *Et ſi à Summo*, edita 4. Nonas Julii 1513. in Bullar. *tom.* 1. Item Canonici Regulares Lateranenſes à Sixto IV. in Conſtitutione; *Dum ad univerſos* 10. Kal. Septembris 1476. in Bullario *tom.* 1. Milites S. Joannis Hieroſolymitani ex Bulla Pii IV. *Circumſpecta* prid. Non. Septembris 1560. in Bullar. *tom.* 2.

97 Et generatim tam Religioſi Ordinis Ciſtercienſis non ſolùm ex *cap. cum Ordinem de reſcript.* Societatis Jeſu ex Conſtitutione Pauli III. incip. *Licèt debitum* edita 15. Kal. Novemb. 1644. in Bullar. *tom.* 1. Pii V. 8. Kal. Junii Pontificatus anno 3. ut in literis expeditis in forma: *Rationi congruit*, Gregorii XIII. in Conſtitutione, *Æquum reputantes* item 8. Kal. Junii 1571. in Bullar. *tom.* 2. quàm etiam cæteri Ordines Regulares Mendicantium, & non Mendicantium ampliſſimas habent privilegiorum communicationes.

98 Et nihilominùs, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis Regulares etiam intra clauſtra degentes ſubſunt viſitationi, aut juriſdictioni Epiſcoporum in caſibus infraſcriptis.

99 Primus eſt in Regularibus, qui, quamvis non exerceant animarum curam perſonarum ſecularium, tamen adminiſtrant perſonis ſecularibus aliquod Sacramentum prævia Epiſcopi licentia, aut in alicujus Sacramenti adminiſtratione de facto abſque ulla authoritate ſe ingerunt ex Conſtitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, quæ Concilii Trid. diſpoſitionem *in cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* ampliavit ad exemptos tam ſeculares, quàm regulares, etiam aliquod Sacramentum adminiſtrantes, ac ſubjecit illos in his, quæ eamdem adminiſtrationem concernunt, plenè in omnibus juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, cùm tamen ex *d. cap.* 11. Epiſcopus habeat juriſdictionem ordinariam, non delegatam in Regulares curam animarum exercentes, ut indicant verba illa, *ſubſint immediatè*. Quod intelligendum eſt, ſi Regulares deliquerint in adminiſtratione alicujus Sacramenti, ut dictam Conſtitutionem Gregorii S. Congregatio Concilii eſt interpretata, approbante ipſo Gregorio.

Secundus, tertius, & quartus eſt, cùm Regulares de- 100
linquunt circa perſonas degentes inter ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa earundem Monialium clauſuram, aut circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium. In his tribus caſibus, etiamſi Monaſteria Monialium ſint ipſis Regularibus ſubjecta, nullis tamen privilegiis, & exemptionibus Regulares tueri ſe poſſunt, quominùs ab Epiſcopo loci, tanquam in hoc, à Sede Apoſtolica delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant, ut ſtatuitur in eadem Conſtit. Greg. XV. §. *Ad hæc.*

Quintus, ſextus, ac ſeptimus habentur in ipſa Con- 101
ſtitutione §. *ac ſimiliter*, ubi indulgetur Epiſcopis, ut poſſit unà cum ſuperioribus regularibus Abbatiſſarum electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere. Et in Regularibus, qui deputari non poſſunt ad audiendas confeſſiones Monialium, etiam Regularium ſubjectarum ſine Epiſcopi approbatione. Et in Regularibus adminiſtrantibus eorumdem Monaſteriorum bona, qui adhibitis Superioribus, tenentur ſingulis annis reddere rationem adminiſtrationis Epiſcopo loci, licetque Epiſcopo ex rationabili cauſa admonere Superiores regulares, ut eoſdem Confeſſores, & adminiſtratores amoveant, iiſque negligentibus, datur facultas Epiſcopo eos amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit, ut ſimiliter ſtatuitur in eadem Conſtit. Gregorii §. *Confeſſores verò.*

Octavus caſus eſt in Regularibus, qui libros de rebus 102
ſacris imprimunt, vel imprimi faciunt ſine nomine Authoris, aut illos vendunt, vel etiam apud ſe retinent abſque Epiſcopi, & ſuorum Superiorum examine, & approbatione. Subijciuntur enim pœnæ anathematis, & pecuniæ, in Canone Concilii ultimi Lateranenſis appoſitæ, atque à Tridentina Synodo innovatæ *ſeſſ.* 4. *de edit. & uſu Sacror. libr.* Eiſdem pœnis illic ſubijciuntur qui ſcriptos communicant, vel evulgant, niſi antea, ut ſupra examinati, probatique fuerint, & qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Authores, pro Authoribus habentur. Quæ omnia univerſaliter ſunt intelligenda, ita ut S. Congregatio cenſuit comprehendi etiam conciones, & omnia. Unde qui in ea committit, debet petere abſolutionem.

Nonus eſt in *cap.* 1. §. *In Monaſteriis ſeſſ.* 5. quo ſta- 103
tuitur, ut in Monaſteriis monachorum, ubi commodè fieri poteſt, lectio Sacræ Scripturæ habetur. Quod ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant. Et inferiùs *in verſ. Et ne ſub ſpem.* ubi diſponitur, neminem ad hujuſmodi lectionis officium tam publicè, quàm privatim admittendum eſſe, qui priùs ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus non fuerit. Quo decreto etiam Monachi comprehenduntur, cùm ab illo *in verſ. Quod tamen* excipiantur tantùm lectores in clauſtris Monachorum.

Decimus caſus eſt in Regulari, qui in Eccleſia ſui Or- 104
dinis ſine benedictione, vel in Eccleſia alterius Ordinis ſine licentia Epiſcopi, aut in alterutra contradicente Epiſcopo, prædicare prohibetur *in cap.* 2. *verſ. Regulares verò ſeſſ.* 5. & *cap.* 4. *ſeſſ.* 24. Verùm Regulares in hoc delinquentes S. Congregatio olim declaravit non ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus regularibus eſſe puniendos.

dos. Postea tamen attributa fuit Episcopis facultas illos puniendi in hoc casu per constitutionem prædictam Greg. XV. §. *Ac demum*. Et advertendum quod si Episcopus tantummodò non impertiatur benedictionem, sed ulterius non procedat, Regularis poterit nihilominùs prædicare in Ecclesia sui Ordinis licentia petita, licèt non obtenta juxta *d. cap. 2. sess. 5.* Sed si non tantùm benedictionem non concedat, sed ulterius etiam progrediatur contradicendo, seu expressè prohibendo Regulari, ne audeat prædicare, tunc non licebit ei prædicare, etiam in Ecclesia sui Ordinis, prout loquitur *d. cap. 4. sess. 24.* ac si contra fecerit, puniri poterit ab Episcopo non in vim Concilii, sed Gregorianæ Constitutionis. Atque ita declaravit S. Congregatio Concilii à Cardinali Episcopo Giennensi consulta, eamque declarationem approbavit Urbanus VIII. per literas in forma Brevis die 30. Januarii 1629 his verbis: *Ad hæc, quod in eisdem prætinsertis literis dicitur* (loquitur de prædicta Constitutione Gregorii XV.) *Regulares non posse verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicare in iis tantùm Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, cùm in aliis Ecclesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licèt non obtenta, ita tamen, ut si Episcopus non modò benedictionem simpliciter non cesserit, verum etiam Regularibus, prohibuerit, quominùs prædicent, tunc illo contradicente, ne in sui quidem Ordinis Ecclesiis liceat illis prædicare, quemadmodum S. Concilii Tridentini decretis salubriter est cautum. Quod si Regulares sive in confessionibus audiendis, sive in prædicando adversus ea, quæ superiùs declaravimus, quoquomodo deliquerint, in vim earumdem prætinsertarum literarum ab Episcopo Giennensi coerceri, & puniri possint, etiam censuris Ecclesiasticis.* Quæ literæ haud fideliter referuntur ab aliquibus recentioribus. Nam verba illa: *Ne in sui quidem Ordinis Ecclesiis liceat illis prædicare*, referuntur sine illa particula negativa *ne*, ut apud August. Barbos. in Collect. *ad cap. 4. sess. 24. de reform. num. 24* & apud omnes ferè scriptores Regulares. Quod multis occasionem præbuit decreta hæc detorquendi in sensus à mente Sacri Concilii prorsus alienos.

104 Undecimus habetur *in cap. 2. vers. si verò quod absit sess. 5.* in Regulari, qui errores, & scandala disseminaverit in populum etiam si in monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicaverit, de quibus *Clem. 1. de privil. & excess. Prael. & Clem. Cupientes de pœn. cap. ad abolendam* & Gloss. *fin. de hæret.* Debet enim ei ab Episcopo munus prædicationis interdici, ut ibi præcipitur. Et huic decreto non censetur revocatum per privilegia post Tridentinum obtenta, nisi in ipsis privilegiis appareat expressa dispositio contraria. Censuitque S. Congregatio, Regulares conciones habere volentes non teneri facere fidei professionem, antequam hoc munus assumant, posse tamen Ordinarios, quo tempore concionandi licentiam ex decreto Concilii *cap. 4. sess. 24.* dabunt Regularibus, exigere ab eis professionem fidei, si ita ipsis expedire videbitur.

105 Duodecimus est circà Conservatores. Nam & si decretum Concilii *cap. 5. in fin. sess. 14.* quoad hoc nominatim excipiat regularia loca; in Constitutione tamen Gregorii XV. de Conservatoribus inter cætera statuitur, ut Regulares, qui secus quam juxta formam ibi præscriptam Conservatores eligere, aut electis uti ausi fuerint, voce activa, & passiva sint ipso jure privati, & illorum Conventus, ac monasteria, eorumque personæ, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causæ interea coram locorum Ordinariis cognosci, ac definiri debeant. Præterea in §. *insuper* decernitur, ut Regulares intra tempus ibi præscriptum Conservatores eligere, ejusque electionis documentum intra dictum tempus penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, ac dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quamdiù Conservatores secundùm formam ejusdem Constitutionis non elegerint, coram iisdem Ordinariis conveniantur. Et infra, ut Conservatores semel deputati durante quinquennio amoveri non possint, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout Regularibus libuerit, approbanda.

Decimus tertius quoad Indulgentiarum publicationem, & eleemosynarum corrogationem, de quibus *in cap. 9. sess. 21.* & nos alibi. 106

Decimus quartus habetur *in cap. un. sess. 22. de obser. & evit. in celebr. miss.* ibi: *Neve patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi.* Quibus verbis sublatum est privilegium ab Honorio III. concessum fratribus Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi in altari viatico, etiam Episcopo non permittente juxta textum *in cap. in his de privileg.* & diximus alio in loco. 107

Decimus quintus est in Regularibus, qui confraternitatum, vel Hospitalium administrationem suscipiunt. Potest enim Episcopus eos cogere ad reddendas rationes administrationis, & in eos, quos culpabiles repererit, ad juris præscriptum animadvertere juxta *cap. 8. & 9. sess. 22.* ut S. Congregatio declaravit. Verùm consulta, an Abbates, Abbatissæ, & Præpositi Regulares, qui habent liberam administrationem suarum Ecclesiarum ex immemorabili consuetudine, teneantur reddere rationem fabricarum suarum Ecclesiarum Episcopo vigore decreti dicti *cap. 9.* respondit: *Non teneri.* 108

Decimus sextus est quoad Confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium existentes, quas Episcopus potest visitare, atque ab illarum administratoribus rationes administrationis exigere ad præscriptum dicti *cap. 8. & 9. sess. 22.* non tamen potest earum Capellas inibi sitas, aut altaria visitare, nisi quatenus Confratrum administrationem concernunt, ut similiter S. Congregatio resolvit. 109

Decimus septimus est quoad interstitia, & examen Ordinandorum *in cap. 11. 12. 13. & 14. sess. 23.* Nam cùm dubitatum fuerit, an dictum *cap. 11. 12. & 13.* quibus disponitur, ut promoti ad Ordines minimè possint ad altiorem gradum ascendere, nisi in susceptis Ordinibus sint versati, Regulares comprehendantur, præsertim eos, qui vel suo instituto, vel alia ratione in sacris Ordinibus se exercere non solent, S. Congregatio censuit, comprehendere; quia *cap. 11.* generaliter loquitur, & eadem ratio subest. Et mentiones de Regularibus *in cap. 12. & 13.* fiunt ad tollendam dubitationem de privilegiis Regularium. Et iterùm disponente *cap. 11. & cap. 14.* ejusdem *sess.* Ordinatos ad minores ordines nonnisi post annum à susceptione postremi Ordinis ad sacros Ordines promoveri debere, nec ad presbyteratus Ordinem assumendum, qui in diaconatu integrum annum versatus non fuerit, nisi utroque casu utilitas, vel necessitas Ecclesiæ aliud suadeat, cùm dubitassent Regulares, an hoc judicium quoad Regulares esset Generalium, & Provincialium Ordinum adeò, ut ipsi utilitate Provinciarum, vel Conventuum inspecta, in hujusmodi casibus valerent dispensare, S. Congregatio censuit, judicium hoc ad Episcopum solùm pertinere, non ad Generales, vel Provinciales Ordinum, posse tamen eos in suis literis dimissorialibus ad Episcopum significare causas utilitatis, seu necessitatis suæ Religionis, ex quibus possit Episcopus judicium suum formare. 110

Decimus octavus est quoad Confessiones sacramentales personarum secularium, etiam Sacerdotum, quas nec Regulares audire possunt, nisi fuerint ab Episcopo approbati, ut *in cap. 15. sess. 23.* Si tamen eas de facto audierint, non possunt puniri ab Episcopo in vim Concilii, ut aliàs censuit S. Congregatio, sed in vim Constitutionis Greg. XV. *de exempt. privil.* ut Sedis Apostolicæ delegato, tanquam delinquentes in administratione Sacramenti pœnitentiæ, si confessiones audiverint aut omninò 111

ninò absque Episcopi licentia, aut illa expirata, vel revocata. De qua re nos alibi, & Constitutio Clementis X.

111 Decimus nonus habetur in *cap. 2. vers. Synodi quoque sess. 24.* quoad accessum ad Synodum Diœcesanam. Quibus autem casibus ex eo decreto Abbates, & Regulares cogi possint ad illam accedere ex sententia S. Congregationis Concilii, dic, quod generaliter decisum est, Regulares omnes, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, teneri, & cogi posse accedere ad Synodum diœcesanam sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum, etiam excommunicationis adeò, ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Episcopos, exemptione non obstante, pertineat. Item jus esse Episcopis dictis Regulares, qui nullis Capitulis subduntur, absolutè cogere ad Synodi observationem. Alios verò curam animarum exercentes ad servanda ea, quæ fuerint decreta circa ipsam curam, & administrationem Sacramentorum.

112 Vigesimus est quoad præfixionem numeri in Monasteriis monialium, de qua in *cap. 3. sess. 25. de Regul.* Verùm Sacr. Congregatio aliàs consulta, an taxatio numeri Monialium Regularibus subjectarum, quæ facienda est ex decreto Concilii *in d. cap. 3.* pertineat ad Episcopum solum, vel ad Superiorem Regularem, respondit pertinere ad utrumque, & ad Ordinarium, & ad Superiorem. Postèà edita fuit Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit, *Deo sacris virginibus*, quæ observanda est.

113 Vigesimus primus habetur in eodem *cap. 3.* in fine *sess. 5.* Ubi Monasteria tam virorum, quàm mulierum de cætero erigi prohibentur sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta. Quo decreto sublata est prohibitio Bonifacii VIII. *in cap. un. de excess. Præl. in 6. & Clem. Cupientes de pœn.* ut censuit S. Congregatio; qua tamen de re extant decreta Apostolica, de quibus *tom. 1.*

114 Vigesimus secundus habetur *cap. 4. sess. 25. de Regular.* in illis verbis: Nec licet Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur.

115 Vigesimus tertius habetur in eodem *cap. 4. in fin.* ubi decernitur, ut Regulares, qui studiornm causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis puniantur.

116 Vigesimus quartus habetur *in cap. 5. in princ. sess. 25. de Regul.* quo innovatur Constitutio Bonifacii VIII. *in cap. Periculoso de Stat. Regul. in 6.* & tribuitur Episcopo, ut Sedis Apostolicæ delegato plenissima auctoritas in his quæ pertinent ad clausuram conservandam, etiam in Monasteriis exemptis. Undè ex sententia S. Congregationis licet Episcopo Monasteria Monialium, etiam Regularibus subjectarum visitare, & singulas Moniales absque Regularium interventu alloqui in concernentibus clausuram, & examinare, & clausuram violantibus pœnam imponere. Item censuit eadem S. Congregatio claves Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum auferendas oeconomis secularibus, & tradendas Episcopo, tanquam Ordinario, cui Concilium custodiam clausuræ Monialium commisit; quod sæpiùs etiam ordinatum fuit à S. Congregatione super Episcopis, & Regularibus.

117 Vigesimus quintus ponitur in eodem *cap. 5. sess. 25. de Regular.* in illis verbis: Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. At hæc facultas postèà in Constitutione B. Pii V. de clausura Monialium restricta fuit ad tres casus dumtaxat, videlicèt epidemiæ, lepræ, & magni incendii; quod verò subnectitur *in d. cap. 5.* ut ingredi intra septa Monasterii nemini liceat sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, quomodò intelligendum sit, aliàs diximus. Illud verò, quod decernitur *in d. cap. 5. sess. 25.* de translatione, & reductione Monasteriorum Sanctimonialium extra mœnia ad nova, vel antiqua Monasteria intra urbes, vel oppida frequentia, non pertinet ad Episcopum, si Monasteria sunt exempta, sed ad eorum Superiores, ut indicant verba illa, *& alii Superiores*, & S. Congregatio declaravit.

Vigesimus sextus *in cap. 7. sess. 25. de Regul.* in quo 118
decernitur, ut si in Monasterio nulla Monialis reperiatur qualitatibus requisitis ad hoc, ut possit eligi in Abbatissam, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Verùm facultas Episcopo attributa educendi Monialem è monasterio ex causa superiùs proposita, sublata fuit per Bullam B. Pii V. super clausura Monialium; quod autem subjicitur in eodem *cap. 7. vers. Si hoc etiam incommodum*, ut Abbatissa eligi possit cum qualitatibus ibi præscriptis, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, hunc habet sensum, ut Episcopi quidem in Monasteriis sibi subjectis tantùm, in aliis verò Superioris consensus exigatur. Et eundem sensum habent verba, quæ ponuntur in fine *d. cap. 7. v. Si verò*; nec non verba *c. 10.* ejusdem *sess. 25.* quibus jubetur, ut præter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur. Hæc enim facultas in Monasteriis Monialium Regularibus subjectarum non pertinet ad Episcopum, sed ad Superiores regulares dumtaxat, ut Sacr. Congregatio respondit ab Archiepiscopo Januensi consulta. Hodie tamen in hoc etiam servari debent quæ præscribuntur in Constitutione Gregorii XV. de exemptorum privilegiis.

Vigesimus septimus est in Monasteriis, quæ generali- 119
bus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Regulares ordinarios visitatores. Nam si intra annum in Congregationem sese redigere neglexerint, licet Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato eos pro prædictis causis convocare; quod si Metropolitanus id exequi non curaverit, Monasteria, eotumque personæ subduntur Episcopo, in cujus diœcesi, sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ut statuitur *in cap. 8. sess. 26. de Regular.*

Vigesimus octavus habetur *in c. 9. ejusdem sess. 25. de* 120
Regul. quo Monasteria Monialium, Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, subijciuntur Episcopo, tanquam ejusdem Sedis delegato.

Vigesimus nonus habetur *in c. 11. sess. 25. de Regular.* 121
in ea parte, in qua disponitur, ut in Monasteriis, quibus imminet cura animarum personarum secularium, aliqui etiam ad nutum amovibiles non deputentur, nisi de Episcopi consensu, & prævio examine per eum, vel ejus Vicarium faciendo. De quo nos aliàs largè.

Trigesimus est *in cap. 12. sess. 25. de Regular.* ubi sta- 122
tuitur, ut censuræ, & interdicta Ecclesiastica etiam ab Ordinariis emanata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.

Trigesimus primus est, ut dies etiam festi, quos in 123
diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur, eodem *cap. 12. sess. 25.* Quod

Trigesimus secundus ponitur *in cap. 13.* ejusdem *sess 15.* 124
de Regul. quo tribuitur Episcopis facultas componendi, appellatione remota, controversias omnes de præcedentia inter Ecclesiasticas personas tam seculares, quàm Regulares cùm in processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus.

Trigesimus tertius ponitur in eodem *c. 13.* ubi statui- 125
tur, ut exempti omnes sive seculares, sive regulares ab Episcopo ad publicas processiones vocati accedere compellantur; quod fieri posse censuit S. Congregatio etiam compellendo eos per pœnas, & censuras Ecclesiasticas, ut alibi fusè probavimus. Nec eo casu absolvi posse à suis

Superio-

Superioribus; quia sunt excommunicationes ab homine, quarum absolutio petenda est à Judicibus, qui eas tulerunt, vel à Sanctissimo. Excipiuntur in fine hujus decreti, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt. Item Gregorius XIII. excipit Regulares, quorum Monasteria distant à Civitate ultra medium milliare.

127 Trigesimus quartus est in Regularibus, qui etsi degant extra claustra, tamen extra ea notoriè cum scandalo delinquunt. Hi enim puniri possunt ab Episcopo juxta terminos *cap. 14. sess. 25. de Regul.* & Constitutionem Clementis VIII. editæ 18. Martii 1569. ideſt cùm Superior Regularis ab Episcopo admonitus delinquentem intra tempus ab Episcopo præscribendum non puniverit, ac de deputatione Episcopum certiorem non fecerit. In qua quidem Constitutione illud etiam adjicitur, ut si Superior sic delinquentem ad aliam diœcesim transmiserit, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præscribendum ad locum, in quo deliquit, illum revocare teneatur; alioquin Ordinarius loci, ad quem transmissus fuit, ab Ordinario loci commissi delicti requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, decretum Concilii exequi, & eum punire possit ac debeat. Extra claustra verò S. Congregatio intellexit Regularem delinquere etiam cùm in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis portis, & solis Regularibus, in ea existentibus delictum sit commissum. Quare dicitur notoriè delinquere, ac extra claustra, si delinquit in Ecclesia, seu Monasterio sui Ordinis, in quo degit ita, ut populo scandalo sit, si pateant portæ Ecclesiæ, & aliis, quàm Regularibus in ea existentibus, delictum committatur. Si verò intra claustra Monasterii, vel in Ecclesia interiori delictum committatur, ex verbis Concilii non videtur procedere hoc decretum, cùm expressè dicat extra claustra; si scandalum tamen notorium dederit, ex identitate rationis videtur idem dicendum. Et advertendum, quod etiam superiore non instante delinquens erit remittendus, & potest Episcopus instare, ut intra terminum à se præfigendum severè puniatur, sicque ad Superiorem transmittat cum actis, quæ apud se repererit. An verò quando extra claustra Regularis delinquit, detinendus sit in carceribus Episcopi, donec processus in Curia Episcopali conficiatur, eoque compilato, instante Superiore, remittendus sit unà cum processu puniendus, vel potiùs non expectata compilatione processus, statim remittendus sit ad Superiorem unà cum eis probationibus, quæ habentur, censeo statim esse remittendum.

128 Trigesimus quintus est in *cap. 16. sess. 25. de Regul.* quo nullæ decernuntur renunciationes novitiorum, nisi fiant cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii intra duos menses ante professionem.

129 Trigesimus sextus habetur in eodem *cap. 6. in fine*, ubi statuitur, ut novitiis à Monasterio ante professionem abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant. Idque, ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

130 Trigesimus septimus est quoad voluntatis puellarum Deo dicandarum explorationem ab Episcopo faciendam ex decreto 7. ejusdem sess. tam ante habitus susceptionem, quàm ante professionem, si puella sit major duodecim annis, at si minor duodecim annis sit, ante professionem dumtaxat. Ita enim hunc textum S. Congregatio interpretata est, cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, tenetur Præfecta Monasterii eum ante mensem certiorem facere, alioquin suspensa est ab officio, quandiu Episcopo videbitur.

131 Trigesimus octavus est in *cap. 19. sess. 25. de Regul.* ubi statuitur, ut Ordinarius debeat adhiberi unà cum Superiore Regulari in judicio nullitatis professionis. Quem textum Sacr. Congregatio declaravit, habere locum, sive professus nullitatem suæ professionis alleget, sive Religio velit illum expellere tanquam nulliter profes-sum.

Trigesimus nonus ponitur *in cap. ultim. sess. 25. de Regul. in fine*, ubi Capitulis generalibus deficientibus exequi decreta illius sessionis disponitur, ut Concilia provincialia per deputationem aliquorum ejusdem ordinis provideant. 132

Quadragesimus habetur *in cap. 13. sess. 25. de reform.* quo decernitur, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta quarta funeralium Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac posteà fuerit ex quocumque privilegio aliis Monasteriis, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integrè Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur, non obstantibus privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis. De qua re est sermo *in cap. ult. de testam.* & tradunt Doctores *in tit. de sepult. in 6. & Clem. eod. tit.* & in specie *in Clem. quia contingit.* Dixitque S. Congregatio fratres habentes privilegium Julii Secundi non solvendi quartam funeralium, non comprehendi hoc decreto Concilii, & ideò non teneri; quemadmodum etiam dixit manutenendos esse in possessione, qui ex immemorabili tempore exigebat dimidiam partem ceræ, quæ in funeralibus apponitur, dum cadavera tumulantur in Ecclesiis Regularium, & ad tollendum omnem controversiam censuit S. Congregatio hoc decreto non comprehendi Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur; præsuppositio quod hujusmodi Monasteria ejus sint Religionis, cui à Sede Apostolica indultum sit, ut quartam funeralium non teneantur solvere. Onus verò probandi consuetum solutionis quartæ funeralium ante quadraginta annos incumbit Ordinario, aut Parocho ex S. Congregatione, si dictam quartam ipse petat. Personæ autem, quæ Tertiariæ dicuntur, si habitum gestant, & professionem emittunt, & vivunt sub obedientia suorum Superiorum secundùm Regulam approbatam, à Sede Apostolica non tenentur solvere quartam funeralium; si verò ex voto, seu devotione, aut in fraudem dictum habitum gestant, tenentur. De relictis pro Missis defunctorum celebrandis in Ecclesiis Fratrum Observantiæ non licèt Episcopo exigere quartam juxta *cap. fin. de testam.* Advertendum, quod in hoc decreto non agitur de legatis piis; de his autem habetur de jure communi regula, quod de relictis ad pias causas debeatur quarta Cathedrali, *in cap. Requisivisti, & in cap. Officiis de testam. & in cap. Conquerente de offic. ordin.* Bald. *in l. Siquis ad declinandum §. in omnibus num. 19. C. de Episc. & Cler.* nisi occurrat aliqua ex limitationibus *cap. fin. de testam.* Nec prætextu cujuslibet consuetudinis poterit exigi certa pecunia taxata pro sepultura, sed gratis post illationem cadaveris id, quod laudabilis consuetudo introduxit peti poterit, & de hoc quoque nihil agitur in hoc decreto. 133

In privilegiis, quæ concessit B. Pius V. Mendicantibus, ea mens fuit, ut Parochi invitentur, ut quoties eorum parochiani in Ecclesiis Mendicantium sepelirentur, præsentes interfint, ac propterea tertiam partem rerum omnium consequantur, quæ ab hæredibus defunctorum dantur pro funeralibus, quemadmodum *in Clem. dudum de sepult.* sancitum est. Et quoniam abusus irrepserat, ut Parochi prohiberent, ne Regulares absque eorum præsentia mortuorum corpora ad Ecclesias proprias associarent, neque mortuorum hujusmodi officium peragerent, neque absque Rectorum præsentia infirmi condere testamenta, aut aliàs in Ecclesiis Regularium sepeliri poterant; quæ omnia per Bullam B. Pii V. in favorem Regularium editam fuerunt reformata. Sed Gregorius XIII. reduxit omnia ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini, cujus Constitutionem posuit Navarrus in fine sui Manualis. 134

Quadragesimus primus est in Regularibus, qui ob notorium delictum in excommunicationem iciderunt, quos censuit Sacr. Congregatio, posse ab Episcopo publicè denuntiari excommunicatos, ut ab aliis evitentur. 135

Quadra-

136 Quadragesimus secundus est in Regularibus etiam S. Joannis Hierosolymitani, qui in personam Episcoporum delinquunt, Prælatorum jurisdictionem turbant, aut illos impediunt, ne munus suum exequantur. Quibus casibus S. Congregatio censuit, eos citra ullam exceptionem per eosdem Ordinarios legitimè coerceri, & puniri posse, necnon incidere in Bullam, quæ legi consuevit in die Cœnæ Domini. Quam Sacræ congregationis sententiam Gregorius XIII. ad se relatam approbavit; præter quam quoad illud verbum *turbant*, quod visum est nimis generale. Ideò dixit decretum concipiendum esse contra impedientes jurisdictionem Prælatorum. Eodem verbo utitur Alexander III. *in cap. 1. de offic. deleg.* ibi: *Si eos manifestè cognoveris justitiam impedire*, & Innocentius IV. *in cap. 1. de pœn. in 6.* ibi: *Si hac occasione sua impediatur jurisdictio.*

137 Quadragesimus tertius est quoad expositionem Sanctissimæ Eucharistiæ. Decrevit enim S. Congregatio, ut non liceat Regularibus, etiam in propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario. Ex causa autem privata possint, dummodò Sanctissimum Sacramentum è Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat ita, ut ipsa Hostia videri non possit.

138 Quadragesimus quartus habetur in decretis de celebratione Missarum à S. Congr. Concilii edictis auctoritate Urbani VIII. *in §. Deinceps verò* in Bullario *tom. 4.* ubi statuitur, ut Monasteria, & loca regularia posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur: Decreta fuerunt edita anno 1625. die 21. Junii, & publicata die 22. Septembris.

139 Quadragesimus quintus in alia ejusdem Urbani Constitutione, quæ incipit, *In suprema*, edita Idibus Novemb. 1627. qua statutum est, ut cognitio causarum contra personas Ecclesiasticas tam seculares, quàm regulares, quæ monetas aureas, vel argenteas tradunt, fabricant, colorant, vel aliàs adulterant, erogant, aut exponunt, in Italia spectet ad Ordinarios locorum privativè quoad omnes Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitùs exclusis, & quoad loca intra fines alicujus diœcesis, non tamen de diœcesi existentia, ad Ordinarios ipsarum diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint. Quo verò ad ea, quæ extra fines alicujus diœcesis consistunt, ad viciniores eorundem locorum Ordinarios.

140 Quadragesimus sextus est in Conventibus Regularium, qui primùm fuerunt suppressi, & secularizati, ac deinde ex rationabilibus causis ad primævum statum regularem reducti, ac suis Religionibus restituti. Subsunt enim omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, donec habuerit redditus sufficientes, quibus sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi, ut in decreto Innocentii X.

141 Quadragesimus septimus est in Conventibus Regularium nunquam suppressis, in quibus actu non aluntur saltem sex Religiosi, quorum ad minùs quatuor sint Sacerdotes, subjacent namque jurisdictioni Ordinarii similiter, tanquam delegati Apostolicæ Sedis, ut habetur in eodem decreto, cujus tenor refertur à Fagnano *in cap. Relatum nu. 71. ne Clerici, vel Monachi.* Et an jurisdictio in his ultimis duobus casibus censeatur attributa Ordinario privativè ad Superiores Regulares, an cumulativè plenè examinat idem Fagn. *in cap. Quarto de Offic. Ordin.*

CONSULTATIO XLIV.

De Parochialibus etiam Monasterio Regularium unitis, & de cura animarum principaliter ipsi Monasterio incumbenti ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini sess. 7. cap. 7. de reform. & sess. 25. cap. 11. de Regul. Ubi de hac materia subobscura plures textus Canonici, Constitutiones Pontificiæ adducuntur, explicantur, concordanturque.

SAcrum Concilium Tridentinum *in d. cap. 7. sess. 7. de reform.* ita decernit; *Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuò unita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur; qui solicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus, quibuscumque in præmissis minimè suffragantibus.* 1

Per hoc decretum ampliatur, & suppletur *cap. De Monachis extr. de præb. & cap. 1. eod. tit. in 6.* & quod habetur *in Clem. 1. de jurep.* Nam aliquando Summus Pontifex, vel Episcopus propter inopiam Religiosorum concedit eis Ecclesiam quoad temporalia, ut possint percipere redditus, illosque convertere in propriam utilitatem, conservato tamen pristino Ecclesiæ statu, ibique habent præsentationem Rectoris. Sed ut consulatur cultui divino, provisum fuit, ne qui præsentatus à Religiosis per diœcesanum admittatur, nisi ei tantum de Ecclesiæ proventibus fuerit assignatum, ut tam se ipsum, quàm incumbentia onera valeat substinere, *d. cap. de Monach.* quod etiam in exemptos extensum fuit, *d. cap. 1. de præb. in 6.* Imò nec ipsi diœcesani debent præsentatum ad aliquam Ecclesiam admittere, nisi intra terminum ab eis statutum, provisum sit præsentato de idonea portione *d. Clem. 1.* quod etiam habet locum contra exemptos. 2

Quod si cura incumbat certæ personæ, tunc non per Vicarium, sed per ipsam personam cura administranda est. Si verò toto Capitulo immineat ita, ut à singulis vicissim exerceatur, cogendi planè sunt singuli ad eam exercendam, ut notatur *in c. Statutum lib. 6. de præb.* quemadmodum censuit S. Congr., apud quam quæsitum fuit, an Vicarii perpetui constituendi essent in Cathedralibus, Collegiatisque; Ecclesiis, curam animarum habentibus, quam curam temporarii, mercenariique; Capellani consueverunt administrare: respondit Sac. Congregatio, nihil generali lege sanciendum esse, sed singulis quibusve casibus, ubi se offerunt, prout magis se expedire videbitur prospiciendum. 3

In Monasteriorum verò Ecclesiis juxta moderationem Gregorii XIII. Episcopus ad denominationem Monachorum deputare debet unum ex Religiosis prævio examine approbatum, & ad nutum eorundem amovibilem, satisque; erit, si cum tali Vicario unus Monachus habitet, ne plures extra clausuram manere cogantur. In reliquis Constitutio B. Pii V. edita ad favorem Regularium, quatenus disponit de Curatis eorum Monasteriis unitis, etiam illorum mensæ, minimè intelligatur revocata, si Monachi nominare vellent Capellanum secularem Episcopo, sed minimè ad ipsorum nutum amovibilem, quemadmodum S. Congr. censuit. 4

Si verò hujusmodi beneficia curata sunt unita Archidiaconatui, vel aliis Dignitatibus, vel Canonicatibus, censuit eadem S. Congreg., servandam esse dispositionem *cap. Extirpandæ §. qui verò de præb.* Si fuerint unitæ Ecclesiæ curatæ, Hospitali, seu Commendis S. Joannis Hierosolymitani tam circa visitationem, quàm deputationem Vicariorum servanda est Constitutio B. Pii V. edita 12. Sept. 1571. Pontificatus anno 6. 5

6 Deputationem autem Vicariorum perpetuorum non esse faciendam censuit eadem Sac. Congregatio in Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum; ideóque providendum juxta instituta Religionis, nec pertinere hoc decretum ad Ecclesias ipsorum Monasteriorum, quibus imminet curam animarum, sed in iis servandum *cap.* 11. *sess.* 25. *de Regul.* quod si parochialis unita sit perpetuo, & accessoriè beneficio simplici, an sit locus deputationi Vicarii, respondit S. Congregatio, Parochialem ex hac unione assumere naturam simplicis beneficii, nisi cura in ea exerceatur per Vicarium temporalem. Hoc enim indicat, curam non esse suppressam.

7 Et quoad visitationem hoc decretum habere locum tantùm in actu visitationis censuit S. Congregatio, atque Episcopum visitare posse Ecclesias curatas, & Monasteriis, quæ capita Ordinum sunt, unitas. Nec obstare *d. cap.* 11. *sess.* 25. quia ibi excipiuntur Ecclesiæ Monasteriorum, in quibus Generales, aut Capita Ordinum habent Sedem ordinariam principalem.

8 Ac licèt Concilium admittat etiam per Vicarios amovibiles curam animarum exerceri, Constitutio tamen B. Pii V. de Vicariis deputandis in parochialibus unitis sustulit hoc arbitrium Episcopis, & præscripsit formam deputandi Vicarios perpetuos cum taxatione congruæ portionis, sicut S. Congreg. censuit. Sed quæritur, quomodo constituantur Vicarii perpetui? S. Congr. respondit, prævia erectione tituli, & præfixo decem dierum termino ab Ordinariis iis, ad quos nominatio Vicarii spectat ex Constitutione B. Pii V.

9 Portio verò juxta moderationem B. Pii V. assignanda est, in qua computantur etiam incerta, quæ oblationes dicuntur ex pede altaris, cùm comprehendantur illis verbis Constitutionis B. Pii V. videlicet, *computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus*, nisi facta esset institutio illius Vicarii. Sed assignatio hujus portionis fieri non debet partibus non citatis, quando ad vitandam Vicariorum institutionem excipitur de fructuum tenuitate, adeò ut non conficiant portionem assignatam in d. Constitutione B. Pii. Respondet Sac. Congregatio, ubi apparent certi fructus, Constitutionem providere, ut scilicet tot assignari sufficiat Vicariis. Ubi verò non apparent, dentur quinquaginta de suo, cùm verisimile non sit, esse parochialem sine fructibus, atque adeò inutile fuisset illius onus subire; præterquam, si perspicuis probationibus planum facerent nullos omninò parochialis fructus extare.

10 Sed ponamus, quod cura unita Collegiatæ immineat Archipresbytero, & Capitulo, portio ex quibus bonis deducetur pro Vicario? S. Congregatio respondit communiter ex bonis Archipresbyteri, & Capituli portionem assignandam esse. Quæritur etiam, an Vicarius perpetuus constitutus vigore hujus decreti teneatur subire aliqua onera Ecclesiæ, saltem pro rata propter constitutionem B. Pii V. de Vicariis perpetuis; Gregorius XIII. ex relatione Sacræ Congregationis declaravit ex ipsa Constitutione B. Pii omnia onera incumbentia parochiali, in qua erecta sit Vicaria perpetua, pertinere ad ipsum Vicarium perpetuum solùm, nulla autem ex parte ad Ecclesiam, aut Monasterium, aut locum pium, cui unita fuerit ipsa parochialis.

11 Advertendum, quod si fiat hæc provisio in visitatione, non est locus appellationi ad effectum suspensivum. Si fieret extra visitationem cum causæ cognitione, & processu ordinario, appellationem non solùm devolvi, sed etiam suspendi dixit S. Congr. quæ etiam censuit tolli quoq; privilegia in fundatione concessa, & in privilegio visitatio spectaret non ad Ordinarium, sed ad Metropolitanum, aut alium Prælatum, non tamen hoc decreto Concilii Ordinariis tribuitur potestas visitandi loca regularia, quin etiam sublata intelligatur immemorabilis consuetudo deserviendi per Capellanum amovibilem.

Quod verò ad *cap.* 11. *sess.* 25. *de Regular.* ita in eo 12
statuitur: *In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm seculares hujusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates generales, aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent, salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.*

In quod decretum notandum est, quod si ex con- 13
cordia, & sententia excludatur Episcopus à visitatione alicujus Ecclesiæ, placuit S. Congregationi, esse servandum id, quod antea servabatur ex concordia, & sententia; quoniam Concilium per hoc decretum non derogat concordiis. & sententiis.

Cùm autem super parochiali erecta esset domus 14
Monasterii Monialium, dubitatur, an possit Ordinarius prohibere, re cura animarum per seculares exerceatur? S. Congr. censuit, si Monasterium Monialium erectum fuit legitimè super corpus dictæ parochialis, servandum esse hoc decretum, & sic posse curam animarum exerceri per Regularem, qui tamen prævio examine Episcopi fuerit idoneus approbatus, secùs si parochialis esset unita, quia tunc servaretur *c.* 7. *sess.* 7. Item cùm Monasterium Monachorum de Arrigo esset parochialis Ecclesia, & intra terminos suæ parochiæ haberet Ecclesiam de Aldea pendentem ab Ecclesia de Arrigo, Episcopo visitare volenti Ecclesiam de Aldea, Monachi se opposuerunt, S. Congregatio censuit Episcopum non posse visitare Ecclesiam de Aldea ex *cap.* 7. quia quando parochialis constructa in proprio fundo aliam Ecclesiam vicinam, quasi in adjutorium sui, non autem ut sit beneficium per se stans, Rector majoris Ecclesiæ est Rector utriusque, & potest in Ecclesia ædificata constituere Vicarium, Abb. *in cap. Cum Ecclesia nu.* 9. *de elect.* Felin. *in cap. Cum venerabilis nu.* 34. *de rescript.* Poterit autem Episcopus visitare ex hoc decreto, nisi tamen Regulares probarent, se habere in ea spiritualem, & temporalem jurisdictionem juxta hoc decretum.

Cumque dubitaretur, an Abbati S. Benedicti liceret 15
nonnullos sui Monasterii Religiosos ad exercendum curam parochialium Ecclesiarum pro Rectoribus præsentare, subsistit S. Congregatio, etsi id de jure veteri poterat *cap. Monachi*, ubi Abb. *nu.* 2. *de Stat. Monach.* & *cap. Quod Dei timorem*, ubi Abb. *num* 7. 8. & 9. *eod. tit.* Quod Concilium *in cap.* 1. *sess.* 14 in fine videbitur prohibuisse, licèt dici possit dictum *cap.* disponere tantùm in translatis. Ergo in reliquis stabit jus vetus. B. tamen Pius V. in locis, quæ inopia presbyterorum secularium ad curam parochialem idoneorum laborant, concessit, ut Regularibus etiam mendicantibus committerentur parochiales ad tempus, & ideò licentia petenda erit à Papa.

Ad regulam in principio dicti *cap.* 11. positam addu- 16
cuntur tres exceptiones. Prima est Sedes ordinaria Generalis. Itaq; ex hoc decreto in loco, in quo habet suam ordinariam Sedem, poterit absque licentia, & appellatione Ordinarii deputare unum Confessarium, dummodo iste deputatus sit unus ex illis, qui alias

approbati

approbati fuerunt ab Ordinario pro idoneo ad audiendas Confessiones ut *cap.* 15. *sess.* 23. Sicque conciliandum *d.cap.*15. cum hoc decreto 11. *sess.*25. *de Regul.* Si tamen Sedes ordinaria Capitis Regularium non erit in loco, ubi est Ecclesia curata, sed in loco distante ab Ecclesia, quamvis per medium milliare, exceptio ex Congregatione non intrabit. Secunda est. Abbates generales, qui ex Congregatione sunt, hi, qui etiam sint generales; tum quia si Concilium de Abbatibus simplicibus intellexisset, dixisset primùm Generales, deinde capita Ordinum, postremò Abbates; tum quia aliàs dispositio Concilii facilè eluderetur, cùm ferè omnia Monasteria suos habeant Abbates.

17 Tertia est Jurisdictio. Unde Episcopo Squillacensi quærenti, an saltem uti Sedis Apostolicæ delegatus visitare posset Ecclesias curatas, quæ existunt in Oppidis Monasterii Carthusiæ S. Stephani de Nemore tam quoad temporalia, quàm spiritualia subjectis, & per Clericos seculares deserviantur, S. Congregatio respondit, Episcopum Squillacensem non posse; quia licet *c.*8 *sess.*7. faciat pro Episcopo, quia illis curatis deservitur per secularem; in causa Lucana jam declaratum est, hoc decretum comprehendere curatas dependentes à Regularibus, licèt eis deserviatur per seculares. Declaratio S. Congregationis in Lucana est hujusmodi: Episcopus visitare potest omnes parochiales suæ diœcesis, in quibus sunt Sacerdotes seculares, licèt Ecclesiæ sint Regularibus subjectæ.

18 Et advertendum, cùm hoc decretum restringatur ad Regulares tantùm, & ad domos Religiosas, Oppidum, in quo Abbas secularis verè exercet spiritualem, & temporalem jurisdictionem, posse ab eo visitari. Et cùm Abbas Monasterii Pompotiani habeat jurisdictionem spiritualem, & temporalem in Parochos, & Parochianos Insulæ Pompotianæ, in qua tamen sunt aliqui Parochiani, qui quoad temporalia non subsunt ipsi Abbati, sed Ducatui Ferrariæ, S. Congregatio ex facto olim consulta, respondit, quod in ea parte, in qua Abbas habet utramque jurisdictionem, Episcopus abstineat à visitatione. Postea dubitatum fuit, si Episcopus visitare voluerit parochianos existentes in ea parte, quæ subest in temporalibus dicto Ducatui, an id facere possit, etsi in spiritualibus Abbati subjecti sint? Secundò, An Parochus, qui in temporalibus, & spiritualibus subest Abbati, teneatur inquisitus reddere rationem Episcopo de iis, quæ in spiritualibus tantùm Abbati subsunt? Ad primum S. Congregatio respondit, non posse; quia hoc decretum in his non disponit de Parochianis, sed tantùm de personis exercentibus curam animarum, & in his duntaxat, quæ ad eam curam pertinent. Ad secundum respondit, teneri in iis duntaxat, quæ ad curam animarum respiciunt. Item cum inter Archiepiscopum Mediolanensem, & Monachos S. Ambrosii orta esset controversia super jurisdictione, & visitatione trium locorum, quæ deducta ad Congregationem, & sumptis probationibus super exercitio jurisdictionis Monachorum S. Congr. censuit, Monachos sinendos esse in ea quasi possessione, in qua reperiuntur, qua stante, Archiepiscopum illorum Ecclesias in dictis locis sitas, in quibus Monachi utramque jurisdictionem exercent, visitare non posse per hoc decretum, salvis tamen juribus Archiepiscopi tam in possessorio, quàm in petitorio, quibus via ordinaria poterit experiri.

19 Quo loco observanda est differentia inter dictum *cap.*7 *sess.*7 *de reform. & d.cap.*11. *sess.*25. *de Regul.* Illud enim loquitur cum parochiales sunt Monasterio unitæ. Hoc verò cùm cura animarum principaliter ipsi Monasterio incumbit. In casu *cap.*7. potest Episcopus in parochialibus unitis erigere Vicarias perpetuas, si pro bono Ecclesiarum regimine ita expedire judicaverit, prævia tamen erectione tituli, ut dictum est. In terminis verò *d. cap.* 11. Vicarias erigere non potest, sed Regulares pro tempore perficiendi ad curam animarum personarum secularium exercendam in Ecclesia Monasterii, seu etiam in membro Monasterii non unito ex sententia Sac. Congr. non aliter sunt deputandi, quàm ad suorum Superiorum nutum amovibiles. Præterea Vicaria perpetua beneficium parochiale censetur, ubi abdicata est prorsus cura à Rectore, & in Vicarium translata, ut per Doctores *in d. cap. Extirpandæ §. qui verò de præb. & in Clem. unic. de offic. Vicar.* Ideoque eo casu conferri debet prævia forma examinis per concursum, à Concilio præscripta *in cap.*18. *sess.*24. ut S. Congregatio censuit, licèt regulariter in hujusmodi Vicariis concursus non requiratur; at in beneficiis regularibus curatis censuit, non requiri formam concursus, quia de eis extat specialis provisio Concilii *in d.cap.*11. *sess.*25. *de Regular.* Rursus nominationem Vicariorum secularium amovibilium in beneficiis curatis, unitis, censuit spectare ad Episcopos; Vicariorum verò secularium perpetuorum, atque Regularium sive perpetuorum, sive amovibilium in vim certæ Constitutionis à B. Pio V. emanatæ spectare ad eos, in quorum Ecclesiis unitis ipsi Vicarii ponentur, illosque non esse prævio concursu, sed tantùm examine, & approbatione Episcoporum deputandos. Atqui in casu *c.* 11. nominationem Capellani pro exercenda cura Monasterio incumbente indistinctè ad Superiores regulares pertinere.

Et generaliter eadem S. Congregatio dixit, si Mo- 20
nasterium erectum legitimè fuerit super corpus parochialis, servandum esse *d. cap.*11. *sess.* 25. *de Regul.* & sic posse curam animarum exerceri per Regularem, qui tamen prævio examine Episcopi fuerit idoneus approbatus, secùs autem esset, si parochialis esset unita, quia tunc servaretur *cap.*7 *sess.*7.

Cæterùm quid observandum, si parochiales nec sint 21
Monasterio unitæ, nec cura ipsi Monasterio incumbat, liquet ex infrascripta declaratione S. Congregationis, videlicet, utrum in collatione parochialium, quæ Regularibus conferri consueverunt, requiratur examen de literatura, vita & moribus, &c. ita, ut nullæ sint provisiones dicto examine non præcedente? S. Congregatio censuit, hanc rem non esse determinaram ullo textu Concilii; quia *cap.*11. *sess.*25. *de Regul.* loquitur de cura animarum incumbente Monasteriis Regularium, *& cap.*7. *sess.*7. loquitur de unitis. In dubio autem proposito agitur de parochiali, quæ nec Monasterium est, nec unita Monasterio, sed pertinet ad collationem Regularium, tamen ex identitate rationis Patres existimarunt, requiri examen, & approbationem Ordinarii ita tamen, ut nullæ non sint provisiones, sed Regularis possit amoveri, nisi ab Ordinario fuerit examinatus, & approbatus.

CONSULTATIO XLV.

*De Regularibus, & Monialibus ad præscriptum Concilii Tridentini cap.*1. *&* 2. *sess.* 25. *de Regular. ubi de vitæ institutione juxta Regulam, quam professi sunt, deque proprietate ipsis omnino prohibita.*

REgularium triplex est differentia, ex triplici vitæ genere promanans. Contemplativum, activum, mixtum. Contemplativi cum assidua meditatione, & oratione Deo inhærent, perfectioni proximi sunt, & qui hujusmodi vitæ genus profitentur, Monachi dicuntur, sortiunturque nomina diversa inter se, prout in varias dissident institutiones, v.g. Monachi S. Benedicti, S. Basilii &c. Activi actionibus circa proximum, tanquam Dei membra vacantes ipsi Deo inserviunt, & hi sunt, de quibus in Evangelio; *Sitivi, & dedistis mihi bibere.* Sub hoc genere veniunt, qui pro Christianæ Reipublicæ defensione contra infideles militant. Hujusmodi sunt Milites Hierosolymitani, veniuntque sub eodem genere & ii, quorum opera in

Xenodochiis circa ægrotos versantur, & consimiles. Missi, qui ita meditationi, ac contemplationi intendunt, ut actiones quoque, & ministeria amplectantur, Deo maximè sunt accepti, ac Reipublicæ Christianæ maximè prosunt. Ad hoc vitæ genus reducuntur, qui vulgò Mendicantes dicuntur.

2 De his omnibus, cùm noster hîc de Regularibus proponitur titulus, restringitur ad illos tantùm, qui de Religione approbata tria vota substãtialia emittũt juxta tradita per Doctores *in tit. de Regular.* Et licèt alii aliqua promittant, non dicuntur tamen habere Regulam, sed potiùs quemdam vivendi modum. Hinc fit, ut in dispositione odiosa erga Regulares non veniant, qui dicta tria vota substantialia professi non sunt.

3 Advertendum tamen, quod nomen Regularium si strictè accipiatur, cùm Religio strictè sumpta æquiparetur servituti, comprehendit tantùm, quia dicta tria vota substantialia profitentur, si largè etiam Hospitalarios S. Joannis. Cæteri verò milites seu Hospitalarii, qui dictis tribus votis non ligantur, nomine personarum Ecclesiasticarum potiùs nominantur.

4 Nomen autem Monialium cùm in mulieribus idem significet, quod nomen Regularium in viris, Moniales illæ, quæ Canonicæ vocantur, non comprehenduntur in Decretis Trid. Imò cùm tria vota non emittant, earumq; regula approbata non sit, nec Religiosæ dicendæ sunt, sed facilè dici poterit venire sub nomine personarum Ecclesiasticarum, ut per Doctores *in c. Indemnitatibus de elect in 6. & Clem. attendentes de Stat. Monac.*

5 Jubetur autem *in d. cap. 1. sess. 25.* omnibus Regularibus tam viris, quàm mulieribus ad præscriptum Regulæ, quam professi sunt, suam vitam componere. Hinc possunt Superiores Regularium inducere reformationem juxta ipsorum instituta, si eorum Monasteria sunt relaxata, & Regula collapsa, & ad illam omnes obligare, ut colligitur in fine ejusdem Capituli; quod tantò magis Summus Pontifex, qui strictiorem potest inducere vitam Religiosis, quàm eorum Regula exigat, Doctores *in cap. Super eo de Regul. & in cap. Ad nostram de appell.* quia non possunt Religiosi resistere, quandoquidem suam voluntatem in suum Superiorem transtulerunt.

6 Atque inprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, aut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent; quæ tamen si advertatur ad tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ rediguntur. Ideóque ista rectè à Doctoribus substantialia appellantur. Et ista tria traditur Christum indicare adolescenti Matth. 19. Vendere enim omnia paupertas est. Sequi Christum obedientia & castitas est. Non enim sequitur, qui non obedit, sic non sequitur, qui non imitatur. Unde & castitatem servare oportet, sicut ille servavit. Et cùm finis regularis vitæ sit contemplatio, quomodo fieri possit, ut possit quis contemplare, & Evangeliorum doctrinam amplecti sine castitate? Omne enim secundùm Joann. 1. *cap.* 2. quod est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ est.

7 Cùm dicitur ad communem vitam, id ad mores, & vivendi rationem, seu institutum refertur. Et quoad victum, licèt omnia ad vivendum necessaria hoc verbum complectatur, attamen Patres hoc verbo cibaria videntur velle significare. Sic quoque quoad vestitum, corporis cooperimentum, nempe vestes. Unde reliqua omnia his tribus verbis explicantur, quæ ad vitam pertinent regularem. Hinc præcipitur, Capitulum generale, seu Provinciali in visitatione fieri, nec prætermitti, ut moneant in vivendi observatione, quæ ad tria vota pertinent, tanquam bases, ac fundamentum totius officii regularis.

Et quoad Capitulum secundùm *d. sess.* 25. prohibetur, Regulares posse quicquam proprii habere, tam bonorum mobilium, quàm immobilium *can. Non dicatis 12. q. 1. can. Monacho 27. q. 1. & cap. Monachi de Stat. Monach. & c. Cum Monasterium eod.* Sed statim omnia Superiori tradantur, conventuique incorporentur, *d. c. Cum ad Monasterium*, quod & interpretari videtur Concil. Later. *d. c. Monachi*, ibi, *nec peculium permittant habere.* Hoc in loco clarius Concilium Tridentinum explicat, dum ait, *aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere.* Hinc S. Congr. responsum fuit, Monachos S. Benedicti in Hispania suis cellis viventes, quibus singulis annis victum & vestitum, omniaq; alia necessaria, pecunia duntaxat excepta, Superiores subministrabant, & de illis omnibus inventarium, & clavium traditionem, Superioribus scientibus, & permittentibus semel in anno rationem reddebant, non satisfacere huic decreto, non obstante immemorabili consuetudine; sed cogendos esse ad præcisam observationem hujus decreti. Similiter Moniales, quantumvis egentes tam parentum, quàm consanguineorum subsidia omnia à se quovis titulo acquisita, ad Abbatissæ manus deferre oportere. Facultatem verò testandi, & dispensationes quascumque, ac alias facultates à Sede Apostolica, vel a S. Pœnitentiaria contra dispositionem hujus decreti emanatas, ex eadem S. Congr. intelliguntur revocatæ. 8.

Et quoad bona stabilia, ista nec ad usum fructum, rerum administrationem, aut commoda Regulari ex licentia sui Superioris licet habere; quæ ideò dicta sunt, ut tollatur omninò falsa interpretatio Doctorum, qui proprietati favent, variasq; rationes prætexerunt ex declaratione *d. c. Cùm ad Monasterium*, ibi: *Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare.* Præfinituróq; modus, quod ipsi Regulares possint bonorum stabilium administrationem habere. Et primò notanda est adversativa *autem* posita in decreto Concilii, quæ præcedentium declarationem indicat. Deinde dum dicitur ad nutum eorundem Superiorum amovibiles, explicatur quod sancitur *in d. c. Cùm ad Monasterium*, ibi: *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoveri sine contradictione qualibet revocetur.* Declaratur etiam mens *d. c. Monachi de Stat. Monac.* ibi: *Qui verò peculium habuerit, nisi Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris.* Quare bonorum stabilium administrationem non possunt habere, nisi Officiales Monasterii ad nutum amovibiles. Atque ita explicarunt multi Ecclesiastici Doct. verba *pro injuncta administratione*, ut Glossa quæ in propositione casus inquit: *nota, concedi peculium ex causa administrationis*; quæ verba Glossæ sic ponderanda videntur. Non enim dicit, concedi in administrationem, sed causa administrationis, nempe propter officium administrandum, quia officialis est Conventus, sive Monasterii, Innoc. *in d. c. Monachi* explicavit in officialibus, dicens, puta vestiarii, vel eleemosynarii. Fusiùs Ostiensis ibidem dum dixit, non comprehendi, nisi officiales pro administratione temporalium deputatos. Idipsum affirmavit Butrius, inquiens non in utilitatem propriam habentes administrationem, sed Monasterii, idemque ait Joan. Andreas, quidquid dicant alii Doctores, & præsertim *in auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Neque obstat *can. Viduis 27. q. 1.* ut inquit Ostiensis, quia non habet locum in Regula approbata, & præsertim ex *d. c. 1. sess.* 25. in quo jubetur, communem vitam servari. Neque etiam refragatur quod *in dict. capite 2. sess.* 25. de Regularibus dicitur, *administratio autem bonorum Monasteriorum*, ut hoc decretum loquatur de bonis tantùm Monasterii; quia cùm jam in principio decreti determinatum sit, ut omnia bona à Regularibus acquisita incorporata sint Conventui, sequitur, 9

ut

ut in eo comprehendantur etiam hujusmodi bona, de quibus *in dict. can. Viduis.*

10 Cùm igitur antiqua jura non loquantur, nisi in officialibus, S. Concilium Tridentinum voluit auferre omnem dubitationem, quatenus dicta jura essent obscura, & quatenus loquerentur permissivè, ut nonnulli existimarunt, voluit ea revocare, nec opus fuisse judicandum est aliqua derogatione. Siquidem lex universalis, jusque novissimum correctorium eo ipso, quod disponit contra leges antiquas, illas censetur revocare. At dignitates, & officia, quæ dantur in titulum non comprehendi hoc decreto *cap.* 2. censuit S. Congregatio, sed etiam admittendas esse eorum resignationes etiam in favorem illorum tamen, qui expressè professi sunt in eodem Ordine. Præterea censuit, Moniales, quæ à suo Capitulo in Officiales eligebantur, posse in eadem administratione perseverare quandiu Superiori ejusdem Monasterii visum fuerit.

11 Quod verò ad res mobiles duo attendenda videntur. Alterum ut eorum, quæ statui paupertatis conveniant, ratio habeatur. Alterum quod necessarium fuerit, non denegetur. Ex quibus omnibus superfluitas, vel curiositas venit deneganda, & tollitur peculium ex mobilibus, nam immobilium per propria verba tolluntur. Fratres autem Minores S. Francisci de Observantia posse censuit S. Congregatio colligere quascumque eleemosynas, pecuniis exceptis.

12 Nolana. Facultas testandi, concessa ab Officio Sacræ Pœnitentiariæ alicui professæ de anno 1538. fuit sublata à Concilio.

13 Toletana. Moniales nec tanquam proprium possidere possunt, quod suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur, etiam quod Monasterium esset pauperrimum.

14 Messanensi. In casu supradicto, quando donatur Monialibus, aut aliàs ipsæ aliquid acquirunt, Superior Monasterii, si illud pauperrimum est, debet primum providere donatariæ, vel ei, quæ laborando acquisivit de necessariis; quod reliquum erit, in commune conferatur.

15 Vicensi. Moniales, & cæteri Regulares etiam res parvi momenti sibi donatas, aut aliàs acquisitas, uti proprias tetinere non possunt, sed Superiori resignandæ sunt.

16 Hispalensi. Nec etiam possunt Regulares sibi aliquod proprium retinere, si illud in ingressu Monasterii reservassent.

17 Toletana. Licèt administrantes bona temporalia Monasteriorum, & Officiales removeri possint ad nutum Superiorum, ut in hoc decreto, in eo tamen non comprehenduntur Officiales, qui bona temporalia non administrant, sed hoc relinquitur dispositioni juris communis, & Statutorum Religionis.

18 Mediolanensi. Moniales deputatæ in officiales reddituum Monasterii à suis Superioribus, illos administrare possunt.

19 Eugubina. Ordinarius arbitrio suo potest deputare officiales, qui administrent bona Monialium sibi subjectarum. Idem facere possunt Superiores Regulares in suis Monasteriis, qui officiales possunt suo arbitrio servare redditus extra Monasteria, & ipsis Monialibus eos erogare, prout opus erit. Observanda tamen est hodie Constitutio Greg. XV. de exempt. privil.

20 Ravennatensi. Civitatibus, quibus à Sede Apostolica concessa fuit administratio bonorum temporalium, & custodia clausuræ, ea facultate uti debent hac adhibita moderatione, videlicet ut quoad temporalia, & clausuram tantùm illi electi à Civitate gubernarent Monasteria cum interventu tamen, & consensu Superiorum dicti Monasterii, ita ut ipsi laici non possint statuere, aut exequi, nisi de consensu Superiorum. Quod laici sint ætatis saltem annorum 40. Quod prætextu talis gubernationis non possint loqui cum Monialibus. Quod eorum Monasteria, nisi cùm necessitas postulaverit officii, ingredi nequeant, & tunc quoq; in præsentia Superiorum ipsarum Monialium.

Palentina. Notandum est pro privilegiis Regularium, quod nullo decreto Concilii prohibentur fratres, quin possint in suis Ecclesiis celebrare, etiam antequam celebrentur Missæ in Parochialibus. 26

Eadem. Non prohibentur etiam, quin in eorum missis confessiones coram populo facere possint. 27

Eadem. Præterea nullo decreto Concilii possunt Episcopi virorum Monasteria, nec etiam mulierum, excepta clausura, visitare. 28

Pisaurensi. Cùm Monialibus, quibus ex præscripto suæ regulæ carnibus vesci vetitum erat, ob paupertatem illarum, & penuriam regionis, ac morbum simul junctum, Sedes Apostolica dispensare consuevit. 24

Mediolanensi. Licèt Regulares regulam, quam professi sunt, observare teneantur, & cogendi sint, nihilominus Moniales, quæ non ita exactè eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis horis matutinis certa hora noctis, sunt tolerandæ, ut in Monialibus S. Benedicti juxta mentem Greg. XIII. 25

CONSULTATIO XLVI.

Quænam Monasteria Regularium possint bona immobilia possidere? Quisnam Numerus personarum in illis constituendus? Quomodo erigenda? Quo pacto Regularis obsequio alterius loci, aut personæ subjici possit? Quomodo à Conventu recedere, ac studiorum causa abesse?

IN cap. 3. sess. 25. de Regul. concedit Sac. Concilium Tridentinum omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus authoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis autem Monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari; nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. 1

Permittitur itaque Mendicantibus bona immobilia possidere exceptis Capucinis, & Minoribus de Observantia, *cap. exiit*, §. *porro de verb. signif. in 6.* sed ita, ut Regulares habeant possessiones communes non ut singuli, sed ut conjuncti, ex quibus singuli provideantur prout cuique opus fuerit, *can. non dicatis* 12. *q.* 1. ubi D. Augustinus, & alii Sancti Patres. Unde D. Tho. *contr. Gent. lib.* 3. *c.* 31. dixit, quod per hujusmodi vivendi modum nihil deperit perfectioni, ad quam tendit paupertas voluntaria. Potest enim fieri per unius, vel paucorum solicitudinem, ut possessiones modo debito procurentur, & sic alii absque temporalium solicitudine remanentes, liberè possunt spiritualibus vacare, quod est fructus voluntariæ paupertatis. Nec etiam illis deperit aliquid de perfectione vitæ, qui hanc solicitudinem pro aliis assumunt. Quod enim amittere videtur cum defectu quietis, recuperant in obsequio charitatis. 2

Bona igitur immobilia possidere eis licet, sed ut inquit D. Th. 2. 2. *q.* 178. *art.* 7. in modica quantitate, quantum sufficiat ad simplicem victum. Talis enim solicitudo non multum impedit hominem, nec perfectioni repugnat Christianæ vitæ; quia non omnis solicitudo à 3

Domino interdicitur, sed superflua, & nociva, juxta illud Matth. 6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ*, de quo D. August. *de verb. Domini in monte.* Qui igitur ad Contemplativam vitam ordinantur, tantò perfectiores sunt, quantò eorum paupertas minorem eis solicitudinem temporalium affert. Et potissimum Religio, quæ est instituta ad contemplandum, & contemplata aliis tradendum per doctrinam, & prædicationem, cùm oporteat hujusmodi Religiosos habere vitam maximè à solicitudinibus expeditam; nisi aliis Religiosis ad vitam contemplativam ordinatis esset necesse per se, vel alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subvenire, ut sunt Monachi.

4 Excipiuntur domus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minores de observantia vocantur. Qua exceptione Monasteria S. Claræ non comprehendi dictum fuit à S. Congregatione, quia ante Concilium capaces erant in communi, ut per Gloss. *in Clem. fin. de sent. excom.* Bald. *cons.* 183. *in princ.* Card. *in Clem. de Regul. q.* 2. item ex privilegiis Sedis Apostolicæ, ac præsertim Eugenii IV. ac Leonis X. de quibus testatur Bald. *de succ. Cler.*

5 Et cùm Fratres S. Francisci superiùs nominati instituti essent hæredes cum clausula, quod si forsan aliquo modo, etiam in corpore juris clausæ, fuerint incapaces dictæ hæreditatis, tunc cedat Monasterio pro augmento fabricæ, & alimentis Fratrum. Ideóque orta controversia inter consanguineos instituentis, & Monasterium super validitate legati, S. Congreg. censuit simpliciter respondendum esse incapaces. De hæreditate autem non esse Congregationis definire, & propterea adeundos Judices Ordinarios.

6 Iis & cùm relicti essent annui redditus, non quidem, ut eo modo, prout relicti erant, singulis annis perciperent, & pretium in necessitatem Monasterii converterent, dictum fuit, illos incapaces esse annui redditus legati, cùm inter immobilia reputentur *Clem. exivi*, §. *cumq; annui redditus de verb. signif.* Cæterùm valet immobilium legatum eis factum sub modo licito, nempe ut vendatur, & pretium convertatur in Ecclesiæ necessitatem. Et idem si modus non sit adjectus, nam sub modo licito relictum intelligitur; Concilium autem *cap.* 2. *sess.* 25. *de Regul.* prohibet solùm possessionem, & detentionem, seu dominii acquisitionem.

An verò Fratres S. Dominici Conventuales, tanquam singuli sint capaces hæreditatis paternæ ab intestato, respondeo, quod tanquam singuli non sunt capaces, quia essent proprietarii, ut *in d. cap.* 2. & 3. *sess.* 25. *de Regul.* in quibus generaliter singulis denegatum est proprium habere, secus possidere in communi, ipsius nempe Monasterii.

7 Ad hoc autem, ut ex Monasterii redditibus Regulares commodè sustentari valeant, decernitur, ut in Monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum numerus constituatur juxta Conc. Mogunt. *c.* 19. & *c. non amplius*, & *c. authoritate de instit.* & *c. quoniam de vit.* & *honest. Cler.* & Conc. Roman *c.* 27. Quod præcipuè locum videtur habere in Mendicantium Monasteriis tam virorum, quàm mulierum, & in Monasteriis erigendis, nedum erectis. Sæpè fit enim, ut qui in Monasteriis, quibus non est ea redditum quantitas, ut ex ea numerus Regularium ibi degens commodè sustentari possit, importunis petitionibus ad victum necessaria extorqueant à laicis, ac summopere soliciti sint, ex quo vehementer laici offenduntur. Adde, quod dum, qui in Monasteriis inopia laborantibus vixerunt, ad alia commodiora se conferunt ex consuetudine vagandi, & petendi, cæterisque, ut plurimum molestiam, & malum afferunt exemplum. Unde Gregorius XIII. jussit, Monasterium non esse constituendum, nisi illud, quod duodecim Regulares saltem alere posset. De eju dem numeri præfixione gravissimam edidit Constitutionem, ac decreta de Regularium reformatione Clemens VIII. Idemque mandavit Urbanus VIII. in decretis de celebratione Missarum.

In Monasteriis verò Monialium quare debeat esse certus numerus, & præfixus habetur *in c. periculoso de stat. Regul. in 6.* §. *sanè.* An autem professio receptarum ultra facultatem Monasteriorum præfixo, vel non præfixo numero sit nulla, stante dicto *d. cap. periculoso eodem* §. *sanè*, ubi si secus factum fuerit, irritum decernitur, & stante *cap. fin. ejusdem sess.* 25. *de regul.* illis verbis: Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari S. Synodus præcipit, S. Congreg. Concilii censuit, non esse nullum. Taxatio autem numeri Monialium, Regularibus subjectarum ex hoc decreto spectare dictum fuit à S. Congregatione ad Ordinarium, & ad Superiorem Regularem. Sed quia postea edita fuit Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit, *De sacris Virginibus*, illa observanda est.

Cúmque Universitas Majoricensis conquereretur, 11
quod Episcopus statuisset, ne Moniales in Monasteria reciperentur cum majori dote, quàm 200 ducatorum, S. Congr. rescripsit, ut nihil præcisè statueret, & quidquid statuerit, abroget, & pro qualitate personarum, ac temporum modo plus, modò minus bonorum Monasterio tradi sinat, sed an in Monasteriis Monialium, in quibus juxta decretum *d. cap.* 3. *sess.* 25. *de Regul.* Episcopus certum numerum constituit, liceat Abbatissæ in locum Monialium deficientium alias recipere, pacta certa eleemosyna pro dote, & quatenus non liceat, quæ provisio sit per Episcopum adhibenda? Sententia S. Congr. fuit, quod si ex redditibus Monasterii, vel ex consuetis eleemosynis tantùm suppetant Monialibus, ut ad ipsarum victum, & ad fabricam Ecclesiæ, aliasque necessitates commodè sufficiat, minimè licere, secus si Monialium numerus augeatur. Quod probavit Gregorius XIII. confirmans augendum numerum, si dos recipienda sit, *can. quam quoniam de simon.* ibique DD. post Glossam, & D. Th. 2. 2. *qu.* 100. *ar.* 3. *ad* 4. & DD. *in d. cap. periculoso de stat. Regul. in* 6.

Et cùm Placentiæ in Monasteriis omnibus taxatus 12
esset numerus Monialium, quæ ex redditibus, & consuetis eleemosynis commodè sustentari possint, cúmq; multæ puellæ instarent, ut supra numerũ reciperentur, dicentes, se non fore onerosas Monasterio, tum quia solverent dotẽ solitam, quę poterit converti in emptionem alicujus annui redditus; tum quia parentes se obligabant dare cuilibet ipsarum, donec viveret, aliquid pro sustentatione vitæ illius, & cùm difficile esset cohibere cives, ut expectarent mortem multarũ, quæ nunc sunt, Monialium, Episcop. anceps quid agendum esset, consuluit S. Congregationem, primò an durante tempore probationis satis consultum sit, si puellis alimenta à parentibus ministrentur, & S. Congr. respondit, satis esse consultum. Secundò, an adveniente tempore emittendæ professionis satis sit solvere dotem ea pactione, ut inde emantur annui redditus, vel res stabiles, vel ut redimatur aliquis ager Monasterii, ita ut augeatur redditus Monasterii, licèt inspectis omnibus Monialibus in communi adhuc non possint commodè sustentari. Responsum, satis esse, si pecunia, quæ pro dote dabitur, convertatur verè in emptionem annui redditus, vel in redemptionem tot bonorum Monasterii, & sic redditus Monasterii tantùm augeatur, quantum sufficiat victui puellarum in Moniales recipiendarum. Quod tamen augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipsarum puellarum, sed in totius Monasterii communem usum, ex quo & ipsæ puellæ unà cum aliis Monialibus uti poterint. Tertiò, an satis consultum sit menti legislatoris, si ultra dotem in solutum dandam, certa promissio fiat à parentibus alicujus annuæ pensionis vita durante illius puellæ, quæ ad victum illius sufficiat? S. Congr. respondit, debere Episcopum id curare omninò, ut propinqui publico, validoq; instrumento se obligent ad certã annuam

præstatio-

præstationem, quæ major non sit duodecim aureis pro necessitatibus puellarum, dum vixerint. An promissio facienda sit monasterio, vel puellis, S. Congr. respondit, promissionem hanc faciendam esse Monasterio, non autem puellis ipsis, minusque permittendum, ut pecunia hæc detur eis, ne alioquin contra votum suum solemne fiant proprietariæ, sed deferatur ad manus Abbatissæ, quæ ex ea subveniat arbitrio suo necessitatibus earum Monialium, pro quibus persoluta fuerit. Quod verò reliquum erit, convertet in communem usum Monasterii. Quæ omnia à Greg. XIII. fuerunt approbata.

De erectione Monasteriorum alibi largissimè à nobis dictum est.

13 Quod verò ad aliam partem Consultationis idem S. Concilium *de sess. 25. cap. 4. de Regul.* prohibet, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personæ, seu loci, neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

14 Quo decreto occurritur Regularibus extra claustra vagantibus sine Superioris licentia, ampliaturque id, quod habetur *in cap. quantò de offic. Ordin. & in Clem. ne in agro de stat. Monach. & cap. Non magnopere ne Cler. vel Monach. can. placuit, & can. Monachi 2. 16. qu. 1.* tolliturq; omnis prætextus vagandi. Cum licentia tamen possunt se subjicere obsequio alicujus Principis, vel Episcopi, licèt propter pericula, quæ inde sequi possunt, Superiores difficilè consentire debent, Doctores *in d. cap. Quantò, & cap. ex rescripto de jurejur.* Imò cubicularii Episcopi esse possunt, *can. cum Pastoralis 2. q. 7.* Nec licèt à suis Conventibus recedere, quia Regularis est, ut servus, & in omnibus subditus Superiori suo; in Conventibus autem habitent, Congregatio dixit etiam alterius Religionis, si tamen Religio in loco illius Universitatis Cœnobium non haberet.

15 Mediolanensi. Moniales Ordinis S. Claræ Minorum de Observantia possunt possidere bona stabilia in communi.

16 Eadem. In Monasteriis Episcopus debet certum numerum præscribere, etiam quod ea sint exempta.

17 Florentina. Ad Archiepiscopum spectat videre numerum Monialium augendum, aut minuendum, & illarum dotes, etiamsi sint Religionis Hierosolymitanæ.

18 Eadem. In Monasteriis Monialium numerus præfigendus est ab Episcopo visitante, videlicèt sibi subjectis intra duos menses, non subjectis intra tres à die postquam eorum Superiores moniti fuerint, & præfigere neglexerint. Facta ista præfixione, nulla Monialis admittatur, donec numerus ad taxam fuerit reductus. Quod si secus Ordinarii fecerint, sciant se Sanctiss. D. N. de hoc rationem reddituros, & damnum, quod propter hoc Monasteria passa fuerint, suis expensis refecturos.

19 Item suspenduntur Ordinarii regulares consensum suum dantes contra hoc decretum. Item Abbatissæ privantur. Possunt tamen Episcopi super numerum aliquas admittere, si illæ dotem cõpetentem secum attulerint, quæ inter bona stabilia expensa taxatos annuos reditus producere possint, ut commodè Monialis sustentari queat. Si verò aliquæ puellæ admissæ sunt nisi supplerint dotem competentem, domum remittantur.

Bracharensi Archiepiscopo. Ut quæ hæc S. Congr. circa plures, quàm duas sorores in unum Monasterium introducendas alias decrevit: Amplitudo tua exequi valeat, Illustr. Patres has litteras ad eam dari voluerunt, per quas eadem decreta quantùm istius Ecclesiæ regimen exposcit, & sat innotescent. Aut igitur tertia soror intra præfinitum numerum Monialium in Monasterium introducenda est, aut supra illum. Si ut numeraria ingredi voluerit, eleemosynam dotalem duplicatam Monasterio persolvat, suffragioque tam activo, quam passivo carebit, quousque altera ex duabus ejus sororibus è vita decesserit. Si verò ut supra definitum numerum admitti petierit, speciali sacræ hujus Congregationis licentia opus erit, quæ quidem concedi non solet, nisi ex conditione, ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam dotalem Monasterio exolvat, nec reliquis ejus duabus sororibus simul superstitibus activo, vel passivo suffragio gaudeat. Die 26. Augusti 1616.

CONSULTATIO XLVIII.

De clausura Monialium ad præscriptum cap. 5. sess. 25. de Regul.

BOnifacii VIII. Constitutionem, quæ incipit, *Periculoso* renovans S. Synodus Tridentina, clausuram Monialium diligenter restitui & conservari mandat, &c. Ubi inter alia duo Doctores disputant. Primum, clausuram Monialium non esse de jure divino, neque naturali, sed ut ait Jo. Monach. *in d. cap. Periculoso de stat. Regul. in 6.* id fit secundùm rei naturam; quia non decet mulieres vagari, nec virorum ædibus se immiscere. Alterum est, an possit imponi Regularibus præsentibus districtior vita. Sed per Papam imponi posse Gloss. ibi *verbo præsentes*, ac Doctores asserunt, inter quos idem Jo. Monachus dixit, quod nihil ad regulam adjicitur, sed modus, & testantur Abbas, & alii Doctores *in cap. ad nostram de appell.* 21

Et renovans dictam Constitutionem Bonifacii VIII. nonnulla restrinxit, nonnullaque ampliavit. Et primò in dicto Tridentini decreto committitur Episcopis clausura omnium Monasteriorum Sanctimonialium, sive ipsis sint subjecta, sive aliis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ut S. Congr. declaravit, cùm per *d. c. periculoso* non possunt Episcopi dictæ clausuræ munus exercere, nisi in Monasteria sibi, vel S. Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, in alia verò exempta nemo, nisi eorum Superiores, de quo nos etiam aliàs liberaliter. 22

Et cùm dicitur clausura Sanctimonialium, ea locum habet in omnibus Monialibus tacitè, vel expressè professis quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, & in conversis, ut B. Pius V. in sua Constitutione *Decori* intellexit, dummodò sint professæ, excepto eo, quod habetur in dicta Constitutione, nempe excluduntur eadem B. Pii V. declaratione illæ, in quarum Monasterio nunquam fuit servata clausura, nec violata, quia nunquam fuit cœpta servari. Undè tenentur ad prædictam clausuram etiam mulieres Tertiariæ cujuscumque Ordinis in Congregatione viventes, si sunt solemniter professæ. 23

Sed dubitatur, an quædam mulieres, Deo servientes Papiæ, possint dici veræ Moniales ad effectum, ut teneantur servare clausuram juxta decreta Conc. Trid. cùm ægrotis deserviant, tria vota non profiteantur, professionem non in manibus Prælati, vel Superioris regularis, sed Vicecamerarii Hospitalis emittant? S. Congr. censuit, has mulieres non comprehendi in decretis Concilii, aut Bullæ Gregorii XIII. ea præcipuè ratione, cùm professionem non faciant in aliqua Religione approbata, nec votum solemne emittant in manu alicujus Superioris regularis, ideò nec appellatione Monialium venire possunt, & quia finẽ, ad quem introductæ sunt, si clausuram servarent, consequi nõ possent. 24

5 Moniales verò in Hiſpania, quæ in Hoſpitali S. Hieronymi recipiuntur, & vivunt, tria vota tamen ſubſtantialia non emittentes, ſed tantummodò receptionis tempore ex manibus Prioris Crucem aſſumentes offerunt Deo corpus, & animam, Gregorius XIII. reſpondit, quod licèt expreſsè non profiteantur tria vota ſolemnia, tamen ſub illa formula verborum, qua corpus, & animam Deo offerunt, ſubſtantialiter, ac virtualiter comprehendi ſolemnem profeſſionem, ideòque teneri, & obligari ad clauſuram juxta Conſtitutionem, præſertim cùm ſint etiam Ordinis S. Auguſtini. Sic Moniales Tertiarias, quæ tria vota ſubſtantialia ſolemniter emiſerunt cogendas eſſe omninò ad ſervandam clauſuram. In autem aliis Tertiariis, quæ dicta tria vota non emiſerunt, ſervandam præcisè conſtitutionem B. Pii V. edita anno 1566. 3. Kal. Junii, ſicque declarantem Breve aliàs à d. Pio V. ſcriptum pro Tertiariis Hiſpanis, quæ ea vota non emiſiſſent, quatenus conceſſit, ut permanerent, prout antea vixerant; intelligitur tamen hæc permiſſio juxta præſcriptum dictæ Conſtitutionis, quæ etiam generaliter in omnibus hujuſmodi Tertiariis ubicumque degentibus deinceps obſervatur, nulla amplius habita ratione illius juſſionis factæ ab eodem Pio V. ut iſtis Tertiariis ſolemniter non profeſſis certum tempus præfigatur ad profitendum, quo elapſo, ſi non fuiſſent profeſſæ, ad domos parentum, propinquorumque reverterentur.

6 Cum enim nulla ſuper hac juſſione fuerit promulgata Bulla, ſed aliquæ tantùm litteræ, partim à S. Congreg. partim à nonnullis Protectoribus Regularium pro quibuſdam particularibus Monaſteriis harum Tertiariarum ſcriptæ fuerunt, ob id ſatius erit ad generalem præfatæ Conſtitutionis editæ, & paſſim receptæ obſervationem recurrere. Non item mulieres, quæ in Congregatione vivunt pro cura mulierum, quæ fuerunt inhoneſtæ, vel à viris propriis derelictæ; quia nec ad profeſſionem, neque ad clauſuram cogi debent; Et cùm in Civitate Toletana eſſet quædam domus mulierum de paupere vita nuncupatarum, quæ caſtitatis votum ſimplex emittunt, non autem votum clauſuræ, & Monachalis obedientiæ, & propter paupertatem per Civitatem eleemoſynas oſtiatim quæritare coguntur, dubitatum fuit an comprehendantur in Conſtitutione Pii V. de clauſura Monialium, itaut nolentibus emittere profeſſionem, & extra clauſuram vivere omninò interdictum ſit, & perpetuò prohibitum, ne in futurum ullam aliam prorſus in ſuam Congregationem recipiant. Et comprehendi, & ad Clauſuram teneri dixit S. Congregatio. Sed an Epiſcopus Diœceſanus in Monaſteriis alteri Epiſcopo ſubjectis, ex Concilio habeat jus viſitandi quoad clauſuram, & eandem poteſtatem quoad alia, quæ habet in Monaſteriis ſubjectis Regularibus ratione clauſuræ, S. Congreg. cenſuit, habere.

7 Quòd ad exitum verò Monialium à Monaſterio, idem habetur in Concilio Cabilonenſi 2. *cap.* 57. 62. & *ſeq.* ampliaturque diſpoſitio *d. cap. periculoſo*. Nam ibi non conceditur exitus, niſi ex una cauſa infirmitatis, videlicet periculoſæ, vel ſcandaloſæ, at *in d. cap. 5. ſeſſ.* 25. committitur ex legitima cauſa judicio Epiſcopi. Sed Conſtitutio B. Pii V. declarat dictam cauſam exeundi poſitam in *d. cap. periculoſo* intelligi in magno incendio, vel infirmitate lepræ, aut epidemiæ. Vnde S. Congregatio cenſuit, non extendi poſſe ad alias cauſas ſimiles, niſi tantùm intelligi has in præfata Conſtitutione poſitas. Hinc cùm ab Epiſcopo Monialis ab ejus Monaſterio ad aliud translata eſſet, S. Cong. cenſuit, ſcribendum Epiſcopo, non potuiſſet eum abſque licentia Sedis Apoſtolicæ illam transferre ad aliud Monaſterium ex Conſtitutione Pii V. Propterea jubeat, & curet eam reduci ad ſuum Monaſterium, & cæteris Monialibus parere, adhibitis etiam vinculis, ſi opus fuerit.

8 At cùm eſſet dubitatum, an Monaſterium ſitum in loco paludoſo, propter quem aer fit inſalubris, & periculoſæ infirmitates Moniales invadunt, comprehendatur in Bulla Pii V. ultima prohibente, ne Moniales è Monaſteriis exeant, adeò ut Moniales exire non poſſint ad curandas iſtas infirmitates? S. Congregatio cenſuit, comprehendi hoc Monaſterium in Conſtitutione Pii V. ultima de clauſura Monialium, tamen caſum dignum eſſe proviſione ſpeciali, ut quibus infirmitatibus illæ propter aeris intemperiem premuntur, poſſint de conſilio utriuſque medici, & de licentia Superiorum exire. Ita Gregorius XIII. annuit.

9 Sed cùm Monialis obtinuiſſet à Superiore Regulari licentiam ab Ordinario approbatam exeundi è Monaſterio cauſa curàdi morbū epidemiæ, & cùm extra illud per ſex menſes commorandi, eo elapſo, novo termino cùm longiori tempore ad curandam indigeret, petiiſſet à S. Congregatione, ut terminus ex diſpenſatione Apoſtolica ſibi prorogaretur, S. Congregatio cenſuit, non indigere diſpenſatione Apoſtolica, ſi verè laborabat morbo epidemico, quia talis caſus eſt exceptus in Conſtitutione Pii V. Quod ſi infirmitas tendit ad epidemiam, ut dicebatur in licentia per Superiorem Monialis conceſſa, cùm non potuerit talis licentia concedi, eum, qui conceſſit, incidiſſe in excōmunicationem.

10 Er cùm Generalis Congr. Camaldulenſis à Summo Pontifice facultatem haberet velandi, & conſecrandi Moniales, petiit à S. Congregatione Concilii, ut ſibi liceret eas velare in Eccleſia ordinaria Monaſterii Monialium, cùm nulla ſit Eccleſia intra clauſuram, & S. Congregatio cenſuit, velationem faciendam eſſe in Eccleſia exteriori Monaſterii, dummodò ſola velanda exeat è Monaſterio, nullæque Moniales egrediantur. Poterunt tamen fœminæ, ſeculares propinquæ aſſiſtere velandæ, ut eam conſolentur.

11 Sed dicamus quid in Civitate Florentiæ actum fuit. In illa ob magnam Monialium paupertatem, aliaſque cauſas difficile videbatur, ut clauſura ſervetur, ſaltem quoad omnes moniales. Sed Gregorius XIII. dicit, à Concilio Tridentino nuper celebrato vereſimiliter conſideratas fuiſſe omnes iſtas rationes, itemque alias, & nihilominus ſic ſtatutum de clauſura. Partes Papæ ſunt, ut omninò Concilium obſervetur, atque ita velle, quod ſi tanta egeſtate laborarent Monaſteria tam aperta, quàm clauſa, dixit: Pientiſſimus Dux Florentiæ, qui multum impendit in aliis operibus piis, impendat etiam in hoc, inducatque alios nobiles, ut idem faciant. Quod ſi in eis, quæ aperta ſunt ſcandala oriantur, in honorem, & ſalutem animarum, recipiant eas in domibus ſuis privatim, & earum curam, & cuſtodiam gerant. Id enim permiſit Sanctitas ſua ratione indigentiæ.

12 Supervenit poſtea Bulla ejuſdem Gregorii XIII. obligans hoſpitalia ad dimidiam partem quarumcumq; eleemoſynarum, & largitionum diſtribui ſolitarum, Monialibus pauperibus erogandam, in cujus executione cùm eſſent ortæ multæ dubitationes, cenſuit S. Congregatio primò dictam Bullam comprehendere hoſpitale laicum, vel privatum. Secundò, in prima Bulla agi de ea ſumma pecuniarum, quæ in eleemoſynas erogabatur: non autem de illa, quæ ſuperaſſet, ſervata debita hoſpitalitate. Tertiò de illis tantùm eleemoſynis intelligendam Bullam, quæ fierent tertiis perſonis. Quartò, illas eleemoſynas ad oſtium hoſpitalis abſque ullo dubio comprehenſas eſſe in dicta Bulla, cùm adminiſtratores hoſpitalis fateantur eas ab immemorabili tempore præſtitas fuiſſe.

13 De ingreſſu in Monaſteria Monialium, deque licentia ingrediendi plura alibi diximus; quibus hæc addimus.

14 Caſtelli Maris. Prohibentur laici ſervare claves Monaſteriorum Monialium.

15 Adrienſi. Laudandus eſt Epiſcopus, qui confeſſarium Monaſterii etiam ſibi non ſubjecti, prohibet ab ingreſſu

ingressu ipsius Monasterii, & obturare facit rotam, & fenestram, quæ sunt in cubiculo ipsius confessarii.

16 Zamorensi. Sanctimoniales omnes etiam Tertiariæ, servare debent hoc decretum clausuræ si tria vota substantialia emiserunt. In reliquis verò, quæ tria vota non emiserunt, servanda est Bulla Pii V. 4. Kal. Junii anno primo.

17 Marcasita, & Florentina. Monasterium Monialium Sedi Apostolicæ immediatè subjectum potest, ab Episcopo visitari in iis, quæ pertinent ad clausuram. Si autem Monasterio imminet cura animarum, locus est *cap. 9. ejusdem sess. 25. de Regul.* Et idem censendum est de his Monasteriis subjectis Religioni Hierosolymitanæ ex delegatione Apostolica, etiam non obstante consuetudine.

18 Florentina. Quoad accessum, & colloquium cum Monialibus ad crates servanda est consuetudo. Quoad licentias ingrediendi intra septa servandum est Concilium, & quod aliàs dixi.

19 Mediolanensi. Episcopus in Monasteriis Monialium suæ Diœcesis alteri Episcopo subjectis ex Concilio habet jus visitandi quoad clausuram, & eandem potestatem quoad alia, quam habet in Monasteriis subjectis regularibus.

20 Brixiensi. Ob causam conceditur, ut Monialis quandoque exire possit à Monasterio in Ecclesiam exteriorem, ut exorcizari possit, ubi sunt Reliquiæ.

Eadem. Hac eadem de causa fuit à Sede Apostolica concessum, ut in domo parentum transferatur per mensem.

21 Gienensi & Salernitana. Moniales non possunt transire de uno ad aliud Monasterium, etiam de consensu Episcopi sine licentia Sedis Apostolicæ. Si autem translatio fiat ad ejusdem Ordinis Monasterium faciliùs conceditur.

22 Civitate Castelli. Quando ex permissu Sedis Apostolicæ transferuntur Moniales de loco ad locum, translatio fieri debet in aurora, ut à paucis videri possint, atque à personis gravibus, honestis, & consanguineis deducantur, earumque dotes primo Monasterio remaneant.

23 Tranensi. Moniales non habent justam causam exeundi à Monasterio, ut curam nepotum suorum gerant, etiamsi nullum propinquum haberent.

24 Ulysipponensi. Curandæ tamen valetudinis causa ad Balnea Moniales ire posse Sedes Apostolica concessit, dummodò tamen eant cum honesto personarum comitatu, quem Ordinarius tantùm censuerit, atque tam eundo, quàm redeundo ad nullum locum devient, neque diutiùs apud dicta balnea maneant, quàm ad curandam infirmitatem necesse fuerit.

Salernitana. Quando restaurantur Monasteria, si hoc expedire probatur, fuit permissum, ut novitiæ Moniales ad aliud Monasterium transferantur, donec opus perficiatur.

25 Mediolanensi, Mulieres. Succursus Mediolani, quæ pro cura aliarum ibi vivunt, non sunt cogendæ ad clausuram, neque ad professionem.

26 Vicentina. Si causa sit legitima ex Monasterio exeundi, licentia datur ab Episcopo, & Superiore regulari.

27 Abulensi. Ex causa sedes Apostolica concessit quibusdam Monialibus, ut transirent ad aliud Monasterium alterius obedientiæ, de consensu tamen Superiorum.

28 Mediolanensi. Licèt Virgines in Monasterio educari possint, cùm hoc nullo Canone prohibeatur, id tamen fieri debet de solâ licentia Sedis Apostolicæ. Contrarium vide inferiùs in una Hieracensi.

29 Idem dicendum de illa, quæ velit ingredi Monasterium, in quo aliquando profiteri cupit, ut formæ vivendi & regulæ prospiceret. Nam & hoc casu licentia Sedis Apostolicæ necessaria est.

30 Novarien si. Mulieres ingredientes domicilia Fratrum S. Francisci, incidunt in Bullam Gregorii XIII. contra ingredientes Monasteria, domus, & loca virorum, & mulierum.

Castelli Maris. Non tamen prohibentur Superiores 31
Monasteriorum Monialium, quin ea ingredi possent visitationis causa.

Toletana. Ingredi septa Monasterii nec Religiosis 32
ipsis licet, etiam ut satisfaciant piæ testantium voluntati, qui in Monasteriis Monialium voluerunt quolibet anno anniversarium celebrari. Nam hoc casu satisfaciendum est celebrando in exteriori Ecclesia.

Lancianensi. Intra septa Monasterii nec Missas cele- 33
brandi causa ingredi licèt.

Neapolitana. Favore, & gratia speciali nonnum- 34
quam concessum fuit, ut Guardianus, & Confessarius possent simul ingredi septa Monasterii in die Corporis Christi ut processionaliter cum Monialibus circa claustra incedere possint.

Lancianensi. Si Monasterium Monialium nullam 35
Ecclesiam exteriorem haberet, concessum fuit, ut Sacerdos in illud semel in mense ingrediatur ad celebrandum, & ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Monialibus præberet, & sic solùm per sex menses futuros, donec provideatur de Ecclesia exteriori.

Cordubensi. Nobili fœminæ, cujus progenitores; 36
Monasterium Monialium fundarunt, concessum fuit ex magna causa, etiam ut cum duabus aliis matronis bis in anno illud ingredi possit, dummodò in eo non pernoctet.

Neapolitana. Viduis, & mulieribus, quæ nolunt in- 37
gredi Monasteria, ut in eis perpetuò vivant, retento seculari habitu, à Sede Apostolica permittitur dummodò ingrediantur de consensu Abbatissæ, & majoris partis Monialium, modestoque habitu incedant, legemque clausuræ observent. Quod si semel egrediantur, in illud ingredi iterùm non permittitur.

Florentina. Permissum etiam quandoque fuit mulie- 38
ribus habentibus virum absentem ad tempus in Monasteriis Monialium permanere.

Bononiensi. Mulieribus non solùm prohibitum est 39
ingredi septa Monasterii Monialium, sed etiam virorum per Bullam Pii V. quæ tamen declaratur, ut non procedat in ingressu primi claustri, ubi sunt aliquæ indulgentiæ concessæ visitantibus. Nam hac de causa mulieribus in illa ingredi permittitur, vel in eis regionibus in quibus mulieres operariorum more laborant juvando fabricatores.

Pisaurensi. Illa Bulla Pii V. fuit declarata habere lo- 40
cum solùm in claustro Monasteriorum virorum, non autem in locis contiguis.

Januensi. Quandoque etiam fuit ex gratiâ Sedis 41
Apostolicæ concessum, ut aliquæ mulieres semel ingrediantur Monasterii septa Cartusiensium cum licentia Superiorum causa visitandi quamdam Capellam.

Abulensi. Possunt Ordinarii jure proprio puellas, de 42
quibus controvertitur, in Monasteriis collocare ad tempus, donec lites finiantur.

Neapolitana. Mulier secularis, quæ jam est intra se- 43
pta Monasterii, est expellenda, si illud sine licentia Senis Apostolicæ ingressa est, & contra majoris Monialium partis intentionem.

Eadem. Causa infirmitatis Monialium aliquarum Se- 44
des Apostolica concessit, ut secum retinere possent famulam secularem cum eisdem legibus clausuræ, & habitus, quibus supra. Ordinarius tamen hanc facultatem concedere non potest, & de facto concessa statim revocatur.

Hieracensi. Decreta Concilii non obstant, quin 45
virgines educandi causa intra Monasteria ingredi possint, & ibi educari usque ad vigesimum quintum annum cum habitu modesto, cum lege communi clausuræ & consensu Abbatissæ, & majoris partis Monialium, quæ puellas educare solent; quæ si semel egressæ fuerint, ad

ea ampliùs reverti non permittatur sine nova dispensatione, nisi in eo profiteri voluerint.

46 Panormitana. Mulier, quæ à Monasterio, ubi educabatur semel est egressa, nõ solùm in illud, sed nec etiã in aliud sine Sedis Apostolicę licẽtia ingredi permittitur.

47 Casalensi, & Marsicana. Quæ autem puella ex causa, puta valetudinis egreditur, & de licentia Ordinarii, de eadem licentia in illud iterum ingredi potest cum solitis circumstantiis, & conditionibus.

48 Cremonensi. Illustribus puellis, quæ in Monasteriis cum supradictis educari permittuntur, à Sede Apostolica etiam fuit quandoque, concessum, ut famulam secularem secum habeant cum eisdem legibus.

49 Bergomensi, & Mediolanensi. Qui habent licentiam ingrediendi Monasteria à Superioribus, & illa utantur levibus de causis, incidunt in pœnas Bullæ Gregorii XIII. sub datam Idibus Junii 1576. in quibus etiam incidunt, qui sine licentia ingrediuntur Monasteria.

50 Mediolacensi, & Feretrana, Ingrediendi septa Monasterii facultatem Episcop. concedere potest in Monasteriis etiam exemptis suæ diœcesis, dummodò Regularibus subjecta non sint; nam & hoc casu Regulares ipsi Superiores licentiam concedunt. Verùm de hac re vide, quæ aliàs diximus.

51 Mediolanensi. Licentia verò in scriptis, non autem oretenus concedenda est, Carpinalis autem S. Praxedis, qui fuit S. Carolus, circa deleganda licentia potest facere, quod sibi placet de particulari rescripto Sedis Apostolicæ.

52 Eadem. Ingredientes cum Episcopo in Monasteria Monialium, non est necesse, ut habeant licentiam in scriptis.

53 Tarvisienſi. Volentes ingredi Monasteria ex aliqua causa, quantumlibet necessaria, debent licentiam ab Episcopo petere, qui illam in casibus necessariis concedere debet.

54 Mediolanensi. Non potest Episcopus causa correctionis, pœnitentiæ, vel examinis, etiam in causis criminalibus, Moniales è Monasterio egredi facere, nec minus ipsę egredi valent. Vicarius generalis nec præsente, neque absente Episcopo potest concedere licentiam ingrediendi Monasteria, nisi Episcopus specialiter hanc facultatem ei concesserit.

55 Papiensi. Monasteria Monialium extra Urbes, aut oppida, etiam quæ ea sint exempta, & immediatè Sedi Apostolicæ subjecta, possunt ordinarii tanquam Sedis Apostolicæ delegati, & Monasteria intra Urbem transferre juxta hoc decretum.

56 Mediolanensi. Si consuetudo est, quod Episcopus solus det licentiam ingrediendi, & alloquendi Moniales, etiam in Monasteriis subjectis Regularibus, servanda est hujusmodi consuetudo etiam, in Monasteriis prædictis, privativè ad Superiorem regularem.

57 Eadem. Episcopus visitans clausuram Monialium Regularibus subjectarum potest eas examinare in his, quæ pertinent ad clausuram, & potest etiam sermonem habere ad Moniales intra, & extra ad crates, & Sacramenta ministrare.

CONSULTATIO XLVIII.

De ratione eligendi Superiores Regulares ad decretum cap. 6. Concilii Trid. sess. 25. de Regul.

1 IN electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia rectè, & sine ulla fraude fiant, in primis Sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta ita, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra hujus decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum, se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ cẽsẽantur & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.

Ex hoc decreto restringitur dispositio Concilii Lateranensis in electione Superiorum Regularium *c. Quia propt. de elect.* & præfigitur modus electionis. Ad electionem igitur Superiorum Regularium tam temporalium, quàm perpetuorum, ut se habent verba Concilii, procedi debet per viam scrutinii, non autem per viam electionis, vel compromissi. Et scrutiniam secretum ex mente Concilii non dicitur si duo vel tres constituantur, qui eligentium vota suscipiant; quæ omnia tunc servanda erunt, cùm electio fiat ex votis plurium, quia cùm Generali, vel Provinciali ex instituto alicujus Regulæ datur facultas constituendi Superiores, non est, quod hujusmodi forma servetur. Advertendum hic generaliter non fuisse mentem Concilii, ut semper fiãt hujusmodi electiones, seu tollere electiones, quæ ex instituto Regulæ fiunt, v. gr. electiones Fratrum Eremitarum S. Augustini, quæ fiunt anno, quo celebratur Capitulum Generale, vel Provinciale in Capitulis à Prioribus, & Definitoribus. Item Fratrum Minorum quolibet triennio, qui electi Commissi Provinciarum nuncupantur; sed voluisse Concilium, ut in omnibus electionibus, quæ à pluribus fieri debent, præscripta forma servetur. Et dum quæritur, an professi, qui non sunt Subdiaconi, vocem in hujusmodi electione habere possint, non obstante *c. 4. sess. 22.* S. Cong. censuit, posse, & dictum *c. 4.* non habere locum in Monasteriis. Item cæcitas non privat aliquem in hujusmodi electionibus eo voto, quod aliàs haberet, si cęcus non esset. 2

Neque ante, neque post scrutinium electoribus licebit, cui suum votum dederint, publicare. Hinc etiam electio scribæ cõmunibus, qui singulis electoribus tres schedas tribuat, in quarum singulis sit scriptum nomen alicujus eligendi ab eis, ab aliis diversum, & elector schedis de manu scribæ acceptis, quem ex eis elegerit, pro voto suo tradet aliis duabus laceratis, cùm accidisset in quadam electione dictum scribam unam schedam aliquibus, vel duas, in quibus idem nomen continebatur, tradidisse, nulla fuit judicata, eo quod scriba potuit revelare. Idem etiam dicendum de electione, in qua Abbas tradit omnibus habentibus vocem, schedulam unam, in qua quilibet existens notat nomen personæ, quam elegit; quia, etsi primò intuitu hic modus satis bonus videatur, non tamen est adeò secretus, ut publicari non possit. Posset enim Abbas quibusdam punctis adnotare schedulas eligentibus tradendas, & cum constitutionibus Ordinum cautum sit, quod pro electionibus Priorum duo confirmatores per existentem pro tempore Generalem missi, & duo, vel tres scrutatores per electores de eorum gremio assignati existant, & quod ipsi quatuor eligentium vota secreta recipiant, scribant, & assignent, ac demum canonicè electum pronuncient, dubitabatur, an hæc eligendi forma juxta mentem Concilii secreta, & canonica dicatur, & S. Congregatio respondit, hujusmodi electionem haberi pro secreta juxta *c. Quia de elect.* Cùmque consueviset Generalis eisdem confirmationem committere, quod si electores non concordant in eligendo aliquem de eorum gremio nominent electoribus omnes fratres, qui officium Prioratus rexerint, & modò sine officio Prioratus existant, & impediti non sint, præsertim tres, vel quatuor, quos specialiter nominent, vel ex eis electores quem maluerint eligant, dubitabatur, an hæc forma sit contra hoc decretum, quo cavetur, ne in posterum liceat Provinciales, Abbates, Priores, aut alios titulares quoscumque, &c. S. Congr. censuit, non esse contra Concilium. Notandumque non 3

posse

posse effici titulares Priores vel alii ad effectum electionis faciendæ. Unde omnes titulares, quamvis principaliter ad effectum electionis faciendæ constituti non sint prohibitos esse ferre suffragia in electione Superiorum, dixit S. Congr. non tamen hi, qui titulares perpetui sunt, habentes veros titulos suarum Ecclesiarum, quarum possessione vi excluduntur, ut sunt Priores Angliæ, Ungariæ, Hierosolymitani, aliique.

4 Non tamen ex hoc decreto prohibitum est Superioribus Ordinum, quibus id ex regula conceditur, ne aliquem fratrem idoneum suo loco delegent, seu mittant ad Capituli generalis celebrationem, ut etiam electionem faciat, si ex institutis, & decretis Religionis suæ licèt Superioribus absentibus, & legitimè impeditis mittere àlium ad Capitulum generale, qui suo loco, & nomine det vocem in electione. Institutio etiam vocum, quæ non fit per creationem novorum titulorum, neque per supplementum vocum absentium, sed per habilitatem eorum, qui non essent vocales efficerentur vocales, non erit contra Concilium. Procuratores verò legitimè constitui cum generali mandato ad eligendum non excluduntur, dummodò non habeant speciale mandatum de eligenda certa persona, quia tunc votum non posset esse secretum. Absentes tamen scripto suum votum dare in electione sociorum Capitularium non poterunt, & moniales in lecto propter morbũ decumbentes votum suum ad electionem Superiorum mittere non poterunt, sed qui recipiendis, custodiendisq; votis præfati erunt, debebunt accedere ad ægrotantes, & ab eis vota accipere. Superior verò, qui electioni Abbatissæ præest, unà cum Vicario suo, vel Secretario, vel alio ab ipso assumpto vota singularium Monialium oretenus àudire poterit, & cùm dubitaretur, an ubi sunt tantùm tres vocales quorum unus non potest eligi in discretum, & per consequens necesse est, ut alter illorum duorum, qui remanent, det alteri vocem suam possit fieri electio discreti, quæ non sit contra formam hujus decreti, S. Congr. censuit, posse, si ita statutis Religionis sit permissum; quia si omnes Cardinales essent mortui præter duos unus potest eligere alium in Papam, dummodò alius consentiat electioni suæ, Abb. *in c. Licet in fin. de elect.* Idem in Clericis, Abb. *in c. 2. n. 6. de elect. & in c. Cumana eod. tit.* cum Ostiense. Item cùm Generalis Ordinis S. Augustini S. Congregationem consuluisset primò, an ei liceret in electione Provincialium, & Priorum, aliorumque Officialium facienda aliquos nominatim proponere, S. Congr. censuit non licere. Secundò, an liceat in hujusmodi electionibus procedere nedum per schedas, sed etiam per globos, & ballotationes, S. Congr. dixit, nec etiam licere. Tertiò, an liceat eidem Generali ex Officii sui auctoritate in aliqua domo sui Ordinis, vel in Provincia Rectorem, Commissarium, vel Vicarium constituere in quibusdam casibus, nulla fratrum electione expectata, ubi ita expedire judicaverit, præsertim cùm ante, & post Concilium consueverit? S. Congreg. respondit, non licere; nisi ex gravi causa, & ad modicum tempus. Quartò, an hujusmodi Rectorem, vel Vicarium propria auctoritate Generalis titulo Prioris, vel Provincialis honestare possit? S. Congr. dixit, non posse. Quintò, an liceat Generali, ubi Constitutiones Ordinis id ei expresse committunt, in loco, & Conventu Romanæ Curiæ, ubi Generalis resideret, debeat fratrem aliquem idoneum Priorem constituere, vel pro Priore ponere? S. Congregat. respondit, licere.

5 Hieracensi. Electio Abbatissæ facta per vota non secreta per ignorantiam hujus decreti non valet, nec potest Episcopus dispensare, ut valeat; Sanctissimus tamen consideratis circumstantiis, dispensat.

Toletana. Vota secreta intelliguntur esse etiam quod aliqui Superiores, videlicet quatuor, aut quinque ea, sciunt, si hoc est juxta formam Statutorum Religionis, *cap. Quia propter de elect.*

Pacensi. Si in fundatione Monasterii fundator mandet, ut Abbatissa pro tempore eligatur de sua familia, talis ordinatio est servanda, si ex genere illius reperiatur monialis idonea cum omnibus qualitatibus requisitis, ac necessariis, ut *in cap. 7. ejusdem sess.* 25.

Minimorum. Si numerus eligentium est adeò paucus, quod ex necessitate deteguntur eligentes, si hoc permittitur per Statuta religionis, Concilium etiam tolerat. 6

Hieracensi. Occurrente obitu Abbatissæ Monasterii S. Mariæ Hieracensis, subjecti Provincialissæ Messanensis diœcesis, non potest Episcopus pro electione Abbatissæ accipere vota, sed sunt accipienda ab eo, cui dicta Provincialissa hoc mandaverit. 7

Hispalensi, & Toletana per hoc decretum non prohibetur quin Generales, aut Superiores Ordinum, in discordia electionum Priorum, aut Abbatum, & his similium, possint aliquos fratres extra monasterium, ubi electio celebranda est, degentes nominare, ut ex illis aliquis eligatur. 8

CONSULTATIO XLIX.

Quæ, & quomodo in Abbatissas, & quocumque nomine Præfectas eligendæ? Et an duobus Monasteriis nulla præfici possit? Idque an præscriptum cap. 7. S. Conc. Trid. sess. 25. de Regular. in quo ita decernitur.

ABbatissa, & Priorissa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur ex eis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur. Duobus verò Monasteriis nulla præficiatur. Et si qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare. Post id verò tempus, nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent. Is verò, qui electioni præest, Episcopus, sive alius Superior claustra Monasterii non ingrediatur sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum constitutiones. 1

Ponitur in hoc decreto ætas præficiendæ Monasterio, juxta *can. Sanctimoniales 20. q. 1.* Electionem tamen Abbatissæ, quæ præficitur in Monasteriis, seu Collegio Canonicarum Regularium, de quibus *in c. Indemnitatibus, §. penult. de elect. in 6.* eo excepto quod de eligendis professis statuitur, quippè quia nullum emittunt votum præsuppositio, quod ab immemorabili ejus electione dispositioni *d. cap. Indemnitatibus* nulla sit habita ratio, S. Congr. censuit non comprehendi hoc decreto, sed teneri observare ea, quæ decernuntur *in d. c. Indemnitatibus*, & hujusmodi consuetudinem esse rejiciendam tamquam corruptelam, quod si illæ Canonissæ professionem emitterent, comprehendi Concilii decreto; quæ decisio iterùm fuit proposita, & discussa, & S. Congr. perstitit in decisis. 2

Si nullum aliud in tota Provincia Monasterium ejusdem Ordinis reperiatur, quia Monasterium recens, & reperiretur monialis, quæ prædita esset qualitatibus requisitis in hoc decreto, S Congr. respondit, ex Monialibus in dicto Monastetio existentibus eam esse eligendam quæ melior sit, & magis idonea cæteris. 3

Sed an post Bullam B. Pii V. de egressu Monialium liceat Generali Superiori de Monasterio ad Monasterium Monialem transferre, ut in eo, ad quod transfertur Abbatissæ munere fungatur, facta relatione Greg. XIII. Sanctitas sua dixit, Bullam corrigere decretum Concilii *c. 7. sess. 25. de Reg.* Et ideò ex hoc decreto non licere 4

licere amplius extrahere Moniales de Monasterio pro constituenda Abbatissa in alio, nisi obtenta speciali licentia à Sede Apostolica.

5 Ponitur etiam in dicto decreto Tridentino exceptio Regulæ circa ætatem,& *d.c. indemnitatibus de elect. in 6.*Unde si reperiatur in Monasterio aliqua Monialis quadragenaria cum qualitatibus requisitis non tenentur Moniales aliam ex alio ejusdem Ordinis Monasterio eligere, sed liberum erit illis aliquam de consensu tamen Episcopi,vel earum Superioris ex proprio Monasterio eligere habentem qualitates requisitas in hoc decreto. Quod si nec talis in proprio Monasterio, nec quadragenaria in alio ejusdem Ordinis reperiatur,poterunt aliquam ex Monasterio eligere, quæ juxta *c. indemnitatibus de elect in 6.* trigesimum annum expleverit,& expressè professa sit.Nulla tamen minoris ætatis eligi poterit, sed postulanda erit à Sede Apostolica.

6 Num verò Monialis possit dici ex aliquo facto incurrisse irregularitatem, ita ut dispensatione indigeat, si fortè in Abbatissam eligeretur, vel aliqua sacra attractaverat, cùm multi de hoc consulti negativè responderint, nihil à S Congregatione responsum. Huc facit & illud, quod cùm Episcopus quidam recusasset benedicere Abbatisam electam,eaque petiisset remedium à S.Congregatione, rescriptum Episcopo, quod si Abbatissa hæc intra annum electionis suæ petierit benedictionem, & Abbatissa dicti Monasterii antea solita fuerit benedici, cùm in hoc Concilium nihil novi juris induxerit, benedicat,nisi aliquid habeat,quod contra eam urgeat, de quo Congregationem certiorem reddat.

7 Duobus verò Monasteriis nulla præficiatur; quod prohibitum erat in Monasteriis fœminarum in Concilio viennensi *c.6.*& in Monasteriis virorum *can.*4. *21.q.* 1. circa eum,qui præest electioni,cùm Imperatrix,quæ plurima privilegia quoad Moniales,Abbatissæ electionem aliaque plura habeat, eorum confirmationem, & amplificationem à Gregorio XIII. petiisset, S. Congr. respondit, Serenissimam Imperatricem, quando jam degit in Hispania, consultius facturam à gratiis jam concessis abstinere, quàm cum novas in hujusmodi re sibi concedi postulet. Item an privilegia,quæ ante Concilium concessa fuerant Duci,& Domino Januensium, ut eligere possent Prælatum,& alios quatuor quos vellent,qui omnia Reipublicæ Monasteria visitarent,corrigerent,& reformarent,sint sublata per Tridentinum Concilium, & S. Congregatio censuit, privilegia esse sublata, præsertim in ea parte,ut Dux, & Dominium possit eligere alterum Prælatum, ut Monasteria ipsa sint visitanda, & Moniales corrigendæ cum præsentia deputatorum, etsi referendum Sanctiss.Gregorio XIII. quòd si videbitur Sanctitati suæ in aliqua parte hanc revocationem moderari, hortando ipsos Dominos Januenses ad præstandum auxilium, consilium, & favorem ipsi Ordinario, & Superioribus, S. Congregatio moderationem laudat.

CONSULTATIO L.

Regimen Monasteriorum non habentium Ordinarios Regulares Visitatores, quomodo instituendum ex decreto Concilii Tridentini cap.8. sess. 25. de Regul.

1 IN hoc decreto innovatur Constitutio Concilii Lateranensis *cap. in singulis de stat.monach.* ampliatur, ac restringitur, & ultimo committitur Metropolitano executio dicti decreti. Hinc cùm dubitaretur, an Monasterium à jurisdictione Episcopi exemptum, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectum,quod ante Cõcilii publicationem commendatum reperitur,comprehendatur sub dispositione *cap.8.sess.25.de Regul.* &, reluctante Commendatario,possit se in Congregationem redigere, præsuppositio, quod Commendatario commissa fuerit cura, regimen, jurisdictio, & omnimoda administratio dicti Monasterii personas corrigendi, castigandi, & visitandi propria auctoritate, stante etiam quod in eodem Monasterio non sit Prior Claustralis ejusdem Ordinis, expressè professus, qui gregi regulari præsit,S. Congregatio censuit, hos monachos non posse se aggregare huic, vel alteri Congregationi jam institutæ,& confirmatæ, licere tamen ei sese cum aliis Monasteriis juxta dictum decretum *cap.*8. ad formam *d. cap. in singulis de stat. monach.* in Congregationem redigere. Ita enim intellexit S. Congregatio illa verba, & deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere. Item quod debeant de triennio ad triennium ista Monasteria commune celebrare Capitulum juxta dispositionem dicti *cap.in singulis*, & quod Monasteria commendata hoc decreto comprehendantur; quæ omnia Gregorius XIII. approbavit.

Congregare autem Monasteria ad Congregationem 2
faciendam ad Prælatos eorum tantùm, & illis renuentibus,ad ipsos Capitulares pertinet,& talibus renuentibus, vel negligentibus, ad Metropolitanum. Dicta autem convocatio per majorem partem Prælatorum Congregationis facienda erit.

Legitimè tamen convocati non quidem compellere 3
poterunt quæcunq;Monasteria Provinciæ,vel extra, si intra eam non sit sufficiens Monasteriorum numerus ad dictam Congregationem faciendam atque in ea deliberare,ac definire quæcumquè necessaria,& opportuna videbuntur. Poterunt tamen deliberare, ac definire ea, pro quibus Congregatio fuit convocata.

CONSULTATIO LI.

De quibus Monasteriis agat S. Concilium Trid. cap. 9. sess. 25. de Regul.

EX sententia S. Congregationis dictum decretum 1
agit de Monasteriis Monialiũ subjectis Sedi Apostolicæ,vel aliis, non de iis, quæ subduntur Generalibus,vel ab aliis Regularibus reguntur. Unde cùm Hieracensis Episcopus vellet jure ordinario visitare Monasterium S.Mariæ de Valle viridi Terræ Castri veteris Hieracensis Diœcesis Ordinis Carmelitarum,quòd prætendebatur subjectum à fundatione Monasterio S. Mariæ de Valle viridi, & ejus Provincialissæ pro tempore existenti Messanensis Civitatis, & ostendebatur susceptum sub D. Petri protectione per Bullam Clementis, S.Congregatio primò censuit hoc decreto intelligi de Regularibus fœminis, prout & aliàs decretum fuit, nec obstare rationem clausuræ per Glos. *in Clem. attendentes de stat. monach.* Deindè dixit, quod cum Episcopus gubernare & visitare velit ex hoc decreto,& Concilium requirat, quod Monasterium sit immediatè Sedi Apostolicæ subjectum,istud autem ex Bulla Clementis non probatur, quia verba illa sub protectione non id inferunt *cap.ex parte 2. de privil.* ideò Episcopum ex hoc decreto non posse gubernare, aut visitare.Si autem Episcopus alio jure communi visitare posset, quia scilicet dictum Monasterium non apparet exemptum ab Ordinario, adeat Judicem competentem, quamquam difficile erit sustinere, quod dictum Monasterium non sit exemptum,sicut sunt omnia reliqua regularia.

CONSULTATIO LII.

De confessione, & communione semel singulis mensibus à Monialibus facienda: de confessario extraordinario eis ab Episcopo offerendo, & quo loco apud illas Eucharistia conservanda.

SAcrum Concilium Tridentinum his de rebus ita 1
decernit *cap.*10. *sess.*25. *de Regul.* Attendant diligenter Episcopi, ac cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in constitutionibus earum

admoneantur

admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat; quod verò Sanctiss. Christi Corpus intra chorum, vel sepia Monasterii, & non in publica Ecclesia conservetur, prohibet S. Synodus, non obstante quocunque indulto, aut privilegio.

2 Id, quod disponitur de confessione, & communione habetur *in Clem. ne in agro, §. sanè de stat. Monach.* Et quoad confessorem extraordinarium, hoc verbo *extraordinarius* Gregor. XIII. dixit comprehendi tum Regularem alterius Ordinis, tum sæcularem Sacerdotem; ex quo superior poterit quidem, non tamen tenetur offerre extraordinarium confessorem sæcularem, vel alterius Ordinis Monialibus sibi subjectis. Hac tamen facultate non debebit uti, nisi magna cum discretione, & ubi ageretur de periculo animarum. Nihil tamen super hoc S. Congregatio statuendum existimavit, ut consulatur existimationi Religionum, & ne detur causa Monialibus licentiùs agendi contra Superiores: præterquamquod illi qui sunt alterius Religionis, non possunt bene cognoscere de transgressionibus illius Regulæ, cujus notitiam non habent. Non tamen dixit ex hoc S. Congregatio, Moniales omnes teneri confiteri extraordinario confessori oblato, sed esse in arbitrio Monialium, cui maluerint, confiteri, extraordinario scilicet, vel ordinario.

3 Et quoad asservandam Eucharistiam ex pluribus interpretationibus, quæ afferebantur ad hoc decretum, ubi cavetur, ne Sanctissimum Christi Corpus intra chorum, vel sepia Monasterii conservetur, quæ aliqui duo etiam disjunctim præcepta ita intelligunt, ut tum in Ecclesia esse jubeant, tum servari omninò vetetur intra septa Monasterii, tametsi aliàs intra Ecclesiam suo loco sit repositum. Aliqui contra conjunctim ea verba interpretantur, ut eum tantùm abusum prohibitum velint, quo Sacra Eucharistia ex Templis sublata introrsus in chorum transferebatur, nihil tamen obesse, quominus utrobique servetur. Tertii inter utrosque medii, ut Monialium devotioni indulgeant, præter Sacramentum in altari Ecclesiæ situm, ita alibi intra chorum locant, ut parieti, qui chorum ab Ecclesia disjungit, adhæreat, & à Sacerdote renovetur per fenestellam in ipsum Templum prospicientem, quæ cæteris temporibus obserata in eum tantùm usum brevi momento pateret. Sic enim Sacerdotis ingressum, clausuræ violationem, & pericula vetari; quem modum, ut omnia Hispaniæ Monasteria hanc formam retineant, neque se Concilii verbis repugnare arbitrantur. Sacra tamen Congregatio censuit, primum relatum esse verum sensum, & proprium hujus decreti, & addidit, quod præcipitur in pubiica Ecclesia conservandum esse, intelligitur de ea Ecclesia, in qua id secundùm Canones fieri debet decreto dicti Concilii obstare, quominùs intra chorum, vel sepia Monasterii locetur. Id autem, quod in Hispania ultimo loco refertur consuevisse ex decreto Concilii non licere, & formam ejusmodi non posse induci, nec retineri, & omninò prohibendam, & tollendam esse.

4 Super istos autem confessores Regulares, etiam extraordinarios datos Monialibus, ex hoc decreto Episcopi nullam jurisdictionem habent.

5 Regienſi. Ex facultate hujus decreti Episcopus potest dare confessorem Monialibus subjectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, ut peccata sua Regularibus confiteantur.

6 Toletana. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non in choro Monialium, sed in Ecclesia exteriori conservetur, non obstante quacunque consuetudine contraria, nec potest in fenestella illius parietis, quæ disjungit chorum Monasterii ab Ecclesia, retineri, & ubi consuetudo inolevit, est omninò tollenda.

CONSULTATIO LIII.

An, & quatenus Regulares secularibus in observatione censurarum Episcopalium, & festorum Diœcesis conformari teneantur?

SAcrum Concilium Trid. *cap. 12. sess. 25. de Regular.* sita decernit: *Censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur. Dies etiam festis, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.* 1

Præcipit igitur S. Synodus, ut publicentur etiam in Ecclesiis Regularium, & etiam Mendicantium per *cap. fin. in fin. de Regular.* utque dies festi serventur. Quare cùm Navarrus editurus suum Manuale confessariorum consuluisset S. Congregationem Concilii, an privilegia Regularium, quibus conceditur eis facultas celebrandi divina in diebus Sanctorum suorum Ordinum, & aliquot aliis tempore interdicti januis apertis, &c. sint sublata per hoc decretum, & *cap. 22. de Regul. in fine.* Dicebat S. Congregatio, posse responderi privilegia concessa Regularibus celebrandi tempore interdicti cum moderatione non censeri sublata à Concilio, seu illa moderatio sit secundùm terminos *cap. fin. de sent. excom. in 6.* seu amplior, dum non eludant substantiam interdicti; Quia tamen unus Cardinalis dissensit propter authoritatem D. Antonini, qui *in 3. p. tit. 26. cap. 5. §. 1.* tradit, sublatis privilegiis videri etiam sublata ea, quæ cernunt moderationem. S. Congreg. denuò considerato loco D. Antonini, & visa informatione Navarri, censuit privilegia Regularium eatenus esse in terminis hujus decreti sublata à Concilio *d. cap. 22.* quatenus contineantur in jure communi, quod Concilium præcessit, nempe *d. cap. fin. de sent. excom. & Clem. 1. eod. tit.* 2

Et cùm Archiepiscopus Neapolitanus diem festum S. Josephi solemniter celebrandum decrevisset, illum curare debere, ut ab omnibus etiam exemptis observaretur, censuit S. Congregatio. Sed num Episcopus possit in Diœcesi sua novos dies festos instituere vigore hujus decreti, & ex hoc decreto, S. Congregatio censuit, non esse hanc facultatem datam Episcopo. Et cùm quæreretur, an exempti teneantur accedere ad alienas Ecclesias pro quadraginta horarum oratione ex præscripto Episcopi celebranda, vel saltem teneantur orationem in propriis Ecclesiis recipere. S. Congregatio censuit ad primum non teneri; ad secundum teneri. 3

Hoc autem decretam Sacra Congregatio declaravit, ita esse intelligendum, ut Regularium ritus illis diebus festis semper permaneat quoad Missas celebrandas, & cætera divina officia tam publicè, quàm privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda. Nec circa hunc ritum ab Episcopis quoquomodo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse. Quod si de facto præceperint. Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Evangeliis, & Epistolis, quibus utitur Clerus secularis illis diebus festis. 4

Parerga, Melivetana, & Squillacensi. Etiam Equites Hierosolymitani censuras ab Episcopo publicatas in suis Ecclesiis publicare debent, ac etiam alii quomodolibet exempti, etiam Carthusienses. 5

Eadem. Episcopus etiam censuras à Superioribus Hierosolymitanis ritè latas publicare debet. 6

Mediolanensi. Interdicta non solùm generalia, sed etiam 7

etiam particularia unius hominis Regulares servare,& publicare possunt, *Clem.1. de sent. excom.*

8 Cæsarauguſtana. Rector Parochialis Eccleſiæ Religionis Hieroſolymitanæ, ſi nolit publicare edictum, ſeu cenſuras, aut alia mandata Epiſcopi, poteſt ab eo puniri.

9 Feretrana. Dies feſti, quos Epiſcopus ſervandos præcepit, ab omnibus etiam exemptis ſervari debent, dummodò in Diœceſi ſint.

10 Rubenſi. Non eſt data facultas Epiſcopi inſtituendi in ſua Diœceſi novas feſtivitates, contradicente populo, & ſuper hoc ſervanda eſt Bulla B.Bii V.

CONSULTATIO LIV.

De controverſiis præcedentiæ ab Epiſcopo componendis. Et de exemptis ad proceſſiones publicas compellendis.

1 DE hac re ita ſtatuit S.Synodus Tridentina *ſeſſ.25. de Regul. cap. 13. Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpè maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſeculares, quàm regulares tum in proceſſionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque componat. Exempti autem omnes tam clerici ſeculares, quàm regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt.*

2 In hoc itaque decreto agitur de componendis omnibus controverſiis de præcedentia, ſed inter Eccleſiaſticas perſonas. Hinc orta controverſia præcedentiæ inter Capitulum, Canonicos, Priores, & Magiſtratum Civitatis fuit dubitatum, an eam Epiſcopus, quacumque appellatione remota, compeſcere poſſet, vigore facultatis ſibi à Concilio tributæ ex hoc decreto, dictum eſt, non poſſe, quia caſum hunc non comprehendit Concilii decretum, cùm Concilium dicat inter Eccleſiaſticas perſonas, hîc autem ſunt ſeculares ex una parte. Epiſcopus tamen curare debebit, ut obſervetur id, quod hactenus ab annis vigintiquatuor circa fuit ſolitum obſervari.

3 Delata ad S.Congregationem controverſia de præcedentia inter Dominicanos, Franciſcanos, Auguſtinianos, & Carmelitanos, ſumptæ fuerunt informationes, & repertum conſuetudinem inoleviſſe, atque obſervatum fuiſſe ſemper, ut ea Religio, quæ prius in loco habuit Monaſterium illa præcedat, quam conſuetudinem Gregorius XIII. juſſit obſervari, & nihil innovari. Sic etiam cùm Magiſtratus, & populus Firmi conſueviſſet comitari Epiſcopum ad Eccleſiam præcedendo, & poſtea vellet ſubſequi, non anteire, deciſum eſt, Magiſtratum debere præcedere Epiſcopum, prout hactenus conſuevit, quia Epiſcopum ſequitur Clerus.

4 Et cùm ab Epiſcopo lata eſſet ſententia ſuper præcedentia Eccleſiaſticarum perſonarum, & dubitatum eſſet, an eſſet per appellationem ſuſpendenda.S.Congregatio cenſuit, non eſſe ſuſcipiendam, imò poſſe Epiſcopum eam exequi, & contra inobedientes procedere juris remediis.

5 Sed num per Bullam Gregorii XIII. quæ privilegia Mendicantium, & aliorum Regularium reducit ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini, revocata ſit Conſtitutio B. Pii V. qua ſtatuitur Fratres Ordinis Prædicatorum ubique debere præcedere cæteros Fratres, S. Congregatio cenſuit, non obſtare illam generalem clauſulam poſitam in Bulla Gregorii de præfatis, & aliis omnibus literis, & Conſtitutionibus quomodolibet emanatis, tamen Pius V. ex capite juſtitiæ videtur declaraſſe hanc controverſiam præcedentiæ, & jam Fratres Dominicani ſunt poſiti in poſſeſſione. Verùm de hac re vide *tom.* 1. & 4.

Cùmque Jeſuitæ ſint Clerici Regulares, & in hoc decreto comprehendi videantur, conceſſum eſt illis Breve à Gregorio XIII. ne teneantur accedere ad proceſſiones.

Sed dubitatur in quibus proceſſionibus intelligatur hoc decretum. Secundò, an Regulares recuſantes 6
accedere ad proceſſiones poſſint compelli cenſuris. Tertiò, an à cenſuris in eos hac de cauſa latis poſſint Regulares à ſuis Superioribus abſolvi. Et ad primum S. Congr. reſpondit, Concilium intelligi abſolutè de omnibus, & quibuſcumque proceſſionibus publicis, & conſuetis, vel inductis pro bono publico, vel honore non tamen compellendo ipſos Regulares exemptos accedere ad Eccleſias extra propria Monaſteria pro celebratione orationis quadraginta horarum. Congregationi tamen probatur, quando toti populo dicta oratio indicitur in propriis Eccleſiis hujuſmodi orationi inſiſtere. Ad ſecundum Regulares poſſe compelli ab Epiſcopo per cenſuram, & excommunicationem, de qua re nos etiam *tom.*3. Ad tertium non poſſe abſolvi à ſuis Superioribus, quia ſunt excommunicationes ab homine, quarum abſolutio petenda eſt à Judicibus, qui tulerunt, vel à Sanctiſſimo.

Hinc cùm Monachi Sanctiſſimæ Trinitatis Cavenſis 7
cogerentur ab Epiſcopo accedere ad proceſſiones publicas, ipſi recuſantes, quippe quia nullius Diœceſis exiſterent, S. Congregatio cenſuit dictos Monachos non poſſe cogi ex hoc decreto ad proceſſiones. Tum quia nullius. Tum quia non poſſunt dici exempti, cùm nunquam ſubjecti fuerint Epiſcopo. Item quia habent concordiam vallatam confirmatione Sedis Apoſtolicæ, quam Concilium *cap. 22. ejuſdem ſeſſ. 25. de Regul.* non ſuſtulit. Quod ſi Epiſcopus velit eos cogere tanquam ex conſuetudine inveterata obligatos ante Concilium, agat via ordinaria coram Judicibus competentibus. Regulares verò degentes in Monaſteriis extra mœnia pluſquam per medium milliare diſtantibus, ad proceſſiones accedere non poſſe cogi, dixit S.Congregatio. Item nec Confraternitates laicorum, cùm hic agatur de perſonis Eccleſiaſticis. Quomodo tamen cogi poſſint, aliàs diximus,

Placet huc adducere, obiter tamen, decretum ge- 8
nerale S. Rituum Congregationis, quod eſt tenoris ſequentis. *Cùm pluries S. Rituum Congregatio inhærendo decretis aliàs editis, & ſignanter in Lucerina die 22. Novembris 1664. 28.Sept.1675. & 13.Martii 1688. declaraverit nullo modo dandum eſſe Evangelium ad oſculandum ſecularibus, etiam Præſidi in celebratione Miſſarum, necnon prohibuerit uſum baldachini, & præſertim in Acerninâ die 26. Junii 1666. in Barenſi 5. Martii 1667. & 17. Junii 1684. in Marſicenſi, Polignanenſi, & Miletenſi 5. Martii 1667. in Hieracenſi die 2. Octobris 1683. & in Bitectenſi 23. Septembris 1684. ac inſuper denegaverit aſſiſtentiam in preſbyterio, & ſpecialiter in Materanenſi 24. Januarii 1665. in Melphitana 15. Junii 1667. & in Barenſi 20. Novembris 1677. & 22. Februarii 1687. Eminentiſſ. & Reverendiſſimi DD. Cardinales eidem S. Congregationi præpoſiti mandarunt, ut prædicta decreta prohibentia perſonis ſecularibus oſculum Evangelii, uſum baldachini, & aſſiſtentiam in preſbyterio renoventur, & copia illorum tranſmittantur Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Neapolitani, eiſdemq; injungendo, ut illa intimari faciant Superioribus Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, tam ſecularibus, quàm Regularibus, & in caſu tranſgreſſionis procedant etiam contra Regulares authoritate ejuſdem Sac. Congregationis ad pœnam interdicti. Et ita decreverunt, & in Eccleſiis Regni Neapolitani omninò ſervari juſſerunt die 13. Martii 1688.* Quæ omnia ſunt conſentanea iis, quæ ſcripſi de eiſdem materiis *tom.*1.2.& 3.

CONSULTATIO LV.

Profeſſio Religioſa qua ætate fieri debet? Ubi multa ex uſu edocentur.

IN

1 IN quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta fit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. Ita S. Concilium Trid. *cap.15. sess.25. de Regular.*

2 In quo decreto primùm decernitur circa ætatem, quæ de jure communi in mare est annorum quatuordecim, in muliere duodecim. Hi enim anni solvunt jus patriæ potestatis, ut possit quisque & votum Religionis emittere, vel matrimonium contrahere. Dicuntur enim discretionis *cap. ad nostram, & cap. cum virum de Regul. & cap.1.eod.tit. in 6.* Quibus non obstantibus S. Concilium ad tollendam omnem dubitationem, quæ ex juris veteris dispositione oriebatur, utq; adolescentium fragilitati succurratur, determinat ætatem, de qua in textu. Et advertendum ex hujusmodi constitutione censuisse Sac. Congregationem corrigi *d. cap. 1. de Regul.* & induci tacitam professionem ea ætate, qua expressa potest emitti.

3 Idque in quacunque Religione, ex qua universali dictione omnes milites Regulares hoc decreto comprehendi videntur. Contrarium tamen dixit S. Congregatio, cui conformatur S. Rota Rom. Professio, inquit, non fiat tam de tacita, quàm de expressa intelligendo, cùm tacita servatis iis, quæ à jure communi requiruntur, ac tempore ætatis in hoc decreto assignatæ, non excluduntur, & talis professio tacita ex S. Congregatione per annum, & diem computandum à die post decimum sextum annum expletum ejus, qui monasterium ingressus est, inducitur.

4 Et dum quæreretur, an qui in Religione S. Basilii, in qua sui initio fiebat expressa professio trium votorum à tempore, cujus initii memoria non existit, regulari observatione in ea collabente, ejus Monasteria commendata fuerint, desieritque emitti consueta professio, quia nec erat caput aliquod Religionis, de manu Commendatarii, vel Prioris non expressè professi habitum susceperit, & per aliquot annos gestavit, tacitè professus intelligatur. Et S. Congr. censuit, intelligi. De eo verò, qui cum minori ætate esset, & incumberet servitiis Abbatis, & perpetui Commendatarii S. Nicolai Ordinis S. Basilii Messanensis Diœcesis, quæ Abbatia per annos sexaginta in Commendam secularibus concedi consuevit, & in qua regularis observatio non vigebat, nec Conventus erat, quatuor minores Ordines, & successivè alios etiam Presbyteratus ad titulum dictæ Abbatiæ de licentia Commendatarii susceperit, habitumq; à Monachis S. Basilii gestari solitum ipse per se, non per aliquem facultatem habentem susceperat, & gestabat, in præsentia diù, multumq; dubitatum, an tacitè professus dici posset. Negotium enim faciebat, quod qui extra Monasterium, & Monachorum Congr. deferunt habitum regularem, non ideò Religioni obligantur, Glos *in Clem. eos, v. aliqua de Regular.* Abb. in *cap. ut Clerici, eod. tit.* sed possunt compelli habitum dimittere, vel intrare. Hic autem erat extra Monachorum Congregationem, cùm in dicta Abbatia nullus existat Monachus. Item non poterat videri professus, cùm ipse per seipsum susceperisset; Oportet autem habitum recipere ab eo, qui potestatem habet recipiendi, *cap. porrectum*, ubi Abb. *num.5. quæst.11. de Regul.* Noluit tamen S. Congregatio id decidere, sed rejecit ad Signaturam.

5 Et dum quæreretur, an rata confiteri debeat professio, & liberè ad matrimonium redire is, qui relicta propter adulterium uxore vitam Eremitanam aliquot annis duxit, in qua adulterium commisit, & postmodum ratus id sibi licere ex multorum consilio Religionem ingressus, & professus fuit, ibique annos quinque perseveravit. Sac. Congregatio censuit, omnia committenda Ordinario, qui justitiam administraret. Tamen sic censuit ipsa S. Congregatio. Si vera sunt, quæ pro certis exponuntur, professionem esse nullam, atque irritam, & licere mulieri virum suum repetere, vel certè vovere castitatem, ut ipse ratificare possit professionem.

6 Huc etiam spectare videtur, quod cùm in Monasterio Monialium Tertiariarum Ordinis Observantiæ Minorum duæ Moniales existerent, quarum altera nec professa erat, nec professionem emittere volebat, quæ cùm esset Abbatissa, Prælatus ab officio eam removit, & declaravit, non fuisse legitimam Abbatissam. Altera verò annorum octuaginta, quæ non erat professa, sed parata erat profiteri: S. Congregatio petenti Prælato respondit, octogenariam illam ad professionem admittendam; aliam verò, quæ profiteri nolebat, habendam esse pro tacitè professa, præsuppositio, quod in illo Monasterio habitus non sit distinctus, prout Commissarius Curiæ affirmavit, & quod illa sponte acceptaverit Abbatissatum. Cùm enim Abbatissatus sit actus, qui non potest fieri, nisi à professis ingerendo se cum debitis præsuppositis, dicitur tacitè professa secundùm *cap. Vidua*, ubi Abbas *de Regular.* Item cùm negaverit profiteri, reddidit se Abbatissam indignam, & ideò privata ex hac causa, non autem ex ea, quia non professa, cùm, ut diximus, pro tacitè professa habenda sit. Quæ omnia procedunt, si quoad professionem non possit se tueri ex defectu aliquorum requisitorum, ut per Abbatem *in d. cap. Vidua de Regular.*

7 Professio autem non fiat ante decimum sextum annum expletum. Ergo si ex institutis antiquis, & approbatis alicujus Regulæ adhuc maturior ætas ad professionem emittendam requiritur, servari debent instituta. Concilium enim vult, ut non possit fieri ante. Et advertendum, quod ex hac ætate sexdecim annorum, quæ professioni à Concilio assignatur, censuisse nonnullos, dum hîc ageretur de temperanda Constitutione B. Pii V. de non admittendis pueris in Religionem, ut scilicet non reciperentur, nisi ad minus octavum annum attigissent, cum tali ætati, si adjiciatur aliquis annus, habeamus ætatem à Concilio ad professionem destinatam.

8 Nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, *can. Gonsaldus 17. quæst. 2 cap. ad Apostolicam, cap. postulasti de Regul. & cap. non solum eod. tit. in 6.* Cùm tamen dubitaretur, an professio regularis emissa anno 1564. de prima Aprilis ante annum probationis expletum ab eo, qui tunc ignorabat hoc decretum, & in Monasterio, quod habebat privilegium à Sede Apostolica admittendi ad professionem volentes ante annum profiteri, non obstante Constitutione Pii IV. super declaratione observationis decretorum Concilii, valida esset, S. Congr. censuit, esse validam. Is verò qui tres menses in Monasterio commoratus inde exiit, & reversus elapsis aliis tribus mensibus superveniente infirmitate discessit, quia liberatus, iterum reversus, post novem menses in manibus Monasterii professionem emisit, habitum professorum susceperit, & decem ac octo mensibus gestavit, expressè professus dici non poterit, cùm intra annum professio facta non fuerit, & tempora non possunt conjungi, cùm requiratur annus continuus, benè tamen ex lapsu anni in gestatione habitus professorum per dictum tempus tacitè professus præsumendus erit.

9 Sed num in Militibus Hierosolymitanis requiratur ex hoc decreto, ut post annum professio fiat, non obstantibus Constitutionibus ipsorum, ex quarum tenore in ipso ingressu, & habitus susceptione professionem emittunt; censuit S. Congregatio, hodie requiri, tametsi aliàs aliter censuerit. Animadvertebat enim S. Congregatio comprehensas esse in dispositione horum

decretorum tantummodò Moniales hujus Ordinis, nominatim expressas *in cap. ult. ejusdem sess. 25. de Regul.* Indistinctè tamen esse locum tacitæ professioni inter eosdem Milites, etiam degentes extra Conventum Hospitalis Melitensis juxta dispositionem juris communis, *cap. 19. ejusdem sess.*

10 Ritè tamen profiteri dicetur is, qui sex mensibus anni novitiatus in Monasterio tantùm mansit, & residuo anni tempore de licentia, & mandato Prælati sub ejus obedientia stetit in Curia agendo gravia sui Monasterii negotia, & in fine per procuratorem professionem emisit. Et hoc præsertim *ex cap. insinuante qui Cler. vel vov.*

11 Nec professus in una Religione ad aliam authoritate Sedis Apostolicæ translatus, etiam laxiorem, poterit anno probationis renunciare, & à Superiore ad professionem admitti, sed debebit iterum profiteri, prout in hoc decreto.

12 Professio autem antea facta est nulla. Et in hoc ponitur decretum irritans contra disposita in textu, Quod est de jure veteri *cap. ad Apostolicam de Regul.*

13 Sed num professio facta ante tempus præfinitum post Concilium saltem in foro conscientiæ erit nulla, non obstante, quod professus postea occasione quadam ignorans tunc ætatem à Concilio professioni statutam, habitum sponte dimisit, & hodie in sæculo versetur juxta *cap. 19.* ejusdem *sess. 25. de Regular.* Et absolutè nullam dixit S. Congregatio, & sic in utroque foro hujusmodi professionem non teneri, prout absolutè loquitur hoc decretum. Non defuerunt tamen, qui existimarent obligare quoad jussum legis dicti *cap. 19.* eo quod habitum sponte dimiserit, atque extra Monasterium maneat.

14 Si quæras, an professio intra annum probationis obliget ad Religionem aliquam in genere, vel in specie. Dico non obligare, & in hoc jura antiqua *cap. non solum de Regul. in 6.* correcta. Unde nec in foro conscientiæ inducta censebitur aliqua obligatio. Advertendum hic aliquando justis de causis fuisse dispensatum, ut antea quis profiteatur. Cùm enim S. Pœnitentiaria respondisset mulieri, cujus vir ordines sacros susceperat, licere post consummatum matrimonium ingredi Religionem, & in ea profiteri, & ipsa annum trigesimum octavum agens, id quamprimum efficere cuperet, cùm in Monasterio quindecim menses morata Regulæ asperitatem experta esset, ipsaque à Monialibus agnosceretur, cum illa fuit dispensatum. Hanc enim materiam meri juris positivi esse, dixit S. Congr. *d. cap. ad Apostolicam de Regul.* ubi intra annum probationis professionem fieri non debet, sed facta tenet.

15 Fuit & mulieri alteri ex dispensatione professioni prorogatum. Dubitabat enim illa, ne, emissa professione, bona sua apud Mercatores existentia recuperare posset. Unde petebat, ut sibi liceret in Monasterio ultra tempus novitiatus manere, nec inde intelligi tacitè profiteri. Quare cùm dictum fuisset quoad tacitam professionem posse sibi cavere per protestationem, indultum fuit, ut per sex menses ultra annum novitiatus in Monasterio posset manere absque eo, quod expressè profiteatur. Hinc mulier duodecim annis major, si Monasterium ingrediatur, habitumque suscipiat, expectare debet, donec annus probationis labatur, & professio ab ea emittatur.

16 Si quæras, an qui voluit ingredi Religionem, & in ea perseverare, si ingressus intra annum probationis recedat, & revertatur ad sæculum, ex mente hujus decreti à voto liber dicendus sit? Fuit responsum, hoc decretum nihil de voto disposuisse.

17 Item si quæras, an is, qui ex voto Religionem ingreditur, possit in ea validè, etiam ante tempus in hoc decreto præfinitum, & ante probationis annum, salvo hoc decreto, professionem emittere? Non posse Sacra Congregatio censuit. Et fuit dubitatum, an Monialis, quæ in Monasterio professionem emisit, & postea cum probabiliter dubitaretur, an esset baptizata, sub conditione, & ad cautelam baptizata fuit, valida professio censeatur absque eo, quod rursus professionem emittat, an verò ad professionem iterum emittendam compelli possit, ac debeat non expectato post baptismum alio probationis anno? Sixtus V. ex sententia S. Congregationis respondit, non esse necesse, ut de integro professio emittatur.

CONSULTATIO LVI.

Quando renunciatio, aut obligatio Regularium facienda sit? Quando etiam novitii profiteri, aut ejici debeant? Ubi alia juxta decretum S. Concilii Tridentini cap. 16. sess. 25. de Regular.

IN prima parte hujus decreti ponitur, quid servandum sit in Novitiorum renunciationibus, & nota, 1
quod disposita in hoc decreto locum habent in omnibus renunciationibus tam Monialium, quàm virorum, & ea, quæ in eo disponuntur tam ad viros, quàm ad Moniales pertinere, cùm in omnibus eadem sit ratio, & in donationibus, & renunciationibus etiam in favorem consanguineorum. Intelligitur etiam de renunciatione alicujus beneficii. Non autem locum habent in testamentis, & ultimis voluntatibus, quæ revocari possunt.

Debet autem renunciatio, aut obligatio fieri cum 2
licentia Episcopi, sine qua renunciatio facta, etiam professione secuta, nulla erit. Hæc tamen licentia minimè sibi locum vindicabit, si probationis tempus post annum prorogatum fuerit. Item si renuncians sit tacitè professus, & renunciaverit intra duos menses ante professionem expressam, necessaria erit ad validitatem renunciationis hujusmodi licentia. Quærenti, an hujusmodi licentia possit concedi die festo, responsum fuit, posse, si eo die rogari possit instrumentum. An verò dicta licentia possit concedere Locumtenentem Vicarii, dicendum, posse, si à Vicario in specie talem habeat facultatem.

Et intra duos menses proximos ante professionem. 3
Sed cùm renunciatio beneficii, de qua etiam diximus loqui hoc decretum, facta incepto undecimo probationis mense, si postea novitius fuerit in Monasterio decem continuis mensibus, valida intelligatur, etiamsi professio differatur per aliquod tempus inter resignationem, & professionem plusquam duo menses intercedunt. Et dicendum intra duos menses proximiores ante professionem intelligi, si professio ultra plures menses anni probationis sit facta, & hujusmodi resignationem valuisse, cùm Concilium non dicat ante annum, sed ante professionem.

Ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi 4
secuta professione. Unde cùm contigisset, ut quidam novitii servata forma in hoc decreto præscripta bona sua Monasterio donassent, & uterque eorum non sequuta professione discessisset, alter horum revocata ante mortem donatione, alter verò non. Dixit Sacra Congregatio tam illius, quàm istius bona non posse à Monasterio retineri, cùm, non sequuta professione, nulla fuit donatio.

In secunda parte decreti agitur de emittenda pro- 5
fessione finito tempore novitiatus. Sed quid si novitius agens decimum tertium annum, ac proinde elapso probationis anno, annum ætatis à Concilio ad professionem præfinitum non attigerit? Et posse superiorem illum permittere, ut amplius in novitiatu permaneat, dixit S. Congregatio. Quia Concilium loquitur de habilibus ad emittendam professionem. Talis autem non est habilis, cùm ætatem non habeat. Tantò magis, quod in masculis non est præfinitum à Concilio tempus ad habitus susceptionem. Id ipsum superiores cum inhabilibus, veluti qui non adhuc

sciunt

sciunt legere, atque officium ordinare, prout Religionis instituta possunt, posse servare, dictum fuit, cùm de jure communi tempus probationis ultra annum potest dari arbitrio Superioris. Indultum tamen fuit puellæ, quæ, cùm instaret tempus professionis, & adversa valetudine uteretur, unde tanquam inutilis Monasterio eam ejicere volebant, ut adhuc per sex menses prorogaretur ejus professio, donec esset spes recuperandæ valetudinis.

6 In tertia parte excipiuntur Jesuitæ ab emittenda professione, elapso probationis anno. Quos S. Congregatio censuit aliquando in prima parte hujus decreti comprehendi, & solùm excipi in secunda, ubi agitur de novitiatu. Tum quia exceptio referenda videtur ad proxima. Tum quia ratio exceptionis non ita videbatur militare in prima parte. Postea tamen accuratiùs rem totam præponderando, dictum etiam in prima parte excipi,

7 In quarta præcipitur, ne quid Monasteriis ex ipsis bonis novitiorum ante professionem tribuatur. Ex qua constat, oblatos, qui se, & bona sua Monasterio dederunt, etiamsi perpetuò, & plenè oblati fuerint, hoc decreto non comprehendi, sicuti & hi, qui in ipso ingressu Religionis renunciaverint, non autem hi, qui ante habitus susceptionem donaverint.

8 Undè apertè colligitur Monialibus non licere à puellis ingredientibus accipere dotes ante earum professionem. Imò ex S. Congregatione aliquid accipere ex bonis parentum, & consanguineorum, atque etiamsi novitius ipse, vel novitia sit sui juris, & non habeat parentes, præter victum aliquid Religioni, seu Monasterio donare non poterit; quæ omnia procedunt, etiamsi accipiantur sub nomine depositi, seu præstita cautione de illis restituendis, professione non sequuta. Non tamen prohibitum intelligitur, hujusmodi dotes realiter poni penes tertium, qui eas Monasterio debeat dare post professionem emissam. Item non videtur prohibitum, ne puella ingrediens Monasterium det aliquid in rationem census super Monasterii bonis, per Moniales postea convertendum in dotem illius, postquam emiserit professionem. Cautio verò adjuncta à quibusdam, ut puella ingrediente depositum dotis prius fiat, & deinde omne id, quod in depositum recepit, totum depositarius ipsi Monasterio ante professionem consignet, damnata est. Quandoquidem decretum, etsi non prohibeat hujusmodi depositum, prohibet certè, ne pecuniæ sic depositæ dentur Monasterio directè, vel indirectè. Quod omninò servandum.

9 Notandum, quod occasione domus Piæ de Urbe dubitatum est, an limitatio *cap.* 18. in fine ejusdem *sess.* 25. extendatur ad hoc capitulum. Et cùm dicta domus habeat in fundatione annum probationis, minimè comprehendi visum est. Indultum tamen ex benignitate Papæ, ut ante professionem, non obstante hoc decreto, dotem accipere possit. Item quod ob æs alienum, quo Monasterium quoddam Mediolanense premebatur, concessum, ut tres dotes ante puellarum illas solventium professionem acciperentur, præstita idonea cautione de restituendo, si professio non sequeretur.

10 Advertendum tamen, quod de puellis, quæ educationis causa in Monasteriis degunt, dixit S. Congregatio non teneri Monasteria eis præstare alimenta ante regularis habitus susceptionem; non tamen eam ob causam dotem conventam augeri oportere, non obstante quacumque consuetudine. Unde quoties Sac. Congr. rescribit, ut puellæ seculares permittantur remanere in Monasterio educationis gratia, non intelligit id oneris imponere Monasterio, ut suppeditet illis impensas ære suo. Ideoque quantumvis pauperes puellæ sint, si minùs licet pecuniam ad victum decretam pro tenuitate facultatum præstare, ad aliquam certam partem convenientem solvat, ut eorum mansio damnum non afferat Monasterio.

11 In ultima parte contra facientibus excommunicationis pœna proponitur, & præcipitur dotem restitui, professione non secuta; in quam tamen non ipso jure incurritur. Quando enim à jure præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis, contra faciens non incidit ipso jure in excommunicationem, tamen potest excommunicari ab Ordinario, & ab eodem absolvi, si non reservatur Sedi Apostolicæ, & in hoc decreto non intelligitur reservata, cùm non sit specificata reservatio.

12 Abeuntibus autem ante professionem omnia restituuntur; ex quo dubitatum est, an dos soluta ante Concilium, professione, morte subsequente, non sequuta, post Concilium ex hoc decreto repeti possit. Et prima facie subsistit S. Congr, quia Concilium in hoc decreto videtur loqui quoad futura tantùm, nec de morientibus mentionem facit, sed simpliciter de abeuntibus. Quia tamen verbum illud *abeuntibus* indistinctè prolatum, videtur etiam ad præterita referri, dictum est, dotem restitui debere non solùm ex hoc decreto, sed ex eo, quod nulla facta professione matrimonium spirituale sequutum non est, & ideò si jus vetus, aut Concilium spectetur, dos restituenda erit, restitutis tantùm Monasterio impensis, quas in alimentis fecit. Quod si novitia intra tempus probationis discedat, dos soluta ejus hæredibus una cum fructibus, si quos Monasterium percepit, restitui debet, deducto tamen victu, & vestitu ipsius novitiæ. Dos verò Monasterio promissa pro Moniali defuncta professa, non obstantibus alimentis persolutis eidem, dum vivebat ob pactum juratum, quod ei essent persolvenda alimenta; donec dos solveretur, etiam, si pactum esset juratum, & consuetudo immemorabilis non recipiendi.

CONSULTATIO LVII.

De exploratione puellarum, habitum regularem suscipere, & professionem emittere volentium juxta cap. 17. sess. 25. de Regul. & de earum libertate ad ingrediendum Monasterium juxta cap. 18. ejusdem sess.

1 CUm circa professionem duo in primis attendenda sint, ætas nimirum, & spontanea voluntas, dictumque sit supra de ætate, modò circà voluntatem Sanctimonialium S. Concilium remedium adhibere voluit, quæ opportuna visa sunt. Et primò in hoc decreto 17. agitur de exploranda virginum voluntate, determinatur tempus suscipiendi habitum, & quomodo adhibendus sit Episcopus, vel ejus Vicarius ad explorandam voluntatem. De libertate autem professionis agitur *in cap. 1. de his, quæ vi, metusve caus. fiunt*, ibiq; Doctores *in cap. 1. de Regul. & in can. præsens 20. quæst. 3.* ac per totam.

2 Hoc autem decretum solummodò de virginibus disponit, non autem de viris, & jure veteri nihil de hoc cautum reperitur. In *cap. 1. de Regul. in 6.* solùm dicitur sufficere, quod anno decimoquinto emittatur professio. Quæ exploratio fieri debet tam in habitus susceptione, quàm antequam professio emittatur. Dixitque Sac. Congr. hujusmodi explorationem voluntatis ad Episcopum, vel ejus Vicarium pertinere dictum fuit à S. Congregatione, etiam in Monasteriis, ipsis Regularibus subjectis, etiamsi Monasteria sint in locis exemptorum inferiorum, dummodò tamen sint in Diœcesi ipsius Episcopi. Nec obstabit, quod puella sit alterius Diœcesis, cùm ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium est, talis exploratio sit facienda, ante crates tamen Monasterii. Quod si justa aliqua causa subsit, tunc demum in exteriori Ecclesia ipsius Monasterii, vel alia commodiori, & non alibi.

3 Et dum quæreretur, ut virginis voluntas rursus exploraretur, & quidem extra Monasterium, cùm

vereretur, ne Moniales ipsæ ut bona illius consequantur, eam blanditiis seducerent, S. Congregatio respondit, id ad petitionem illius, qui volebat illam in uxorem ducere, non esse faciendum, sed quando advenerit tempus professionis, si Episcopus id, quod proponitur, suspicabitur, educat eam è Monasterio, & perducat vel in Ecclesiam Monasterii exteriorem, prout sibi magis videbitur commodum pro explorandâ libera voluntate puellæ. Unde etiam posse Episcopum censuit Sacra Congregatio per edictum prohibere propositis pœnis, quas ipse judicaverit tam contra Præfectam Monasterii, quàm contra Superiores ipsarum Monialium, ne puellæ professionem emittant, nisi explorata prius illarum voluntate ab Ordinario.

4 Quod verò ad *cap.* 18. ejusdem *sess.* Ut Sanctimoniales spontanea voluntate professæ efficiantur in eo decreto tam contra cogentes, quàm impedientes, ac sinentes illas non spontè ingredi Monasterium, gravissima excommunicationis sententia fertur. Idem habetur *can. ult.* 32. *quæst.* 2. ex Concilio Toletano 3. *cap.* 10. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Convertitæ appellantur, in quibus constitutiones earum serventur. Quæ Pœnitentes, aut Convertitæ ex S. Congregatione possunt professionem emittere juxta dispositionem juris communis, earumve Constitutionum. Et advertendum, quod hodie tenentur ad clausuram formalem, & ad emissionem professionis trium votorum ex decreto B. Pii V. & Gregorii XIII. nec in earum Monasteriis possunt reponi amplius Moniales aliorum Monasteriorum, quæ sub clausura degunt correctionis causa, nec amplius egredi ipsæ Convertitæ.

CONSULTATIO LVIII.

Quid Regularibus observandum sit, si velint habitum dimittere, aut à Religione discedere juxta cap. 19. sess. 25. de Regul.

1 EX hoc capite præcluditur via, quod fieri potest, multitudini apostatarum, & in eo comprehenditur quicumque Regularis, etiam milites S. Joannis Hierosolymitani, ut dixit S. Congregatio etiamsi sit ingressus, & professus ante confirmationem Concilii. Nec auditur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, non autem à die, quo metus cessaverit, ex Sac. Congregationis sententia declaravit Gregorius XIII. Quod si intra quinquennium à die professionis non fuerit reclamatum, reclamans non erit audiendus, etsi alleget vim, & metum semper durasse. Poterit ergo, quinquennio elapso quis audiri, dummodo intra quinquennium reclamaverit, idque legitimè probaverit.

2 Et causas, quas prætendit, deducere debet coram Superiore suo, & Ordinario. Dictionem autem, &, copulativè hîc positam esse dixit S. Congregatio. Et Superiorem hîc non Confessorem, seu Custodem Monasterii, sed eum, cujus imperio Regulares se subjiciunt, *cap. si Religiosus de elect. in 6.* ibique Doctores, & *cap. licet de Regular.* & ejusmodi causa ex S. Congr. à Superiore poterit delegari eo modo, quo gravis causa, *cap.* 1. §. *Caterum de consangu. & affin.* & Sixtus V. ex sententia dictæ S. Congregationis censuit in secunda, & tertia instantia causam nullitatis professionis esse committendam conjunctim Ordinario, & Superiori ejusdem Religionis. Et advertendum, quod accipitur hîc Superior, quando Monasterium habet, quia si Episcopus solus est Superior, causa non erit cognoscenda, nisi à solo Episcopo. Et ita censuit S. Congregatio in Barchinonensi.

Quod si antea habitum spontè dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunq; causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur. Si in proprio Monasterio tutè consistere, vel aliâ de causa non possunt, in alio Monasterio ejusdem tamen Religionis, & de licentia sui Superioris, reassumpto habitu, audiri posse contra validitatem professionis censuit S. Congr.

Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferri potest ad laxiorem Religionem. Unde 3
S. Congregatio censuit, comprehendi Monialem professam, quæ ad arctiorem regulam transire vult, & debet se conformare regulæ, ac modo vivendi illius Monasterii, ad quod transfertur. Et sciendum, quod quando Moniales transeunt, non sunt sinendæ secus portare primas dotes, quæ primo Monasterio acquisitæ sunt, nec eo invito debent auferri.

Sed an liceat Regularibus transire ad arctiorem 4
Religionem, petita tamen licentia à suis Superioribus, etsi non obtenta; ad parem verò, & æqualem petita, & obtenta absque speciali dispensatione Sedis Apostolicæ? S. Congregatio respondit, Concilium nihil novi juris induxisse, *cap. licèt, cap. super eo, & cap. sanè de Regular.* Arctius autem Monasterium non dicitur, nisi ratione observantiæ, non ratione regulæ. Unde dixit Innocentius *in d. cap. sanè*, licèt Monasterium, ubi fecit professionem, institutum fuerit in strictiori regula, & Monasterium, ad quod transivit in laxiori, id tamen non est attendendum, sed quod Monasterium modò sit arctius. Et S. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *alias* 189. *art.* 8. Laudabiliter, inquit, transit aliquis ad Religionem etiam minorem, si melius observatur, & ponit inter legitimas causas transferendi ab una Religione ad alteram declinationem Religionis à debita perfectione, quando scilicet in aliqua Religione arctiori incipiant Religiosi remissiùs vivere. Et ita testantur Doctores servatum fuisse in signatura gratiæ tempore Gregorii XIII. sicut etiam non conceditur dispensatio transeundi ab arctiori ad laxiorem, uti ob infirmitatem, vel debilitatem provenientem ex observatione ipsius, cùm non possit illius statuta observare.

CONSULTATIO LIX.

An Abbates, qui in Parochos, & Parochianos jurisdictionem habent quasi Episcopalem privativè ad Episcopum, possint suis subditis secularibus literas dimissorias ad Ordines suscipiendos concedere, non obstante Concilii Tridentini Decreto cap. 10. sess. 23. de reform.?

ET quidem ex juris communis dispositione Abba- 1
tes, si Sacerdotalem Ordinem, & munus benedictionis susceperint, tonsuram & minores Ordines conferre, atque adeò dimissorias concedere possunt, non modo suis subditis regularibus per textum *in cap. Quoniam 69. d. cap. Cum contingat de ætat. & qualit.* sed etiam secularibus, in quos habent Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem per textum *in cap. Abbates de privil. in 6.* Quem etiam de puris laicis nec conversis, nec convertendis intelligit Glossa *ibi v. quasi Episcopalem*, & post Hugonem, & Archidiaconum confirmat Turrecrem. *in d. can. quoniam*, & docuit Innoc. *in rubr. de Cler. peregr. nu. 3.* Angel. *v. Ordo* 2. post Joan. Andr. & Butr. *in d. cap. cum contingat.* Et hanc facultatem quoad subditos regulares expressè præservavit Concilium *in d. cap.* 10. sed illam sustulit quoad subditos seculares illis verbis: *cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit.* Et paulò infra, ibi: *aliquibus clericis secularibus*, atque ita sustulit dispositionem prædictæ decretalis *Abbates de privil.* ut sæpius declaravit Sac. Congregatio Concilii, & dixit etiam Rota coram Seraphino *dec.* 985. *n.* 1.

At nihilominùs quamvis dispositio Concilii sit satis 2
clara, non desunt tamen qui illam in dubium revocent. Quidam enim existimant decretum *d. cap.* 10. *sess.* 23. non valere. Tum quia non derogat septimæ Synodo universali, de qua in *d. can. quoniam 69. d.* Tum quia

quia non derogat privilegiis in corpore juris inserto, de quo *in d.cap. Abbates*, & utramque derogationem putant fuisse necessariam ad illius decreti validitatem. Cùm enim sit privilegium in jure clausum, jam non dicitur privilegium, sed dispositio juris communis, ut est commune omni privilegio in jure inserto, Lotterius *de re benef. lib.2.qu.7 nu.26.* Maximè cum Alexander IV. auctor illius decisionis ibi non concedat aliquid de novo, sed declaret dispositionem juris antiqui. Horum autem opinionem esse falsam alibi docuimus.

3 Alii modestiores non audent affirmare decretum Concilii esse nullum, sed dicunt in eo non comprehendi Abbates qui habent jurisdictionem ordinariam in Parochos & parochianos privativè ad Episcopum. Ac propterea hujusmodi Abbates eo decreto non obstante posse suis subditis secularibus dimissorias ad Ordines suspiciendos concedere præ cæteris opinatus est Gratian. *tom.2.disput. forens. cap.* 212. aliique recentiores.

4 Rationes quas adducunt, sunt hujusmodi. Primò quia cùm hujusmodi Abbates habeant jurisdictionem Episcopalem, vel quasi in locis pleno jure subjectis, censentur habere facultatem concedendi dimissorias jure proprio, cùm sint Ordinarii, & vices Episcoporum gerant secundùm Glossam in *Clem.* 1. *v. propriis de reb. Eccles. non alien.* & latè Mandos. *reg.* 24. *qu.* 2. *num.*4.

5 Secundò addunt decisionem Rotæ in Salamantina jurisdictionis 9. Maii 1594. coram Seraphino, in qua deciditur, Abbatem exercentem jurisdictionem ordinariam in aliquo territorio ex consuetudine immemorabili confirmata à Sede Apostolica posse concedere literas dimissorias ad Ordines suis subditis secularibus, non obstante decreto *cap.* 9 *sess.*23. per doctrinam Glossæ in *cap. cùm nullus* §. *inferiores v. indultum de tempor. ordin. in 6.* quæ sentit, Prælatos inferiores ex consuetudine præscripta posse concedere literas dimissorias, & hujusmodi consuetudinem non censeri sublatam per posteriorem Constitutionem juxta *cap.*1. *de constit. in 6.*

6 Tertiò afferunt simile de decreto *cap.*20.§. *Ad hæc sess.* 24. in quo tametsi cautum fuerit, ut causæ matrimoniales, & criminales inferiorum Prælatorum judicio, sed Episcopi tantú examini, & jurisdictioni relinquantur, tamen non comprehenduntur inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in loco, exclusis Episcopis, ut S. Congregatio declaravit. Et alia multa idem Gratianus congerit pro auctoritate eorumdem Abbatum.

7 Addo, quia Concilium solùm disponit, non licere Abbatibus, Capitulis, & aliis Prælatis existentibus intra diœcesim Episcopalem, qui propter exemptionem nullius diœcesis dicuntur, de cætero conferre minores Ordines aut pro his, & aliis majoribus suscipiendis dimissorias concedere. Sed Abbates, qui habent diœcesim separatam cum territorio, non dicuntur esse intra diœcesim Episcopalem, imò extra illam. Ac per consequens Concilium illos non comprehendit.

8 Denique quia ita, articulo ad partes examinato in favorem Abbatum exemptorum, habentium territorium separatum, & à territorio Episcopali omninò distinctum, decidit Rota in Cavensi collationis Ordinum 26. Junii 1654. coram Verospio per hæc verba.

9 Fuerat olim ab Ordinario Cavensi excitata quæstio contra Abbatem Sanctissimæ Trinitatis sub Congregatione Cassinensi, ac instituto D. Benedicti militantem, de minoribus Ordinibus, ac dimissorialibus literis concedendis, quæ idemmet Abbas personis secularibus, ac suæ temporali jurisdictioni suppositis conferre, ac respectivè pro iis expedire consueverat, ut alibi possent minoribus Ordinibus initiari, quorum quippè collatio duntaxat locorum Ordinariis reservatur ex dispositione S. Concilii Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 10. & Abbatibus, licèt exemptis, ac nullius diœcesis interdicatur.

Ad ejusdem proinde Abbatis instantiam super manutentionis articulo per me proposito dubio, Domini demandarunt, ut super ipsius bono jure consulerem etiam ad effectum manutentionis, quod eumdem fovere, non autem Ordinarium Cavensem hodie Domini responderunt. Licèt enim ea Conciliaris dispositio à collatione Ordinum excludat Abbates, ut comprobant modernus Romanus *discep.for.c.*791.*n.*2. cæteriq; relati per Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.*3.*n.*7.& 11.& *alleg.* 7. *nu.* 7. eaque sub irritante decreto à S.M. Pio V. confirmata, actus quoscumque possessorios hactenus exercitos irritet, atque annullet, ut dixit Rot. in Leodiensi beneficii 22. Maii 1643. §. *cùm enim resignans*, & in Gerundensi Capellaniæ 27. Januar. 1645. coram R.P.D. meo Bichio, & in Mediolanensi Cimiliarcatus 15. Maii ejusdem anni §. *non igitur obstat.* coram R.P.D. meo Peutingerio; non tamen admittitur, quoties ut in proposito casu, omnimoda diœcesis exemptio concurrat, ac jurisdictio quasi Episcopalis competat Abbati, qui territorium ab Episcopali penitus distinctum. ac separatum obtineat. Tunc enim inter hujus territorii fines diœcesani nomen assumit juxta Glossam singularem *in Clem* 1 §. *volumus v. à diœcesanis de for. comp.* ibique notata à Cardin. *n.*2. *v. quarto quæro*, Abb. *nu.*17. Felin. *in cap. Cùm olim* 18. *in princ. de præscript.* cæterique relati per Lotter. *de re benef. lib.*1. *qu.*24. *nu.*31. Rot. *dec.*207. *nu* 5. *in fin. part.*1.& *dec.*619. *part.*4. *diu.* & *dec.*324. *nu.*1. *in fin part.*1. *recent.* & coram Andrea *dec.*64. *num.*5. in Avellina jurisdictionis 4. Julii 1646. *in §. quia in casu proposito* coram Em. D. Cardinali Otthobono. Et minores proinde ordines subditis suis, non obstante dispositione Concilii poterit successivè conferre, ut tradit Campanil. *in divers. jur. can. cap.* 8. *num.*4. Morden. Carpens. *controv. for. lib.*1. *cap* 46. *n.* 19. & *cap.* 67. *num.*28. modern. Roman. *discept. for. cap.* 212. *num.*3. & alii plures, quos refert, & sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.*7. *num.* 8. Rot. in adducta Aveliana jurisdictionis 4. Julii 1646. coram Em. D. Card. Otthobono. Et ita distinguendo declarasse S. Congregationem Em. Dom. Cardinalium ejusdem S. Concilii Tridentini Interpretum sub die 8. Aprilis 1621. firmat idem Barbos. *ad sess.*23. *cap.*10. *nu.*8. Prout etiam idem sanxisse dignoscitur S. Congregationem Episcoporum, ac Regularium in favorem Prioris Monasterii S. Stephani del Bosco sub Congregationis Cartusianorum vexillo militantis, dùm sub die 18. Junii 1652. revocata primitùs suspensione de antecedenti anno 1631. eidem facta, facultatem attribuit, ut literas dimissoriales subditis suis secularibus pro sacris Ordinibus subeundis posset expedire; quia ex decisionibus Rotalibus editis coram Andrea, comprobaverat monasterium ex donatione Apostolica separatum territorium obtinere, & jurisdictionem omnimodam consuevisse in suos subditos etiam seculares exercere, ut refert Novar, *in lucern. Regul. in v. ordines minores nu.*7. & 8. Barbos. *in sum. Apostol. decis. collect.*1. *n.*21. Tambur. *de jur. Abbat. tom.*3. *disp.*2. *qu* 25. *nu.*3. quod sanè decretum revocatorium primi, Pontificio diplomate postmodum S.M. Urbanus VIII. approbavit, ac confirmavit ut constat ex datis *in sum. num.* 5.

10

Territorium autem separatum Abbatem Sanctissimæ 11
Trinitatis obtinere, necnon Ecclesiasticam jurisdictionem omnimodam à quacumque alterius Ordinarii immunem, ibidem exercere comprobant quatuor testes per annos quadraginta de visu deponentes, seque à majoribus suis audivisse absque eo, quod unquam auditum fuerit in contrarium & de publica voce, ac fama per verbum, *fuit*, & *est*, conversus ac parochiales eundem videlicet Abbatem indixisse, Synodos congregasse, consuevisse Clericos coercere, nec non

Ordines conferre, ac dimissoriales literas expedire, cæteraque jus diœcesanum præseferentia peregisse, ac consequenter attestantibus de præscriptione Abbatis immemorabili juxta requisita per Glos. *in cap. 1. de præscript. lib. 6.* ut advertit Alex. *cons. 16. num. 16. lib. 5.* Ruin. *cons. 66. num. 22. lib. 3.* Honded. *cons. 79. num 36. lib. 1.* Rot. *dec. 445. nu. 2. cum seqq. p. 1. rec.* & coram Gregorio *dec. 196. num. 1* ibique Add. *num. 3.* & in Beneventana jurisdictionis 13. Maii 1652. *in §. nec magis* coram R.P.D. meo Zarate. Ex qua separatum potuit territorium acquirere secundùm Abb. *in cap. auditis num. 7. de præscript.* ubi contrariam Ostiensis opinionem rejicit *in cap. Cùm contingat num. 1. de for. compet.* Lotter. *de re benef. lib 1. quæst. 24. num. 206.* Rot. in Beneventana jurisdictionis 13. Maii 1652. *d. §. nec magis*, & in Salisburgensi, seu nullius jurisdictionis 26. Junii ejusdem anni coram Reverendiss. Tarraconensi. Hæc autem immemorabilis ex actibus ab eisdemmet testibus recensitis, ac legitimis documentis comprobatis præseferentibus jurisdictionem ordinariam, ac legem diœcesanam vires assumit, ac robur. Ad hanc enim spectare dignoscitur Congregationem Synodi. ut advertit Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. num. 8.* Rot. *dec. 619. num. 2. part. 4. diu. & dec. 203. num. 13. part. 7. rec.* Nec non etiam indictiones concursuum ad parochiales, ut advertit Paris *de resignat. benef. lib. 8, part. 9. num. 98.* Garz. *benef. part. 9. cap. 2. nu. 136.* cœterique relati per Barbos. *de offic. & potest Episc. alleg. 60. num. 42,* Rot. *dec. 203. num. 13. part. 7. rec.* Huc quoque debent referri deputatio Vicarii, visitatio, ac Clericorum successivè correctio ut notat Barbos. *de offic. & potest. Episc. in compend. part. 2. num. 55. & alleg. 74. n. 2.* Tum denique administratio Sacramenti Chrismatis, ac minorum Ordinum collatio ad textum *in can. presbyteri de consecr. d. 4. & in cap. quanto de consuet.* & notata Barbosæ *de Episc. alleg. 3. & alleg. 30. num. 1. & 4.*

Ad eliciendam etiam hanc qualitatem territorii, 11
omninò separati, atque distincti, nec non dissolutam legem jurisdictionis, ac diœcesis, & ab eodem Ordinario abdicatam, aliqui ex Dominis ponderabant Monasterium Cavense, ac ipsius Ecclesiam olim Bonifacium Nonum Pontificem erexisse in Cathedralem de anno videlicet 1394. attributis successivè Episcopo locis omnibus, ac oppidis ab eodem Monasterio tunc possessis, ut constat ex literis datis in sum. num. 15. quæ postmodum loca, ac oppida Alexandrum Sextum, ac Julium Secundum Pontifices una cum jurisdictione Episcopali attribuisse eidem Monasterio, quod post suppressam cathedralitatem Congregationi Cassinensi annexuerat, atque univerat, ut probatur in literis datis *in sum. num. 16. & 17.* Hinc enim Monasterium præfatum esse nullius, licèt ipsius territorium alicujus Episcopatus limitibus circumducatur, probat textus *in clem. 1. §. volumus v. diœcesanas de for. comp.* & notant ibi communiter Doctores, quos sequuta fuit Rota in Calaguritana, seu nullius jurisdictionis 7. Februarii 1608. coram Ottembergo, relati per Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3. dec. 48. num. 7.* Ad arguendam verò legem jurisdictionis, ac diœcesis ab eodem Monasterio dissolutam perpendebant indultum Urbani Secundi ab anno 1092. attributum Abbati super jure exercendi spiritualia, ac pontificalia in locis omnibus, ac oppidis tunc in Monasterii posse constitutis eidemque in posterum deferendis, excepta duntaxat collatione sacrorum Ordinum, chrismatis confessione, & consecratione Basilicarum, atque Altarium, pro quibus exercendis quemcumque posset Episcopum sibi benè visum convocare, & assumere, ut constat ex pontificio ipsius diplomate, dato *in sum. nu. 21.* Ita quod ab Ordinarii jurisdictione Monasterium arguatur exemptum, ut ponderavit Rot. in una Rossanensi exemptionis 20. Aprilis 1640. *in §. Præterea fuit consideratum* coram Reverendissimo Salamantino, sequendo Glossam *in cap. vult. v. permittimus de pœnit. & remiss.* ac doctrinam Innocent. *in rubr. de Cler. peregr.* Quinimmò abdicatam quamcumque legem tum diœcesis, tum jurisdictionis ab Ordinario, & Monasterium ab utraque exinde solutum, firmat Lotter. *de re benef. lib. 1. quæst. 24. sub num. 135.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 105. nu. 65.* quos aliis præterea recensitis sequuta fuit Rot. in una Montis Cassinensis jurisdictionis 27. Martii 1651. *in §. secundo quod chrisma* coram R.P.D. Bichio. Exinde verò nec dici posse censebant iidem Domini virtutem immemorabilis exclusam, dum præscriptio, ac privilegium non adversantur ad invicem, sed famulantur, adeòque potest utrumque deduci, & allegari, ad textum *in cap. auditis de præscript. cap. cùm personæ* ibique Glos. *in v. monitos de privil. in 6.* Lanar. *cons. 94. num. 1. & 2.* & aliis relatis juribus respondit Rota in Toletana decimarum 16. Martii 1648. *in §. exhibitio verò privilegiorum* coram R. P. D. Celso, ubi quod ad majorem cautelam privilegia censentur expressa, & in Astoricensi decimarum 1. Julii 1612. *in §. adverterunt* coram R.P.D. Bichio. Et propterea jure merito Sacra quoque Congregatio Concilii ab antiquo declaravit, Abbatem hunc habere omnimodam jurisdictionem Episcopalem, & proprium territorium, jusque congregandi Synodum, indicendi concursum, & Sacramentum Chrismatis conferendi, quæ declaratio fuit confirmata à S. M. Sixto V. & desuper expeditæ fuerunt literæ confirmatoriæ sub fel. rec. Gregorii XIV. *sub num. 6.*

Ex quibus bonum jus ipsius Abbatis desumi posse 12
Domini censuerunt, nec non etiam ex pluribus collationibus minorum Ordinum ab ipso peractis, ac dimissorialibus literis ad favorem subditorum expeditis, exhibitis *in sum. num. 1. & 2.* de ejusdem possessione constare, in qua manutentionem parirer decreverunt ex dispositione textus *in §. retinendæ instit. de interdict. l. un. C. ut i possid. l. 1. §. hoc interdictum ff. eod. tit.* Menoch. *de retin. remed. ult. num. 16.* Rot. *decis. 242. num. 1. part. 7. rec.* Et ita altera tantùm parte, &c. Hactenus Rota Romana.

Idipsum post S. Concilium adstruit Sanchez *lib. 7.* 13
consil. moral. cap. 1. dub. 21. ubi post plura concludit, decretum Concilii Tridentini *d. cap. 10. sess. 23.* loqui solùm de Abbatibus, & Prælatis non habentibus plenam jurisdictionem Episcopalem, quibus competit ex jure communi dare dimissorias; sed de quibusdam, qui absque hac plena jurisdictione, non ex vi juris communis, sed ratione alicujus peculiaris privilegii, vel præscriptionis reverendas concedebant. Et ita hodie post Tridentinum ait, plures Abbates, & Abbas de Alcala la Real, & alii illas conferunt non obstante dicto decreto, & multi Episcopi illas admittunt. Et sic quod post Tridentinum possint prædicti Abbates reverendas concedere, tenet Aragon 2. 2. *quæstio. 88. art. 12. vers. quarta conclusio*, ubi id posse supponit, & Henriquez *lib. 10. de Sacram. Ordin. cap. 23. numero 3. in com. litt. H.* videtur censere esse probabile, dicit enim esse litem sub Judice, an possint.

His tamen non obstantibus, tenendum est, Ab- 14
bates hujusmodi nequaquam posse post Sacrum Concilium Tridentinum suis subditis secularibus literas dimissorias concedere. Ut id clarissimè constet, proferenda sunt verba dicti *cap. 10. sess. 23.* quæ sunt hujusmodi: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre, nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedralium literas dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut ab*

aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Sydodi decreto continentur, ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existant pertineat, non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

15 Per hoc decretum confirmatur dispositio *cap. Abbates §. nec eis de privil. lib. 6.* & ampliatur, ut non modò procedat in Abbatibus, sed etiam in aliis quibuscumque exemptis, etiam nullius diœcesis. Restringitur verò, quatenus per illum textum Abbates poterant conferre tonsuram iis, in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, sed post Concilium requiritur, quod tonsurandi per Abbates sint illorum subditi, non solùm ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed etiam ut sint Regulares. In his autem casibus, in quibus Abbates possunt de jure communi, vel ex Concilio tonsuram, & minores Ordines conferre, intelligendum est, si modò fuerint benedicti, & Presbyteri, *d. cap. cùm contingat de at. & qual.* Et cùm hoc decretum ex S. Congregatione intelligatur tam de prælatis regularibus, quàm secularibus exemptis, & ordinariam jurisdictionem habentibus respectu Clericorum secularium subditorum, Archimandriram Ordinis S. Basilii, habentem plenam jurisdictionem in suos subditos, & præpositum Pisciensem, ordinariam jurisdictionem habentem, insuper & populum, territorium sibi subditum, à quovis alio divisum, & Leonis privilegium de ordinandis subditis quoad majores, Clericis secularibus, sibi subditis nec ordines conferre nec dimissorias concedere posse dictum fuit, cùm hujusmodi Clerici quoad Ordines, & dimissorias Episcopi, intra cujus fines Prælatorum Ecclesiæ sunt, jurisdictioni subjiciantur, de quo si non constet, aut litigetur, & sic intra nullius fines existant, non excluso Episcopo litigante, ad viciniorem talis facultas devolvitur, & vicinitas ex Ecclesia, non territorio attendenda est.

16 Idem decisum de Archidiaconis ratione sui districtus, & de Capitulis, quæ in aliquo territorio jurisdictionem privativè ad Episcopum habent, eidemque subjici legi dictum fuit post longam discussionem Monasterium Casinense, & Cavense, non obstantibus privilegiis, & quod habeant territorium distinctum à quacumque diœcesi, quod fuerint diœceses, quod habeant immemorabilem usum mitræ, & baculi, & utramque jurisdictonem pleno jure, & quasi Episcopalem, Et Cardinali Urbinati, obtinenti Abbatias in Castro Durantis, nullius diœcesis, nec intra fines alicujus existentes, exemptas, quarum Commendatarii subditis literas dimissorias concedere, ordines conferre, & Sacramentum Confirmationis administrare consueverant, si fuissent Episcopi, aut aliis Episcopis demandare id ipsum servandum necessarium fuit, nisi Regulares subditi sint, Abbati verò, perpetuo Commendatario de Monasterii S. Mariæ Ordinis S. Benedicti nullius diœcesis, à jurisdictione Episcopi exempto, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecto, cui etiam ex privilegio Apostolico commissa fuit cura, regimen, jurisdictio, & omnimoda administratio dicti Monasterii in spiritualibus, & temporalibus cum potestate ejusdem Monasterii personas corrigendi, castigandi, visitandi propria auctoritate, cùm jam sit decisum, Superiores Regulares dimissorias ad Ordines concedere posse Regularibus sibi subjectis si constat Monasterio, & Monachis speciali privilegio à Sede Apostolica facultatem concedendi dimissorias personis regularibus dicti Monasterii pro omnibus Ordinibus nominatim esse tributam, licere dimissorias literas concedere, dictum fuit.

17 Occasione autem Gubernatorum Ecclesiæ Lauretanæ, qui ante Concilium concedere dimissorias ad Ordines beneficiatis illius Ecclesiæ consueverant, statutum est nec Gubernatoribus, nec Dignitatibus talem facultatem concedendi habere. Constat ergo Abbates & Prælatos inferiores nullo modò posse dimissorias ad Ordines concedere, sed si hi sint intra fines alicujus diœcesis subditi eorum ab Episcopo, intra cujus fines sunt, dimissorias accipient; si verò sint nullius, ab Episcopo viciniori Advertendum tamen fuisse decisum, ex hoc decreto non tolli fundationem.

Pœna autem concedentium hujusmodi dimissorias 18
est suspensio officii, & beneficii ratione jurisdictionis spiritualis, non autem temporalis, & hanc suspensionem solus Papa relaxare poterit, cùm talis suspensio non possit ex delicto occulto provenire, quandoquidem actus dimissorialium per publicas litteras, & Notarii subscriptionem fieri soleat, Episcopus vigore *cap. 6. sess. 24.* Concilii Trid. quoad eam nunquam dispensare poterit. Sed num Vicarius Capituli, qui sede vacante literas dimissorias ad Ordines concessit intra duos menses à die vacationis, & is, cui concessæ fuerunt, eis usus non fuit inciderit in pœnam dicti decreti *cap. 10. sess. 23. de refor.* & incidisse fuit dictum. Nam quoad concedentem, per quem non stetit, actus fuit perfectus.

Sed audiamus D. Fagnanum *in cap. Significasti de of.* 19
fic. Archid. à num. 17. qui rem hanc fusè accuratè resolvit, & rationibus S. Rotæ Romanæ, ac aliorum solidè respondet. Ille igitur sic ait. Decretum Concilii Tridentini. *in d. cap. 10. sess. 23.* cùm statuat, ut Abbatibus, & aliis quibuscumque intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, non liceat cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec literas dimissorias concedere, apertè includit Abbates, & inferiores illos, qui jurisdictionem quasi Episcopalem, & ordinarium habent.

Nam sive sequamur opinionem Archidiaconi, & 20
Jo. Andreæ asserentium, inferiorem Prælatum posse præscribere territorium separatum à diœcesi Episcopi, sive sequamur opinionem Ostiensis, & Antonii de Butrio existimantium, non esse possibile, ut inferior acquirat territorium ut separatum ab Episcopo ita ut faciat caput in eadem Civitate, seu diœcesi, sed ad hoc requiri privilegium Papæ, qui solus potest hoc concedere, ut per Abb. *in cap. Cùm contingat: n. 18. de for. comp.* illud tamen certissimum est, ad constituendum Prælatum in statu nullius diœcesis, sive ex immemorabili præscriptione, sive ex privilegio, necessariò requiri, ut habeat jurisdictionem Episcopalem in Clerum, & populum, excluso Episcopo, per hoc enim inferior efficitur Ordinarius cum territorio separato à quacumque diœcesi tenet Glos. *in Clem. 1. §. Volumus in v. diœcesani de for. comp.* Gemin post Joan. de S. Georgio *in cap. 2. col. 4.* atque ibi etiam Anchar. *sub numero 10. lib. 6.* Glos. pragmaticæ sanctionis *tit. de annis v. in diœcesis.* Tunc enim territorium separatur à diœcesi Episcopi, & fit proprium Abbatis, quando privilegium nedum eximit, sed etiam tribuit jurisdictionem secundùm Joan. Andr. *in cap. nimis circa med. de jurejur.* Anchar. *in cap. postulandi sub numer. 4. de for. comp.* Abb. *in cap. Sicut unire de excess. Prel.* & in *Clem. diœcesani de vit. & honest. Cler.* Rot. *dec. 207. in fin. p. 2. diu.* Quamobrem dum Concilium decernit, ut Abbatibus etiam nullius diœcesis, non liceat tonsuram, & minores Ordines conferre, dimissorias concedere, nisi suis subditis regularibus, perinde est, ac si expressè id prohibuisset Abbatibus, jurisdictionem ordinariam, & Episcopalem habentibus privativè ad Episcopos. Idem enim omninò important esse nullius diœcesis, & habere proprium territorium separatum à diœcesi Episcopi secundùm Glossam præallegatam *in d. Clem. 1. de for. comp.* & ibi Cardinalem *in 1. quæst. numer. 2.* Imol. *numer. 38.* Vital. *numer. 4.* & Abb. *num. 15.* territorium verò sine omnimoda jurisdictione

dictione privativè ad Episcopum ad inferioribus Prælatis acquiri non potest secundùm Geminianum, & alios supra citatos.

21 Non obstat decisio Rotæ in causa Salamantina jurisdictionis. Nam præterquam quod loquitur in suo speciali casu consuetudinis à Sede Apostolica confirmatæ, ulterius cùm de illa actum esset, in Sacra Congregatione, & compertum esset, eam non esse conformem decretis Concilii Tridentini, & declarationibus hac de re editis, S. Congregatio, facta relatione Sanctissimo, jussit, eam non imprimi. Undè factum est, ut decisio illa non habeatur inter decisiones impressas Cardinalis Seraphini. Neque applicatur doctrina Glossæ, quod consuetudo Abbatum concedendi dimissorias non censeatur sublata per posteriorem constitutionem. Siquidem Concilium in fine dicti *cap.* 10. *sess.* 23. expressè derogavit non solùm privilegiis, sed & consuetudinibus etiam immemorabilibus. Undè sive hæc facultas competat Abbati jure ordinario, sive jure speciali privilegii, aut præscriptæ consuetudinis, indistinctè sublata fuit à Concilio per prædictam generalem derogationem, Bartol. *in extravag. ad reprimendum in v. non obstantibus in fin n.*13. Bald. post Cynum *in l. fin. C. si contra jus, vel util. publ.* Feder. de Sen. *cons.*47. *num.*2. Alex. *cons.* 122. *num.*8. *lib.* 4.

22 Rursus non obstat, quod in decreto *cap.*20.§. *Ad hæc sess.* 24. ex sententia Sac. Congregationis non comprehendantur Abbates nullius diœcesis, facultatem habentes ante Concilium cognoscendi de causis matrimolialibus, & criminalibus in suos subditos, & omnem jurisdictionem. Siquidem decretum illud loquitur per alia verba, quàm loquatur decretum *cap.* 10. *sess.*23. Nam in dicto §. *Ad hæc*, Concilium prohibet, ne hujusmodi causæ Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio relinquantur. Quæ quidem verba non conveniunt Abbatibus nullius diœcesis, qui habent dignitatem excellentem, & primam post Pontificalem, Bald. *in cap. pastoralis in glos. v. offic. deleg.* & sequitur *ibi* Felin. *col.*4. Lap. *alleg.* 84. *num.*15. per textum *in can. si quis deinceps* 16. *q.*7. Maximè si sint Abbates habentes jurisdictionem ordinariam, & episcopalem privativè ad Episcopos per doctrinam Abb. *in Clem. diœcesanis de vit. & honest. Cler.* ubi determinat, etiam in materia nova, & inferenti præjudicium, appellationem diœcesani venire inferiores habentes supradictam jurisdictionem.

23 Nec refragantur illa verba dicti §. *Ad hæc, & aliorum inferiorum*, quæ videtur comprehendere omnes Prælatos Episcopis inferiores, Glos. *in cap. Cùm ab Ecclesiarum in v. Ecclesiastica de offic. ord.* Quandoquidem dictio illa *aliorum* importat omnimodam similiiudinem ad expressa secundùm Bald. *in l. si fugitivi n.*6. *C. de serv. fugit.* & *in l. conventicula col.* 4. *in princ. C. de Episc. & Cler.* Bartol. *in l. sed & is probari in princ. col.* 1. *de excus. tut.* Ber. *cons.*41. *nu.* 10. *vol.*1. Sed supra expressi fuerant Decani, & Archidiaconi, qui sunt inferiores Episcopis, & quoad legem jurisdictionis, & quoad legem diœcesanam, & quoad obedientiam, quam illis præstare tenentur. Ejusmodi enim inferiores, utcumque exempti, quamvis non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi, Cardinal. *in Clem.*2.§. *simili nu.* 4. *de privil.* Rot. *dec.*207. *nu.* 2. *p.*2. *diu.* Ergo illa verba, *aliorum inferiorum*, non comprehendunt Abbates, de quibus agitur. At decretum dicti *cap.* 10. *sess.*23. disertis verbis loquitur de Abbatibus nullius diœcesis, qui alii non sunt, quàm habentes jurisdictionem ordinariam in Clerum, & populum, exclusis Episcopis, ut ostensum est supra. Meritò de uno decreto ad aliud non est facienda illatio, *l. Papinianus exuli ff. de minor.* Præsertim verò quia inter illa à Concilio aliæ etiam differentiæ constituuntur, & in specie dicti §. *Ad hæc* non comprehendit inferiores habentes facultatem cognoscendi causas matrimoniales, & criminales ex immemorabili consuetudine, ut si Congregatio censuit. At *cap.* 10. expressè sustulit præscriptiones, & consuetudines, etiam immemorabiles.

Demùm non obstant illa verba dicti *cap.* 10. *intra fines alicujus diœcesis existentibus*, quæ à contrario sensu videntur innuere, ut si locus nullius diœcesis omninò extra fines cujusque diœcesis existat, non sit locus prohibitioni Concilii. Nam respondetur, ea verba habere alium sensum. Tantum enim important, ut si locus nullius sit intra fines alicujus diœcesis, ordinatio Clericorum, & concessio literarum dimissorialium spectet solummodò ad Episcopum, intra cujus diœcesis fines idem locus situs est, juxta terminos dicti *cap.* 9. Quod si locus sit omninò extra fines, non sequitur à contrario sensu, ut ad nullum Episcopum id jus pertineat. Eo enim casu hoc jus ex sententia S. Congregationis competit illi Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, & qui potest eundem locum visitare jure delegato ad præscriptum *cap.*9. *sess.* 24. per quod declaratur decretum dicti *cap.* 10. *sess.*23. ut latè ostendit idem Fagnan. *in cap. nullus num.*10. *de paroch.* 24

Itaque nullus Prælatus inferior regularis, aut secularis hodie reperitur, cui liceat tonsuram, & minores ordines conferre personis secularibus, tametsi omnimodam jurisdictionem ordinarim, & quasi Episcopalem, ac etiam temporalem habeat in Clerum, & populum, exclusis Episcopis, & sive illorum territorium sit intra fines alicujus diœcesis, sive extra. Nec scio quemquam post Concilium obtinuisse super hoc privilegium à Sede Apostolica; sed nec quisquam eorum circumscriptis privilegiis post Concilium dimissorias ad Ordines suspiciendos concedit cuiquam, qui regularis subditus sibi non' sit. Unde S. Congregatio olim declaravit, nec Abbati Casinensi, nec Cavensi, nec Farfensi, nec Sablucensi, nec Castri Durantis, hodie Urbanea, nec Nonantulano, nec S. Laurentii in Campo hanc facultatem competere; quamvis Abbas Casinensis cùm prætenderet per suppositionem Episcopatus se remansisse in propria diœcesi, ex sententia S. Congregationis id obtinuerit ex privilegio Sixti V. & Abbas Monasterii Cavensis, in cujus territorio, ex cujus redditibus Ecclesia Cathedralis Cavensis erecta fuit, cùm prætenderet se posse dimissorias concedere in vim concordiæ, seu pacti onerosi in limine erectionis ante Concilium à Sede Apostolica confirmati obtinuerit super hoc indultum à Paulo V. ex ipsius S. Congregationis sententia. 25

Concedunt quidem prædicti, & aliis similes Abbates literas testimoniales, seu commendatitias, quas Jo: Andreas appellat pacificas *in cap. fraternitati n.*2. *de Cler. non resid.* Idque præbuit multis occasionem erroris existimantibus prædictos Abbates concedere literas dimissorias ad Ordines, cùm tamen non concedant, nisi dictas commedatitias in quarum vim, cùm jurisdictionem non conferant, sicut dimissoriæ, non licet alieno Episcopo quemquam ordinare, ut censuit S. Congregatio. Ideòque cùm Archimandrita Messanensis in literis testimonialibus uteretur verbo *Mittimus*, faceret mentionem de Ordinibus, quodque proclamata processerint, prætenderetque se non esse comprehensum decreto Concilii, eo quod non modo esset nullius, sed etiam extra fines diœcesis Messanensis. Item cùm Archiepiscopus conquereretur, quod ex literis Congregationis Episcoporum Archimandrita deberet attestari de qualitatibus ordinandorum, de valore beneficii, &c. Sanctissimus jussit, omnia reduci ad formam decretorum Congregationis Concilii. Quæ omnia patebunt ex subjectis resolutionibus ipsius S. Congregationis, quas plenè idem D. Fagnanus adducit. 26

Et primò *Cardinalis Farnesius obtinens in Commen-* 27

dam

dam Abbatias S. Zeni, & Farfæ, in quibus habet jura Episcopalia, dubitavit, an posset dimissorias ad Ordines concedere. S. Congregatio respondit, non posse. Licèt die 26. Ianuarii 1635. hæc facultas fuerit concessa Cardinali Barberino, sicut etiam facultas faciendi concursus, ut habetur in registris S. Congregationis Episcoporum 26. Aprilis 1641.

28 Item Episcopus Oscensis petiit declarari, an cap. 10. sess. 23. prohibens Abbbatibus concedere dimissorias, habeat locum in habentibus usum mitræ, & baculi, S. Congregatio censuit Episcopo rescribendum ex decreto Concilii cap. 10. sess. 23. nulli Abbati licere quocumque privilegio suffulto concedere alicui clerico seculari literas dimissorias etiam ad Ordinarium directas.

29 Item instante Cardinali Medices declarari, an ipse, uti Præpositus Pratensis posset concedere suis subditis secularibus dimissorias ad Ordines, & sic an cap. 10. sess. 23. procederet etiam in Abbatibus secularibus exemptis, & ordinariam jurisdictionem habentibus? S. Congregatio censuit, Præpositum Pratensem ex Concilio c. 10. sess. 23. non posse dare dimissorias suis subditis secularibus, sicque dictum cap. 10. intelligi tam de secularibus, quam de regularibus respectu clericorum secularium.

30 Ad hæc, dubitante Præposito Piscienso, habente in suos subditos quasi Episcopalem jurisdictionem, an eo posset ordinare quoad minores Ordines literasque dimissorias quoad majores eisdem concedere juxta privilegium ei concessum à Leone, præsertim cùm habeat populum, & territorium, à quocumque alio distinctum? S. Congregatio censuit, non posse.

31 Item proposito dubio, an Episcopus cui commendatum est Monasterium exemptum, possit sibi seculares subditos ratione dicti Monasterii ordinare, non obstante cap. 10. sess. 23. S. Congregatio censuit non posse, quia ordinaret eos subditos, tanquam Abbas, non tanquam Episcopus.

32 Ulterius cum Terra Putiniani nullius diœcesis jurisdictioni Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in temporalibus, & spiritualibus subesset, dubitavit, à quo possint ordinari homines dicti loci, & an tenerentur adire Episcopum Motulanum, qui cùm obtinente dictum Hospitale super jurisdictione spirituali dicta Terra litigat? S. Congregatio censuit, facultatem hanc relinquendam Viciniori Episcopo, si nescitur, intra cujus diœcesis fines consistant, & vicinitatem attendi Ecclesiæ, non territorii, ut aliàs decisum fuit, super cap. 9 sess. 24. nec habendam esse rationem Episcopi litigantis.

33 Item Episcopus Marsicanus dubitavit, an posset visitare Oppidum Cavensem, in quo Congregatio Casinensis utramque jurisdictionem exercet, & hominibus ejus Oppidi literas dimissorias concedere? S. Congregatio censuit quoad cap. 10. sess. 23. dimissorias dandas esse à solo Episcopo, sed quoad cap. 11. sess. 25. de Regular. cùm Monachi in eo Oppido utramque jurisdictionem spiritualem, & temporalem exerceant, non posse Episcopum visitare.

34 Rursus Cardinalis Urbini obtinens Abbatias S. Laurentii in Campo, & Castri Durantis nullius diœcesis intra fines alicujus diœcesis consistentes, exemptas quarum Commendatarii subditis literas dimissorias concedere, & ordines conferre consueverunt, dubitavit, an eadem & ipse facere posset? S. Congregatio censuit, non posse, sed hoc jus spectare ad Episcopum, intra cujus diœcesis fines Abbatiæ consistunt, & si intra nullius fines existant, vel id non constet, ad viciniorem, nisi Regulares subditi sint.

35 Item censuit, Abbatem regularem nullius diœcesis intra alicujus diœcesis fines non consistentem, territorium separatum, & utramque jurisdictionem habentem in Parochos, & parochianos, habentem etiam spontaneam renuntiationem Episcoporum à Sede Apostolica confirmatam, non posse minores ordines Clericis secularibus conferre, nec dimissorias concedere, sed harum concessionem spectare ad Episcopum viciniorem, non autem ad Episcopos, qui cesserunt.

Demum addam & ipse hoc decretum ejusdem S. 36
Congregationis Concilii. Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum censuit, Priorem, Abbatem, aliumque Episcopo inferiorem etiamsi jurisdictionem ordinariam, quasi Episcopalem habeat, non posse literas dimissorias suis subditis secularibus concedere, sed id pertinere ad Episcopum, intra cujus diœcesis fines consistunt, vel si nullius diœcesis fuerint, ad viciniorem Episcopum, ad eumque spectare eisdem personis ordines conferre, atque ad hanc Ordinum collationem, ubi promovendos qualitatibus requisitis idoneos esse compererit, devenire posse, etiam absque testimonio, & fide eorum Superioris. Quod si Episcopus maluerit ipsius Superioris testimonium & fidem ante collationem ordinum requirere, debere utique eas dare Episcopo requirenti. Ad dignoscendum verò, quis sit vicinior Episcopus attendendam esse vicinitatem Cathedralis Ecclesiæ, atque Abbatiæ, Prioratusve, non autem territorii. Planè nulli Episcopo licere in locis Abbatiæ, Prioratus, alteriusque loci nullius, ritè aliquos ordinare sibi subjectos, vel alios literas dimissorias suorum Ordinariorum habentes, nisi de licentia Abbatis, vel Prioris quasi Episcopalem jurisdictionem habentis.

Hoc ipsum etiam declaravit sæpius S. Congregatio 37
super Episcopis, ac regularibus, quæ censuit subditis nullius diœcesis non posse concedi dimissoria à Prælato loci, vel ejus Vicario, imò neque à Vicario Apostolico, sed ab Episcopo viciniori, ut in Putianensi 16. Januarii 1596. in Nullius Carpensis 15. Decembris 1603. & 22. Novembris 1604. & 14. Junii 1606. & in Nullius Altamuræ 9. Augusti 1604.

Cui sententiæ adstipulantur præ cæteris Diaz. in 38
prax. crim. ibique Salzed. cap. 26. vers. sine licentia, Ledesm. in sum. Sacram. de Ordin. dub. 11. Navar. lib. 1. Consil. tit. de tempor. ordinat cons. 22. Vivald. in append. ad candelabr cap. 8. nu. 13. Henriquez lib. 14. de irregular. cap. 18. nu. 2. in comment. lit. P. in fine, Rodriq. tom. 2. sum. cap. 10. n. 6. concl. 6. Et secundùm ipsam intelligenda sunt, quæ tom. 2. consult 26. atque alibi docui quoad concessionem dimissoriarum.

CONSULTATIO LX.

A quo, & quomodo succurri debeat Ecclesia, vel ædibus parochialibus, si refectione indigeant? Ubi quantum Parocho sit assignandum pro sua Congrua sustentatione?

SAcrum Concilium Trid. sess 21. cap. 7. de reform. hac 1
in re ita decernit: Parochiales Ecclesias, etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, in illorum defectum, parochianos omnibus remediis oportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

Ex quibus verbis infert Zypæus lib. 3. consul. can. de 2
paroch. consul. 4. §. quo itidem, quod congrua portio de decimis, reparatio autem Ecclesiarum de omnibus Ecclesiasticis proventibus fiat. Super his Laymanus lib. 4. tract. 2. c. 13. n. 10. ita discurrit: Ad patronum spectare, ut ædes sacræ, & parochiales reparentur. Quæ tamen non ipse suis sumptibus efficere debet, sed nisi proprii redditus pro Ecclesiæ fabrica deputati sint, vel loci consuetudo aliud obtineat, ipsimet beneficiati, seu

seu ministri ex superfluis redditibus contribuere debent juxta *cap. 1. de Eccles. ædif. can decernimus* 10. *qu.* 1. Quod si ministris redditus superflui non suppetant, sed solùm necessarii, tum ante omnia attendendum est, ad quem proventus parochiales, videlicet decimæ perveniant, atque is ipse, sive patronus sit, seu qui jus præstandi habet, sive alius quisquam ad ædium reparationem tenetur juxta *cop. de his* 4. *extr. de Eccles. ædif.* Cùm enim commoda & proventus ex parochia accipiat, æquum est ut & onera necessaria sustineat. Si nec per hunc modum subveniri possit, in defectum Parochi, & Patroni ad Episcopum pertinebit curare, ut si fieri possit alio modo provideatur, verbi gratia, per unionem beneficiorum. Vel denique parochiani compelli possunt ad subveniendum, cum enim ibi divina percipiant, obligantur ad refectionem Ecclesiæ *arg. cap. si Episcopus 6. de Offic. Ord. in 6.*

3 Paulò aliter Andr. Vallens. *in paratit. jur. can. lib. 3. tit. 48. §. 2. de Eccles. ædif. vel repar.* ad Ecclesiarum reparationem imprimis eos teneri tradit, ad quos consuetudo, statuta & conventiones hoc onus transmittunt. Cessantibus autem his, reparationem Ecclesiæ fieri debere ex ea portione, quæ à jure, vel consuetudine ad fabricam deputata est; si nulla sit assignata, vel non sufficiat, interpellandum esse Prælatum, qui decimas percipit, eo quod non sit ferendus, qui lucrum amplectitur, & onus ei annexum contemnit; prædicti non sufficientibus, Episcopum, & beneficiatos in eadem Ecclesia pro rata suorum beneficiorum, & fructuum conferre debere, deducto eo, quod ad victum, & vestitum decentem est necessarium; si nec ista sufficiant, recurrendum esse ad populum, qui ibi sacramenta percipit. Duo alia remedia præscribit idem ibi *num. 6.* ubi videri potest.

4 Maximil. Faust. *in consil. pro ær. clas.* 12. *cons.* 16. *ord.* 898. aliquot conclusiones & declarationes super hac quæstione tradit. Et in primis ad reparationem vocandos eos dicit, ad quos consuetudo hoc onus transmittit, *arg. cap. ad Apostolicam* 42. *extr. de Simon.* Nicol. Everard. jun. *cons.* 35. *nu.* 6. *lib.* 2. Cessante consuetudine, statuto, seu dispositione speciali reparationem de portione ad fabricam Ecclesiæ deputata fieri debere per *d. can. decernimus* 10. *q.* 1. item Faust. *cons.* 16. *ord.* 899. Cardinal. Tusch. *lit. F. concl.* 3.

5 Ad ædificationem siquidem, vel reparationem Ecclesiarum parochialium extra voluntatem liberam, tenentur, quando necessitas id postulat, qui eas ex titulo possident ex bonis ipsarum, si supersint, vel saltem eatenus conferent, si Ecclesiæ fabricæ portio assignata non sufficiat, ut eorum exemplo cæteri parochiani excitentur *cap. 1. & cap. 4. de Eccles. ædif.* Erat porrò olim una pars reddituum ex quatuor reservata fabricæ *can. priscis, can. unio* 10. *q.* 3. *d. can. deservimus* 10. *q.* 1. *can. de redditibus* 12. *q.* 2. cum similibus. Quod si nulla pars reddituum fuerit assignata, vel destinata, fabricæ Ecclesiæ, neque Parochus habeat ex bonis ejusdem Ecclesiæ, quod deductis sumptibus in cultum Dei, & ejus victum, supersit, si parochiani solent contribuere, servanda est consuetudo, ut per Ostiens. *in sum. tit. de Eccles. ædif.* si nulla sit cogendi erunt contribuere quia eorum causa, & utilitas agitur & satis contribuit inops eorum proprius presbyter, cùm laborem pro illorum subsit, salute. Sic jussit Deus, ut populus contribueret ad ædificationem, ornatum, & necessaria Sanctuarii *Exod. cap.* 25. 36. & 38.

6 Porrò redditus, ac proventus Ecclesiæ, inter quos etiam decimæ numerantur, non tantùm pro victu ministrorum, sed etiam pro reparatione Ecclesiarum sunt destinati, & hoc onus prædictis redditibus, proventibus, ac decimis ita annexum est, ut eum sequatur, qui eorum usum, fruitionem, perceptionem, & commoditatem habet Faust. *loc. cit. §. ex jure*. Si decimæ, & fructus Ecclesiæ deductis necessariis alimentis Prælati seu ejus, qui illos percipit, non sufficiant, Ecclesiam parochialem Rector illius reparare tenetur Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 7. omnesque Clerici beneficiati pro rata fructuum & beneficiorum conferre debent, *cap. de his*, ubi Abb. & Doctores *de Eccles. ædif. cap. fin, extr. de his, quæ fiunt à mai. par.* Faust. *loc. cit. cons.* 18. *ord.* 900. per rationem, quia Clericus habens beneficium æquiparatur usufructuario, Doctores *in cap. præsenti 9. de offic. Ord. in 6. cap. requisisti* 15. *extr. de testam. can. duo sunt* 11. *qu.* 1. Usufructuarius autem ex fructibus bona conservare *lib. 7. §. hactenus 2. ff. de usufr.* Et suis sumptibus sarta tecta præstare tenetur, *l. eum 7. C. de usufr.* Quod est intelligendum quoad mediocres, non verò graviores reparationes, Faust. *concl.* 19. §. *atque huic.* Hinc volunt, si Ecclesia ab hostibus sit destructa, Episcopum, Prælatum, & Rectorem, ad reparationem non adstringi, idem *cons.* 18. *in fine*.

Quid si hæc omnia non sufficiant, vel Rector est pau- 7
per, nec habeat redditus sufficientes beneficii? In subsidium populus ad contributionem vocatur, Concil. Trid. *d. cap. 7. sess.* 21. Zypæus loco mox citando §. *nam ad laicos*, cujus interest, ut templa divino cultui dicata reparentur, & ministris Ecclesiæ de honesta substentatione provideatur, Faust. *cons.* 19 *ord.* 991. qui *cons.* 10. ad longum examinat, an forenses in parochia prædicta, & fundos possidentes, collectari possint?

Ex dictis infert Zypæus *lib. 3. cons. can. de paroch.* 8
cons. 4. gradus ita observandos esse, ut ante omnia beneficia uniantur, cui si locus non sit, succedant alii modi a Concilio relati, & aliis locum non esse, quàm si per beneficiorum unionem id fieri non possit, excipiendo Curata, & regularia, non tamen tot, & talium, quin Parochus oneribus pridem incumbentibus satisfacere possit.

Itaque post remedium unionis primo loco primi- 9
tiæ, secundo decimæ tertio collectæ, denique alia quæcumque commodior tentanda est. Ita enim Concilium conditionatam, non liberam facultatem præbet. Ex quo sequitur, quod ad decimas non sit perveniendum, si sufficiant primitiæ, & quod ad symbola, nisi excussis Ecclesiasticis proventibus perveniri non possit invitis parochianis, & laici conveniri non possint, quàm si proventus desint Ecclesiastici; quia populo ob spiritualem curam onus decimarum est impositum. Unde quandiù illæ sufficiunt, rursus non potest gravari, Zypæus *ibid.* §. *nam cum*, qui ad marginem notat, quod decimæ penes laicos existentes aut immunes sunt, aut subsidiariæ tantùm. Et in contextu tradit, plerosque Doctores adstruere, decimas à laicis possessas omninò esse liberas, cùm tanquam bona patrimonialia eademque immunitate possideantur. Et hac ipsa de causa Concilium Trid. *d. cap. 7.* proventus ab Ecclesia promanantes in onus vocare, ut feudales laicorum decimæ secernantur. Idem ibidem in fine tradit, Prælatos singulos ad ratam, qua decimas colligunt æquali jure, alium autem in contributionem vocari non posse ob decimas quas laico jure, & ut dominii temporalis partem possidet.

Idipsum tenet Vallensis loco supra citato *nu.* 4. ubi 10
inter cætera, ait quod decimæ feudales in manu laica ante Concilium Lateranense existentes, sint immunes ab onere reparandarum Ecclesiarum, & alendorum Parochorum, non tamen illæ, quæ Dominum aliquem Ecclesiasticum agnoscunt; nisi Ecclesiasticus eas teneat in consequentiam bonorum laicorum, quorum pars sunt, aut ab iis dependent. Idemque putat Zypæus loco citato §. *& quia* obtinere in decimis à laicis ad Ecclesiam reversis, & pro fundatione Monasteriorum sacrorum, anniversariorum ex deputatis.

Nam

Nam quoad hæc onera censeri adhuc penes laicos esse, & perinde à contributione eximi debere, ac si laici eas obtinerent. Confer eundem Zypæum *resp. 3. de congr. port. paroch. & Vicar. num. 6.* ubi prædictorum aliam rationem reddit.

11 Inter plures autem decimas idem Zypæus §. *qua ratione* existimat novales prius Parocho addicendas esse, & ad congruam portionem possessoribus excutiendas *arg. cap. 2. §. ubi autem, & §. fin. de decim. in 6.* quia propriæ parochorum sunt, *cap quoniam 13. extr. de decim.* & si diversis temporibus decimæ sint ab Ecclesia prochiali avulsæ, illas ante alias apprehendendas, quæ ultimò avulsæ fuerunt per rationes ibidem ex jure civili deductas. Idem ibidem §. *Quod si*, determinat quoque illam quæstionem, si ex decimis aliis, quæ jam olim laicis obvenerint, aliquæ Parochis specialiter quasi pro alimentis destinatæ sint, postea ad alias manus perveniisse reperiantur, quod hæ speciales adhuc præ aliis congruæ portioni Parochi attribuendæ sint.

12 Quantum autem Parocho sit assignandum, respondet Zypæus *lib. 3. consul. can. de paroch. consul. 3.* Concilium Tridentinum dedisse Ordinariis facultatem indeterminatam ad necessitates congruè tolerandas, seu, ut in rectore loquitur *sess. 24 cap. 13.* quod pro illius, aut parochiæ necessitate decenter sufficiat, unde congruè sustentari, & commodè jura Episcopalia solvere, *cap. 2. §. 2. de decim. in 6.* & hospitalitatem teneri possit, *cap. de monachis 12. extr. de præb.* quo & ipse, & hic sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium, id, quod arbitrio Ordinarii committitur *sess. 7. cap. 5.* usque ad tertiam, majorem, vel minorem partem fructuum, computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, sive in pecunia, sive in fructibus, aut re stabili. Idem ibidem circa finem ait, hortum parochialem, anniversaria, & quælibet accidentia esse computanda. Idem *consul. 4. ita* taxandam putat congruam, ut nec Parochis necessaria desint, neque Monasterii, & piæ causæ, quibus unio, & concessio facta est, nimium patiantur. Cum quo concordat Faust. *clas. 12. consil. 17. §. Et quamvis*, ubi ait, quod ratio habenda sit dignitatis, & conditionis Prælati, qui decimas percipit, ne uno, eodemque tempore, aut amplius, quàm oportet, istiusmodi reparationibus prægravetur. Et adducit ibidem aliquos, volentes, quod tertia pars fructuum ad hæc deputanda sit, *arg. l. ne splendidissimæ 11. C. de oper. publ. & l. fin. C. de vectigal.*

13 Quantum autem beneficiatis relinquendum sit, qui in tributum vocantur, tradit idem Faust. *cons. 18. §. quantum.* Plura de eo, quanta portio Parocho assignanda docet Rebuff. *in tract. de congr. port. q. 8 nu 9.* ubi refert, in Curia quartam partem fuisse adjudicatam. Ipse tamen putat aliquando plus, aliquando minus, prout judici videbitur, teparandum, eo quod non possit certa dari doctrina, qui fructus requirantur ad sustentationem beneficiati. Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 7.* deputare jubet tertiam partem fructuum, aut majorem, vel minorem arbitrio ipsorum Ordinariorum. B. Pius V. reprehendit illos Ordinarios, qui modum ita excesserunt, ut parum, aut nihil ex fructibus, redditibus, & proventibus parochialium Ecclesiarum sic unitarum Monasteriis, collegiis, aliisve locis piis remanserit, & voluit, ut portio congrua non minor esset scutis quinquaginta, nec major centum, referente eodem Zypæo *lib. 3. resp. 3. de congr. Paroch. & Vicar. port. num. 10.* ut ne desit Parocho, vel Vicario, quod necessarium sit, nec id patronis auferatur, quominus oneribus sibi incumbentibus possint satisfacere; quia propterea unionis factæ sunt. Adeòque respici debent redditus, & onera non tantum parochialis Ecclesiæ, sed ejus etiam loci, cui ipsa unita fuit. Idem ibidem *num. 11.* refert, quid in hanc portionem imputandum sit, & quid in ejus assignatione considerandum Rebuf. *à nu. 62.* cum aliquot *seqq. qui num. 81.* quærit, in quibus rebus hæc portio assignanda sit. Similiter & Zypæus *n. 18.* ubi ex mente B. Pii V. Pontificis assignationem fieri posse ait, in quota fructuum pecunia numerata, fundo, seu alia re stabili. Conferatur idem *lib. 5. de jurisd. Eccles. cap. 36. num. 6. & 7. & lib. 3. cap. 18.*

Qualiter autem arbitrium in hujusmodi taxatione sit moderandum, conjice ex infrascripta declaratione. An fructuum portio constituenda parochialium Ecclesiarum vacaturarum Vicario curam exercenti quousque ad novam institutionem deveniatur, referri debeat ad solam ipsius sustentationem, quotam, aut ipsorum vacantium annuum valorem, vel ad ipsius Vicarii qualitatem? S. Congregatio censuit, ad hæc omnia esse referendam. Rursus censuit à datione Coadjutoris Vicario insufficienti, & à congrua assignatione dari appellationem devolutivam tantum, & de gravaminibus videndum in secundo judicio. 14

Ex dicto autem decreto *cap. 7. sess. 21.* Sacra Congregatio censuit in Mansicana. *Episcopus parochiales Ecclesias dirutas restaurari, aut transferre curare debet, servata forma præcisa hujus decreti.* 15

Tudertina. *Quando Ecclesia diruitur, onus missarum in matricem Ecclesiam transferendum est, in eaque expensis Ecclesiam dirutam possidentis erigi debet altare sub nomine Ecclesiæ dirutæ. Cœmeterium autem ad locum vicinum, prout magis populo placuerit transferre debebis, in eoque ossa mortuorum transportari.* 16

Ipporegensi, *Sequestrum faciendum ab Episcopo super fructibus Ecclesiæ causa reparationis debet relaxari saltem pro ea parte, quæ ad necessarium victum ipsius Parochi requiritur.* 17

Polensi. *Ecclesiæ labentes, & propè cadentes, quæ nullius sunt redditus, Civitatum sumptibus Episcopi hortatu resici debent 22. Junii 1570.* 18

Mediolanensi. *Episcopus Ecclesias dirutas, sive parochiales, sive alias profanare valet. Item ruinas Ecclesiæ profanatæ in usus etiam profanos, non tamen sordidos, convertere poterit. Item pecunias ex dictis ruinis redigendas in utilitatem Ecclesiæ convertere curabit 24. Januarii 1573.* 19

Circa profanationem quando, & quomodo sit facienda, vide Synodum Placentinam editam anno 1588. Acta S. Caroli Gavantum *in prax. visitat.* & alios. 20

CONSULTATIO LXI.

An, & quatenus à morum correctione detur appellatio etiam quoad Regulares? Quomodo Concilii Tridentini decreto super hac re derogetur? Et an, & quatenus causa Clerici committi possit Iudici seculari?

QUoad morum correctionem ita decernit S. Concilium Trid. *sess. 24. cap. 10. ref. de Episcopi, ut apius, quem regunt, populum possint in officio, atque obedientia continere in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi juxta canonum sanctiones, qua illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate, necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.* 1

In quo decreto fusè, ac specialiter declaratur, quod fuit sancitum *sess. 13. cap. 1. §. in causis visitationum, & sess. 22. cap. 1 vers. nec appellatio*, nihil tamen derogando supradictis decretis. Regula autem est. In causis correctionis non datur appellatio, nisi corrigens excedat modum per textum *in cap. ad nostram de appel.* Quia remedium appellationis non ideò est inventum, ut alicui à 2

Religionis, & Ordinis obſervantia exorbitanti, ideſt, quaſi per cœcitatem mentis devianti, debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere, cui concinit *cap. reprehenſibilis*, ibi: *Ne Religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant.* Et ob eandem rationem non admittitur recuſatio, *cap. cum ſpeciali*, ubi id notant Innoc. Oſt. Io. Andr. & alii *de appel.* Gloſ. fin. *in d. cap. ad noſtram*, & Guidopap. *num.* 2.

3 Et ſi enim textus *in d. cap. ad noſtram* loquatur in Regularibus, inſpecta tamen mente vindicat ſibi locum etiam in aliis ſubditis, prout illum Doctores communiter intelligunt, ut Innoc. poſt *prine.* Oſt. *n.* 3. Bald. *n.* 2. Abb. *nu.* 7. & 8. Alex. de Næu. *nu.* 13. & *ſeqq.* Præcipuè tamen in Regularibus hoc eſt obſervandum, quia in eis viget peculiaris ratio propter obedientiam, & regularia inſtituta, *in d. cap. reprehenſibilis de appel.* Concordat. *cap. licet*, & *cap. irrefragabili de offic. ord.* & *cap. pervenit* 1. *de appel.* Remedium namque appellationis non ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ eſt inſtitutum, ut legitur in *cap. cum ſpeciali*, §. *porrò de appel.* Unde hanc regulam, quod à correctione legitima non appelletur, generaliter ponunt Gloſſ. fin. & Oſt. ubi ſupra Cardinal. Bald. Abb. & alii omnes *in principio.*

4 Hæc autem regula declaratur, ut procedat quoad effectum ſuſpenſivum tantum, ut ſatis innuunt verba dicti *cap. irrefragabili de offic. ord.* his verbis: *Executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire*, & ſancitur in Tridentino Concilio *d. c.* 1. *ſeſſ.* 22. & *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 24. Quod verò ad effectum devolutivum admittitur appellatio etiam à correctione, ut patet ex alio ejuſdem Concilii decreto, nempè ex *cap.* 1. *ſeſſ.* 13. ubi ſtatuitur, *ut in cauſis viſitationis, & correctionis ab Epiſcopo, ſeu illius Vicario ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur. Nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi, tanquam frivolæ deferre teneatur, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit.* Quibus verbis apertè admittitur in cauſis correctionis licere appellare poſt definitivam ſententiam, vel antea, ſi gravamen ſit irreparabile. Hoc autem intelligi debet quoad effectum devolutivum, non autem ſuſpenſivum. Et ita S. Congregatio Concilii hoc decretum intellexit, & conciliavit cum præallegatis decretis *cap.* 1. *ſeſſ.* 22. *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. Nam conſulta, an in cauſis viſitationis, & correctionis appellari poſſit poſt definitivam, reſpondit poſſe, ita tamen ut appellatio non ſuſpendat executionem, ut ſancitum eſt *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. & *cap.* 1. *ſeſſ.* 22. Item conſulta, an decretum *cap.* 10. *ſeſſ.* 24. ſuſtulerit appellationem devolutivam, cenſuit non ſuſtuliſſe devolutivam, ſed ſuſpenſivam tantum. Et quamquam Epiſcopus id faciat, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prout habetur in *d. cap.* 10. tamen cum juriſdictio jure ſuo ordinario ei etiam ante Concilium competeret, non impedire appellationis devolutivam ad Metropolitanum. Et quoad dandam copiam actorum attinet, ſervanda eſſe decreta *cap.* 3. *ſeſſ.* 13. & *cap.* 20. *ſeſſ.* 34. Secus verò quando Concilium non utitur illa dictione. Et quia non poteſt Epiſcopus prætextu, quod ſit Apoſtolicæ Sedis delegatus, declinare juriſdictionem Metropolitani in caſibus illis, in quibus ante Concilium tanquam Ordinarius poterat uti eodem jure, eademque poteſtate, ut S. Congregatio cenſuit. Quare licet Epiſcopi poſſint viſitare tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, non impeditur tamen Archiepiſcopus in caſibus à jure, & à Concilio permiſſis, quin appellationem recipiat ad effectum devolutivum, non tamen ſuſpenſivum. Et iterum ſuborta dubitatione, an in materia correctionis, ubi Epiſcopus etiam ſine proceſſu, & ſine ſcriptis, in carcerem conjicit ſuos ſubditos, & tenet diu carceratos, poſſit Metropolitanus cognoſcere de exceſſu in corrigendo, ſi carcerati appellaverint ad eum, cenſuit poſſe, dummodò interim non impediat, aut ſuſpendat executionem eorum, quæ ab ordinario decreta fuerint.

Diſtinguendum igitur eſt, quod ad effectum devol- 5
vendi appellatio permittitur à definitiva, vel interlocutoria, habente vim definitivæ *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 22. & *cap.* 1. *ſeſſ.* 13. Sed ad effectum impediendi executionem non permittitur, ut *in d. cap.* 10 *ſeſſ.* 24. & *cap.* 1. *ſeſſ.* 22. de quibus *in d. cap. licet de offic. ord.* & *d. cap. ad noſtram de appel.*

Cæterum ſi Prælatus regularis excederet modum in 6
corrigendo, tunc liceret ſubdito appellare quod ad utrumque effectum. Et ita procedit textus *in cap. de priore de appellat.* & in *cap. ſuper quæſtionem* §. *nos autem de offic. deleg.* Sicut appellatur ab executore, cum modum excedit, *cap. quod conſultationem in fin. de re judic.* à quo alias appellari non poteſt, *cap. novit. eod. can. Ei qui*, §. *ſunt quorum* 2. *q.* 6 & notat gloſ. *fin. in d. cap. ad noſtram*, Innoc. *in princ.* ubi ait, hodie non eſſe differentiam inter Regulares & alios, inter correctionem, & alium proceſſum, cum ſemper liceat appellare, ſi excedat, ſeu gravet per textum *in cap. licet de offic. ord.* & *cap. inquiſitionis de accuſ.* Unde infertur, ut ſi Prælatus in cauſa viſitationis, ſeu correctionis procedat ſervata tela judiciaria, liceat appellare etiam ad effectum ſuſpenſivum, ut colligitur ex *d. cap. irrefragabili in princ.* ibi: *niſi formam in talibus exceſſerint obſervandam, de offic. ord.* & tenent *in d. cap. ad noſtram*, Tancredus, & Vincentius, & poſt eos Io Andr. *n.* 6. *in gloſ. ult.* ubi ait, poſſe Monachum, ſicut & Clericum appellare, ſi correctio fiat in forma judicii. Eſtque mens Gloſ. *ult. in d. cap. ad noſtram* & Oſt. *num.* 8. dum inquiunt idcircò à correctione non poſſe appellari, quia fit ad pœnitentiam, & extra formam judicii, innuentes per hoc ſecus dicendum eſſe, ſi procedatur ſervato ordine judiciario.

Et hanc ſententiam probavit S. Congregatio Concilii, 7
Conſulta enim, *an cum Epiſcopus, ſervata tela judiciaria, fert ſententiam definitivam contra delinquentes, habeant locum decreta Concilii de viſitatione loquentia, & præcipuè decretum cap.* 10. *ſeſſ.* 24. *adeò ut appellatio ad effectum ſuſpenſivum nullatenus debeat admitti, etiam ſi ſententia lata fuerit ad puniendum delictum blaſphemiæ, vel adulterii? S. Congregatio cenſuit, appellatione correctionis morum non comprehendi correctionem, ſeu punitionem, quando Epiſcopus judicialiter proceſſit, cognovit, & pronunciavit.* Ex ex ejuſdem S. Congregationis ſententia Gregorius XIII. hoc generale decretum edidit. In cauſis viſitationis, & correctionis appellari poteſt poſt definitivam; ita tamen, ut appellatio non ſuccedat executionem, prout in *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 24. ſancitum eſt, & *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 22. Quod ſi Epiſcopus, completo proceſſu, formato judicio, ſervatis ſervandis, prout juris fuerit, procedat, veluti ex cauſa blaſphemiæ, & adulterii, aut reſtitutionis fructuum beneficiorum ob non recitatum Officium divinum, & ſimilium, non habent locum hæc decreta.

Quia correctio, ultra quod videtur reſpicere tantum 8
ea, quæ concernunt regulam, & inſtitutum Ordinis *d. cap. ad noſtram de appel.* ubi Abbas, videtur etiam ſentire Concilium *cap.* 1. *ſeſſ.* 22. ubi exprimendo, *quibuſcumque criminibus Eccleſiaſticis*, tamen requirit etiam illud, ut fiat extra formam judicii, & ad pœnitentiam, Gloſ. in d. cap. ad noſtram, ibique Ancharanus, Butrius, Imola, Geminianus, traditque Abb. *in cap. Si quis contra Clericum in repet. nu.* 50. & *in cap. Cum contingat num.* 39. *de for. comp.* ubi conſtituit differentiam, an Epiſcopus proceſſerit correctionaliter, vel judicialiter, Cardinal. *in Clem. Si Romanus in princ. de præb.* D. Anton. *in ſum. p.* 2. *de correct.* Condemnare autem blaſphemum, vel adulterum eſt punire delictum, non corrigere mores. Et quamvis *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 24. utatur verbo *puniendi*, & ſic extra pœnitentiam, & utatur etiam

verbo

verbo *judicata*, & sic etiam in forma judicii; tamen quia loquitur de visitatione, & correctione, ad visitationem, & correctionem debent referri. Ideòque si Episcopus in criminibus judicialiter processit, admittendam esse appellationem etiam ad effectum suspensivum, censuit S. Congregatio.

9 Sed num poterit Episcopus visitans tanquam suspectus recusari? S. Congregatio censuit, non posse, nec cum generalem visitationem aggreditur, nec cum ad specialem descendit, si modò sine strepitu, & figura judicii procedens pœnas imponat delictorum non ordinarias, sed eas tantùm, quæ morum emendationem, & correctionem respiciunt, modumque corrigendi non excedat. Ita etiam censuit 6. Octobris 1588. his verbis. Congregatio Concilii censuit, decretum *cap.*10 *sess.*24. non habere locum quoad appellationem, quando Episcopus compilato processu ad pœnam ordinariam procedit, & quod tunc suspectus allegari poterit, & dabitur appellatio.

10 Eadem S. Congregatio Concilii declaravit super *d. cap.*1.*sess.*13. quod appellatio carcerati sine processu potest cognosci, dummodò non impediat executionem correctionis.

11 In causis, in quibus prohibetur appellatio per hoc decretum, si de facto appellatur, Iudex appellationis non potest etiam sine præjudicio cursus causæ principalis cognoscere de gravamine, à quo appellatum fuit, nec mandare, ut ad effectum prædictum sibi transmittantur acta.

12 Ab indebita carceratione appellari potest, & appellationi deferendum est. Carceratus autem non debet per Iudicem appellationis, nisi causa cognita, relaxari.

13 Brundusina. Appellatio à correctione non est admittenda per Metropolitanum ante definitivam sententiam, etiamsi Metropolitanus acta solummodò videre velit expensis appellantis.

14 Eadem. Appellatio à definitiva in causa correctionis rei, non suspendit executionem.

15 Nicoterensi. In causis, in quibus prohibetur appellatio à Concilio post definitivam, appellari potest, sed hujusmodi appellatio non impedit executionem.

16 Porrò hisce Tridentinis decretis non derogatur per commissionem, nisi de eis specialis mentio fiat, ita ut oporteat de illis specialem mentionem facere, ut per Doctores communiter apud Sanchez *de matr. lib.*3. *cap.*27. *num.*7. Cum enim correctio morum inducta sit in favorem animæ, ac in honorem Dei, est privilegiata, ut notant Panuin. *q.*1.*num.*6.*& q.*10.*nu.*1.Mar.Anton.*lib.*1. *resol.*109. *nu.*5. Et ideò non censetur illi derogatum per generalia verba, nisi de ipsa fiat expressa mentio. Quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus, cum mens Principis nunquam præsumatur approbare factum, reprobatum à lege juxta regulas juris.

17 Posito tamen, quod Pontifex expressè in supradictis Concilii Tridentini decretis derogaret, & causam committeret Iudici merè seculari, validè id fieri, asserunt communiter Doctores apud Delben. *de immun. Eccles. cap.*10.*dub.*11. Quod observari in praxi testatur, sed an licitè, dubitat Suarez *lib.*4. *de immun. Eccles. cap.*29. ait, manifestum esse, posse quemlibet Clericum de licentia Summi Pontificis huic privilegio renunciare, prout *in cap.* 2. *de for. comp.* tradit Panorm. indeque argumentum sumit, quia Pontifex potest delegare laico causam spiritualem juxta *can. illud.*10. *q.* 3. & de purgatione Episcopi in causa criminali idem desumitur ex *can.Mennam* 2.*q* 5.

18 Ratio autem est, quia Summus Pontifex habet potestatem dispensandi in toto jure canonico etiam præcipiente, ac determinate, vel ex parte mutare privilegium jure divino concessum, quod respectu Pontificis non includit præceptum, ut nunquam mutetur. Item quia Pontifex potest suam jurisdictionem committere laico, præsertim in causis temporalibus, etiamsi id ad personas Clericorum pertineat. Hoc tamen rarissimè facit Pontifex, quia per se non decet statum Clericalem. Unde etiam constat, necessariam esse causam, & satis gravem, ut Pontifex facultatem hanc rectè, ac legitimè concedat, cum ad omnem dispensationem communis juris, ut licitè fiat, necessaria est causa. Ergo multò magis in hoc jure, quod gravissimum est, & statum ipsum clericalem generatim respicit, adque jus divinum pertinet, vel illi est conjunctissimum.

Id confirmat Delbene *cap.*4.*dub.*31. Quia cum immunitas Ecclesiastica sit in maximum bonum Ecclesiæ, & forsan etiam de jure divino, non potest Summus Pontifex sine justa, & rationabili causa dictæ immunitati aliquatenus renunciare, cum non sit ei data potestas in destructionem, sed solum in ædificationem, alioquin irrita erit renunciatio, & si facta fuerit, revocari debebit. 19

Addi etiam potest ratio satis congrua. Quia si commissio causæ clericalis Iudici laico admittenda esset, vel id fieret propter gravitatem criminis, vel propter levitatem. Hoc posterius nemo dixerit; quia leviora peccata facilius possunt per proprium Iudicem Ecclesiasticum cognosci, ac puniri Crimina verò graviora Clericorum magis necessarium est non tractari à laicis, imò neque cognosci, aut sciri, si fieri posset. Et præterea per Ecclesiasticum Iudicem possunt sufficienter vel curari, vel vindicari. Quod si ad hoc fuerit necessaria potestas secularis, non idcircò debet judicium talium criminum secularibus committi. Multò enim convenientius est, ut ipsi se non intromittant, donec vocentur, & ut requisiti ab Ecclesiastico Iudice auxilium suum impendere teneantur juxta *cap.ut famæ de sent. excom. Fas enim non est*, exclamant Theodosius, & Valentinianus Augusti, *ut divini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio, l.ult.de Episc.& Cler.* 20

CONSVLTATIO LXII.

An, & quatenus Regulares abjurantes de levi in S. Officio Inquisitionis reddantur inhabiles ad gradus, & dignitates Religionis? Ubi non vulgò aliqua effata de abjuratione, de abjurante, deque Regularibus ad materiam S. Inquisitionis pertinentia.

NEgant Freytas *in abbit. ad tract. de confes. sollic.q.* 24 *nu.*70. Roderic. à Cugna *eod.tract. q.*23.*nu.*22. Sous.*eod.argum.tr.*2.*c.*16.*n.*6. Henriquez *lib.*13. *cap.*56.§. 1.*in Glos.lit.L.* Rodriquez *tom.*3.*qu.reg.*24.*nu.*70. Garzia *de benef.tom.*2 *p.*11.*c.*10.*nu.*87. aliique apud ipsos, idque etiamsi abjurasset de vehementi. Ratio autem est, quia irregularitas non est imponenda, nisi fuerit expressa in jure. In nullo autem jure exprimitur, abjurantes de levi esse irregulares. 1

At nihilominùs hodie tenendum est, hujusmodi Regulares abjurantes etiam de levi reddi inhabiles ad omnes Religionis suæ gradus, & officia per decretum Urbani VIII. editum in Congregatione S. Officii Inquisitionis die prima Octobris 1626. his verbis: *Sanctissimus D. N. justis de causis animum suum moventibus, decrevit, & statuit, ut in posterum Regulares omnes cujusvis Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus, pœnitentia genus aliquod impositum fuerit, salutaribus pœnitentiis exceptis, eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur. Et deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac S. Congregatione coram Sanctitate suæ habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Alias promotio qualibet nulla sit, & promoventes ipsi privationem suorum officiorum, ac præterea vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem S. Congregatione coram Sanctitate suæ habenda non possint. Præsens autem* 2

decretum omnibus Religionum superioribus intimare mandavit idem S. D. N.

3 Et ita tenent post hoc decretum Peyrin. *in Constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 29.* Carena *p. 3. tit. 12. §. 4. n. 14.* Pistachius *de superstit. p. 2. cap. 25. n. 78.* Alphonsi. de Leon. *de offic. & potest. Confes. tom. 2. resol. n. 211.* Delbene *de offic. S. Inquis. p. 1. dub. 171. pet. 2. n. 13.* Cùm igitur id exprimatur in adducto decreto, non est amplius de hoc disputandum, sed parendum.

4 Effata de abjuratione. Abjuratio de violenti non datur, nisi in casu capitali cum contumacia, & reducitur ad abjurationem de vehementi. Neque in S. Officio est amplius in usu.

5 Abjuratio de levi imponitur minori decem, & octo annorum, qui alias propter delictum abjurare debuerat de vehementi.

6 Abjuratio minuitur tortura.

7 Non imponitur iis, qui traduntur Curiæ seculari.

8 Abjuratio de vehementi non declarat quempiam hæreticum, neque impedit, quominus Dignitatem consequatur. Neque reddit abjurantem inhabilem ad beneficia, neque efficit illum irregularem. Si verò extet aliquod statutum particulare, ne quis de aliquo crimine suspectus admittatur ad Canonicatum, vel ad beneficia, vel Dignitates, id quidem esset ex vi Statuti, non abjurationis.

9 Abjurationi publicæ interessentibus conceditur Indulgentia.

10 Super tabulato, vulgò palco abjurationis, Iudex secularis non sedet cum Iudicibus, & Officialibus S. Officii, sed separatim.

11 Publicè abjurans non producatur alio habitu indutus, nisi suo solito, licet sit relapsus, aut tradatur Curiæ seculari.

12 Sive abjuret de formali, sive de vehementi teneat candelam accensam in manu.

13 Abjurans tanquam hæreticus formalis non admittitur ad officia publica, & honores, & admissus removeatur, nisi doceat de dispensatione.

14 Abjurans de formali debet gestare habitellum, nisi sit sponte comparens.

15 Abjurans de formali, & posteà habilitatus ad beneficia, Canonicatus, & dignitates, potest obtinere Canonicatum in Cathedrali, non obstante statuto prohibente, ne quis de aliquo crimine suspectus, aut læsæ majestatis, vel aliàs levis opinionis eligatur in Canonicum.

16 Si de levi abjuraverit, potest ei permitti audire Confessiones, nisi aliud ei obstiterit impedimentum, vel nisi in sententia fuerit suspensus, aut propter delictum in Confessione commissum fuerit pœnitentiatus.

17 Qui pluries abjuraverit de formali sub ficto nomine ob lucrum, est fustigandus.

18 Qui abjuraverit de vehementi, non est hæreticus formalis, cùm iterum debeat abjurare de vehementi.

19 Regulares venientes ad Urbem sine obedientia suorum Superiorum pro denunciando in S. Officio, quamprimùm examinantur, & si nihil pertinens ad S. Officium, aut minus deposuerint, detinentur in pœnam per sex menses in carceribus S. Officii. Illi verò, qui vagantur sub prætextu deponendi, in carceres conjiciuntur, & sic puniti remittuntur obedientiæ suorum Superiorum.

20 Regularium missiones in Regnum Japonicum fiunt à Generalibus Ordinum, & qui mittuntur, præmonentur in Lusitania, deinde Goæ, ac inde proficiscuntur in Japonem, nec faciunt iter per Indias occidentales, nec ab aliquo accipiunt iter, quod facere debent.

21 Regulares accedentes ad Indias per Insulas Philippinas tenentur observare Breve Pontificium, hoc est, quod fiat iter per Lusitaniam. Contra verò hoc Breve conceditur licentia eundi per aliam viam, sed tamen tenentur servare iter, ipsis præscribendum à Rege Hispaniarum.

Episcopus Japoni non potest assignare Provinciis sibi 22
benè visis Regulares accedentes ad prædicandum Evangelium in illis partibus, ut occurratur discordiis, neque habere super eis jurisdictionem, sed illæ Religiones visitandæ sunt ab alio Episcopo vicino.

Superiores Regulares non possunt contra suos subdi- 23
tos inquisitos de causis ad S. Officium spectantibus procedere juxta Constitutionem Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex*, alioquin incidunt in pœnas in illa contentas.

Regulares non possunt adire Monasteria Monialium 24
ad illas alloquendum, etiamsi sint Vicarii S. Officii, dummodò non agatur de re ad S. Officium pertinente, sine licentia Episcopi, vel S. Congregationis Regularium.

Regulares non possunt accedere ad partes Vallis Tel- 25
linæ absque licentia Episcopi Comensis.

Quicunque Regulares quorumvis etiam Mendican- 26
tium Ordinum, qui pro tempore ad Officium S. Romanæ Inquisitionis pro quocumque fidei negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium veritatis perhibuerint, aut aliàs quomodolibet denunciaverint, nequaquam à suis superioribus per quinquenium continuum à die recursus, seu denunciationis hujusmodi molestari, vel ex quacunque causa, vel quæsito colore pœnitentiari possunt, nisi prius ab ipsis Superioribus de illorum causa, vel excessibus prætensis, ac de debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis Eminentissimi Cardinales Inquisitores certiores facti fuerint, & ab ipsis de uper responsum. Verum id non videtur esse amplius in usu.

In Regularium causis pertinentibus ad S. Officium, in 27
quibus de validitate, seu invaliditate professionis agi contigerit, Episcopi, seu Inquisitores causam nullitatis, seu invaliditatis professionis absque interventu Superiorum eorumdem Regularium, & aliàs non servata forma à S. Concilio Tridentino præscripta, cognoscere, & judicare possunt, ac valent.

Prælati regulares, aliique habentes quasi jurisdictio- 28
nem Episcopalem, possunt procedere in causis S. Officii contra suos subditos seculares, dummodò habeant territorium separatum, & exemptum à jurisdictione Episcoporum.

Regulares tenentur post receptas denunciationes cer- 29
tiorem reddere S. Inquisitionem sub pœnis, ac censuris in dicta Constitutione *Romanus Pontifex* contentis.

Regulares superiores contra suos subditos morantes 30
in locis, in quibus hæreses impunè grassantur, & in quibus non exercetur per Ordinarium, vel Inquisitorem S. Officium, procedere possunt.

Regulares publicantes Indulgentias sine licentia Or- 31
dinariorum, vel excedentes modum in illis publicandis, puniuntur ab Ordinariis.

Regulares cujuscumque Religionis admitti possunt ad 32
administrandam curam animarum, durante necessitate Sacerdotum secularium.

Regularium Superiores curent, ne Confessarii Mo- 33
nialium sibi subjectarum concionentur in loco, ubi audiunt earum confessiones.

Superiores regulares tenentur ex Conventibus solve- 34
re alimenta suis subditis carceratis. Quod si conventus sint ita pauperes, ut nequeant hujusmodi expensas solvere, illas solvere debent Provinciæ, sin minùs Religio. Qui verò non habent proprios redditus, vivuntque ex eleemosynis, eas solvere non tenentur. Curent tamen Inquisitores in hujusmodi casibus, ut Conventus, vel Provinciæ subministrent carceratis dictum victum, vel expensas cibarias. Quod verò ad processus, & alia acta nihil exigendum, sed de suo S. Officium solvere debet.

Superiores Ordinum tenentur quolibet anno publico 35
documento docere S. Congregationem, se publicasse decretum Constitutionum spectantium ad S. Officium. Sufficit tamen, quod fides publicationis præsentetur inquisitori,

Inquisitori, cui subjacent. Illud verò tenentur publicare in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, non autem particularibus. Fides publicationis hujusmodi ultra montes exhibere debent Nunciis Apostolicis, sufficitque subscriptio Superioris Conventus, & duorum testium.

36 Regulares retinentes scripta sortilega damnantur ad triremes per decennium, privantur voce activa, & passiva, & abjurant juxta facti qualitatem, ita ut ad talem pœnam inclusivè damnari possint plus, minusve juxta delictorum, personarum, ac temporum, scandalique resultantis, & aliarum circumstantiarum qualitatem, dummodò talis pœna excedatur.

37 Regulares inservientes S. Officio, dum sunt in actuali servitio occupati, sunt exempti à choro.

38 Regularium Superiores tenentur restituere habitum suis subditis habilitatis ex gratia S. Congregationis a triremibus, non obstante decreto Capitulari prohibente, ne amplius recipiantur ad Religionem ii, qui ad triremes fuerunt damnati. Quod quidem non habet locum in hoc casu.

39 Iesuitæ possunt in Hispania, & Lusitania imprimere libros absque illorum missione ad Vrbem, ut revideantur, dummodò non tractent de gratia efficaci, & de aliis controversiis hujus temporis in materia jurisdictionis Ecclesiasticæ, nec adversentur doctrinæ D. Thomæ, vel etiam sit dubium, an sit secundum illius doctrinam.

40 Non habent amplius facultatem absolvendi ab hæresi in foro conscientiæ. Hujusmodi enim facultatem à Gregorio XIII. ipsis concessam, revocavit Sixtus V.

41 Neque habent facultatem absolvendi eos, qui non satisfaciunt S. Officio.

42 Morantes in Regno Synarum possunt uti alba in parte anteriori aperta, & planeta, etiam ab uno latere aperta.

CONSVLTATIO LXIII.

1 CAius procuratorem constituit ad contrahendum suo nomine matrimonium cum Seia. Interim Cajus cogitur à suis parentibus, qui nolebant hoc matrimonium contrahi, ad suscipiendum Sacrum Subdiaconatus Ordinem. Vnde mox, ut à molestiis paternis liberaretur, supponens matrimonium nondum fuisse contractum, deliberavit dictum Ordinem Subdiaconatus suscipere. Sciens posteà matrimonium per procuratorem contractum fuisse tribus antea diebus ante susceptionem Subdiaconatus, pœnituit Ordinem suscepisse, & matrimonium consummavit.

2 *Quæritur quas pœnas incurrerit in Ecclesia latina? quid in Ecclesia græca? ubi strictim differentia inter dictas Ecclesias; an ipsi injungendum sit præceptum non petendi debitum, sed solùm reddendi? Et quid de promoto ad minores ordines?*

3 Principio certum est, quod ligamen matrimoniale reddit irregularem hominem in Ecclesia latina, ita ut durante eo vinculo non possit ad Ordines promoveri per textum *in cap. conjugatus, de convers. conjug.* utque nec primam tonsuram recipere debeat, alias peccat mortaliter *cap. nullus de temp. ordin. in 6.* Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 38. num. 6.* In Ecclesia græca non est irregularis conjugatus, sed potest promoveri ex consuetudine, in quam Romani Pontifices consensere, *can. aliter 31. d. c. Syracusana 28. d. cap. Cum olim de Cler. conjug.* Sanch. *disp. 28. num. 4. & seqq.* Layman *de Sacram. Ordin. c. 11. nu. 9.* & nos alibi.

4 Et quidem possunt Lectores, & Cantores in Ecclesia Catholica etiam impunè uxores habere ex *can. Apostolorum 25.* & generaliter in minoribus Ordinibus constitutos infra Subdiaconatum ad matrimonium pervenire non est prohibitum. In Subdiaconatu, & aliis majoribus est prohibitum, & si de facto pervenerint, uxores dimittere, & pœnitentiam agere per suspensionis, & excommunicationis sententiam compelluntur *cap. 1. de Cler. conjug. lib. 3.* matrimonio nullo existente, & constituta pœna privationis beneficiorum, *cap. sanè 4. cap. diversis 6. eod. tit. can. presbyterum 28. d. cap. 1. & 2. qui Clerici, vel voveni. matr. lib. 4. tit. 6. can. de illo, can. pla. nit enim similibus ferè tota 32. dist.*

Apud Græcos orientales variatum est. Neque enim 5
illi, ut diximus, votum castitatis in sac. is ordinibus admiserunt, & ideò uxorati apud illos sunt Sacerdotes, ut habetur in historia Tripartita *lib. 2. cap. 14. & in can. Nicena Synodus 11. dist.* apud Sozomenum *lib. 1. c. 22.* Nicephor. Calixt. *l. 8. c. 19.* Statuum, & apud eosdem Græcos aliquando, ut Sacerdotes abstineant ab uxoribus tantùm sacrificii causa ex forma legis antiquæ in Synodo quadam *6. cap. 13. can. quoniam Romana 13. sub 31. dist.* licebat & retinere uxores ante promotionem acceptas. Aliter in Ecclesia Occidentali servatum juxta *can. fin. 31. dist.*

Iustinianus autem *in §. sed & si quis de nupt. novel. 22.* 6
cap 42. lectori, & cantori nuptias permittit, alios autem Clericos contractis nuptiis cadere Sacerdotio statuit. Et *in §. unde sancimus cap. 44. ejusdem novel. 22.* tradit conditionem marito ab uxore impositam capiendi relictum, si uxorem duxisset, deficere adveniente Sacerdotio, nempè quod per illud omnis spes uxoris ducendæ evanescat.

Poterant tamen, & ex Imperatorum græcorum legibus 7
ordinari laici in Presbyteros, Episcopos, Diaconos, aut Clericos, qui uxorem legitimam duxissent virginem, eamque unicam, sed ordinati subdiaconi, diaconi, vel presbyteri, cùm non haberent uxores, nullam uxorem accipere post ordinationem poterant, & si de facto accepissent, dejiciebantur à Clero, Episcopusque, qui id fieri permisisset, ab Episcopatu detrudebatur §. *Clericos cap. 12. & §. si autem 14. novel. 132. de Sanctis Episcop. d. §. sed & si quis c. 42. de nuptiis novel.*

Et cum eadem distinctione idipsum statuit Leo Cæsar 8
novella 2. & 3. in qua emendatur ejus temporis, quæ ibi refertur, consuetudo, sive corruptela, qua liceat post adeptum Sacerdotium intra biennium non ultra, uxorem ducere, statutumque in perpetuo esse debere cœlibatu eum, qui non habuisset uxorem, cùm ad Sacerdotium ordinatus fuisset. De qua re nos alibi uberius.

In Ecclesia latina similiter Sacri Canones antiquorum 9
Patrum prohibent in subdiaconum, diaconum, presbyterum ordinari quemquam, nisi prius emisisset votum perpetuæ castitatis, *can. 1. cum sex sequentibus sub 28. dist.* D. Gregorius *lib. 1. epist. 42.* dum scribit Petro Subdiacono, & *lib. 8. epist. 40.* Neapolitanis nobilibus, & Clero, Innocentius Secundus in Concilio Romano *cap. 5.* in Concilio Toletano *cap. 1.* in Toletano *4. cap. 6.* in Arelatensi 2. & in Arelatensi 3 *cap. 2.*

Aliquando & Ecclesia Romana, antequam votum ca- 10
stitatis esset pro hujusmodi Ordinibus definitum, permisit ex laicis uxorem virginem accipientibus ordinari viros probos, vel in diaconos, vel subdiaconos, vel presbyteros, vel Episcopos juxta dictum Apostoli requirentis in ordinato, ut esset uxoris unius vir, *1. ad Timoth. 3. v. 2. & 4. & cap. 4. v. 1. 2. & 3.* & ad Titum *cap. 1. v. 6.* Attamen eosdem post ordinationem ob ministerium sacrum abstinere à concubitu illarum jussit, & separavit, non quidem vinculum conjugale, aut effectum, sed commixtionem, & thorum Nec consequenter eos admisit, nisi & ipsi in proposito venissent servandi castitatem, *can. præterea placuit 7. & can. 5. de Syracusana 13. in princ.* & in §. *quia ergo 18. dist.* Vbi & explicat Gratianus, constitutum in laicali habitu, & in minoribus Ordinibus potuisse habere uxorem, & filios; & si posteà ex consensu uxoris continentiam professus fuisset, potuisse & subdiaconatum, diaconatum, & presbyteri gradum adipisci. Sicque consensus uxoris jam habitæ requisitus, & ut ipsa quoque voveat castitatem perpetuam, quamvis in seculo relinquatur, *can. Episcopus 77. dist.*

Nisi uxoratus ordinatus esset Episcopus, quo casu uxor ejus teneretur ingredi Religionem, *cap. sanè de convers. Conjug.* Vide *cap. quod à te de Cler. conjug.* quod laudare, & probare videtur Iustinianus §. *neque autem cap. 5. quomodo oporteat Episcop. novel. 5.* Facitque *can. Eos ad Sacrificia 32. dist. can. Quoniam in Romani ordinis 13. ead. 31. dist.*

11 Neque in his casibus relictæ uxori licebat alteri se matrimonio copulare ex Concilio Aurelianensi 1. *cap. 15. can. Quia sunt 10. & seqq. si se cuiquam 28. dist.* Eo modò separati ab uxoribus ob Sacerdotium non sunt contemnendi Sacerdotes uxorati, neque prætextu Religionis uxorem abjicere licet, *can. 5. Apostol.* & ex Concilio Gangrensi *cap. 4. can. penult. 32. dist.*

12 Addit & Gratianus in *d. can. de Syracusanæ 13. §. fin. 18. dist.* Neocæsarienscm. & Ancyranam Synodos emendatas fuisse, quæ non reijciebant in talibus ordinibus non voventes castitatem, *can. presbyter, can. diaconi ead. 28. d.* Illud enim, inquit Gratianus, Neocæsarienses, vel Ancyranæ Synodi, vel ex tempore, vel ex loco intelligitur. Ex tempore, quia nondum erat introducta continentia ministrorum altaris. Ex loco, quia utraque Synodus Orientalis est, & Orientalis Ecclesia non suscipit generale votum castitatis; hoc tamen diligenti observatione custoditur, ut post adeptum Sacerdotium, defuncta prima uxore, cum qua Sacerdos factus fuerat, si alteram duxerit, deponatur.

Potest tamen promoveri in Ecclesia latina conjugatus 13 cum consensu uxoris voventis continentiam, vel ad Religionem transeuntis, ut *d. cap. conjugatus de convers. conjug.* Sanch. *disp. 39.* Et in iis casibus, quibus marito licitum est divertere ab uxore per separationem quoad thorum, & habitationem, invita uxore, ob adulterium, vel sævitiam, vel hæresim uxoris, dummodò divortium sit factum absolutè, perpetuò judicio Ecclesiæ, Sanch. *lib. 10. disp. 11. n. 16. & disp. 18. nu. 48. & disp. 15. nu. 22.*

Primò igitur promotus ad Ordines etiam Sacros, in- 14 vita uxore, in casibus non permissis, potest ab uxore revocari, si illa non ratum habuit, nisi ipse matrimonio non consummato, velit Religionē approbatam ingredi, & in ea solemniter per tria vota essentialia profiteri. Et ad talem ingressum debet Episcopus promotum ad Sacros, matrimonio nondū consummato, admonere. Quod si ingredi nolit, cogi potest ab uxore ad consummandum matrimonium, sed, ea uxore præmoriente, ipse in Sacris ordinatus non potest aliam ducere uxorem, ut per *Extravag. Antiquæ de vot.* & Sanch. *d. disp. 38.*

Secundò promotus ad Ordines Sacros, invita uxore, 15 in casibus non permissis, amittit jus petendi debitum, sed tenetur reddere. Certi namque juris est conjugatum non posse ad Ordines Sacros promoveri absque uxoris suæ licentia per *text. in d. cap. Conjugatus de convers. conjug.* etiamsi matrimonium non fuisset consummatum, ut in *d. Extravag. Antiquæ de vot.* Quod si ordinatur, uxore contradicente, vel nesciente, potest ab ea revocari, & ille tenetur ei reddere debitum, licet exigere non possit, ut per *d. Extravag. Antiquæ*, ibique Glos. *ult.* & Glos. *in can. Agathosa v. debeas 27. q. 2.* D. Thom. *in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 1.* Palud. *q. 1. art. 1. nu. 9.* D. Anton. *3 p. tit. 1. cap. 8. ad fin.* Et Doctores communiter. Ratio autem est, quia vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier juxta ea, quæ tradit Glos. *ult. in d. Extravag. Antiquæ.* Et quia quod suum erat, scilicet debitum petere, maritus vovere potuit, sed non alienum, scilicet non reddere, *can. Una 33. qu. 5.* quam rationem assignat Glos. *in d. can. Agathosa v. debeas 27. q. 2.*

16 Non obstante, quod ad susceptionem Subdiaconatus fuerit adstrictus à parentibus, atque adeò videtur coactè illum suscepisse, ac proinde non teneri ad continentiam, ut per *cap. majores de baptism.*

17 Nam non solùm videtur fuisse coactus conditionaliter, seu causativè, non autem absolutè, seu præcisè, ut distinguitur in *d. cap. majores §. Item quæritur*, & in *cap. sanis de his quæ vi met. caus.* & per D. Thom. *in 4. d. 29. q. 1. art. 1.* Atque adeò tenetur ad continentiam, & reddere tantum, non autem petere. Quia in actibus, in quibus requiritur plena libertas, ut in matrimonio, *cap. Cum locum de spons.* & in voto *cap. 1. de regular.* coactio conditionaliter non attenditur, ut *cap. Cum dilectus de his, quæ vi, metuve caus.*

Sed etiam, quia metus omnis videtur fuisse purgatus, 18 cùm posteà accesserit ad ordinationem cum animo deliberato suscipiendi subdiaconatum. Metus enim, & coactio purgantur per liberum consensum supervenientem, ut per Ostiens. *in d. cap. majores nu. 38. v. conditionaliter*, Jo. Andr. *in fin.* Henrich. Boich. *num. 7. in fin.* Burr. *nu. 8.* & DD. communiter. Atque ideò amisit jus petendi debitum, sed tenetur reddere, Sanch. *de matr. disp. 38. nu. 22. & lib. 9. disp. 35. num. 25.* Guttier. *de matr. cap. 96. per text. in cap. quidam, & cap. placet de convers. conjug.* ibique Canonistæ.

Quare poterit hujusmodi viro hoc præceptum, sive 19 monitio fieri, quatenus ita decernatur in allegatis juribus in pœnam suæ temeritatis, in voti castitatis decentiam.

Tertiò hic promotus extra casus à jure permissos est 20 irregularis ex delicto, adeò quod neque soluto matrimonio possit in susceptis ministrare, nec ulterius promoveri, nec beneficia obtinere, *d. Extravag. Antiquæ de vot.* Sanch *d. disp. 49. n. 2.* Sayr. *de censur. lib. 4. c. 14. n. 28.* & alii. Verùm ad has pœnas incurrendas requiritur dolus, seu scientia, vel ignorantia affectata, quia textus loquitur de præsumentibus. Neque procedit, si matrimonium fuit irritum, Sanch *ibid. nu. 3. & 4.* Super hac autem irregularitate, & inhabilitate dispensare potest Diœcesanus Episcopus, si taliter promotus postèa canonicè Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, verbi gratia soluto matrimonio, aut cum consensu uxoris, seu aliàs in casibus à jure permissis supra relatis, ut patet ex eadem *Extravag. Antiquæ de vot.* & ex Sanch. *d. disp. 49. nu. 8.* cum *ibi* adductis.

Promotus verò ad minores Ordines, constante matri- 21 monio, extra casus à jure permissos, secundum aliquos est irregularis, si Episcopo inscio, seu impedimentum hujusmodi non advertente promotus fuerit, ut tenet Sayr. *lib. 6. cap. 14.* cum Maiolo. Sed contraria sententia est verior, nullam pœnam esse in jure latæ sententiæ contra taliter promotum, ut per Sanch. *ibid. n. 9.* Et quamvis Bulla Sixti V. 91. quæ incipit *Sanctum* statuerit contra sic promotos pœnam suspensionis latæ sententiæ, tamen illa constitutio fuit abrogata à Clemente VIII. *constit. sua 40.* ut notat Sanch. *eo loco n. 10.*

Si autem conjugatus efficiatur Clericus, & actu ser- 22 viat Ecclesiæ, & incedat in habitu, & tonsura, duo tantùm habet privilegia, Canonis, & fori Ecclesiastici in causis criminum, non autem privilegium exemptionis ab oneribus quoad bona, neque beneficia potest obtinere ex S. Concil. Trid. *sess. 23. c. 6. de refor.* Sanch. *d. lib. 7. disp. 46. nu. 1.* & Garz. *p. 2. de benef. c. 2. num. 16* & nos alibi prolixè.

Ordinatus verò in Sacris, vel minoribus, constante 23 matrimonio, vel ordinatus in minoribus ante contractum matrimonium, potest cogi ab Episcopo instante adhuc uxore, ut habitum clericalem dimittat, quia potest talis habitus uxori scandalum, seu aversionem generare, ut per *cap. Ioannes de Cler. conjug.* & Sanch. *lib. 9. de matr. disp. 3. n. 9* Et tunc omninò erit privatus privilegiis clericalibus, ut per Sanchez, & Garziam locis allegatis cum Tridentino *d. cap 6.*

Episcopus autem, aliusve Prælatus conferens primam 24 tonsuram viro conjugato, incurrit suspensionem à collatione primæ tonsuræ per annum unum, ut in *cap. fin. de temp. ordin. in 6.* Non tamen procedit hæc pœna contra promoventem conjugatum ad minores ordines secundum veriorem sententiam per Glos. *ibi v. duntaxat*, & Gemin. traditque Suarez *de censur. disp. 31. sect. 5. num. 3.*

contra

contra Sylvestrum, Sotum, S. Antonium, & alios, quos sequitur Filiuc. *tr.9.n.84.* Et hæc suspensio est reservata Papæ intra annum. Poterit tamen, si casus sit occultus, absolvi Episcopus à suo Confessario, si ei ipse det talem facultatem vigore S. Concilii Trid. *sess.24.cap.6. de ref.*

25 An autem conjugatus Sacrum Subdiaconatus, vel diaconatus, aut presbyteratus Ordinem suscipiens sine uxoris suæ licentia, & in casibus non permissis, præter dictas pœnas sit de hæresi suspectus, atque adeò puniendus sit ab Inquisitoribus, negandum videtur; quia sicuti quando recipit Ordines cum licentia uxoris, vel in casibus permissis, licitè agit. Transit enim à statu conjugali sine ejus destructione ad statum clericalem meliorem, ac perfectiorem, ac proinde nulla ex hoc potest oriri suspicio hæresis, quæ tantùm ex facto illicito deducitur. Hoc autem non est illicitum, nam jura, & Doctores id concedunt, *ut d. cap. conjugatus de convers. conjug.* & Sanch. *d.lib.7. disp.38.* aliique; pariter quando recipit ordinem sacrum sine licentia uxoris. Nam licèt prohibeatur id facere *ex d.cap. Conjugatus*, & ex *cit. Extravag. Antiquæ de vot.* sitque reus peccati mortalis ob injuriam uxori suæ irrogatam, cui de jure præjudicium afferre non potest, neque debet quoad debitum conjugale, cùm sine illius consensu nequeat vovere continentiam, non ideò tamen infert injuriam Sacramento matrimonii, aut Ordinis. Quia non est contra fidem, quod sint hæc duo Sacramenta debito ordine in uno, eodemque subjecto, nimirum quod sacer Ordo subsequatur matrimonium, non matrimonium Ordinem sacrum ex definitione S. Concilii Trident. *sess.24.can. 9.* prohibentis transitum ab Ordine sacro ad matrimonium, non à matrimonio ad Ordinem sacrum. Neque continentia Ordini sacro annexa repugnat matrimonio, ut constat in matrimonio tantum rato, & constante sine copula. Solum igitur fit injuria uxori, cujus dumtaxat jus læditur per maritum suscipientem Ordinem sacrum sine illius licentia, quod nullatenus arguit suspicionem hæresis.

26 Neque obstat, quod, si cogatur vir promotus in sacris, redire ad consortium conjugale, teneatur uxori petenti reddere debitum. Ex quo videtur afferre injuriam Ordini sacro habenti annexam continentiam; nam ex hoc nullam affert injuriam Ordini. Non enim petit, sed tantùm reddit, quod alteri debet, inservitque uxori ex debito, non autem ex incontinentia.

27 Nulla igitur alia pœna hujusmodi promotus puniri debet præter ea, quæ in *d. Extravag. Antiquæ* continetur. Quæ ea est, ut ne matrimonio quidem soluto quoad thorum, & cohabitationem in suscepto Ordine ministrare, neque ad superiores Ordines promoveri possit, nec aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum obtinere valeat.

28 Verùm his minimè attentis, hujusmodi conjugatum, & promotum ad sacrum Ordinem sive absque consensu, sive cum consensu uxoris suæ, nisi in casu, quod ipsa monasterium sponte ingrediatur, ibique professionem emittat, esse suspectum de hæresi, atque adeò puniendum ab Inquisitoribus eisdem pœnis, quibus puniuntur clerici in sacris constituti, vel Regulares castitatem solemniter professi, qui post susceptos Ordines, matrimonium contrahunt, communis docet sententia. Illam præ cæteris sequuntur Simanch. *de Cathol.instit.tit.40. rubr.de matrim. num.14.* Farinac. *de hæres. quæst.183. §.6.numer. 74.* Sousa in *aphoris. lib.1. cap.8. numer. 17.* Diana *tract. 7 pag.4. resol.4. §. ult.* Carena *pag.2. tit.17. num. 12.* Pistach. *de superstit. reor. judic. cap.25. de abjur. numer.62.* Lopez ad Diaz *in pr. crimin. can. cap. 82. §. Sed qua pœna*, hac quidem ducti ratione, quia parum refert, an matrimonium sacros Ordines subsequatur, vel illos præcedat. In utroque enim casu Sacramento matrimonii, & sacrorum Ordinum par fit injuria, & ideò quemadmodum punitur, qui post susceptos sacros Ordines uxorem ducit, ita puniendus, qui post ductam uxorem sacros Ordines suscipit. Hinc cùm hic casus contigisset in Sacro inquisitionis Hispanicæ Senatu, reus suspensus fuit ab officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, & præter publicam pœnitentiam, qualis blasphemis injungi solet, mulcta pecuniaria imposita, in Monasterium ad certum tempus fuit detrusus, teste eodem Simancha *loc.cit.*

Quod autem hic casus spectet ad S. Officium, fuit sæ- 29
pius declaratum ab ejus S. Congregatione, nominatim sub die 9. Aprilis 1618. & 27. Septembris ejusdem anni, ubi is, qui post susceptos Ordines minores matrimonium contraxit, & deinde Subdiaconatus Ordinem suscepit, remissum fuit arbitrio Ordinarii, ut, prævia judiciali abjuratione, & absolutione cum eo dispensaret, ut in matrimonio contracto manere posset; ideòque idem & nos tenere debemus. In spectantibus enim ad fidem debemus sequi, quod servat Romana Ecclesia, ut notat Panorm. in *glossa 1. cap. ad abolendam de hæret.*

Et quidem Ioannes XXII. in illa sua *Extravag. Anti-* 30
quæ de vot. non tam de tanti criminis debita punitione, quàm de effectu sacrorum Ordinum agit, cumque in ea non prohibeat, quin hujusmodi conjugatus alia majori pœna puniri possit, ideò sicut punitur, qui post susceptionem Ordinis sacri matrimonium contrahit, ita quoq; iste puniendus est. Nam æqualis fiet injuria, & Sacramento matrimonii, & Ordinis, atque adeò potest Inquisitor procedere contra hunc reum, & inquirere, an rectè sentiat de his Sacramentis juxta rextum in *cap. Accusatus §. cum verò de hæret. in 6.* Ubi hæreticus dicitur, qui committit in in unum ex Sacramentis Ecclesiæ. Hic autè committit contra Sacramentum Ordinis, quod habet annexum votum castitatis ex S. Concilio Trid. *loc. alleg.* sitque suspectus de hæresi omnium penè dixerim hæreticorum, qui improbant votum castitatis, ac ordinis cœlibatum, asseruntque, posse simul esse usum matrimonii cum Sacris Ordinibus. Item committit contra Sacramentum matrimonii, de cujus substantia est, ut vir retineat vitam individuam cum uxore. Non potest autem hanc vitam individuam retinere, quia dum per Ordinem Deo consecratur, debet continentiam servare, quam si non servat, committit contra Ordinis Sacramentum. Quod est malum saltem, quia prohibitum ab Ecclesia, laudatum ab hæreticis, ideoque suspicionem hæresis inducit.

Neque obstat, quod ita promotus non petat debitum 31
conjugale, sed reddat. Primo, quia sive petat, sive reddat est contra cœlibatum Ordinis, solùmque non petendo potest excusari à peccato, non autem à copula. Secundo quia officium S. Inquisitionis punire intendit factum ipsum, quod est suspectum de hæresi non autem rei mentem, ac intentionem, an scilicet velit reddere tantum, an etiam petere debitum. Hoc enim conjuges ipsi viderint. Poterit sanè, ac debet moneri ab Inquisitoribus, ne petat, postquam luerit pœnas sibi inflictas, sive id præcipi ei etiam sub pœnis Ecclesiasticis. Quod si sponte compareat in S. Officio; suumque errorem fatearur, obtinere potest, tanquam sponte comparens, ut cum uxore cohabitet, non obstante Ordinis sacri susceptione, cum præcepto, sive monitione non petendi debitum.

Porro quibus pœnis puniantur Clerici in Sacris con- 32
stituti, & Regulares castitatem solemniter professi, matrimonium contrahentes, habetur in Concilio Neocæsarienſe, quod ab Ordine deponi jubet *can.1. & can. presbyter si uxorem 28.d.* quod Glossa explicat de depositione officii, quemadmodum & exuuntur Ecclesiasticis beneficiis, *can. decernimus can. de his 28.d.* Vide de hac privatione, & de pœnis *dec.239.* Capellæ Tolosanæ, Panorm. *ad cap. at si Clerici de judic.* Diaz. *in pr. crim. can. cap.74. & 82.* ibique Lopez, Dianam *d.part.4. tr.7. resol.4.* ubi fusè pro Italia, & Hispana Inquisitione, Transmieram *lib.3. qu.22. num.8. & seqq.* ac alios. Fuit tamen

tamen injuncta mitior pœna per Novellam Leonis 79. Veaum & illa fuit sacris canonibus sublata. Cum enim placuerit in antiqua lege, Sacerdotes tempore ministerii abstinere debere ab uxoribus cum per vices tantum fungerentur Sacerdotio *Luc. cap. 1. can. 4. 31. dist.* Vide *capit. 8. Levitici*, nunc. cum quotidie quilibet Sacerdos possit offerre sacrificium præstantius antiquo, debet perpetuo se ab ea conjunctione abstinere, semperque orandum ei, & sacrificandum, semperque à matrimonio abstinendum. *can. si laicus, can. Sacerdotibus 31. dist.*

33 Quinam vero ex hæreticis, & hæresiarchis negant, Clericos in majoribus Ordinibus constitutos, ac Regulares votum castitatis solemniter professos, continenter debere vivere, sed posse uxores ducere, sunt Nicolaus Antiochenus, unus ex septem Diaconis apud Irenæum *lib. 1. cap. 27.* Clementem Alexandrinum *lib. 3. strom.* Epiphanium *hæres. 25.* & Augustinum *hæres. 5.* Vigilantiani Episcopi apud Heronymum contra Vigilantium, Vitiza Rex apud Rodericum Toletanum *rer. Hispanic. lib. 3. cap. 15.* Quidam in Anglia apud Polydorum Virgil. *lib. 6. hist. Angl.* Henricus Imperator apud Lambertum Sebaffunburgensem, Petrus Blusius apud Petrum Blesensem. Quidam alii in Dania apud Saxonem Grammaticum *lib. 15.* Daniæ Ioannes Vviclefus *in serm. vigil. Natalis S. Ioannis Baptistæ, & de offic. pastor, cap. 29.* Ioannes Bedericus apud Æneam Sylvium *in hist. Bohemic.* Cochlæum *hist. Hussit. lib. 6.* Martinus Lutherus *tom. 2. Germanico fol. 214. & in lib. de abrog. missa privata*, Calvinus *lib. 4. instit. cap. 12. §. 23.* Magdeburgenses *centur. 11. cap. 7. col. 389.* Melanchthon *in confess. Augustanâ art. 23.* Pomeranus *in lib. de conjug. Episcopor.* Kemnitius *in 3. part. exam. Concilii* & Andreas Carlstadius, Archidiaconus Vvissembergensis, qui primus Sacerdotum in Germania uxorem duxit & publicas nuptias celebravit, in cujus laudem Vvissembergenses propriam Missam finxerunt, cujus talis est introitus, *Dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Oratio, seu collecta talis erat: *Deus, qui post tam longam, & impiam Sacerdotum cæcitatem, Beatum Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus, nulla habita papistici juris ratione, uxorem ducere ausus fuerit da quæsumus, ut omnes Sacerdotes, recepta sana mente ejus vestigia sequentes, ejectis concubinis, aut eisdem ductis, ad legitimi consortium thori convertantur. Per Dominum nostrum, &c.* Secreta talis: *Sacrificium nostrum quæsumus Domine, benignus suscipias, ut qui tua Majestati in Andreæ Carolstadii connubiali celebritate latamur, ita fac quæsumus Sacerdotum conjugia toto Orbe feliciter auspicentur, felicius succedant, & quam felicissimè finiantur. Per Dominum nostrum, &c.* Vnde Lutherus publicas nuptias celebravit cum Catharina Trigovia, Franciscus Lamberti, Ioannes Oecolampadius, Petrus Martyr, Bernardinus Ochinus, Ioannes Spampebergius, à Sacerdotibus, & Monachis apostatæ facti, sacrum cœlibatum, cui se perpetua religione obstrinxerant, cum sacrilegis nuptiis commutarunt.

34 Asserunt tamen contra hæreticos Sacræ literæ 1. *Reg.* 21. Isaiæ 52. 11. & 1. *Cor.* 7. 5. Item Patres Græci juxta temporis ordinem Clemens Romanus *can. Apostol. 25. Epist. 2. & Constit. Apostol. lib. 6. c. 17.* Origenes *in Levit. homil. 4. in Numer. homil. 23. & lib. 8. contra Celsum*, Concilium Ancyranum *can. 10.* Neocæsariense *can. 1.* Nicenum primum *can. 3.* ex græco, *& can. 78.* ex Arabico, Eusebius Cæsariensis *de demonstr. Evangel. lib. 1. c. 9.* Basilius *Ep. 1. ad Amphiloch. c. 3. & edu. 6. & in cap. 3. Isaiæ, & epist. 17. ad Paregorium presbyterum*, Cyrillus Hierosolymitanus *cathec. 4. & 12.* Epiphanius *hæres. 59. & 79.* & in compendiaria fidei doctrina, Ioannes Chrysostomus *hom. 33. in Genes. homil. 2. in Iob, & epist. 125. ad Cyriacum*, Synezius *epist. 105. ad fratrem*, qua causam reddit recusati Sacerdotii, Ioannes Cyprius *in vit. S. Epiphanii cap. 38.* Honorius, & Theodosius Augusti in *l. Eum qui C. de Episcop. & Cler.* Socrates *lib. 1. cap. 8. & lib. 5. cap. 21.* Isidorus Pelusiota *lib. 2. ep. 284.* Palladio Episcopo, Iustinianus Imperator *C. lib. 1. tit. 3. de Episcop. & Cler. nu. 42. l. omnem, & num. 45. & in Nomocan. tit. 9. cap. 29. & in auth. col. 1. quomodo oporteat Episcopos tit. 6. cap. 1. & c. 5. & Novel. 123. de Episcop. & Cler. cap. 14. & cap. 29.* Maximus Monachus *in quæst. & respons. ad Thalastrium*, Synodus Trullana *can. 6. can. 12. & can. 48.* Leo Philosophus Imp. *const. 3. & 79.* Theophylactus ad *cap. 3. prioris ad Timoth.* Ioannes Zonaras *in can. Apostol. 26.* Theodorus Balsamon *in can. 5. Apost. & in can. 10.* Synodi Ancyranæ, Constantinus Harmenopolus *in Iustinianeis Constit. lib. 4. tit. de Cleric.* Iancius Angelus Imper. *Const. 3.* Nicephorus Gregoras *Rom. hist. lib. 7.* Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus *resp. 1. cap. 21. & alii.*

Ex patribus Latinis contra eosdem hæreticos per tem- 35
poris seriem asserunt Calixtus apud Gratianum *distinct. 27.* Concilium Eliberitanum *cap 33.* Romanum 8. Arelatense secundum *cap. 2. & 3.* Ambrosius *ep. 82.* ad Vercellensem Ecclesiam, *ad cap 3 prior. ad Timoth. orat. 2. admissam, & lib. 1. offic. cap. 50.* Syricius *ep. ad Himerium* Tarraconensem Episcopum *cap. 7. & ep. 4.* ad Episcopos Africæ, *c. 9.* Hieronymus adversus Vigilantium *cap. 1. & lib. 1.* contra Iovinianum *cap. 14. & 19.* & in Apologia ad Pammachium *cap. 3. & cap. 8. & ad c. 1.* ad Titum, Concilium Carthaginense secundum *c. 2.* Carthaginense tertium *cap. 17. & 19.* Carthaginense quintum *cap. 3.* Augustinus *de adulterin conjug. l. 2. c. 26.* Concilium Toletanum primum *c. 1.* Innocentius primus *epist. 1. cap. 9. & ep. 4.* Sixtus tertius *de castitate*, Concilium Arausicanum primum *cap. 22. & 23.* Leo primus *ep. 84* ad Anastasium Episcopum Thessalon. *cap. 4. & ep. 92.* ad Rusticum Narbonensem Episcop. *c. 3.* Concilium Andegavense apud Baronium anno 453. Concilium primum Turonense *cap. 1. & 2. & 6.* Agathense *c. 9. & 16.* Gerundense *cap. 6.* Toletanum secundum *cap. 3.* Aurelianense secundum *c. 8.* Aruernense *c. 12.* Aurelianense tertium *cap. 2. & 7.* Primasius *ad cap. 5. prioris ad Timoth.* Arator *lib. 2.* Concilium Aurelianense quartum *c. 17.* Aurelianense quintum *c. 4.* Turonense secundum *cap. 10. & 11. & 13. & 20.* Matisconense *cap. 11.* Fortunatus *lib. 1.* in laudem Leontii, Concilium Lugdunense secundum *c. 1.* Toletanum tertium *c. 5.* Hispalense primum *cap. 3.* Gregorius Magnus *lib. 1. Epist. 42. lib. 3. Ep. 34. lib. 8. Ep. 40.* & ad Augustinum Anglorum Episcopum *c. 2.* Isidorus Hispalensis *de Eccles. offic. lib. 2. cap. 5. & c. 10.* Concilium Toletanum quartum *cap. 20. & c. 26.* Toletanum octavum *c. 4. & 5. & 6.* Toletanum nonum *c. 10.* Cabilonense primum *c. 3.* Beda *lib. 1. de tabernac. & vasis ejus, & vestib. Sacerd. c. 9. & ad c. 1. Luc.* Zacharias Papa *Ep. 1. ad Bonifacium* Episcopum, Synodus Francica, Alcuimus *de virt. & vit. c. 18. de castit.* Stephanus Tertius apud Ivonem *lib. de contin. Ordinand.* & apud Gratianum *dist. 31.* Carolus Magnus *lib. c. 28.* Haymo *ad c. 3* prioris ad Timoth. *& homil. de confessor.* Concilium Moguntinum *c. 10. & c. 49.* Remense *c. 22.* Aquisgranense *cap. 5. & 9.* Eugenius Secundus *c. 2.* Halitgarius *lib. 5. c. 1. & 2.* Hincmarus Rhemensis *in vita S. Regimii*, Rabanus Maurus *lib. 4. in Exod. c. 8.* Nicolaus Primus Adoni Viennensi Episcopo *dist. 32.* & ad Consulta Bulgarorum *c. 70.* Vvormacience *cap. 9. & 11.* Smaragdus *in diademate monachor. c. 48.* Petrus Damiani *Ep. ad Petrum Lateranensem* Archipresbyterum, Leo Nonus contra Epistolam Nicetæ Abbatis apud Ivonem *lib. 3. de contin. Cler.* & Gratianum *dist. 1. & 32.* Nicolaus Secundus ad omnes Episcopos Catholicos, Alexander Secundus *dist. 81.* Adamus Canonicus *lib. 3. c. 31.* Gregorius Septimus *lib. 2. Ep. 25.* ad Annonem Colonien-sem Episcopum, & *Ep. 67.* & *Ep. 61.* ad Episcopum Aquileiensem, & *lib. 4. Ep. 10.* Vrbanus Secundus *dist. 22.* Anselmus Cantuarien-sis *ad c. 7. ad Hebræos*, Iuo Carnotensis *ep. 64. & ep. 220.* Bernardus *ser. 65.*

super

super Cantica, & ep. 223. Hugo Victorinus *de Sacram. fidei lib.*2.*p.*4.*cap.*4. Petrus Lombardus *lib.*4. *dist.*37. Alexander Tertius Salernitano Episcopo *p.*18.*c.*1. Arnoldus Bonævallensis *tr.ult. de verb. Domini*, Hildegardis secundi Scivios *visione* 6. Stephanus Eduensis *de Sacramento altaris c.*5. Innocentius Tertius *ser.*1.*de consecrat. Pontif. & de Cleric. conjug. lib.*3. *tit.*3. Rodericus Toletanus *rerum Hispanic. lib* 4. *c.*6. Thomas Aquinas in *q. disput. de peccat. ven. ar.*7. *& p.*4. *Summ. quæst.*53. *art.*3. Concilium Oxoniense *c. Quod Clerici non teneant publicè concubinas, & c. qualis pœna est infligenda concubinis Clericorum*, Durandus à S. Portiano in *lib.*4. *sent. dist.*37. *q.*1. Augustinus Triumphus *de potest. Ecclesiast. q.*92. *art.*3. Joannes Taulerus *serm. ad popul.* Catharina Senensis *p.*3. *c.*123. *de defect. ministr.* Thomas Yvaldensis *pag.* 2. *c.* 129 Ioannes Gerson. *lib. de vit. spirit. animæ lect.*6. *& in dial de perfect. cord. & in dialog. de cœlib. Eccles. act.*4. Æneas Sylvius *ep.*130. contra Thaboritas, Dionysius Carthusianus *de vit. Canonic. art.* 13. Petrus Ravennas *serm. quem habuit in Synodo Caminensi*, Concilium Lateranense *sess.*9. Colonienſe *cap.*3. & Tridentinum *sess.* 34. *can.*9. Ioannes Eckius *in enchirid. c.*18. & 19. Alphonsus à Castro *v. votum, & v. monachatus*, Lindanus *in panoplia lib.*4. *cap.*98. Martinus Perez *in opere de tradit. p.*3. Crysaldus *in decision. v. Castitas*, Thomas Illyricus *in* 2. *part. clyp. Eccles. cath.* Thomas Elysius in *clyp. pior.* Iodocus Coccius *tom.* 2. *Thesaur. lib.*4. *& lib* 8. *ar.*6. Canisius *in Catechism. c.*4. & 5. Alphonsus Pisanus in *oper. de continentia, & cœlib. Apostol.* Ioannes Maldonatus *ad Matth.*19.12. Gregorius de Valentia *de statu, & votis Religios. & lib de cœlib.* Antonius Possevinus *sect.*5. *refutat.* Davidis Chytræi *à cap.* 5. *ad* 18. Petrus Tyreus in *tr. de Sacror. homin. continentia*, Bellarminus *lib. de Cleric. & lib. de monachis à cap.* 22. Balthasar Cavassius *lib.*1. *de not. veræ Religionis cap.*17. Petrus Cottonus *lib.*3. *instit. Cathol. à cap.*14. *ad* 21. Franciscus Costerus *c.*17. *Enchiridii*, & Gullielmus Baillius *tr.* 2. *Catechism. pag.*97. aliique passim.

CONSULTATIO LXIV.

An externi pauperes, & mendici possint Vrbibus excludi? Quid de indigenis pauperibus, an liceat eos mendicatione prohibere? Quidve de Cigaris, vulgò Zingaris, & hujusmodi furfuris hominibus?

1 QVoad primum. Non consentire Christianorum misericordiæ, quod externi pauperes, ac mendici Vrbibus excludantur, docent Villavic. *lib.* 3. *Oeconomiæ sacræ*, Sot *in opusc. de causa pauper. p.*1. Lorca *disp* 37. *de charit. num.*19 qui severius de ea exclusione statuunt, & favet S. Ambrosius 3. *offic. cap.*3. qui etiam in summa annonæ caritate negat excludendos. Partem gravissimæ disputationis adduco. *Sed & illi, qui peregrinos Vrbe prohibent nequaquam probandi. Expellere eo tempore, quo deberent juvare, separare à commerciis, communis parentis fusos omnibus portus negare, initæ jam consortia vivendi avocare, cum quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem. Fera, ac bestia communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adjuvant, homo impugnat, qui nihil à se alienum debet credere quidquid humani est. Quanto ille rectius, qui cum jam provecta præcessisset ætate, & famem toleraret civitas, atque ut in talibus solet, peterent vulgò, ut peregrini urbe prohiberentur, præfecturæ urbanæ cura cæteris majorem sustinens, convocavit honoratos, & locupletiores viros poposcit, ut in medium consulerent, dicens: quàm immane esset peregrinos ejici, quàm hominem exuere, qui cibum morienti negaret? Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus?*

2 Favet etiam non obscurè D. Chrysostom. *tom.*5. *fer. de collat. in Sanctos qui est* 22. acriter carpens eos, qui peregrinorum externorum Antiochiam adventantium appulsum ægrè ferebant. *Dicis fugitivi sunt, & peregrini, & nebulones, relictaque patria sua in nostram confluunt. Et tu hac ne de causa stomacharis: civitatisque hujus coronam præcipuam velitas, quoniam communem patriam, & portum omnes eam putant, & alienam propriæ præferunt? Imò vero hac de causa lætari oportuit, & exultare, quod ad manus vestras tanquam ad commune quoddam emporium omnes accurrunt, & communem quandam matrem hanc civitatem arbitrantur.*

Verum alii, ut in hac re ad veritatem pronuncient, rectè volunt, attendi circumstantias, ac bonum publicum, & scandali remotionem. Vnde docent, licere externos pauperes excludere, cum domesticis simul, ac externis satisfieri non potest. Si peregrini inferant morbos, corruptelas, hæreses, contentiones, proditiones. Si multi ex illis sano, & integro sunt corpore, qui si admittantur, computrescunt in otio, & aliis peccatis inde consequentibus, si excludantur, cogitant de victu per labores acquirendo, quod honestius est. Ita Valentia 2.2. *disput* 3. *q.*9. *punct.*7. *in fine*, & Becan. *tract. de charit. cap.*11. *n.*13. 3

Ratio autem petenda est ex ordine, quo facienda est eleemosyna. Ex iis namque, qui versantur in extrema necessitate, si non potest omnibus simul succurri, præferendi sunt illi, qui nobis conjunctiores sunt. Homo enim tenetur unum proximum magis appretiativè, seu efficaciter diligere, quam alium, quia tenetur seipsum magis appretiativè diligere, quam proximos, atque adeo inter proximos, cæteris paribus, tenetur etiam magis diligere, qui ipsi conjunctiores sunt. Et hoc sensu dixit Augustinus *lib.*1. *de doctr. Christ. c.* 28. *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.* Quod potest confirmari ex Apostolo 1. *ad Timoth.*5. dicente: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit.* 4

Cumque inter homines triplex sit conjunctio. Vna sanguinis, qualis est inter parentes, & filios, & generatim inter quoscumque consanguineos. Altera politica, qualis est inter amicos, contubernales, cives ejusdem loci, socios militiæ, mercaturæ, studiorum &c. Tertia spiritualis, qualis est inter fideles ratione fidei, quos Apostolus domesticos fidei vocat, inter religiosos ejusdem Ordinis, inter confessarium, & pœnitentem, inter Parochum, & Parochianos, dupliciaque sint bona, temporalia, & spiritualia, & ex temporalibus quædam pertineant ad opes, & divitias, alia ad famam, & honorem, alia ad Vitam corporalem. Ac denique cum ex his bonis quædam sint debita conjunctioni sanguinis, quædam politicæ, quædam spirituali, quædam omnibus, & singulis; ideò quando sunt duo in aliqua necessitate, sive temporali, sive spirituali, si non possumus utrique succurrere, tenemur illum præferre, ac pluris æstimare qui nobis omnibus consideratis conjunctior est, idque quoad ea bona, quæ tali conjunctioni debita sunt. Quare parentes præferendi sunt filiis, consanguinei extraneis, amici inimicis, cives externis, quoad ea bona temporalia, & spiritualia, quæ illis debentur in necessitate. Item parentes, & filii spirituales præferendi sunt consanguineis, quoad bona spiritualia, non tamen quoad temporalia. Quia quoad spiritualia magis conjuncti sunt diligenti, seu amanti, non item quoad temporalia. Vide plura apud D. Thom. 2. 2. *quæst.*26. *art.* 8. ibique Valent. *q.*4. *punct.*5. *ac alii.* 5

Et ita nonnulla prisca jura leguntur apud Petrum Gregorium *lib.*15. *syntagm. c.*28. *& lib.*39. *cap.*6. In Constitutionibus enim Comitiorum habitorum Augustæ Vindelicorum anno 1548. quæ extant in politia Caroli V. *capit.* 25. statutum ab Imperatore, ut Magistratus prospicerent quilibet in sua jurisdictione, ne liceret cuiquam mendicare, neve permitteretur ei, cui nulla 6

deformitas,

deformitas, vel defectus corporis adfuerit, quive non indiguerit, utque mendicorum liberi ad laborem apti parentibus adimantur, & opificiis addicantur; aut ministeriis, aut servitiis aliis, ut quælibet civitas, oppidumque suos ægros, egenos, & mendicos, nutriat, & foveat nec cæteris allophylis, seu alienigenis passim permittatur mendicare.

7 Item ut mendicantes validi severè, & in exemplum, & ad timorem aliorum puniantur. Quod si mendici à proprio non possint nutriri oppido, ita eisdem alibi liceat mendicare, si à suo magistratu ejus penuriæ testimonium referant.

8 Subinde, ut magistratus hospitalium suorum locorum curam gerant, inspiciant, visitent semel saltem ea in anno & provideant, ne fructus, & redditus eorum in alia quàm ad quæ destinantur negotia, dispensentur, & conserventur.

9 Meminit legis Francorum Rhenanus *l. 2. rer. German. Mendici per regiones vagari ne permittantur. Suos pauperes quælibet civitas alito. Illis, nisi manibus operentur, nullus quicquam dato.*

Concilii Turonici II. canon. 5. statuit, *ut quælibet civitas pauperes suos incolas pascat, ne aliis locis divagentur.*

10 Eamdem præcinit & legem Plato *l. 12. de legib. Nullus in Civitate nostra, inquit, sit mendicus. Quicumque id tentaverit, victumque inexplebilibus quærens precibus explere cœperit, à rerum venalium curatoribus à foro expellatur, ab ædili magistratu ab urbe eiiciatur, deinde ex tota regione ab agri magistratu exterminetur, ut ab hujusmodi animali omnino universa regio munda sit.*

11 Aliam propè similem comperi Caroli Magni titulo de mendicis, qui per patrias discurrunt in *constit. capitul. c. 9. comment.* per Amerbachium. *Volumus*, inquit, *ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando: & ubi tales inventi fuerint; nisi manibus laborent, nullus eis quicquam tribuere præsumat.*

12 Illi itaque cibos pauperibus destinatos capere debent, qui amplius operari nequeunt manibus, *can. quomodo 31. dist. can. 1. 82. distinct.* non qui possunt, & nolunt, ut qui non vult operari, non manducet, *2. ad Thessal. c. 3.*

13 Apud Athenienses invalidi corpore, & mutilati, si à senatu quingentorum tales approbati essent, quotidie, ut quidam aiunt binos, & alii, singulos obolos ex ærario capiebant, & Philocoro authore novenas drachmas in mensem, ut legitur apud Suidam in verbo *Adinatos.*

14 Extant leges præscriptæ in Gallia circa alendos pauperes, & peregrinos, tum generales in constitutionibus regiis, & placitis Curiarum supremarum, quas supra indicavi, tum speciales, quales in politia Lugdunensi apud Paradin *lib. 3. hist. Lugdunensi cap. 18.* Singulares, & alibi ex fundatione locorum piorum erui possunt. Fecit & pias de his leges Senatus Hyprensis in Flandria. Ius Pontificium opus hoc alendi, & vestiendi pauperes, qui sibi sua industria, suoque labore subvenire nequeunt, Episcopis demandavit, ut illis subveniant, non autem mendicantibus validis, *can. non omnis 5. q. 5.* Gloss. in *can. 1. v. non possunt*, juncto textu, 82. *dist.*

15 Quoniam autem Lerna malorum est otium. ac scelerum viperina origo, ii, quibus demandata est Reipublicæ cura, & politia, summoperè otiosos castigare, & emendare conari debent, ut intercipiant eo remedio ad scelera proximum gradum. Atq; ideò inquirere debent sedulò, quomodo, ac unde quis vivat, quam artem exerceat, & errones, quos vocamus vagabundos, eo quod vacent, & otiosi sint, vel limitibus suis exilio propellere, vel ad operandum cogere, & recusantes punire, ut legitur sæpè condemnari in Gallia ad remos tractandos legiarum navium. Sunt mendicantes validi, refugientes laborem, adversus quos Iudicibus quibuscumque, quorum appellatio nullo alio Iudice intermedio ad Senatum devolvitur jus notionis concessum est singulari privilegio usque ad sententiam, ut constitutionibus regiis Caroli VII. *ar. 37.* Ludovici 12. *in publ. an.* 1499. *art. 91.* statuit Curia suprema Senatus Parisiensis anno 1532. *in tom 3. Constit. reg.* ex Rebuffi rapsodia. Hæcque omnia decreta in *§. si verò vita occasionem cum seqq. de quæstor. in auth. collat. 6.* ut mendicantes omnes validi, qui artem non noscent, à magistratibus politicis Civitatum caperentur, & operibus publicis addicerentur, puta ad fossas purgandas, viarum quisquilias egerendas, & similia opera. Prohibetque, ne quis homines errones hos, otiosos, & mendicantes validos celet domi, neve hi turmatim extra urbem incedant, neque ultra duos associari, alioquin licere eos prehendere, & proximo tribunali Iudici sistere puniendos.

Aliisve placitis cautum in *d. 3. tomo*, ut si quando 16
mendicantes validi deprehensi sint, in eleemosynis publicis eo prætextu eleemosynam verè indigenum fraudare, si moniti non abstineant, fustigentur. Securitati igitur Reipublicæ consulet Magistratus, pulsis è Republica otiosis, & Cygaris, vulgò Zingaris, mendicorumque cohibita importunitate. Otiosos enim è Republica pellendos esse, suadetur rationibus, & exemplis. Rationes sunt; quia cives nihil agendo malè agere discunt. Unde Salustius ait, necesse esse omnes in Republica habere negotia sua, quibus à malo publico detineantur. Et quia per otium, & ignaviam homines enervantur, & effœminantur, ut nulli esse Reipublicæ præsidio possint. Et quia confusio per otiosos in civitatem inducitur. Iniquum enim est paribus frui privilegiis in civitate otiosos cum iis, qui probè suo funguntur officio. Otiosi veluti fuci in alvearibus deprædandis occupantur, ideòque publico digni odio. Et demum quia ex otio oriri solent seditiones. Unde fortissimus ille Corbulo apud Tacitum prohibuit, ne otio desides militum animi luxuriarent.

Exempla verò sunt memorabilia. Apud Spartanos 17
summum erat dedecus ignavum ad consortium admittere; vel in lucta cum eo se exercere.

Romanis nihil fuit antiquius, quàm ut caverent, ne 18
adolescentes, & senes viverent otiosi. Et tandiù duravit in civitate gloria, quandiù adolescentibus Romæ vagari otiosis non licuit.

Marci Aurelii Imperatoris tempore ad publicum 19
opus damnabatur, qui in foro ambulabat sine professionis suæ tessera.

Apud Athenienses Draco otiosos voluit interfici. 20

Salon inertes in forum trahi voluit; tanquam facino- 21
rosos.

Apud Indos Gymnosophistas impransi ad opus foras 22
trudebantur, qui ante prandium otiati essent.

Erronem porrò Labeo definivit, pusillum fugitivum 23
esse, & ex diverso fugitivum magnum erronem esse. Quod explicans Ulpianus ait. in *l. quis sit fugitivus* 17. *§. erronem de ædil. edict.* erronem propriè esse, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit. Proinde & erronem esse animi vitium dicitur, Ulp. *l. ob quæ 4. §. Idem Pomponius eod.* Imperatorque Valens in *l. 1. de mendic. valid. lib. 11. C. tit. 25.* jubet mendicantium robur, & integritatem corporum exquiri & explorari, & inertibus validis, jubet pœnam imponi, ut si servi sint, dominis reddantur; si autem liberi sint, addicantur servitio ejus, qui imposturam, & inertiam illorum prodiderit. Et ex novella constitutione ad Rectores civitatum hoc munus rejectum inquirendi de personarum mendicantium qualitate, & quos invenerunt segnes, agriculturæ, vel aliis operibus aptos, ad ea remittendi, & in meliorem vitam mutandi, *id. §. Si verò vita occasionem cum seqq. de quæstor. collat. 6. in auth.* Utiliùs iis esurientibus panis tollitur, si de cibo securi

justitiam

justitiam negligant, quàm esurientibus frangitur, *d. can. non omnis 5. quæst. 5.* Et potius expediret, negatis alimentis hos delinquentes inertia, fame perire, quàm in delicto fovere, *l. bona fides, ff. depos.* Sic in Israeliti-
co populo nullus esse mendicus debuit; Deuter. 14. *num. 4.*

24 Pauperes igitur, ac mendici, qui necessitate ipsa, aut corporis infirmitates tales, ut omnium misericordiam mereantur, tolerandi, ac juvandi sunt. At qui suo vitio prodegerunt omnia, & validi, ac robusti laborem fugiunt, ferendi non sunt, quod & cives exhauriunt, & Reipublicæ sint dedecori. Vnde inspectores esse debent, qui in iis corporum integritatem, & annorum explorent.

25 Vt autem juvari priores illi egeni possint, danda opera est, ut de publico, si fieri potest, juventur. Juvabunt sacri Templorum redditus, & piæ illæ in pauperum usum fundationes. Iustior certè sacrorum reddituum usus esse non potest, quam si in pauperes erogentur, quantum quidem Templorum ministeria patiuntur. Præterea colligantur publicè eleemosynæ, & per certos ministros, cum occasio est, distribuantur. Instituantur publica hospitia pro peregrinis excipiendis, pauperibus alendis, ægrotis curandis, pupillis instituendis, senibus sustentandis, ac pro infantibus etiam expositis. Et hæc redditus suos habeant annuos, suos paulatim civium opulentiorum charitas augeat.

26 Id vero curandum, ut unaquæque civitas inopes suos alat; ne tanta erronum turba sine fructu tota Provincia vagetur. Nisi fortè patriæ sterilitas, aut devastatio errare cogat; quo casu juvandi sunt, non ultra tamen triduum in oppido uno ferendi, nisi opificio alicui addicere sese velint.

27 His itaque pensatis statuendum erit, quid externorum egestas, & civium necessitas ferat; civium jure tanquam potiore semper prælato, quantum per leges charitatis omnes plenè homines complectentis licet. Hoc est non negato aliquo externis quoque benignitatis stillicidio pro facultate, eorumque necessitate.

28 Quod ad secundum, an scilicet fas sit indigenas, sive urbanos pauperes mendicatione prohibere?

29 Vsus quidem antiquus, Conciliorum etiam decretis firmatus, pauperibus mendicatione intra sacras ædes interdicit, ne orantibus obstrepant, ut videre est apud Baron. *anno Christi* 57. cum de partium Templi antiqua forma differit. Sicut enim olim in Templo pauperes stipem mendicantes pro foribus stabant, ut ex his, quæ scribit Lucas *Act.* 3. de claudo, qui exponebatur à suis ad Templi portam Speciosam, est manifestum, ita etiam in Ecclesiam ad stipem captandum nefas illis ingredi, sed in exteriori porticu, quæ post atrium januis inhæret Ecclesiæ, eos solitos commorari, certum est. Vnde Chrysostomus *homil. 28. ad popul. Antiochen. Propterea*, inquit, *& ante Ecclesias, & martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, ut nos ex hujusmodi spectaculo multum capiamus utilitatis. Considera namque, quod nobis terrenas ingredientibus Regias, nihil hujusmodi cernere licet, sed viri honesti, & splendidi, & divites, & prudentes passim discurrunt. Ad veras autem Regias, ad Ecclesiam dico, & Oratorias ades, & martyrum templa, damonibus pressi truncati, pauperes, senes cæci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandem? Vt tu docearis, ut discerent Christiani ex ejusmodi spectaculo, tumore deposito, & contrito corde ad orandum ingredi.* Additque, hos esse *Canes admirabiles Regiarum cœlestium*, ac proinde esse pascendos.

30 Ad hæc respiciunt, quæ Gregorius Nazianzenus in ea celebri oratione, quam habuit de amore pauperum, ait: *Ita petitionum clamor internis Templi cantibus ex adverso respondet, atque è regione mysticarum vocum miserabilis luctus excitatur.*

31 Sed non eo quidem his locus pauperibus mendicantibus attributus erat, quod haberentur contemptui, sed ne obstrepentes sacra agentibus in Ecclesia, ac ibi orantibus essent molesti. Verum eis æquè, ac cæteris patebat Ecclesia precum causa simulque cum Principibus nullo habito delectu, & personarum acceptione, ad sacram mensam admittebantur. Hinc Chrysostomus *eadem homilia* hæc habet: *Ad suam spiritualem mensam eos vocare, & illud communicare convivium non dedignatur; sed claudus, & mutilus, senex & pannosus, sordidus & mucosus cum juvene pariter speciosо, & ipso purpuram induto, & in capite diadema gestante futurus mensæ particeps venit, & spirituale petit convivium, & eisdem ambo fruuntur, nec ulla est differentia, & Christus quidem eos ad mensam cum Rege simul vocare non dedignatur, pariter enim ambo vocantur.*

Extra tamen sacras ædes mendicationem veris paupe- 32
ribus uspiam interdictam sine humanitatis nota non reperimus. Nam ut hi excludantur, durissimum videtur, & damnatur à S. Ambrosio *lib. offic. cap. 7.* Et idcircò aliqui severè pronunciarunt de ea conclusione urbanorum mendicorum in unum locum; eis utcumque suppeditato necessario victu, quam à paucis annis multò magis, quam antea increbuisse videmus.

Sed rectè Sotus *opusc. cit.* & Vasquez *de eleemosyn.* 33
cap. 3. dub. 4. admittunt, nihil esse, quod vetet pauperes ita concludere, & mendicatione prohibere, dummodo illis provideantur necessaria, quod ea ratione charitatis, & misericordiæ legibus satisfiat, & tamen publicæ securitati & à multis malis indemnitati non incommodè prospiciatur, salvis semper prudentiæ regulis, & extraordinariæ charitatis juribus, aliud interdum ferentibus. Quod Romæ sæpè cogitatum, nunquam actum est, actum tamen Neapoli, Ianuæ, ac alibi ac demum Romæ ab Innocentio XII. ut ex ejus hac de re diplomate.

Summa huc reddit, danda est opera Magistratui, ut 34
malis hominibus purgetur Respublica. Quod fit, si emendabiles castigentur, desperati, & quasi putrida membra resecentur, vitia radicitùs extirpentur, & occasiones eorum præcidantur, cui rei in Rebus publicis, & Civitatibus serviunt ædes disciplinares, quales habent Amsterodamum, Brema, & aliæ Civitates. Serviunt quoque huic rei publicæ opificum officinæ, eæque eximiæ, quales apud Antuerpianos, Brabantinos, & Delphenses Hollandos, in quibus pauperculi cives eorum filii publicis aluntur, & eruditur sumptibus. Quæ omnia nobis pudori sunt; unde omnis generis egregii prodeunt artifices. Apud Gallos, Helveticos, & alios Germanos, apudque nostrates, quia minor, aut nulla opificorum cura, major est mendicantium copia.

Quod verò ad Cygaros, vulgo Zingaros, vel teste 35
Geropio Cigalos, quia vagabundi, sunt mendici, impostores, & latrones. Gallis appellantur Ægyptii, quia se Ægyptios mentiuntur. Sunt hi ex variis nationibus collectorum hominum sentina, sine certis sedibus regiones pererrant, & ex furtis, latrociniis, rapinis, mendicatione, divinationibus, & magicis artibus vivunt; multarum periti linguarum. Corpora de industria nigra, & deformia faciunt, & pinguedine, ut ferunt, anserina infantes recens natos ungunt, ut lutulentum colorem statim ab infantia trahant, quo nationem planè singularem, & peregrinam mentiuntur. Hoc hominum genus publico natum exitio, publicè Magistratus lege removendum, & tanquam proditores, & exploratores in pace, & fide publica non continendum, etiam Imperii lege apud Limn. *lib. 9 c. 11. n. 161.*

Portò de Zingaris, eorumque originis mira varietate 36
legendus Polydorus, Volaterranus, Crespetus *lib. de odio Sathanæ discurs. 12.* & Hortelius in *descript. Prov. Zeugitanæ.* De horum autem hominum improbo genere Crantius *Sasson. lib. 11. c. 2* sic inquit. *Cum ageretur annus post Christum natum* 1417. *per Germaniam apparere cœperunt homines nigredine deformes, excocti sole, immundi veste, & usu rerum omnium fœdi, furtis in primis intenti, præsertim fœmina, nam viris ex furto fœminarum victum*

victus est, Tartaros, aut Gentiles vulgus vocat. Ducem, Comites, milites inter se honorant veste præstantes, canes venaticos pro more nobilitatis alunt, sed ubi venentur, nisi furtim non habent. Equos sæpè mutant, major tamen pars pedibus graditur. Fœminæ cum strato, & parvulis jumento vehuntur, literas circumferunt Sigismundi Regis, & aliquorum Principum, ut transitus illis per Vrbes, & Provincias incolumis permittatur, & innoxius. Ferunt ipsi ex injuncta sibi pœnitentia mundum peregrinantes circuire, atque ex minore Ægypto primum emigrasse, sed fabellæ sunt. Hominum genus in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam, ita circuit Provincias, furto, ut diximus, fœminarum victitans. Canino ritu degit, nulla Religionis cura, etiamsi inter Christianos parvulos suos baptizari curet. In diem vivit, ex Provincia demigrat in Provinciam per aliquot annorum intervalla redit, sed multas in partes scinditur, ut non eidem in eundem facilè rèdeant, nisi per longa intervalla, locum. Recipiunt passim & viros, & fœminas, volentes in cunctis Provinciis, qui se illorum miscent contubernio. Colluvies hominum omnium perita linguarum, rusticæ plebi gravis imminens. Vbi foris illa laborat, in agris hi spoliis invigilant casellarum. Anus eorum chiromantiæ, & divinationi intendunt, atque interim quot quærentibus dant responsa, quot pueros, maritos, aut uxores sint habituri, miro astu, & agilitate crumenas quærentium rimantur, & evacuant.

37 Eadem iisdem ferè verbis scribit Munster. *l.3. Cosmograph.* quibus accedit Aventinus in *Annal. Bojorum l.7.* in hæc verba: *Eadem tempestate furacissimum illud genus hominum, colluvies, atque sentina variarum gentium, quæ in confinio Imperii Turcarum, atque Vngariæ habitant, Zigenas apellant, Rege Zinkelone, nostras peragrare cœpere regiones. Furto, rapina, divinationibus impunè prorsus victum quæritant. Ex Ægypto sese mentiuntur, extorresque domo à superis cogi se, majorum delicta, qui Deiparam Virginem cum puero Iesu hospitio excipere recusarunt, septem annorum exilio expiare impudentissimè confingunt. Experientia cognovi eos uti venefica lingua, & proditores, atque exploratores esse.*

38 Scribit Romusius *tom.1. navigat. p.7.* in qua de Africa agit, Mercatores Civitatis Agadez magna armatorum mancipiorum quantitate, uti pro tuendis mercibus inter Canun, & Bornum adversus Zingaros, deserta illa habitantes, & mercatorum expectantes transitum, ut rapinis suæ subveniant egestati.

39 Delrius etiam *lib.4. disquis. magic. cap.3. qu.5. sect.4. de Chiromantia.* hæc scripta de Zingaris reliquit: *Cum adhuc in Hispania anno 1584. versarer Legione magna tum multitudo istorum per pagos illos inundarat. Festum Corporis Domini tum celebrabatur, petierunt aditum in Civitatem, ut honoris gratia præsultarent, quod illic consuetum fecere, sed à meridie propter furacitatem fœminarum ortus tumultus fugere in suburbia, & ad S. Marci, ubi Equitum D. Iacobi magnifica est habitatio, & hospitale, se conglobarunt, & justitiæ administros militari vi repulerunt, mox nescio quo pacto dissimulata omnia. Huic hordæ Comes erat, sic appellant hominum multitudinem utriusq; sexus in turba multi recepti Hispani, etiam ex Graiales Villabrizima, & pagis nonnullis Castellæ. Comes tamen peritè Castellanum idioma loquebatur, quàm si Toletanus. Sciebat omnes Hispaniæ aditus terrestres, omnes regionum anfractus, & difficultates, quid roboris esset cuique civitati, qui præcipui in quaque, & quæ cuique opes. Nihil ferè ad Rempublicam pertinens tam arcanum, quod eum lateret, nec clam, sed gloriabatur.*

40 Quærunt hic opportunè Doctores, an emens rem furtivam à Zingaro teneatur eam Domino conducenti absque pretio restituere?

41 Et affirmativè respondet Bertazol, *cons. crim.* 43. quia emptio vel est facta scienter, & est nulla, *l. si in emptionem, §. Item si emptor, ff. de contr. empt.* vel ignoranter, & non transfertur rei emptæ dominium in emptorem, *l. rem alienam*, ubi Gloss. & Doctores, *ff. eod. tit.* Quinimò ex tali emptione nec oritur usucapiendi conditio, *§. furtivæ instit. de rer. divis. l. sequitur, §. quod autem, ff. de usucap.* Quod si emens vult evitare suspicionem furti, tenetur nominare personam, à qua emit, *l. Civile C. eod. tit.* Eo autem ipso, quod quis laudat auctorem Zingarum, videtur particeps furti, cùm sit improbum hominum genus, ut dictum est. Atque ex his constitui potest regula contra ementem à Zingaro, teneri scilicet rem emptam domino conducenti absque pretio restituere.

Quæ limitatur primò, ut non procedat, si res emeretur à Zingaris, qui irrupissent ex aliena Provincia, tanquam latrunculi violenti, & ex partibus nostris recessuri, *l. mulier ff. de capt. & postlimin. reversi.* Secundò, ut neque procedat in rebus fieri solitis à Zingaris inter nos, cujusmodi sunt claves, vectes, seræque ferreæ, verucula, tripodes, aliaque hujusmodi. In his enim, quamvis res sit verè furtiva, nihilominus non viget contra eos furti suspicio, quia vendunt rem suæ artis, *arg. l. quod si, §. quia assidua ff. de ædilit. edict. l. certi conditio, § si nummos, ff. si cert. petat.* 42

An igitur sint è Civitate pellendi, rem hisce conclusionibus absolvo. Primò. Zingari regulariter non sunt recipiendi. Primò, quod peregrinos mores inducant. Secundò, propter eorum quædam peculiaria delicta, nimirùm furta, proditiones, divinationem per chiromantiam. Ab hac conclusione excipio primò, si ad civitatem accedant expulsi ab infidelibus religionis causa. Secundò, si versemur in prima erectione Civitatis, vel ita magna sit civium penuria, ut necesse sit externa præsidia quærere. 43

Secunda conclusio. Postquam sunt recepti, expelli non possunt absque justa causa. Ut si proditores, aut delatores contra fidem, aut Principem detegantur. Si excreverint adeo ut inde malum aliquod timeri debeat. His enim de causis legimus jussos esse Teutonica terra excedere provido edicto Caroli V. Imperatoris anno 1549. veluti exploratores, & proditores Christianorum regnorum missos à Turcis, ut refert Petr. Greg. *syntagm. jur. lib. 34. cap.16. in fin.* A regno quoque Neapolitano, ubi sine licentia morabantur, ac furtis, & latrociniis cuncta impleverant, pragmaticis sanctionibus jussi sunt discedere 16. Octobris 1599. & 14. Septembris 1569. & tertio 12. Aprilis 1585. 44

Cæterum in civitatibus, in quas appellunt, curari primum oportet, ut à divinationibus abstineant. Quod eis vetitum esse scribunt Delr. *magic. lib.4. tit. de chirom. q.5.* Dian. *p.4. tract.8. resol.128.* Villadieg. *in polit. cap.5 §.20. nu.30.* ubi quod contra eos in hoc casu procedunt Inquisitores hæreticæ pravitatis. Ex physiognomia enim capitis, vel ex manuum lineis prosperos, vel aversos hominis eventus conjectare, vanum & superstitiosum est. Nam illa signa non possunt esse causa illorum effectuum neque in illis signis tales effectus prædici possunt, nisi ex doctrina dæmonis, includente pactum implicitum. Ideo chiromantiam damnat Sixtus V. in Bulla contra Astrologos, & in Indice librorum interdicuntur omnes libri illam docentes. Quare non licet seriò de bona, vel mala fortuna Ægyptiam mulierem, sive Zingaram interrogare, nisi joci causa, & ob curiositatem absque periculo fidem adhibendi; addas & sine scandalo. Vide hac de re Navarrum, Delrium, Azorium, Cirvellum, Simancham, Alcozerium, Navarram; Lopez, Sanchez, Trullench, Roccaful, Palaum, Fagundez, Torreblancam, qui ait oppositum esse erroneum, Villalobum, Lupum Lessium apud Leandrum *p.1. in decalog. tract.9. qu.102. & seqq.* 45

CONSULTATIO LXV.

An Regulares Romam adeuntes prætextu, quod electio Provincialis, aliorumve Officialium, vel ob hujusmodi aliud, fuerit invalida, sint puniendi tanquam Apostatæ?

Respon-

1 REspondeo. Ad præcludendam viam vagandi, hujusmodi Regulares declarandi sunt apostatæ, cum debuerint petere, & expectare licentiam, nec sufficit fuisse petitam, & non obtentam, neque fuisse protestationem publicè factam recurrendi ad Romanam Curiam, quæ habet vim appellationis.

2 Desumitur ex decreto S. Congregationis super Episc. & Regul. edito anno 1587. in hæc verba: *Si quis Regularium in posterum temerè, & ex levi causa hanc almam Vrbem absque sui Superioris licentia adire præsumpserit, ad suos Superiores severiori pœna plectendus remittatur.* Item ex Bulla 60. Clementis VIII. emanata anno 1599. die 15. Junii, quæ incipit *Nullus omninò* §. 23. ubi Regulares non possunt Romam petere sine Protectoris, vel Generalis, vel Provincialis licentia. Sed Provincialis non potest talem licentiam dare, nisi ob bonum totius Provinciæ, ut in Bulla alia ejusdem Clementis. edita anno 1601. die 20. Martii, aliàs Romam accedens, scilicet intrando sine licentia, ut supra, incurrit pœnam privationis vocis activæ, & passivæ ad biennium, Papæ reservatam privativè ad ipsum Generalem, & Protectorem. Igitur hæc pœna biennio tantum durat, & postea per se cessat, ut in dicta Bulla anni 1599. eodem §. 23.

3 Perspicuè id habetur ex Sacr. Concilio Tridentino *sess.25. de Regul. cap.4.* his verbis: *Non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.*

4 Non obstant Doctores, qui asserunt, posse Regulares sine licentia ad Superiores recurrere, ut Navar. *lib. 2. conf.3.* ubi citat Abbatem, & Baldum, quibus adhæret Rodriquez *tom.1.qu. regul.30. art.3.* Sayr. *lib.12. cap.27. num.38.* & alii; quia loquuntur in casu, quo Abbas nimis sævit in Monachos, illos odio prosequitur, ac supra modum in correctione gravat, periculum est in mora, & gravamen per appellationem, vel subsequentem sententiam tolli non potest, ac tandem quando recurrerent causa gravaminis, manifestè injusti, & non possent alia via sibi consulere, tunc enim non incurrunt pœnas prædictas. Quare possunt etiam fugere, ut mortis pœnam evadant, vel mutilationis ex Sanch. *in decal. lib.6. cap.8.num.12.& 15.* cum multis Doctoribus, ut evadant carcerem injustum, vel supra humanum modum rigidum ex Salzedo ad Diaz in *pr. cap.137. vel* 140. §. *est tamen*, Sanchez *loc.cit.num.14. & in opuscul. lib.6. c.4. dub.11.* Quando injustè vexantur à Superiore locali, si non animo evagandi fugiant, sed recurrendi ad Prælatum, seu Superiorem mediatum, ut sibi provideant, dummodò vexationis injustitia sit liquida, & non possint prius licentiam petere à Prælato suo mediato ad eum accedendi *ex l.quis sit fugitivus ff. de edil. edict.* Sanchez in *decal. loc.cit.num.17.* cum communi. Et ita intelligunt Tridentinum *d.sess.25. cap.4.* multi, quos allegat, & sequitur Diana *resol.56.tract.2.p.2.* Sanctarell. *tract.de apost.cap.3. dub.1.num.11.* Additque Diana *resol.125. ejusdem tr.2.* & Portel. *v. Habitus num.3.* posse etiam tunc habitum in via dimittere, si aliter non possint sibi consulere. In quibus casibus Regularis si recurrat ad Prælatum Superiorem, non est Apostata, quia verè Apostata est ille, qui deserit Religionem, non autem qui jure naturæ se defendit recurrendo ad suum Superiorem, cujus licentia præsumitur intervenire, ut per Suar. *de relig.tom.4.tr.5. lib.3.c.1.num.6.*

5 Secus autem in hoc casu, in quo nulla est persecutio corporalis, nulla sententia, nullum gravamen inemendabile, sed sola quæstio de validitate electionis, in qua nullum potest esse periculum in mora. Quia sicuti de facto regitur Provincia cum Provinciali, de cujus electione dubitatur, & nullum adest periculum, ita poterunt hujusmodi Regulares petere licentiam à P. Generali, & appellare per Epistolam de gravamine prætenso. Præcipuè verò si Romam aderint sine mandato Capituli, vel si se ipsos tumultuariè incitarint ad Romam adeundum, sique satis essent duo, vel unus, adiverintque plures absque necessitate, sed solo animo contentioso, & vagandi.

Ad præcludendum igitur hunc aditum apostatandi, 6
Regulares nequeunt Urbem adire sine obedientia obtenta, saltem ob illas causas, quæ periculum in mora non faciunt, alioquin corrueret disciplina regularis, & quod salubriter ordinatum est nisi observetur, in Religionum detrimentum cedet. Quod si secus fecerint, puniendi sunt non tanquam verè, sed tanquam præsumptivè apostatæ, saltem quoad forum externum, sive quoad pœnas, quidquid dicat Fagundez in 2. *Eccles. præcept. lib.2.c.5.num* 13.

Et quamvis ob decretum Urbani VIII. *de apost. &* 7
eject. anni 1624. die 21. Septembris editum, in quo decernitur, quod Apostatæ, vel fugitivi, sive habitum regularem deferant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi, videatur dicendum, quod hujusmodi Regulares possint ab Ordinario solum capi, qui postea debeat eorum Superioribus modo supradicto puniendos consignare ita, ut per hoc decretum Urbani derogatum sit citato decreto Concilii Trident. *sess.25.cap.4. de Regular.* quoad facultatem puniendi Episcopis concessam, ut firmant Mirand. *tom.1.man.q.51.art.3.* Lezan. *tom.1.q. regul cap.16. num.17.* Cesped. *de exempt. Regul. cap.16.nu,2.* ac Delbene *de offic. S. Inquisit.p.2. dub.236. petit.13.nu.2.* Nihilominus, quod Episcopus possit Apostatam punire secundum suam regulam ex S. Congregatione Concilii in dicto decreto *de Apost. & eject.* asserit P. Thesaur. *in prax. Eccles.p.2. v. Apostata c.2. §. Nono.* In quo etiam decreto præcipitur, ut Episcopi in carceres Apostatas conjiciant, & reducant ad claustra. Et hic est verus sensus supradicti decreti, & verus modus coercendi hujusmodi Regulares.

CONSVLTATIO LXVI.

An Monialis possit in sua cella construere fenestram, per quam prospiciatur in cellam alterius Monialis? Ubi & quid si esset constructa? Et aliqua de interdicto novi operis nunciatione.

AFfirmativè respondendum censeo. Nam unicuique 1
licet in infinitum, &, quod dici solet, ad Cœlum usque supra solum suum imponere, ædes etiam vicini obscurando, *l.cum eo, l.cujus de ser. urb.* dummodò id faciat ad sui utilitatem, non autem ad æmulationem, *l.altius, & in l.seqq.* ubi Baldus, & alii *C.de servit. & aqu.* traditque Berous *cons.135. num. 15. vol. 3.* Thesaur. *decis.41. num.15.* ac latè Cyriac. *controver. 28. num.3. & seqq.* Ant. Possent. *centur.2.singul.125. numer.1.* Sperell. *decision.55. numer.* 18. & alii plenè relatis à Rotâ in Romana altius tollendi, & in Romana Tramontanæ, coram Pirovano, ac Buratto post Fenzon. *ad stat.Vrb.cap. 104.numer.46. cum seqq.* In suo enim liberum est hactenus unicuique facere, quatenus nihil in alienum immittat, *l.sicuti §. Aristo, ff. si ser.vend.* Quare ne libera in suo ædificandi facultate, quam civilis, naturalisque ratio nobis magna cum libertate concessit, *l.fin. ff. de servit. l.fin. §. pen. Quod vi, aut clam d.l. altius Cod. de serv. & aqu.* homines ad propriam libidinem, & alterius jacturam insolenter abuterentur, *l.in fundo ff. de re vend. l.pen.§.si quis novum ff. de revis.* ac plerumque evenit, ut hac libertate elatus ædificans, vel veteris ædificii formam excederet *l.qui luminibus ff.de ser.urb.l.1.C.de adif. priv.* Vel legitimum ab agro vicino non intermitteret spatium, *l.si cui, l.Maviana, Cod.de oper.publ. l.Imper. de ser. urb.* Vel non modò vicini ædes obscuraret, sed earum etiam penitus lumen recluderet, *l. binas in fin.*

ff.de ser. urb. prad. Aut alia ratione minueret sine causa jus vicini, *l.1. §.sed & fossa §. denique ff. de aqua pluv.* Nec interim posset ulla via processu operis prohiberi. *l.si prius de nov. oper. nunc. §. pen. & d. l. cum eo de ser. urb.* nunciationem novi operis Prætor induxit, qua vetatur is, cui nuntiatum est, nisi de opere destruendo prius satisdet, vel remittatur prohibitio, ædificare, donec appareat nunciatorem inhibendi jus non habuisse; alioqui suæ pervicaciæ pœnas luens opus licet jure factum proprio sumptu demoliri cogitur, *l.1. in princ. & §.nuntiatio, l.Prætor § 1.ff.de nov-oper. nunt.l.un. C.eod.* Unde constat, remedium istud non utile modò, sed etiam ut Ulpianus ait, necessarium fuisse, *l. de pupillo §.meminisse eod.tit.* cum non aliud proditum esset, quo celeriter, & ut Iurisconsulti loquuntur, in continenti posset operis continuatio impediri, & interim nunciatoris conditio durior effici, *l.3. §.item si locum ff. de al.judic. l.fin.C. in quib.ca.in integr.re.*

2 Tum quod ne publicus ædificiorum aspectus ruinis deformetur, *l.2.§.Si quis nemine, l.5 ff.ne quid in loc.pub. l.2.C.de ædif.priv.* factis operibus jura valdè faveant, *d. l.Prætor §.pen.d §.Item si locum.* Tum etiam quod ædificante ad inopiam traducto, necessum haberemus, alioqui nostro sumptu demoliri, quod alter temere fecisset, *l.3.§.hoc autem ff.de itiner.* Huic autem periculo non satis prospectum erat per actionem de servitute, quæ statim non arcet ædificantem processu operis, sed de jure suo primum plenè docere debet actor, *l.is, qui destinarit, ff.de re vend.l.incerti C.de interd.* deinde sequi sententia, ut in cæteris petitoriis judiciis. Quod verò pertinet ad interdictum *quod vi, aut clam*, cum illud ad opera præterita duntaxat referatur, *l.1.ff.quod vi, aut clam*, & nuntiationis edictum futura respiciat, patet non ad rem pertinere, *l.1.§ 1.de nov.oper.nunt.* Interdictum equidem de novi operis nuntiatione fateor adversus opera præterita inductum ad demolitionem nimirum ejus, quod spreta nuntiatione exædificatum est, *l.Prætor §.1.eod.tit.* eoque nomine concurrere cum interdicto, *quod vi, aut clam, l.si alius §. ait Iulianus ff.eod.* At aliud est ex edicto nuntiare novum opus, & aliud interdicto de novi operis uti, *d.l.1. in princ. & §.1.d.l. Prætor §. 1.* Fit enim nuntiatio, ut futurum opus impediatur *d.l.1.in princ.& §.1. & l.un.Cod.eod.tit.* Interdictum verò ex hac causa sicuti quod vi, aut clam ad operis jam facti destructionem, *d.l.Prætor §.1.d.l.1. §.1.*

3 Porrò tunc dicitur intercedere æmulatio, quando possit ex fenestra æquè facilè haberi lumen ex alia parte. Quod si secus fiat, fenestræ aperitio dicitur facta in damnum, ac præjudicium vicini, atque adeò ad æmulationem, Cæphal. *cons.130. num. 11. cum seqq.* Berous *d.cons.135.num.7.* Sperel. *d. dec.55. num. 32.* Rot. *dec.19. num.10. p.15. decis.348. num.18.p. 17. & decis. 69. num. 22. p.18. rec.* & in Lauretana fenestrarum 28.Iunii 1669. *§. quod eo magis cum seqq.* coram Calataiù. Tuncque dicitur probata, quando quis absque ulla sua utilitate tertio præjudicare intendit. Quod est omni jure prohibitum, Henriq. *de molend. q.15. num.33. & 34.* ac Ror. *dec.61. num.9. d. p.17. recent.* Quo in casu non habet locum conclusio, quod liceat cuilibet usque ad Cœlum ædificare, & in proprio pariete fenestras aperire, *l.opus novum ff. de oper. publ.* Bero. *d. consil. 135. num.3. in fin.* Sperel. *d.dec.55.num.22.* & Rot. *dec.29.num.2.p.15.recent.* Præsertim si ex nova fenestra prospiciatur in domum, vel cubiculum, aut viridarium, vel hortum alicujus nobilis fœminæ, ut per Cæphal. *d.cons.130. num. 11.* Quia tunc dicitur aperta ad æmulationem, & inhonestatem. Id tamen remittendum judico arbitrio Iudicis, qui, considerata qualitate ædificii, ædificantis, ac vicini, pensatisque circumstantiis, arbitretur, an aperitio fuerit ad æmulationem, ut etiam tradit Sperell. *d.dec.55.nu.36.* Poteritque in omnem eventum aperiri fenestra ad lumen tantum, non autem ad prospectum. Et ita, ubi non potest haberi lumen aliunde, solet hæc temperatio per Iudices adhiberi, & observavit Rota *decis.69. ad fin.d. p.18. recent.*

Neque obstat, quod non liceat vicinis tollere parietem, & aperire fenestras, per quas prospiciatur in domos Monialium ad tradita per Bero. *d. cons.135. num.9.10. & seqq.* Padil.in *d.l.altius nu.9.* Marc. Muta *dec.sicul.8.n.6.* & ad *Consuet.Panorm.cap.29.nu.3.& seqq.* Ant. de Possent. *d.singul.145.num.2.* Sperel.*dec.58.per tot.* & alios relatos à Fenzonio *d.cap.104.n.44.& seqq.& num.50.& 51.* ac declaravit sæpius S. Congregatio super Episcop. & Regul. præsertim in Licien si 1605. 28. Februarii, in qua dixit, quod nullo modo debet esse prospectus in Monasteria Monialium, & è contra, nequidem à fenestris Turris Campanariæ alicujus Ecclesiæ vicinę, ut in Portugallensi 16.Aprilis ejusdem anni, sed pleno muro fenestræ debent obstrui, ut in Aquilana 31 Iulii 1612.etiam illæ, quæ sunt in Monasterio Monialium, per quas videre possent, ac videri, ut in Parmensi 28. Novembris 1636. Nec alicui permitti debet ædificium tollere, si per illud haberetur prospectus in Monasterium, ut in Interamnensi 15. Maii 1612.& in Barensi 18.Februarii 1617 Suntque demoliendæ mansiones constructæ in vinculo intermedio, & claudendum est ambulacrum, quod à tecto Monasterio imminet, eique prædominatur, ut in Assisiensi 11.Iunii 1613. Non obstante qualibet appellatione, vel recursu, & in Conversanensi 8. Augusti ejusdem anni 1653. Quinimò prohibetur Monialibus sub gravibus pœnis usus telescopii, sive conspicilii tubulati longioris, ut in Anconitana 1. Octobris 1627. 4

Nam, & si prospectus in cellas Monialium non impedit elevationem ædificii, & aperitionem fenestrarum, quia prospicere in Monasteria Monialium non est per se prohibitum, atque adeò ex eo non infertur limitatio regulæ textus in *d.l.altius*, ut post Cynum, & Baldum in *d.l.altius*, firmat Cæpol. *de servit. urb.prad. cap.62.n.* 2.Sperel.*dec.55.num.40.* & Rota post Fenzon. *d.cap.104. n.48.& seqq.* nihilominus hoc privilegium militat duntaxat favore Monialium, ne prospiciantur à vicinis laicis, quia decet Moniales ab aspectibus secularium esse omninò separatas, & penitus semotas, ut sublata opportunitate inhonestæ considerationis, & commoditate lasciviendi, liberius valeant servire Deo, & eidem corda sua, & corpora in omni Sanctimonia custodire, ut ait textus in *cap.1.de stat.regul.in 6.* quem in hac specie ponderat Bero. *d.cons.135. nu.10. vol.3.* ubi reprehendit Cæpollam, contrarium sentientem, ac sequitur Padil. in *d.l.altius n.9.* Covar.*lib.3.var. resol.cap.14.sub n.8.* Mar. Mut.*d.dec.8.nu.6 & d.cap.29 n.3.& seqq.* Sperel.*d.dec.58. n.6.& 7.* & Anton.de Possent. *d.singul.145.n.2.* cum aliis congestis à Rota in d. Romana Tramontanæ post Fenzon. *c.104.n.44.& seqq & n.50.ac 67.* 5

Secus autem quoad ipsas Moniales inter se, ne una prospiciatur ab alia, quia inter ipsas cessat ratio textus in *d.cap.1.de stat.Regular.* scilicet commoditas lasciviæ, ac timor inhonestæ considerationis; ideòque inter eas observanda est regula dicti textus *in l.altius*, cum non sit prohibitum unam Monialem alteram prospicere, sicuti non est prohibitum laicos habere prospectum in domos laicorum, & quod majus est, neque in Monasterium Regularium, vel in seminarium puerorum, ut in terminis post Cynum, & Baldum *in d.l.altius*, tradit Cæpol.*d.cap.62.num.2.* Alex. *cons.174.num.4.lib.2.* Ias. *in l. Et hoc jure nu.8.ff.de just.& jur.* Sperel.*d.decis.55.nu.40.* & scitè distinxit Rota in d. Romana Tramontanæ 7. Iunij 1623. coram Pirovano. 6

Cum igitur liceat uni Moniali hujusmodi fenestram de novo aperire, quamvis per eam habeatur prospectus ad cellam alterius Monialis, erit per consequens magis licitum eam retinere, postquam à multo tempore fuerit aperta. Quia illæ, quæ de novo construi permittuntur, ubi factæ sunt, facilius sustinentur ex vulgari *l.in ambiguis, §. non est novum*, ubi Doctores, *ff. de reg. jur.* maximè, quia Iudices in dubio pronunciare 7

debent

debent pro ædificiis, ne destruantur, *l. Senatus, ff. de contrah. empt.* Vivius *decis.*306. *num.*6. *lib.*2. & Sperel. *d.decis* 55.*num.*29. Quare attenta præscriptione, quæ in materia servitutum, habentium causam continuam, vel quasi continuam, prout est servitus prospectus, spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes completur, ac possessione hujusmodi fenestræ prospicientis in cellam alterius monialis, talis prospectus est legitimè præscriptus juxta ea, quæ tradit Gloss. *in l.*1. *v. & secundum hunc casum*, ibique Bartolus, Salycetus, Fulgosius, & Castrensis, *C. de seru. & aqu.* Gaill. *lib.*2. *obs.*69. *num.*14. Cæpol. *de serv. urb. præd. cap.*19. *num.*2. & 4. cum aliis cumulatis à Cyriac. *d. contr.*28. *num.*9. *& seq.*

8 Quòd præcipuè locum habet, si fenestræ monialis adversariæ potuerint aptari in alio loco, & per eas commodè recipi lumen absque eo, quod subiicerentur prospectui alterius monialis; quod patere debet ex inspectione loci, in quo extant; tunc enim censentur constructæ non ad ejus commoditatem, & utilitatem, sed ad æmulationem, ut scilicet fenestra alterius monialis claudatur, & ejus cella penitus obscuretur, *arg. text. in l. opus novum* cum ibi notatis à Bartol. *ff. de oper. publ.* Bero. *d.cons.*135 *num.*7. Sperel. *d.decis.*55. *num.*32. *& seq.* Ideòque ex earum constructione perperam facta, nullum damnum, aut incommodum altera monialis pati debet in suo veteri, & antiquiori ædificio, sed potius cogenda est monialis adversaria ad illas alibi aptandum; hujusmodi enim malitiis non est indulgendum, sed obviandum ad *text. in l.*1. *§. denique*, ibi: *Si non animo nocendi, ff. de aqu. plu arc. d. l. opus novum, ff. de oper. publ.* Gail. *loc. cit. num.*28. Cæpol. *d.cap.*62. *num.*2. Berous *d. cons.*135. *num.*7. *& alii*, quos sequitur Sperel. *d.decis.* 55. *num.*31. *ac seq.*

9 Minus obstat, quod aliquando contrarium fuerit observatum. Nam in hujusmodi causis non est judicandum exemplis, sed juribus, & auctoritatibus, *l. nemo, C. de sent.* Rot. *decis.*484. *num.*21. *part.*4. *rec. tom.*2. Et fortassè in illis aderat diversa ratio, ideòque non licet ex diversis argumentum sumere, ut in specie ponderat Rota in d. Romana Tramontanæ coram Pirovano apud Fenzon. *d.cap.*104 *num.*51.

10 Cæterum de cellis monialium hæc accipe ex S. Congregatione super Episcop. & Reg. Cellarum vacatio quotiescumque occurrerit per monialium obitum, aut per quemcumque alium casum, fieri debet illarum distributio aliis monialibus professione anterioribus, ut in Mutinensi 10 Aprilis 1615. Vacantes assignari debent secundum antianitatem, nec Superior Regularis potest aliter ordinare, in Ferrarien si 3. Junii 1597. Et antianitas incipit à die professionis emissæ, non autem habitus susceptí 5. Julii 1645. Idque non obstantibus Superiorum mandatis, in Mediolanensi 5. Februarii 1601. in Faventina 11. Aprilis 1603. in Aversana 26. Januarii 1604. & 26. Junii 1648. ac alibi sæpius. Nisi tamen in aliquo Monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuantur, & assignentur ad arbitrium Abbatissæ, & Discretarum, in Mutinensi 24. Ianuarii 1653. Habitatio verò in cellis separatis prohibetur ab Urbano IV. Monialibus S. Claræ, in Faventina 30. Augusti 1619. Vel saltem ne feras habeant in cellarum januis, sed solum in porta communi dormitorii, cujus clavis sit apud Abbatissam, in Senogallien. 11. Ianuarii 1622. & in Assisien si 16. Iulii 1624. Concedi tamen potest Moniali, cellam ædificare, eaque uti, sua vita durante, vel alia à suis consanguineis ædificata, in Cæsenatensi 2. Ianuarii 1601. in Bituntina 5. Iunii 1607. & in aliis. Nec debet ab ea removeri pro faciendo valetudinario, in Assisien. 9. Februarii 1624. & in Cæsaraugustana 11. Maii 1635. Non tamen illam vendere, in Mediolanen 8. Novembris 1625 licet vellet erogare pretium in utilitatem Monasterii, nisi de licentia Sac. Congregationis, & consensu Monialium, in Veneta 3. Maii 1647. Neque decernere, quod Monialis antiana, quæ cellam optare vult, teneatur aliquid solvere, in Ianuensi 22. Decembris 1620. quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur, in Neapolitana 17. Novembris 1628. Datur nihilominus aliquando facultas Abbatissæ, & Monialibus, ut ob aliquam legitimam causam capitulariter, & per vota secreta dare possint cellas vacantes, professione posterioribus, ne moniales contra votum paupertatis arrogent sibi cellas, tanquam proprias 19. Martii 1619. Nulla verò monialis cogi debet ad optandas cellas, in Nolana 10. Iunii 1616. Cella autem amplior, collocutorio vicina, auferatur moniali particulari, & ad communem usum destinatur 6. Octobris 1645 Pluralitas verò cellarum prohiberi potest, præcipuè cum exinde sequuntur inconvenientia, in Mediolanensi 14. Ianuarii 1647. Et ex rationabili causa potest concedi, in Ianuensi 15. Iulii 1650. Episcopus autem præcipere potest Monialibus etiam exemptis, etiam Regularibus subjectis, ut habeant locum separatum, & commodum pro Novitiis, & puellis educandis, & prohibere, ne illas extra dictum locum teneant ex quovis prætextu, etiam licentiæ Superiorum. Insuper decernere, ac declarare, quod Abbatissæ, & Priorissæ, quæ tempore sui officii noluerunt recipere novitiatuum, locorumque distinctorum erectionem, ad illud officium in futurum amplius eligi non possint. Et etiam Moniales particularys cujuscumque Monasterii, quæ recipiunt novitias, vel puellas educandas in suis cellis, sint ipso jure voce activa, & passiva privatæ, in Patavina 21. Junii 1605.

CONSULTATIO LXVII.

Quomodo prospiciendum sit conscientiis aliquorum, qui usi fuerant facultatibus Bullæ Cruciatæ, vel alterius Indulgentiæ nullæ ex defectu voluntatis Summi Pontificis illam concedentis, ob non adimpletas aliquas conditiones?

REspondeo. Quod ad Indulgentias, & gratias con- 1
cessas certum est, illos non potuisse eas consequi defectu voluntatis; quod respicit tantum pœnas temporales, quæ in Iubilæo condonari poterant. Solum igitur est difficultas, quod ad absolutionem à peccatis, & à censuris Ordinario, & Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini. Nam ex defectu potestatis jurisdictionis fuerunt nulliter absoluti.

At nihilominus dico primò, cum quilibet Sacerdos 2
ritè, ac rectè ordinatus, habeat potestatem Ordinis, quam in sua Ordinatione virtute Spiritus Sancti in impositione manuum suscipit, ideòque possit absolvere à quocumque peccato ac vinculo. Cumque reservatio casuum & absolutio à censuris, ac potestas ipsa jurisdictionis, quæ requiritur in Sacerdote, ut validè absolvat vigore Concilii Tridentini, sit de jure positivo, & Summus Pontifex sit supra jus positivum, nulla videtur esse difficultas, quin possit ipse tollere censuras, & reservationes, atque absolvere, etiam invitos, ac per consequens cum postea remaneant solum peccata sine reservatione, ac censuris, & cum pœnitentes sint in bona fide, remanent in sequentibus confessionibus indirectè absoluti ab eisdem peccatis absque nova ipsorum confessione, tanquam à peccatis oblitis.

Secundò. Potest Ecclesia, sive Summus Pontifex 3
supplere, & de facto supplet regulariter jurisdictionem in ministratione Sacramentorum, quando adest error communis, & titulus coloratus, ut ex Cardin. de Lugo *de just. tom.*2. *disp.*37. *sect.*3. *num.*27. & ex communi Doctorum sententia. In hoc autem casu adest error communis, & titulus coloratus ex Bulla Apostolica, atque adeò sine alia gratia Summi Pontificis isti sunt validè absoluti. Eòque magis si Pontifex vellet habere rata omnia gesta per Commissarium, & Confessarios, cum sit certissimum, quod quilibet defectus juris humani suppleri

possit in hoc casu à Superiore, scilicet à Summo Pontifice habente potestatem humanam, secus autem si esset defectus juris naturalis, vel divini, ut si confessarius esset mulier, vel non esset Sacerdos, quem defectum nec tollere, neque supplere potest potestas humana, neque in eo dispensare, ut ex Diana *tract.1.de potest. Pontif.resol. 94.in fine*, ubi etiam si non adsit titulus coloratus.

CONSVLTATIO LXVIII.

Bona hæreticorum quando, & quomodo fisco addicantur?

1 REspondent communiter Doctores, quod pœna Confiscationis hujusmodi bonorum incurritur à die commissæ hæresis. Et quamvis Panormitanus *in c. Vergentis de hæret.not.2.* affirmet, bona hæreticorum non esse ipso facto confiscata, sed confiscanda, ejus tamen doctrina intelligitur de tempore, antequam fuisset id decretum *in c.Cum secundum leges de hæret. in 6.* Nam in hoc *cap.* expressè decretum fuit à Summo Pontifice, ut ipso jure, sive ipso facto bona hæreticorum sint confiscata. Et ita docet Pegna *p.2. direct. com.158. v. His ita positis*, & Farinac. *de delict.& pœn.q.25.n.13.* ubi ait, in hæresis crimine bona confiscantur ipso jure, & statim à die commissi delicti dominium transit in Fiscum, & reus administrationem suorum bonorum amittit *d.c. Cum secundum leges*, ibique Glossa, & communiter Doctores. Qui etiam docent, quod licet in Fiscum ipso jure transeat dominium bonorum hæretici, non tamen transit eorum possessio per regulam, quod in illis casibus, in quibus transit dominium sine traditione, non transit possessio, nisi expressè dicatur, ut *in l.cum hæredes ff.de acquir.poss.*

2 Ego autem ita hanc rem expedio. Bona hæreticorum cum effectu non publicantur, neque actu apprehendi possunt, nisi secuta sententia Iudicis Ecclesiastici, uti fit in crimine læsæ Majestatis, *l.quisquis, & l.fin.in princ.C.ad leg.Iul.majest. & in auth.ut nulli Iudices §. si facit l.1.& 2.& l.fin C.de sent.pass.& restit.l.Arianus, C.de hæret.& d.cap.Cum secundum leges in fine eod.tit.in 6.*

3 Ex quo sequitur, quod dominium bonorum hæreticorum non pertinet ad Fiscum, neque ad Ecclesiam, nisi secuta damnatione super crimine, quam fert Iudex Ecclesiasticus, cujus condemnationis effectus retrotrahitur à die commissi delicti. Undè confiscatio bonorum, quæ fit ipso jure contra hæreticum, nihil aliud operatur, quam prohibitionem alienandi, cum nullum dominium transferat, nisi secuta sententia, per textum *in l. fin. C. ad l.Iul.majest.*

4 Quare à die commissi delicti interdicitur hæreticis administratio suorum bonorum, ut *in d. cap. Vergentis de hæret.& in d.c.Cum secundum leges eod.tit.in 6.* Quin etiam accusatione pendente interdicitur hæreticis eadem administratio, ut per Repert. Inquis. *v. administratio*, Salel. *vol.3. fol.291. num.144. & seqq.* & Sanctarel. *de hæres.c.16. dub.2.*

CONSVLTATIO LXIX.

An possint baptizari à parocho Catholico hæreticorum filii etiam domi, & sine cæremoniis Ecclesiæ ad effugiendum periculum mortis, si differatur baptismus, donec pueri habeant usum rationis juxta mores dd. hæreticorum?

1 REspondeo affirmativè. Nam quoad baptismum peragit rem licitam, & quoad omissionem cæremoniarum non sunt de necessitate Sacramenti. Undè D. Clemens *lib.7.const.Apost. cap.23.* loquens de baptismo, inquit; *Si non fuerit oleum, neque unguentum chrismatis, satis est aqua*, sed solum sunt de necessitate præcepti, ideò urgente necessitate possunt omitti, ut communiter docent Doctores, & praxis confirmat, ut fit in baptismo privato, & ita loquentes de tempore pestis notant specialiter. Quare licet prohibeatur baptismus extra Ecclesiam, ut *in Clem.un. de baptism.* excipitur tamen casus necessitatis, ibi: *Aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi;* Quotiescumque igitur periculosum est deferre baptizandum ad Ecclesiam, cessat præceptum baptizandi in Ecclesia, & proinde potest in privata domo baptizari sine cæremoniis Ecclesiæ. In hoc autem casu adest periculum mortis, si differatur baptismus, donec pueri habeant usum rationis.

Tenetur tamen Parochus catholicus monere parentes 2
puerorum, ne illos iterum ad baptizandum ministro hæretico offerant, & ut suppleant postea tempore congruo cæremonias prætermissas; quia in baptismo suscipitur fides Christi, & baptizatus sit membrum vivum Christi, & incorporatur Ecclesiæ. Et licet hæc quoad substantiam habeantur per ipsum Sacramentum baptismi, quatenus validum est, non tamen habetur publica incorporatio in Ecclesiam, atque adeò nec acceptatio in corpus mysticum Christi, nec publico professio fidei facta coram Ecclesia, qualis debet in baptismo intervenire, ut desumitur ex D. Dionysio *cap.2. de Eccles. Hier.lib.7. cap.4.* Cypr. *lib.1.Ep.6.* Ambros. *lib.1.de Sacr.cap.ult.*

CONSULTATIO LXX.

Quinam inter plures, æquales in officio, Magistratu, Senatu, cæteris paribus, prior censendus sit, illene qui prius titulum officii, magistratus, dignitatisque obtinuit, an qui possessionem?

CEnseo prioritatem hujusmodi attendendam esse à 1
die adeptæ possessionis officii, dignitatis, &c. In materia enim præeminentiæ non attenditur prioritas tituli, sed adeptæ possessionis ad textum *in l. .* ubi Bartol. Io.de Plat. *in princ. C.de Consul.lib.12.* aliique communiter. Ideòque Canonicus, Iudex, aut officialis, qui prævenit in adipiscenda possessione, præcedere debet alios in stallo, voce, optione, ac aliis actibus per textum *in cap.1.* ibique Canonistæ *de major. & obed.* Bartol. *in.l.1. nu.4.de alb.scrib.* & Bald. *in cap. Cum olim n.1. not.2. de consuet.* Roman. *in l.Cum mulier §. de viro ff.solut.matr.* ac latè Ruin. *cons.19.n.9.vol.1.* Rebuf. *in tract.de nominat. q.21.nu.4.* Boer. *de author.magn. Consil.nu.80.* Caputaq. *dec.357.num.2.p.2.* Rot. *dec.2.nu.1.* ibique Papaz. *de consuet.in nov.* quod etiam tenet Garz. *de benef.p.4. cap.5.n. 77.* quos refert, ac sequitur Rot. *in rec.p.2.dec.410 nu.4.* quæ distinguendo inter præcedentiam, quæ cohæret rei, & quæ cohæret personæ, firmavit in Vicen. præcedentiæ 17. Aprilis 1594 coram Gypsio id procedere de omnium Ecclesiarum observatione; quod confirmavit *dec.372. num.3.p.1.recent.* ac alibi.

Primò quia prioritas, ejusque prærogativæ dantur an- 2
tiquiori Officiali propter ejus majora onera, & servitia, quæ in officio subiit, *l.2. in fin.* ibi: *Is gradu cæteris antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecit anteire, C.de offic.magistr.can.mirantur in fin.d.65.* his verbis: *Nec potest de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis &c. celsioris loci præmium debetur.* Mohod. *dec.11.de renunc.* ubi ait, quod locus competit Canonico ratione possessionis. Ac proinde, qui officium non fuerit adeptus, neque officii munia subierit, licet fit prior in provisione, præferri non debet priori in possessione officii, cum ex adepta possessione acquiratur prioritas, atque adeò præcedentia.

Deinde quia hujusmodi præeminentiæ sunt fructus 3
possessionis, Gloss. *in cap. Cum olim de major. & obed.* Cassad. *dec.3. de pension.nu.6.* Fructus autem semper spectant ad possessorem, *cap. Querelam 24.de elect.cap. Consultationibus de jurepatr.cap. Cum olim de caus.poss.l. bonæ fidei 48.ff.de acquir.rer.dom.* cum similibus. Igitur debentur prius adipiscenti possessionem.

Tertiò quia, licet sola collatio, sive concessio officii 4
concedat plenum jus in re, *cap.fin. de concess.præb.* ante tamen adeptam possessionem non perficitur assecutio officii,

officii, vel dignitatis, Achil. *decis. 9. numer. 6. de privil.* Neque dicitur actualiter, ac proindè obtinere beneficium, qui habet solum titulum beneficii sine possessione juxta Glos. *v. obtinebun: §. item insuper titul. de collat. in pragm. Sanction.*

5 Postremò quia, cum concessio privilegii sit facta in ordine ad officium; non potest dici perfecta; neque sortitam esse suum effectum ante officii adeptionem quia, licet facta sit concessio, ejusque litteræ sint forsan expeditæ, concessio tamen est facta pro tempore, quo officialis in officio exiterit, in quo solum potest habere effectus ipsius. Ac proinde prioritas, quæ est effectus concessionis, non potest habere locum; nisi in tempore adepti officii. Siquidem, ut constare solet ex verbis concessionis, non conceditur absolutè privilegium, sed in ordine ad officium, atque adeo non est habitura suum effectum, nisi tempore adepti officii.

6 Atque ita judicandum fuisse in Lusitania, testatur Cabed. *dec. 3. p. 1. n. 11.* & asserit Surgens *de Neap. illustr. c. 29. num 59. in fin.* Gratian. *dec. March. 16 in addit. num. 6. & 7.* Gonzal. *ad reg. 8 Cancel. §. 3 proœm. num. 13. cum seqq.* Valenz. *cons. 34. n. 36. tom. 1.* Videndusque Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 18. per totum.*

CONSVLTATIO LXXI.

An pueri minoris ætatis, nati ex patre Turca, & matre Christiana ritus græci, ducti in captivitatem à Christianis, sequi debeant religionem Christianam matris, & gaudere libertate?

Et quid in casu, quo iidem pueri sint nati ex patre Turca, & matre Christiana, sed apostata?

1 AD primum respondeo affirmativè; quia partus sequitur matrem. Sicut enim filius ex ancilla susceptus è patre libero est servus, ita è contra natus ex matre libera, & servo patre, liber est; quod secundum leges civiles, & jura locum habet in iis, quæ ad libertatem, & servitutem hominum pertinent, multo magis id locum habere debet ob commune fidei bonum. Et propterea ubi de communi fidei bono agitur, nulla habetur ratio patriæ potestatis, quam leges & jura Romanorum sanxerunt, cum mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam potestatem non tribuat, jus habeat offerendi filium ad baptismum.

2 Quinimò, etiamsi uterque parens cum fidelis, tum infidelis, filium prohibeant baptizari, potest, ac debet baptizari, ut constat apertè *ex c. Ex litteris de convers. infid.* & ex Concilio Toletano 4. *cap. 62.* & hic casus decisus videtur in *can. Judæi 28. quæst. 1.* Ubi decernitur, filios natos ex patre infideli, & matre fideli sequi debere fidem atque conditionem matris. Et licet Glossa hunc locum intelligat de conditione Religionis, tamen *can. liberi 32. qu. 4.* loquitur de conditione servitutis, ibi: *Hi verò qui non sunt legitimo conjugio matrem potius, quam patrem sequuntur.* ubi Glossa ait quantum ad conditionem, & quantum ac originem, *l. 1. ff. ad municip.* Itaque & quoad Religionem, & quoad servitutem hujusmodi pueri sequi debent conditionem matris. Vnde hoc ipso, quod filius ex matre Christiana concipitur, acquirit jus Ecclesia ad illum baptizandum, quia ex vi originis nascitur subditus Ecclesiæ, atque adeo gaudere debet libertate.

3 Non obstat, quod baptismus collatus captivis non eximat illos à servitute, ut declaravit sæpius Sac. Congregatio S. Officii, præcipuè 21. Novembris 1618. Nam id intelligitur de captivis Turcis infidelibus adultis non autem de pueris minoris ætatis natis ex matre Christiana.

4 Ad secundum etiam affirmativè. Apostasia enim matris Christianæ non potest nocere ejus filio puero, ac minoris ætatis, qui libertate donandus est, non propter matrem, qua apostata est, sed qua Christiana est, ob favorem fidei Christianæ ex *d. cap. Ex parte in fine*; quare quemadmodum poterit mater, quæ in minori ætate apostatavit à fide Christiana, prævia abjuratione in S Officio; prout de jure, libertate donari, quia Christiana, ita etiam eadem libertate donandi sunt ejus filii minores, tum maximè si baptizentur.

CONSULTATIO LXXII.

Iudex secularis postquam deputavit per modum provisionis in suum Cancellarium in Cancellaria laica i Cancellarium foraneum Episcopi, præsentare fecit à suo balivo eidem Cancellario intimationem; in qua illum adstringebat ad declarandum intra terminum duorum dierum à die præsentationis, utram velit retinere, renunciando in scriptis illi, quam in posterum nollet exercere. Quæro, *an hoc sit contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam? Et quid in aliis casibus?*

CEnseo quod ultra grave præjudicium, quod ex hoc 1
infertur tribunali Ecclesiastico, remaneat etiam ex hujusmodi actu violata immunitas, & libertas Ecclesiastica, cum certum sit, Episcopum jus habere utendi officio notarii, qui actualiter inservit Iudici laico, ut de notario criminali Communitatis tradit Barbos. *in collect. Concil sess. 22. de reform. cap. 10 num. 3.* ex declaratione S. Congregationis super Episcop. & de notario, sive Cancellario civili declaravit Sacr. Congregatio Immunitatis in Firmana 11. Ianuarii 1631. & de quocumque alio ministro laico in Sutrina 11. Augusti 1636. & in Ostunensi 3. Maii 1629.

Neque Iudex secularis hac in re ullatenus prohibere 2
potest suis ministris absque incursu in excommunicationem per textum *in cap. Eos quis de immun. Eccles. in 6.* ibi: *aut alia obsequuta*, ut sæpius declaratum est ab eadem Sacr. Congregatione Immunitatis, nominatim in Balneoregiensi 10. Iunii 1657. & in Avellina 6. Maii 1636.

Vnde cum ex hac intimatione reddatur incomparabilis una Cancellaria cum alia, atque adeo Cancellarius reddatur inhabilis Cancellariæ Ecclesiasticæ, si vellet persistere in Cancellaria laicali, videtur ex hoc necessario violari immunitas, & libertas Ecclesiastica, dum auferetur Episcopo jus, quod habet utendi Cancellario seculari. 3

Eoque magis si pro tribunali Ecclesiastico concurrat consuetudo immemorabilis utendi indifferenter similibus ministris, quæ sine violatione immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ nequit impediri; ut decernitur in *cap. Quoniam de immunit. Eccles. in 6.* ubi Doctores communiter.

Non obstat, quod id non contineatur directè in dicta 4
intimatione; quia sufficit ad effectum, de quo agitur, quod laicus promulget ordinationes, decreta, sive sint generalia, sive specialia, quibus indirectè, & sub quovis prætextu, vel quæsito colore tollatur, vel restringatur jus, sive potestas Ecclesiastica juxta *can. 15. Bullæ in Cœna Domini*, & per ea, quæ diffusè tradit Cartar. *de immun. Eccles. num. 410.* & Sperell. *dec. 12. num. 44. & seqq. & d. 100. num. 28. & seqq. lib. 1.*

Neque ex eo, quod hic Cancellarius dum inservit laico, 5
& Ecclesiastico simul, Iudex laicus privetur facultate illum puniendi; satis est ad evitandum in hoc casu violationem immunitatis. Nam Sacr. Congregatio immunitatis jam declaravit, quod ratione delicti commissi in officio, debeat officialis puniri ub eo superiore, quem in dicto officio recognoscit, cum non repugnet, quis variis de causis, vel ministeriis subjiciatur diversis Iudicibus, ut clarè disponitur *in c. Cũ Capella 16. de priv.* Præcipuè vero si Episcopus declaraverit suæ intentionis non esse, quod Cancellarius gaudeat fori privilegio pro delictis, quæ in notariatu laicali fortè commiserit.

Et ita etiam dicendum est in aliis casibus, in quibus 6
violatur immunitas, & libertas Ecclesiastica per dictum *capit. Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasti-*

cis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neq; ab ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt, cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere; quod etiam docent in hoc textu Archid. Geminianus, Io. Andreas, Monachus, Franchus, & alii, Suarez *disp. 21. de censur. sect. 2. num. 93.* Reginald. *lib. 9. prax. cap. 24. num. 358.* Coriolan. *in Bullam Cœnæ can. 15.* & Vivian. *lib. 3. ration. jur. tit. 49. cap. 5* licet enim, ut alibi dixi, prohibitio fiat laico, redundat tamen in præjudicium Ecclesiasticæ personæ, quia ipsi indirectè prohibetur, ne possit uti jure suo, quoad ea, quibus indulget. Vndè fit fraus legi, quæ prohibet personas Ecclesiasticas subjici Iudici laico. Is enim committit in legem, qui verba legis complectens, nititur contra legis voluntatem, *cap. fin. de reg. jur.* & facit ad rem *cap. Noverit de sent. excom.* Vnde non est dubium, quin habeant locum pœnæ impositæ violantibus libertatem, & immunitatem Ecclesiticam.

8 Quin & habere locum excommunicatio Canonis 15. *Bullæ Cœnæ*, affirmant Vgolin. *de cens. in explic. d. Can.* Filiuc. *tr. 16. cap. 20. q. 7. num. 267.* Alter. *de censur. in d. can. disp. 16. cap. 3.* Duard. *in eod. can. quæst. 20. & 22. in fine* ubi alii, Bonac. *tom. 3. disp. 1. de censur. q. 16. pun. 1. n 2.* ubi licet velit, quod per d. canonem non prohibeatur simplex mandatum, asserit tamen prohiberi etiam mandatum auctoritativè impositum ad modum decretorum. Ratio autem est, quia in hoc canone prohibentur etiã decreta, quę sunt contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam. Hujusmodi autem intimationes, sive inhibitiones fiunt auctoritativè, & per decretum Iudicis. Vndè cum tendant contra immunitatem Ecclesiasticam, est illud ipsum, quod in hoc canone prohibetur.

9 Ex quo sequitur, quod ille quoque ad cujus instantias fiunt inhibitiones, incidat in prædictas censuras. Nam in d canone habetur: *vel factis, vel ordinatis usi fuerint.* Ille autem, ad cujus instantiam fit inhibitio, utitur decreto Iudicis inhibitivo, quia inhibitio intimatur subditis laicis. & ita docet Sayr. *lib. 3. cap. 19. n. 10. de censur.* & Duatd. *in d. can. 15. qu. 24. n. 1.*

10 Nec obstat, quod hujusmodi inhibitiones fiant contra particulares personas, non autem contra communem libertatem Ecclesiasticam, & proinde non pertinere ad hunc Canonem. Nam ut sint inhibitiones contra Ecclesiasticam libertatem, sufficit, quod sint contra exemptionem, quæ convenit ex vi status Ecclesiastici, qualis est exemptio à jurisdictione laica. Imo adhuc esset contra libertatem Ecclesiasticam, si essent contra specialia jura vel privilegia alicujus Monasterii, vel Ecclesiæ, ut docent Vgolinus, Sayrus, Reginaldus, Coriolanus, Duardus locis allegatis, & Carol. de Graf. *effect. Cler. 2. num. 71.* quod satis colligitur ex verbis ipsius Canonis, ibi: *ac quarumcumque Ecclesiarum juribus*, & probatur, quia jura particularis Ecclesiæ sunt jura propria totius Ecclesiæ, & ipsius Summi Pontificis, cui talis Ecclesia subjecta est. Atqui adeo, qui facit injuriam uni tantum Ecclesiæ, totam Ecclesiam Dei offendit, *l. 1. C. de Sum. Trinit. & fid. Cath.* ubi Baldus, & tradit Alban. *in lucubr.* ad Bartol. *in d. l. 1. num. 10.* Ac proinde non minus jura particularia pertinent ad immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, quam communia. Vide etiam quæ super hac re diximus *tom. 1. cons. 172.*

CONSULTATIO LXXIII.

AD evitandum rixas, quæ occasione funerum sæpius à Confraternitatibus laicorum excitantur, humillimè Vrbis Parochi supplicarunt S. Rituum Congregationi, ut infrascripta dubia declararet.

1 *An Confraternitas Mortis, atque adeo quæcumque aliæ confraternitates seculares Vrbis, possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti à propriis illorum Parochis tumulandi efferuntur ad ipsarum Ecclesias in quibus sepulturam elegerant?*

2 *An eædem Confraternitates possint suam Crucem erigere tam per viam, quam in Ecclesia parochiali, quando cadaver non offertur à proprio illius Parocho ad ipsarum Ecclesias sepeliendum, sed ad ipsam Ecclesiam parochialem?*

3 *An Rectores, sive Sacristæ, aliique Capellani earumdem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis stolam deferre?*

4 *An iidem Rectores, sive Sacristæ, qui cum suis Confraternitatibus ad funus evocatis incedunt, post absolutum à Parocho officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possint super dicto cadavere iterum funebre officium peragere? Et*

5 *An Parochi possint super cadavere præsertim sui parochiani, qui in Ecclesia sive Oratorio Confraternitatum intra fines suæ Parochiæ positis, sepulturam elegit, officium funeris peragere?*

1 ET quidem ad primum, quod attinet, negativè respondendum est. Primum quia deferre ante se Crucem est signum dignitatis, ac jurisdictionis, per *text. in cap. 1. ut lit. pend. in cap. Antiqua de privil. & in Clem. Archiepiscopo eod. tit.* Confraternitates autem seculares nullam habent dignitatem, aut jurisdictionem in alienis Parochiis, ut proinde non potuisse Regulares saltem absque privilegio speciali ingredi alienas Parochias cum Cruce verissimè consuluit Oldrad. *toto consil. 82.*

2 Deinde quia id Confraternitatibus expressè prohibetur non solum decreto hujus S. Congregationis *in Andriensi* 22. Novembris 1631. his verbis: *Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo Crucem erigere possunt*, sed etiam & speciarim à statuto Cleri Romani *cap. 7. §. 4.* ibi: *Nulla ratione Confraternitates Crucem erectam in ipso funere portare præsumant.* Cumque tam in supradicto decreto, quam in ipso Statuto dicatur *nullo modo, nulla ratione* Confraternitates in funeribus Crucem erigere posse, certum est, quod, ne tunc quidem illam erigere possunt, quando defunctus effertur ad ipsarum Ecclesias; quia, si tunc illam possent erigere, aliqua profectò ratione, & aliquo modo illam erigere possent contra mentem hujus Sac. Congregationis, & Statuti Cleri Romani.

3 Non obstat pro Confraternitate Mortis Bulla Pii IV. in qua illi conceditur privilegium deferendi Crucem in ejus Oratorio, ac in processionibus per Vrbem; quia intelligi debet de processionibus, quæ fieri solent à Confraternitatibus sine præjudicio Parochorum, non autem de processionibus funerum in illorum præjudicium, cum in illis derogetur eorum dignitati, ac jurisdictioni, atque adeo de illis fieri debuerat expressa mentio, nam privilegium Principis non intelligitur cum præjudicio tertii *l. 2. §. Si quis à Principe ff. ne quid in loco publico, & l. id, quod nostrũ, ff. de reg. jur.* Præcipuè quia in omnibus privilegiis contineatur tacitè, vel expressè clausula illa, *Sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio*, quæ non solum intelligitur de administratione Sacramentorum, sed etiam de iis, quæ de jure debentur Parochiæ, & stante dictione *quorumcumque*, certum est præservari omnia jura parochialia, quia est universalissima, & omnia complectitur ita, ut prætextu privilegii nullum præjudicium afferri possit Parochis quoad ea, quæ ipsis de jure debentur, atque adeo etiam quoad eas functiones, quæ sunt de jure proprio Parochorum, quia non minus læditur alienum jus non reddendo debitum, quam usurpando alienum, ut per Molfes. *par. 1. sum. tract. 4. cap. 17. num. 73.*

4 Et sanè, si accipiendum esset hujusmodi privilegium absque ulla limitatione, sequeretur, quod in omnibus funerum processionibus, etiam quando defunctus ad Ecclesiam Confraternitatis Mortis non effertur tumulandus,

posset

posset illa erigere suam Crucem, atque adeò in eodem funere plures erigerentur Cruces, quod tanquam corruptela reprobatum à Sacra Congregatione, & ab ipso Cleri Romani Statuto *cap.5. §.7.* cum sub una tantùm Cruce funus ducendum sit.

5 Eòque magis, quia erectio Crucis in funere est Confraternitatibus, ac aliis prohibita, & solis Parochis, *ut ex textu in cap. is qui de sepult. in 6.* quia ut diximus supra, est jus parochiale ex Abb. *in cap. Abolendæ num. 6. de sepult.* ideòque, ut privilegium deroget huic juri, debet in specie concedere illius delationem. Privilegium autem Confraternitatis Mortis in specie id non concedit, atque adeò illud interprerari debemus, ut maximè possimus, ne deroget huic juri per *l. si quando, C. de inoffic. testam.* cùm neque in verbis, neque in sensu sit ipsi contrarium, juxta *cap. 1. de constit. in 6.* & observat Bartol. *in l. nam & posteriores, ff. de leg.* Præcipue quia sortiri potest suum effectum extra processiones funerum, ac proinde absque derogatione juris parochialis, & absque præjudicio Parochorum.

6 Præterea quod sensus ejusmodi privilegii non sit de processionibus funerum ex eo quidem evincitur, quod nulla Ecclesia jus funerandi habere potest, nisi id ei concedatur ab Episcopo, ut per Abb. *in d. cap. Abolendæ de sepult.* & Cavaler. *dec. 15. num. 2.* Hinc concessa Ecclesia, non intelligitur concessum jus funerandi, nisi expressè fuerit concessum, ut per Archid. *in cap. 1. de pact. in 6.* & Vitalin. *in dict. Clem. Dudum, eo §. hujusmodi num. 11. de sepult.* Nullibi autem constat Confraternitatem Mortis habuisse hoc jus tempore privilegii à Pio IV. concessi, cùm in illo de hac re nullum verbum legatur, atque adeò non potest intelligi de processionibus funerum, quando funus ad illius Ecclesiam ducitur, cùm in illis nullum habeat privilegium, & ideò solum intelligitur de delatione Crucis illis processionibus, quæ tempore concessionis privilegii deferebatur, ut ex claris verbis ipsius Bullæ, nimirum: *Nec non tam in eorum Oratorio, quàm in Processionibus per Vrbem faciendis Crucem ligneam, & habitum consuetum de tela nigra cum capuccijs deferre, prout etiam de præsenti deferuntur.* Quibus etiam ex verbis nullo modo verisimile videtur, voluisse Summum Pontificem Pium IV. ut Clerus Romanus procedat in funeribus sub Cruce lignea Confrarernitatis laicorum, nam politia ecclesiastica per hujusmodi processiones verè destrueretur, cùm in eis laici Clericis præcederent, ac proinde Pontifex in hoc magis usus fuisset sua potestate in destructionem Ordinis ecclesiastici, quàm in ædificationem. Quare quod hic sit legitimus sensus supradicti privilegii, ex eo luculenter colligitur, quod *ex cap. ut privilegia de priv.* reiicienda est illa interpretatio privilegii, tanquam deducens ad abusum, ex qua sequitur absurdum, & relaxatur disciplina ecclesiastica. Quia hujusmodi interpretatio est contra mentem concedentis privilegium, qui neque abusus intendit, neque relaxare disciplinam. Si autem interpretaremur hoc privilegium de processionibus funerum, sequeretur absurdum, quia est contra præeminentiam, dignitatem, jurisdictionem, ac reverentiam debitam Ecclesiis parochialibus, illarumque Pastoribus, & relaxat disciplinam circa Hierarchiam ecclesiasticam, & ideo reiicienda est, cum non sit verisimilis, sed sumenda est illa interpretatio, quæ verisimilis est, ut notant Cravet. *cons. 33. num. 32.* Menoch. *de arbitrar. cas. 199. n. 10. lib. 2.* & Bald. *cons. 343. lib. 1.* Quia præsumitur semper, quod Pontifex in sua dispositione rationabiliter processerit, atque adeo pto ejus mente indaganda debet attendi verisimilitudo rationis. Quis enim scandalo non afficeretur, si videret sub Cruce Ecclesiæ carbonariorum, vel cerdonum procedere in ducendo funere Parochos Vrbis, Clerum regularem, Clerum secularem, etiam collegiatorum insignium, quæ Eminentissimorum Cardinalium Titulares sunt, & Clerum aliquando Patriarchalium? Ex iisdem etiam verbis Bullæ deprehenditur præsens abusus ejusdem Confraternitatis erigendi Crucem argenteam cum velo, quod est signum prærogativæ, nam ex decore majori, atque ornatu majoritas apparet dignitatum per *text. in c. ut Apostolicæ de privil. in 6. l. sed & si quid, § sufficienter, ff. de usufruct.* Boer. *de aut. magn. cons. nu. 150.* ac proinde coercendus ad formam Bullæ.

Quinimò etiamsi expressè concessum fuisset per dictam Bullam Confraternitati Mortis jus funerandi, ac faciendi funeris processiones, non propterea concessum esse censetur jus erigendi Crucem in funeribus, ut diserte statuit Oldrad. *eo cons. 82.* ubi egregiè probat, quod licet Regulares habeant privilegium per allegatam *Clem. Dudum de sepult.* recipiendi cadavera defunctorum, qui in eorum Ecclesia sepulturam elegerant, non idcirco possunt ingredi cum Cruce in alienas Parochias ad levanda cadavera. Quod etiam docet Cardinalis, & Imola *in d. C. Dudum d. §. hujusmodi*, & § *liberè* Multò ergo minus cum Cruce in illas ingredi possunt Confraternitates quæ jus funerandi non habent, quemadmodum illud non habebat Confraternitas Mortis tempore concessionis privilegii erigendi Crucem in funeribus, cum non potuerit illam deferre, neque funus ad suam Ecclesiam ducere absque jure sepulturæ, atque adeo non de processionibus funerum, sed de aliis Bulla Pii IV. intelligenda est. 7

Nihil refragante, quod Confraternitates hoc tempore habeant liberam sepulturam; si non ex privilegio expresso saltem tacito; sive ex consuetudine. Quoniam hæc facultas consistit, ut possint recipere omnes, qui elegerint in earum Ecclesiis sepulturam, non autem tollitur per eam jus Parochis debitum ex jure communi, Glos. *in cit. Clem. Dudum*, §. *Verum*, *v. integrum*, cum valdè sint ex consuetudine privilegiatæ, habendo jus funerandi, quo antea carebant, ut optimè Host *in cap. 1 de sepult.* 8

Ratio autem præcipua; cur Confreternitas Mortis, aliæq; possint erigere Crucem in aliis processionibus non autem in funeribus, illa est, quia in aliis processionibus nulla Ecclesia, sive Corpus ecclesiasticum incedit sub Cruce Confraternitatis, cum omnes incedant seorsim sub propria Cruce, & ideo non potest habere præeminentiam, dignitatem, ac jurisdictionem in alios, sed solum in seipsam. Secus autem est in funeribus, in quibus omnes incedere debent sub una tantum Cruce ex decretis Sac. Congregationis super Episcopis nominatim in *Barensi* 2. Augusti 1631. & in *Messanensi* 14. Februarii 1635. ac sæpè alibi, & ex ipso Statuto Cleri Romani *cap. 5. cit. §. 7.* Quare, si Confraternitas laicorum deferret in funeribus suam Crucem, sub qua Clerus secularis, ac regularis incederet, utique haberet supra illum præeminentiam, dignitatem, ac jurisdictionem. Quod est monstrum in Hierarchia ecclesiastica. Major enim subiiceretur minori, & ut Nazianzenus ait *orat. 17.* Spiritus carnis fascibus submitteretur, reclamante Clemente III. *cap. omnes Principes*, Innocentio item III. *in cap solitæ de major. & obed.* & Bonifacio VIII. *in Extravag. unam Sanctam, eod. tit.* 9

Neque urget, quod consuetudo, quæ per fidem subscriptam, à Confraternitate Mortis exhibitam probata prætenditur, interpretata sit hoc privilegium de delatione Crucis, etiam in funerum processionibus. Privilegium enim recipit interpretationem à consuetudine, per textum *in cap. quod dilecto, de consanguin. & affin.* & notat Rot. *decis. 29. num. 2. par. 3. recent.* Præsertim quia magis attenditur interpretatio ex subsequuta observantia quam quælibet alia, licet magis vera, & magis juri consona, ut tradit eadem Rot. *dec. 574. nu. 3 part. 1. div. & dec. 165. num. 20.* coram Eminentissimo Otthobono, ac alias sæpè. 10

Quoniam, ut hæc observantia vim habeat ita interpretandi hoc privilegium, oportet primò, quod legitimè probetur. Deindè quod sit uniformis. Quia licet ad interprerationem sufficiat, quod ita pluries fuerit observatum, ut tradunt Doctores ac Rot. *dec. 80. num. 5.* coram Cavalerio, attamen si ex Parochis aliqui ita observaverunt, aliqui vero observaverunt oppositum, ut 11

probatur per fidem plurium Parochorum, obſervantia non juvat, quia tanquam difformis non eſt attendenda, ut benè explicat præ cæteris Dec. *conſ.*225. *num.*2. Cravet. *conſil.*313.*num.*4. Roland.*conſ.*12.*num.*2.*lib.*4.Bartol. *in l.*2. *num.*22. *ff.ſolut.matrim.* aliique confirmat Rota *deciſ.*19. *part.*2. *div.* & *deciſio.*366. *numer.*3. *part.*4. & *dec.*365.*num.*2. *par.*2. *recent.* & *dec.*455.*num.*9.*in fin.par.* 4 & *dec.*99.*num.*6 coram Merlino,atque adeò ſtandum eſt diſpoſitioni communi, ac ſolitæ formæ conceſſionis hujuſmodi privilegii juxta ea, quæ docent Bartol. *in d.l.* 2.*num.*2 *ff.ſol.matrim.* Alex.*conſ.*5.*nu.*7.*lib.*3.Cravet.*conſ.* 861. *num.* 5. & Rot. *dec.*438. *numer.* 2. *par.*1. *div.* Vnde quamvis in hac conceſſione non ponatur expreſsè ſupradicta limitatio, illa tamen ineſt ex natura rei per ſuperiùs deducta.

12 Iis etiam accedit, quod cùm plerique teſtes in dicta fide ſubſcripti non teſtentur, niſi de obſervantia in genere, & obſervantia erigendi Crucem in funeribus provenire potuerit ex funere occiſorum, vel ſubmerſorum, vel cadaverum in agris repertorum, quorum funeribus Parochi cum ſuis Crucibus non interſunt, cùm non invitentur à Confraternitate Mortis, atque adeò cùm ſit ex actibus æquivocis, qui poſſunt habere pro cauſa, vel privilegium Confraternitati in hujuſmodi funeribus conceſſum, vel licentiam Parochorum,non relevat, ut advertunt Aretin.*conſ.*115. *numer.* 3. coram Durando *dec.* 285 *numer.*21.& *deciſ.*120.*numer.*2. *par.*2.*rec.*paſſimque alibi.

13 Denique id præcipuè fallit, quando conſuetudo eſt contra jus naturale, & publicum, qualis eſſet in hoc caſu, ſi Clerici incederent ſub Cruce laicorum, ut latè Decian.*conſ.*21.*num.*4.64. & 70. per textum *in cap.eſt ordo quæſt.*5.Præpoſit.*in cap. conſuetudo d.*12. & Abb.*conſ.*21. *num.*4. & *ſeq.par.*1. Imò ſufficit, quod ſit contraria juri canonico,Cravet *conſ.*96.*num.*3. Tunc enim corruptela vocanda eſt, Abb. *eod.conſ. d.num.*5. & licèt eſſe immemorialis, tamen uti irrationabilis,ac proinde impræſcriptibilis, non eſſet attendenda,Gregor.XV. *dec.*310. *num.* 5.& 6.& *dec.*124. *num.*4. Rota in Æſina honorum 27. Maii 1637. coram Buccabella affirmans, hujuſmodi conſuetudinem non vacare vehementi ſuſpicione calumniæ, ideòque denegandam eſſe remiſſoriam,ad ipſam probandam, Mantic. *dec.*81.*num.*5. & *dec.*343. *numero* 2. *part.* 1. *div.*& *dec.*220. *numero*3. Quia probata non relevat, ut in hac ſpecie dixit Rota *deciſio.* 142. *numero* 6. *par.* 4. *rec.*

14 Atque ita, ut, ſecluſo etiam jure, obſervanti deberet præſcribi ſpatio quadraginta annorum, ut requi it Grat. *diſ ept.*298.*num.*8. Agitur enim de jure al erius ollendo, Felin. *in cap.ſtatuimus, de major,*& *obed.num* . & Rot. *in nov. dec.*6.*de conſuet.* Imò cùm agatur de actibus facultativis, quales ſunt, quod aliquot Parochi permiſerint Confraternitatem Mortis Crucem in funeribus deferre, non incipit præſcriptio, niſi à tempore prohibitionis ita, quod ſaltem ſemel in contradictorio judicio fuerit obtentum,Gratian.*loc.cit.numer.*9. Surd. *conſ.*127. *num.*23.*lib.*1. Decian. *ubi ſupra num.* 67. & Gregor. XV. *dec.* 126. *num.*5. Simplex enim tolerantia, & officioſa quædam modeſtia, qualis potuit eſſe in aliquibus Parochis,non ſufficit ad inducendam conſuetudinem contrariam, Cravet. *d.conſ.*96.*num.*6.*in fin.*Decian *eod.conſ.*21. *num* 1.78. Et ex actu unius Parochi non infertur, Dec. *conſ* 215. *numero* 2. Gregor. *dec.*162.*num.*12. Eò vel maximè, quia id jus parochiale datum eſt à jure communi omnibus Parochis Vrbis, & ideò eſſet neceſſarium probare, quod omnes paſſi ſint, Confraternitates deferre hujuſmodi Crucem ſpatio tanti temporis ad præſcribendum neceſſario. Quod tradunt Doctores, & Gloſ. *in l. de quibus ff.de leg.* & *in l.*1. *v. Prælatis*, & *in l.*2.*C.quæ ſi longa conſuet,* ac Rot. coram Merlino *dec.*353.*num.*54. Probanda itaque foret coactio, quæ duraſſe debuit per tempus ſaltem annorum quadraginta, ut ſupra diximus, cuique reſtitum non ſit. At reſtiterunt olim, ac pridem Vrbis Parochi, ut ex fide, quæ datur. Imò neque ſufficeret aliquot eſſe coactos, ſed ut omnes coacti ſint, requiritur, cùm per unum non coactum ſervetur in cauſa communi libertatis poſſeſſio. Præſertim cùm habeantur actus contrarii, quamvis unicus actus, non obſtantibus mille in contrarium plenè probet, dictam conſuetudinem non extare, Surd. *conſ.*393.*numer.*23. & *ſeqq.* Gregor. *deciſ.*162.*num.*9. & *ſeq.* Nec potuerint Parochi anteceſſores præjudicare ſuis ſucceſſoribus, nec præſentes etiam volentes renunciare, ut prolixè firmat Gratian. *d.diſcept.* 298. *num.* 99. & 84. & *ſeq.* quod arguit intolerabilem indecentiam, Rot. coram Eminentiſſimo Ottobono *deciſ.* 149. *numer.* 18. Gregor. *deciſio.* 441.*num.*8.& *dec.*44.*num.*1 *par.*7. *rec.* Cùm igitur hæc conſuetudo, quæ obtenditur, ſit irrationabilis *ex cap.*1. *de conſuet in* 6. ibi: *de ambitionis radice proceſſit*, eſt omninò extirpanda *ex cap. fin. eod. tit.* ubi Canoniſtæ communiter.

Minùs etiam adverſatur Bulla Vrbani VIII pro eadem Confraternitate Mortis, neque illius ſtatutum 44. Nam ſolum loquuntur de ſepeliendis in Eccleſia tamen parochiali, cadaveribus occiſorum, ac pauperum, quæ à Parochis requiſitis, poſt viginti horarum ſpatium non ſepeliuntur. Quod ultrò concedimus; quia cùm in his caſibus non deferatur Crux parochialis æquum eſt, ut deferatur Crux Confraternitatis. 15

Non obſtant denique decreta Sacræ Congregationis 16 ſuper Epiſcopis, & aliarum, neque Statutum Cleri Romani *d.cap.*5. § 7. ſcilicet quod una tantùm Crux illius Eccleſiæ, ad quam cadaver tumulandum defertur, erigi debeat. Nam quoad decreta nullum, quod viderim, loquitur de Eccleſiis Confraternitatum, ſed de Eccleſiis cathedralibus, collegiatis, regularibus, parochialibus. Alioquin eſſet Sacra Congregatio ſibi ipſi contraria,cùm in dicta *Andrienſi* decreverit, nullo modo Confraternitates in actu aſſociationis cadaveris Crucem erigere poſſe. Et ad Statutum quod attinet, illud loquitur de Eccleſiis,quæ jus habent,ſive privilegium erigendi Crucem in funeribus. Confraternitas autem Mortis, ac quæcumque aliæ nullum jus, aut privilegium habent erigendi hujuſmodi Crucem, ut hactenus probatum eſt,& elicitur ex ipſo Statuto, ubi ſic diſponitur: *Demùm incedant omnes ſub una tantùm Cruce illius Eccleſiæ, ad quam cadaver tumulandum defertur. Nec alia Crux, ſive Crucifixus ſub quovis prætextu, ve conſuetudine erigatur, ſive ſit Eccleſiæ parochialis, ſive Regularium, ſive laicorum Confraternitatum, ſive etiam Collegiatarum inſignium, ſive Patriarchalium.* In quo cùm æquiparentur Eccleſiæ Confraternitatum Eccleſiis patriarchalibus, regularibus, collegiatis, & parochialibus, quæ omnes habent jus, aut privilegium erigendi Crucem in funeribus, ideò ſicut habent hoc jus eſuſmodi Eccleſiæ, ita illud habere debent Confraternitates laicorum. Aliàs derogaretur, nedum juribus parochialibus, ſed etiam ipſis Eccleſiis collegiatis, ac patriarchalibus,ſi in concurſu erectionis Crucis in funere eſſent pares Eccleſiis Confraternitatum laicorum, nullum jus, aut privilegium habentium Crucem in funeribus erigendi, atque adeò, ut evitentur tot abſurda, intelligendum eſt præſens Statutum de Eccleſiis habentibus tale jus, vel privilegium.

Deinde non poteſt hoc Statutum intelligi,niſi Con- 17 fraternitates fuerint ad funus invitatæ,cùm non poſſint ad funus accedere, niſi ſpeciatim, & expreſsè invitentur, ut ex declaratione Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis *in Bononienſi* 9 Decembris 1617. & ex Statuto Cleri Romani *d.cap.*7. §. 1. Quando autem invitantur, nullo modo poſſunt in actu aſſociationis cadaveris Crucem erigere,ut ex eadem S.Congregatione decretum eſt *in d. Andrienſi*,& ideò licèt funus ad ipſarum Eccleſias ducatur,nequeunt tamen Crucem erigere, quia etiam in hoc caſu non poſſunt ad funus accedere, niſi ſpeciatim, & expreſsè invitentur, ac proindè ſtatutum habet locum

dumta-

dumtaxat in Ecclesiis, quibus id ex jure, vel ex privilegio fuerit concessum.

18 Et quamvis in dicto Statuto fiat mentio Confraternitatum, id tamen est per modum negationis, quod scilicet non erigunt Crucem, item per modum auxesis, hoc est per amplificationem, redundantiam, exaggerationem, & congeriem, & quatenus aliquo jure poterint in funeribus Crucem erigere, non autem quod de facto erigant. Quod ita ejus mens redditur explicatior. Etenim duas partes hoc Statutum complectitur. Prima decernit, quod omnes incedant sub una tantum Cruce illius Ecclesiæ, ad quam cadaver tumulandum defertur. Secunda verò pars statuit, quod nec Confraternitates, nec alii quicumque Crucem in funere erigant. Ex his autem perspicuum est, quod Statutum facit tantùm mentionem Confraternitatum in hac secunda parte, quod scilicet illæ non erigant Crucem, non autem in prima. Fecisset autem in prima, si illas in ea voluisset comprehendere, ac dixisset. Incedant omnes sub una tantum Cruce illius Ecclesiæ, ad quam cadaver tumulandum defertur, sive sit parochialis, sive Confraternitatum, sive Collegiatarum, sive Patriarchalium. Cum igitur id omiserit, noluit illas in ea prima parte comprehendere, atque adeò reliqnit Crucem in funeribus deferendam illi Ecclesiæ, cui ex jure, vel ex privilegio competit eam deferre, ac prohibuit in secunda parte Confraternitatibus, ne in funere illam erigant. Ideòque idem Cleri Romani Statutum in posteriori *cap.* 7. §. 4. ubi in specie de Confraternitatibus laicorum loquitur, apertè disponit, quod nulla ratione Crucem erectam in ipso funere deferre præsumant. Quod Statutum inane quidem redderetur, si illæ Crucem erigere possent. Ne igitur reddatur inane, dicendum omninò est Confraternitatem Mortis, atque adeò quascumque alias Confraternitates seculares Vrbis ex vi etiam Statuti Cleri Romani nullo modo, nullaque ratione in funeribus Crucem erigere posse, etiam quando cadaver ad earum Ecclesias tumulandum defertur, sed erigendam esse Crucem parochialem, quæ deferri tantùm debet in funeribus ex S. Congregatione super Episcop. & Regul. apud Gavant. *in manual. Episc. v. Exequiæ n.*14 nisi tamen cadaver efferatur tumulandum ad Ecclesias, quæ jus, aut privilegiũ habent erigendi Crucem in funeribus.

19 Ad *secundum* etiam negativè. Ita sæpiùs declaravit Sac. Congregatio Rituum speciatim *in Barensi* 2. Augusti 1631. & in *Messanensi* 12. Februarii 1635. superiùs allegatis, & Sacra Congregatio super Episcop. & Regular. *in Castellanetensi* 1593. & *in Barensi* 29. Iulii 1616. & in *Pientina* 14. Iunii 1647. in quibus declarationibus habetur, quod unica tantùm Crux in funeribus deferatur, quod etiam elicitur ex libro Rituali Romano *in rubr. de Exeq.* ac disponitur in Statuto Cleri *cit. cap.* 5. §. 7.

20 Et quoniam delatio Crucis est signum præeminentiæ, ac jurisdictionis, & Confraternitates nullam habent præeminentiam, ac jurisdictionem, nullumque jus parochiale in alienis Parochiis, ut supra probatum est, atq; adeò multò minùs in Ecclesiis ipsis parochialibus, idcircò illam deferre debent Parochi, ad' quorum Ecclesias funus perducitur, & ad quos de jure spectat mortuos sepelire. Quibus accedit inconcussa consuetudo deferendi in hac specie Crucem parochialem tantùm, quæ sufficienter probatur ex fide subscripta à viris gravibus, formiter recognita, & Sac. Congregationi exhibita, ut per Add ad Gregor. *dec.* 214. *lit. B.* & per Rot. *dec.* 525. *par.* 2. *rec. ac dec.* 248. *n.* 8. *par.* 6. *recent.*

21 Ad *tertium* pariter negativè, solùmque illis stola conceditur à Statuto Cleri Romani *d. cap.* 7. §. 7. quando intersunt una cum suis Confraternitatibus. Quia usus stolæ præsertim in funeribus est signum jurisdictionis parochialis, ejusque delatio est de juribus parochialibus, ac proindè spectat privativè ad Parochos, ut in specie resolvit Rot. in Romana Iurium funeralium 14. Iulii 1653. §. *quibus consequens, &* §. *seq.* coram Vallisoletano, tradit-que Lezana *in sum. quæst. regul. cap.* 12. *n.* 41. ubi *n.* 3. subdit, fuisse declaratum à Sacra Congregatione Concilii sub die 2. Iulii 1620. non posse Regulares deferre pluviale, aut stolam extra Ecclesiam, aut claustrum per alienas Parochias, ea quidem ratione, quia stola est signum propriè denotans jurisdictionem, & officium Sacerdotale, per Glos. *in l. unic. v. fibulis, C. nulli licère.* Vt proindè si Episcopus interfit funeri, non liceat Parocho eam deferre; quia Episcopo præsente cessat ejus jurisdictio, & non fungitur officio sacerdotali, ut per Gratian. *d. discept.* 298. *numer.* 74. Atque ità, ac iterum censuit hæc Sacra Congregatio in *Nucerina* sub die 24. Octobris 1609. & in *Prænestina* sub die 13. Julii 1619. ubi declaravit, Parochum tantummodò stolam deferre debere, ac omnes alios præcedere. Et habetur ex dicto libro Rituali Rom. *loc. alleg.* Cùm enim solus Parochus in associandis funeribus fungatur munere proprio, debet etiam ipse solus stolam deferre, quatenùs illa est proprius habitus sacerdotalis, *can. cum Ecclesiasti ca dist.* 23.

Ad *quartum* posse, absque tamen stola, & aspersorio. 22
Porrò officium funeris non est velut batismatis Sacramentum, quod nequeat reiterari, sed cum stola dicimus, non posse, quia cum stola est munus parochiale, Glos. *in cap. Quia ex eo, v. parochialibus, de pact.* ac ità declaravit hæc Sacra Congregatio tùm aliàs, tùm, in una Cavarum sub anno 1665. nimirùm, *posse Capellanos sodalitatum reiterare officium defunctorum super cadavere parochiani absque tamen stola, & aspersorio.*

Neque obstat, quod non repugnet, quin Capellani, 23
vel Sacristæ Confraternitatum stolam deferant ex deductis à Gratian. *ea discept.* 298. *num.* 55. ac signate *n.* 66. Primò quia id illis concessum est ad formam Statuti Cleri Romani *d. cap.* 7. §. 7. scilicet: *Capellanus cujuslibet Confraternitatis cotta, ac stola indutus post eandem Confraternitatem tanquam illius moderator, & rector immediatè subsequatur.* atque adeò per viam tantùm, unde non potest extendi ad alios actus. Secundò quia Parochi non denegant illis reiterationem officii, neque delationem stolæ in casu Statuti Romani, sed tantùm illius usum cum Aspersorio, qui usus regulariter spectat ad Parochos per sæpiùs *cit. Clem. Dudum*, §. *hujusmodi de sepult.* Stola enim, ut diximus, est signum spiritualis jurisdictionis, qua intra fines Parochiarum non possunt alii, nisi Parochiarum non possunt alii, nisi Parochi uti, prælertim in munere parochiali.

Ad *quintum*, secluſa legitima consuetudine, vel pri- 24
vilegio Apostolico, de quibus hactenus non constat, affirmativè respondendum est. Nam Ecclesia parochialis habet intentionem fundatam ex jure communi super omnibus Ecclesiis, ac Oratoriis sitis intra fines Parochiæ, ut colligitur ex Concilio Cabilonensi relato *in Can. Ecclesiæ* 16. *q.* 1. & ex Concilio Vvormacensi *in can. Quicunque cad. c. & q.* atque *ex cap. ad audientiam* 3. *de eccles. ædif.* traduntque Canonistæ ad hos locos, & *in cap. pastoralis, de iis, quæ fiunt, & in rubr. de Paroch.* estque constans hujus Sacræ Congregationis sententia, ut in *Neapolitana* 18. Maii 1602. & in *Cæsaraugustana* 14. Ianuarii 1612. & in *Mediolanensi* 29. Novembris 1632. Idipsum declaravit Sacra Congregatio super Episcop *in Senogallien si* 5. Iulii 1583. & in *Ferrarien si* 12. Septembris 1598. scilicet, *Parochus si velit, potest persolvere officium funeris in Ecclesia Confraternitatis. & Laudensi* 20. *Augusti* 1601. *& 2. ejusdem* 1647. ubi declaravit, *posse Parochum intervenire in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Confraternitatum, licèt defuncti non sint de sua Parochia, ac debere hujusmodi functiones Capellanis Confraternitatum permittere, si vocatus nolit accedere*, ac alibi sæpius, præcipuè in *Bergomensi* sub anno 1587. in qua, proposito dubio: *Se havendo privilegio le Compagnie di sepellire i lor fratelli, il Rettor solo della Parochiale, e non altri dee recitare l'Officio sopra i cadaveri, come si usa nelle Chiese parochiali*, Sacra Congregatio respondit: *observetur de sepeliendis Sodalibus in Societatis Oratorio privilegium illi super sepultura concessum. Et quamvis in*

hujusmodi

hujusmodi sepultura officio Rector parochialis solus stola indutus debeat peragere officium juxta ritum Ecclesiæ, & sepelire mortuos quoscumque intra limites suæ Parochiæ, non arceatur Societatis Capellanus, si is quoque velit Rectori assistere, & simul cum eo officium sepulturæ pro defuncto sodali suæ sodalitatis in illo tamen Oratorio recitare, firmatque *Barbos. de offic. Paroch. par. 3. cap. 26. n. 80. & Lavor. var. tit. 2. cap. 11. n. 106.*

25 Vnde Confratres, aliive, qui prætenso jure, quasi hoc officium peragere ad se pertineat, nolunt Parochum fungi officio suo, juraque sua parochialia in ejusmodi Ecclesiis, vel Oratoriis exercere, incurrunt excommunicationem 17. *in Bulla Cœnæ Domini* inflictam contra usurpantes jurisdictiones, seu fructus, ac proventus, spectantes ad ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, ut docent Navar. *in man. cap. 27. nu. 21.* Caietan. *in sum. v. Excommunicatio 5. cap. 27.* Bonacin. *de censur. disp. 1. qu. 18. punct. 2.* & Bordon, *decis. miscell. 42.*

26 Neque refragatur, quod aliquando Capellani Sodalitatum hoc defunctorum officium peregerint. Quoniam vel illud peregerint ex negligentia quorundam Parochorum, vel cùm id sit facultativum ac dependeat ab eorum voluntate, non potuerunt Confratres acquirere quasi possessionem negativam, nisi præcesserit ipsorum negatio, & Parochorum acquiescentia, ut per Caputaq. *decis. 415. par. 2.* Rot. *decis. 565. num. 1. par. 1. recent.* & apud Posth *decis. 154. num. 3.* Atque adeò Confraternitates, quæ id Parochis contra juris dispositionem denegare contendunt, vel debent exhibere privilegium clarum, ac indubitatum, vel probare immemorabilem, aut saltem præscriptionem quadragenariam cum titulo, ut requiritur ad præscribendum contra juris dispositionem ad tradita per Glos. *in cap pervenit v. census de censib.* ibique Abb. *numer. 3.* Rot. *decis. 79. numer. 3. par. 1. recent.* & apud Merlin. *decis. 8. num. 7.* Imò hæc S. Congregatio in *Pientina* 8. Augusti 1637. requisivit probationem immemorabilis temporis ad firmandum contrariam consuetudinem.

27 Minùsque refragatur Statutum Cleri Romani *cit. c. 5. §. 10.* nempè: *Sacerdos ejusdem Ecclesiæ, ad quam cadaver delatum est, indutus superpelliceo, & stola, atque pluviali nigri coloris prosequatur officium à Rituali Romano præscriptum.* Nam huic Statuto jam pridem respondit Sacra Congregatio super Episcopis, scilicet habere locum in Ecclesiis Confraternitatum, quando Parochus nolit officium peragere, secus autem si velit, ut ex ejus declaratione sub die 11. Decembris 1578. superiùs relata apud Nicol. *v. Confraternitas num. 20. & 1658.* ibi: *Parochus, si velit, officium funeris persolvat in Ecclesia Confraternitatis.* Præteteà Statutum accipiendum est de Ecclesiis Parochialibus, & exemptis, ceu sunt Ecclesiæ Regularium, pro quibus extant plures declarationes tum hujus Sac. Congregationis, tum aliarum, quod scilicet officium super cadavere in suis Ecclesiis spectat ad Regulares, & non ad Parochos, nisi contra probetur consuetudo immemorabilis. Et, ut ita accipiatur, fiduciam tribuit Lavor. *loc. cit.* ex dicta declaratione *Laudensi* 20. Augusti 1601. videlicet, *Officium super defunctis in Ecclesia, vel Oratorio Confraternitatis non exemptæ fit à Papocho, non à Capellano Confraternitatis.* Quod etiam perspicuè comprobatur ex adducta declaratione in *Bergomensi*, in qua jussum, ut observetur de sepeliendis cadaveribus in Societatum Oratoriis privilegium illis super sepultura concessum. Et quidem aliter Statutum haud est intelligendum, nisi dicatur voluisse decernere, quod est contra jus commune, tot decreta Sacrarum Congregationum, ac disciplinam ecclesiasticam, id, quod de viris religione, ac doctrina eximiis, qui illud jussu Eminentissimi D. Cardinalis Millini ediderunt, nefas est suspicari. Eòque præcipuè, quia Statutum non tollit Parochis potestatem hujusmodi officium peragendi, sed solùm decernit, quod Parochus non teneatur ingredi Ecclesias, ad quas funus defertur, non verò quod nequeat ingredi, si velit cum stola, Cruce, & superpellicco, ibique officium peragat. Et eandem, quia Parochi sunt in possessione peragendi hujusmodi officium in Ecclesiis, & Oratoriis Confraternitatum, ut ex fide, quæ exhibetur, cum qua possessione, etiamsi concurreret possessio Confraternitatum, præferenda est illa Parochorum, quia habet assistentiam juris communis, declarationes hujus Sacræ Congregationis, ac Episcop. & Regular. & Statuti Cleri Romani, ut per Rot. *dec. 81. n. 1. part. 1. diver.* Seraph. *decis. 1437. in fin.* & Posth. *de manut. observ. 71. n. 74.*

Atque ita respondi his dubiis pro Parochis tum ex 28
munere Camerarii Cleri Romani, quo tunc temporis fungebar, tum ex propria, & communi obligatione tuendi jura parochialia. Et prima quatuor dubia eadem S. Congregatio ad favorem Parochorum resolvit sub die 27. Ianuarii anno 1679. Verùm, non acquiescentibus Confraternitatibus, fuerunt secundò proposita in eadem S. Congregatione, quibus iterum in hunc modum respondi.

Eminentiss. Domini. Iterum in hac Sac. Congrega- 29
tione proponuntur quinque dubia in Romana funerum, quorum quatuor ad favorem Parochorum fuerunt resoluta, & quintum dilatum. Idcircò iidem Parochi supplicant Eminentissimis Patribus, ut quoad quatuor priora persistant in decretis ex iis, quæ in hac S. Congregatione sub die 27. Ianuarii præteriti deducta sunt ex summa benignitate ab EE. VV, resumenda, & quoad primum, & quintum resolvendum pro Parochis etiam ex sequentibus.

Et quod ad primum scilicet: *An Confraternitas* 30
Mortis, atque adeò quæcunque aliæ Confraternitates seculares Vrbis, possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti à propriis illorum Parochis tumulandi efferuntur ad ipsarum Ecclesias, in quibus sepulturam elegerant: persistendum est in decretis, hoc est negativè respondendum ex jure quidem communi.

Primò, Si enim antiqua spectemus jura, jam olim flo- 31
rente ecclesiastica politia per decreta Summorum Pontificum invasiones jurium alienæ Parochiæ severè sub animadversione inhibitas fuisse reperiemus. Cùm enim Populus christianus augeretur, Dionysius Papa singulas Ecclesias singulis Sacerdotibus assignavit, ne quis alterius fines ingrederetur, id quod clarè paret ex ejus *epist. 2. ad Severum Episcopum*, relata *in can. Ecclesias 13. qu. 1.* ubi ita sancivit: *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, & cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus*, licèt Baronius *tom. 3. ad ann. 325.* existimet divisionem hanc ab ipsis Apostolis factam fuisse.

Hoc modo & D. Paulus, & Barnabas *Act. 14.* consti- 32
tuebant per civitates presbyteros, ut quisque suæ civitatis, non alterius curam gereret. Vnde Patres, nominatim Ignatius *epist. ad Antiochenos*, & Concilia nil magis inculcant, quàm presbyteros sua parochia contentos esse debere, neque illis quidquam in aliena parochia & alienos parochianos agere licere. Ita Concilium Ancyranum *can. 13.* Nicenum 1. *can. 60.* & Nannatense *can. 8.* Quomodò igitur Confraternitates Vrbicæ potestatem habent invadendi cum sua Cruce alienas parochias ad levanda cadavera invitis Parochis quando Regulares ipsi eam non habent, nisi ex privilegio Summorum Pontificum, de quibus infra, & nisi ex licentia proprii Parochi?

Hinc Lavorius *var. lucubr. cit. 2. c. 11. n. 72.* ait clarissi- 33
mi juris esse, neminem debere in aliquam parochiam ingredi ad divina celebranda, vel ad officium aliquod exercendum contra voluntatem Episcopi, seu Rectoris *ex can. Episcopus 27. q. 1. can. 1. & qu. 3. can. nullus 9. qu. 2.* & per totam *quæst. 3.* præcipuè *ex can. nullus, & can. conquestus.* Additque, quod licèt Regulares habeant jus sepeliendi,

sepeliendi, & defunctus elegerit sepulturam in eorum Ecclesiis, nihilominùs non possunt, irrequisito Parocho, ingredi cum Cruce in alienam parochiam processionaliter, & cadaver efferre, sique hoc præsumant, licitum esse Parochis auferre Cruces ut probat Oldrad. *cons.* 82. *de sepult.* Fusch *de visit. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 8. Vgolin. *de offic. Episc. cap.* 17. *n.* 3. & auferendo Cruces non dicuntur inferre injuriam per *text. in cap. cum ad sedem de rest. spol.*

34 Secundò item probatur ex Bonifacio VIII *Extravag. Super Cathedram, §. hujusmodi de sepult.* & ex Concilio Viennensi *in Clem. dudum eod §. ad tit.* ubi asseritur jus sepeliendi, ac funerandi, atque adeo erigendi Crucem pertinere ad Parochos, non autem od Confraternitates laicas, à quibus hucusque nullum jus, neque privilegium ostensum est nedum funerandi, hoc est, ducendi funus cum Cruce ex alienis parochiis ad suas Ecclesias, sed ne recipiendi quidem defunctorum cadavera.

35 Tertiò quod ex jure communi solis Parochis Crucem deferre in funeribus ducendis permissum sit, clarissimè constat ex subjectis privilegiis hac in re concessis Regularibus à Summis Pontificibus. Primum est Benedicti XI. *in Extravag. Inter cunctas §. porro de sepult.* ibi: *Iubemus ut corpora defunctorum, qui apud eos,* scilicet Patres Prædicatores, *elegerunt, dum viverent, sepulturam processionaliter cum Cruce cantando, seu legendo officium mortuorum vel psalmos, & alienas ingrediendo parochias, possint assumere, & ad suas deferre Ecclesias tumulanda.*

36 Secundum est Xisti IV. in constitutione sua, quæ incipit: *Regimini universalis Ecclesiæ* inter privilegia Ordinis Franciscì sub *fol.* 148.

37 Tertium est Leonis X. in Concilio 5. Lateranensi *Constit.* quæ incipit: *Sacro approbante Concilio*, his verbis; *Parochias autem cum Cruce ad levanda corpora, seu funera* (en jus funerandi distinctum à jure sepeliendi) *eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam intrare, &c.* & huic constitutioni innixa S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus super eadem re suum edidit decretum apud Quarantam *in sum. Bullarum v. Privilegia Regularium.*

38 Quartum est B. Pii V. in constitutione, quæ incipit, *Ad hoc nos Deus*, relata à Confectio *in collect. Bullar. de privil. Mendic. sub fol.* 168. ibi: *Necnon fratres ipsi quacunq; corpora defunctorum, qui se in eorum Ecclesiis sepeliri ordinaverint, &c. si vocati fuerint, ipsorum fratrum Cruce elevata, &c. ex ipsorum defunctorũ domibus levare.*

39 Quintum est Gregorii XIII constitutione incipiente: *Et si mendicantes* apud eumdem Confectium *sub fol.* 209. totidem penè verbis, quibus B. Pii V. Constitutio, scilicet: *& quorumcunque Christi fidelium pro tempore defunctorum cadavera, qui se in Ecclesiis dictorum Ordinum sepeliri ordinaverint, &c. si ad id vocati fuerint Cruce sui Ordinis elevata ad domum dictorum defunctorum accedere, & illa exinde auferre, ac ad ipsorum Ecclesias, & ex ipsorum defunctorum domibus levare.*

40 Eluceſcit ergo ad solos Parochos ex jure communi delationem Crucis in funeribus spectare privativè quoad alios, nisi ex privilegio id eis fuerit concessum, sicut concessum est Regularibus. Certum est, privilegium ex sua natura derogare juri communi. Si autem delatio Crucis in funeribus non esset jus parochiale, non tot Summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutiones, ac decreta pro Regularibus super eadem sancita, & publicata fuissent. Privilegium enim semper ita accipi debet, ut non sit otiosum, sed aliquid operetur in favorem privilegiati, *cap. in his de privil. & cap. si Papa eod. tit. in 6.* Quod adeò verum est, ut pro aliquo effectu causando censeatur derogare juri communi, etiamsi expressè non deroget per citatos textus, & observant Bartol. *in l. si finita, §. ex hoc edicto ff. de damnis dat.* Abb. *in cap. quod dilecto de consang.* & Menoch. *lib. 6. præsumpt. 40. nu.* 11. Sic quoque decimæ debentur Parochis ex jure communi, ut *ex c. Parochianos de decim.* cum aliis, & tamen Regulares illas Parochis non solvunt, quia ex privilegio exempti, *cap. ex parte, cap. pen. de decim. cum similibus.*

Quapropter Zechius *de republ. ecclesiast c.* 28. *num* 18. 41 rectè infert, quod ubi aliquis non est sepeliendus in Ecclesiis Regularium, non debent ipsi ingredi alienam Parochiam ex Oldrado *d. cons.* 82. quia privilegia sunt intelligenda, ut minus lædant jus commune, quàm fieri possit, & jure communi nemo possit immittere manum in alienam Parochiam, *cap. scriptum est 6. quæst. 3. Clem. Dudum §. hujusmodi de sepult.* & sic tenet Federic. *cons.* 154. Rebuff. *lib. 1. const. Franc. de sent. excom. ar. 3. glos. 1. n. 3.* Hæc Zechius.

Id ipsum constat quartò ex declarationibus Sac. Con- 42 gregationis Concilii, ac S. Rituum, præcipuè in *Andrien.* sub die 22. Novembris 1631. quæ datur authenticè *in summ. numer. 1.* per hæc verba: *Confraternitates laicorum in actu associationis cadaveris nullo modo Crucem erigere possunt.* Cujus declarationis meminerunt Barbos. *de offic. paroch. cap. 36. nu. 61.* Samuel. *de sepult. tr. 1. disp. 3. contr. 3. num. &* & alii benè multi, relati in præterita informatione juris §. 1. & declaravit in hac causa sub die 27. Ianuarii anni præsentis. Declarationes autem Sacrarum Congregationum faciunt jus ex communi Doctorum sententia, quos sequitur Fagnan. *in cap. quoniam de constit. num.* 9. quia editæ authoritate Apostolica.

Quintò idem etiam constat ex Statuto Cleri Romani 43 *cap.* 7. §. 4. in quo ita legitur: *Nulla ratione Confraternitates Crucem erectam in ipso funere portare præsumant.* Quod statutum in Vrbe tanquam jus servari debet *ex c. 2. de constit. in 6.* & Rota coram Mantic *dec.* 229.

Sextò hoc ipsum constat ex Rituali Romano *jussu* 44 Pauli V. edito pro Parochis, ut habetur in ejus Bulla dicto Rituali præmissa *in rubr. de exeq. de ordin. proced.* ubi disponitur, *Parochus indutus, &c. Clerico deferente Crucem, &c. mox ordinatur processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint, tum sequitur clerus regularis, & secularis per Ordinem.* Quam dispositionem luculenter declarat Eminentissimus Cardinalis S. Severinæ, cui ab ipso Paulo V. demandatum fuit, ut ipsum Rituale conficeret, ut in citata Bulla dicitur, singulari pietatis zelo, & doctrina; qui in opere, quod inscripsit *Rituale* sive *Sacerdotale* longo studio, multaque industria, & labore pleniſſimum, ut illud laudat idem Paulus in ea Bulla, testatur hunc ritum, atque ordinem ex usu, ac praxi antiquissima præscripta, & immemorabili *in cap. de del at. corpor. ad Eccles.* qui ritus, ac ordo, quia cognitu dignus est, eum ad verbum ex responso Theodosii de Rubeis, *de præcedentiis in funeral part.* 4. suorum singul. *numer.* 87 & ex Gratiano *tom. 2. discept.* 298. huc traducam: *Parochus indutus, &c. cum suo Clero, præcedente Cruce illius Ecclesiæ, ad quam corpus portandum est, quæ Crux sola defertur, ordinatur processio. Præcedant Confraternitates laicales, tùm deferens Crucem, & sequuntur clerus regularis, & secularis per ordinem, & ultimo loco Parochus.* Ex his enim apertè constat nedum Confraternitates non posse in funeribus suam deferre Crucem, sed incedere debere absque Cruce, quæ non ante, sed post illas deferri debet à Clero Ecclesiæ Parochialis, vel illius Ecclesiæ, ad quam funus effertur, si ex jure, vel ex privilegio illi competit eam erigere, ut confirmatum fuit in dicta prima dissertatione §. *non obstant denique* cum binis seqq. ea quidem ratione, quia Confraternitates laicæ non constituunt Clerum, neque sunt de Clero, quia non sunt Deo consecratæ, neque in partem Domini assumptæ in aliquo ordinis ministerio juxta *text. in can. Cleros 21. de can. duo sunt genera 12. quæst.* 1. Crux autem deferri debeat à Clero, cujus illa est caput. Vndè si Crucem Confraternitates deferrent, caput divideretur à suo corpore, quod constituitur à Clero, atque adeò Clerus incederet sine Cruce, ac funus esset monstrosum, quia in ipso incederet corpus Cleri sine suo capite. Quod concinit declarationi

S. Con-

S. Congregationis in citata *Andrienſi*,& prædicto Cleri Romani ſtatuto.

45 Certum etiam eſt, Rituale Romanum conſtituere jus, quia editum à Summo Pontifice, qui mandat omnibus obſervari. Et licèt Pontifex in ſua Bulla utatur verbo *Hortamur*, hoc tamen verbum æquipollet verbo *mandamus*, ſicut æquipollet verbum *Rego*, quod aliquid minus videtur importare, ut *l.ſi ſervi mei, ff.de neg. geſt. & in eo Rogo* 11. *quæſt.*3. ubi id notat Gloſ.*v.Rogo*. Quod magis locum habet in præſenti, quia Pontifex dicit, *Hortamur in Domino*, per quod interponitur authoritas Dei, & exprimitur enixa voluntas, ut fiat, quod ipſe hortatur. Eòque præcipuè, quia præmiſit Pontifex ſuam diſpoſitionem directivam ſacrorum rituum, tanquam de materia omninò neceſſaria, ut conſtat ex proœmio, & ad manutenendam hanc ſuam diſpoſitionem inducit dictam exhortationem, ac proinde oportet, quod eodem modo ſervari velit, quod ponit ſub exhottatione, ac ſervari vult, quod diſponit. Certum autem eſt, quod obligat ad ſervandum, quod diſponit, atque adeò id etiam, quod hortatur, cùm hoc ſit neceſſarium ad manutenendam ejus diſpoſitionem.

46 Denique delatio Crucis in funeribus, vel eſt ſignum præeminentiæ, vel juriſdictionis, neutrum autem competit Confraternitatibus laicis, ut ſatis abunde probatum fuit in dicta prima diſſertatione, in qua reſpondetur objectionibus ex Bulla Pii IV. & Vrbani VIII. pro Confraternitate Mortis, ex illius Statuto 44. ex Statuto Cleri Romani, & ex hujus Sac. Congregationis aliquot declarationibus, atque ex prætenſa conſuetudine petitis, iterum ex eadem ſumma benignitate legenda.

47 Neque obſtat illa ratio, quæ adducitur pro Confraternitatibus, quod ſcilicet earum Eccleſiæ habent ex conſuetudine jus ſepeliendi, atque adeo jus erigendi Crucem: Nam conceſſo libere jure ſepeliendi, conceditur etiam jus erigendi Crucem, & levandi cadavera ex alienis Parochiis, ut in Eccleſiis Confraternitatum, in quibus defuncti ſepulturam elegerant, tumulentur.

48 Quoniam hæc ratio laborat æquivocatione. Confundit enim jus ſepeliendi cum jure funerandi, & in diverſis infert ab uno ad aliud. Porro & Regulares quoque non ſolum habebant jus ſepeliendi, ſive recipiendi cadavera defunctorum in ſuis Eccleſiis ut *ex cap.in noſtra, de ſepult. ex cap.fraternitatem, & ex dicta Extravag.ſuper cathedram, & ex d.Clem.eod.tit.* ſed etiam erigendi Crucem in proceſſionibus, præcipuè ex Leonis X. *Conſtit.*27. & tamen non erat illis permiſſum, neque licebat erigere ſuam Crucem in funeribus, & ingredi alienas parochias ad levanda cadavera, quia non habebant jus funerandi, ut proinde ad illud acquirendum indiguerint ſpeciali privilegio à tot Summis Pontificibus conceſſo, id quod diſertè docet Oldrad. *d. conſ.* 82. Cardinal & Imol. *in Clem. dudum, d.§. hujuſmodi, & §.liberè* quos ſequitur Franciſ. Marc. *deciſ. delph.* 1050. *par.* 1. & fuit dictum in allegata diſſertatione *§.quoniam*. Multoque magis hujuſmodi privilegio indigent Confraternitates laicæ, quia nullum jus habent ſepeliendi, cum non habeant populum, neque cœmeterium ex privilegio aliquo, cum adhuc nullum oſtenderint; ut propterea iidem Parochi ſupplicant Eminentiſſimis Patribus etiam declarare, nullum jus ſepeliendi earum Eccleſiis competere, atque adeo neque recipiendi portionem aliquam canonicam, quæ funeralium dicitur, niſi prius oſtenderint authenticè ſuper hoc ſua privilegia, cum illa ſola Eccleſia præter parochialem, habeat jus ſepeliendi. cui ſit conceſſum cæmeterium expreſſè, ita quod, licèt fuerit Eccleſia ædificata authoritate Epiſcopi, non tamen habeat jus ſepeliendi, eoque minus funerandi, niſi fuerit ei cæmeterium conceſſum ex communi doctrina Canoniſtarum, ut per Hoſtien. *in ſum.tit.de ſepult.* §.2.& *ſeqq.* & Archid. *in cap.*1.*de pact. in 6. & in can.nemo* 1.*de conſec. d.*1. *& in d.cap.fraternitatem*, traditque Innoc. *in cap.*1.*de ſepult.*

Ex quibus omnibus ſatis perſpicuum videtur, dela- 49
tionem Crucis in funeribus eſſe jus parochiale ſolis Parochis permiſſam ac iis; qui ex privilegio, vel ex jure licet eam deferre, ac ingredi in alienas parochias; ac proindè, ſupplicamus Eminentiſs. Patribus, ut perſiſtant in decretis.

Quod vero ad quintum, *an* ſcilicet *quando quis elegit* 50
ſepulturam in aliquo Oratorio, ſive Eccleſia Confraternitatum, debeat Parochus intra Cujus Parochia fines ſitum eſt dictum Oratorium, ſive Eccleſia, ſuper illius cadavere officium funeris peragere? ſecluſa legitima conſuetudine vel privilegio Apoſtolico, de quibus hactenus non conſtat iterum affirmativè reſpondendum eſt, quia eſt jus parochiale, quod deducitur nedum ex jure canonico, ſed etiam ex jure divino ſaltem in genere.

Etenim Parochi jure divino ad hujuſmodi munia ob- 51
eunda conſtituti ſunt. Vndè D. Paulus, ubi Titum Cretenſem Epiſcopum creavit, mox illi præcepit, ut presbyteros per ſingulas Vrbes Parochos inſtitueret *epiſt.* 1. *ad Tit.* ut nimirum poteſtatem exerceant, Et *ad Timoth.*1. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur*. Ac de divina Parochorum inſtitutione mentionē fecit Apoſtolus ſub nomine Paſtorum ad *Epheſ.* 4. cum eccleſiaſtica munia à Deo inſtituta diſtinguens, inter ea munus Paſtorum annumeravit. Idem prorſus habetur *Act.*14.*&* 1.*Petr.*1. Sicut enim Summus Pontifex jure divino totum Orbem, Epiſcopus totam ſuam diœceſim, ita presbyteri Parochi jure ſimiliter divino totam presbyteralem accipiunt poteſtatem pro tota ſua parochia, in qua ſunt presbyteri canonicè ordinati. Si igitur presbyteri Parochi ex præcepto Apoſtolico per ſingulas parochias ſive civitates, & oppida conſtituuntur, quomodo Confraternitates laicæ nulla adhuc poteſtate, nec divino, nec humano jure præditæ illos ab eorum jure exercendo in tota ipſorum parochia exturbant?

Secundò deducitur ex jure canonico à quo in ſpecie 52
juriſdictio Parochorum pendet, ex Concilio ſcilicet Ancyrano *eo can.*13. *Chorepiſcopis*, inquit, *non licet presbyteros vel diaconos ordinare, ſed nec presbyteris Civitatis, niſi cum litteris ab Epiſcopo permiſſum fuerit in aliena parochia aliquid agere*. Quî ergo permiſſum erit Confraternitatibus laicis non ſolum in alienis Parochiis, verum etiam in alienos Parochianos officium funeris peragere? Apertè etiam, id jus elicitur ex ipſa Parochiarum inſtitutione *cit.can. Eccleſias* 13. 1. qui eſt Dionyſii Papæ, ubi Pontifex ita illas inſtituit, ut nullus alterius Parochiæ jus invadat. Hinc Parochi propriam, ac ordinariam in tota ſua parochia poteſtatem habent, quæ ſcilicet ex officio illis competit; ac proinde habent poteſtatem miniſterialem ſuo muneri competentem in totam ſuam parochiam ex Lavor. *var.tit.*2. *cap.*11. *num.*82. atque adeo in Eccleſias non exemptas.

Tertiò id deducitur ex hujus Sac. Congregationis de- 53
clarationibus, quæ etiam dantur authenticè *ſumm.num.* 2. in quibus declaratur, officium funeris in Eccleſiis Confraternitatum ſecularium ſpectare ad Parochos, intra quorum Parochias illæ poſitæ ſunt; præcipuè in *Averſana funeralium*, in qua declaratum, Parochos fovere bonum jus, etiam in petitorio, & in *Mediolanen.*29. Novembris 1632. ac in aliis apud Lavor. *loc.cit.dict. tit.* 2.*cap.*3. *num.*119. *&* 120.*& cap.*11. *num.*107. & apud Samuel. *de ſepultur. controverſ.* 5. *concluſ.* 8. *numer.* 16. & ex Sacr. Congregatione ſuper Epiſcop. apud Nicolium *v. Confraternitas num.*20. & apud Gavant. *in Manual. Epiſcop.eod.verb. num.*41. ac decernitur in Concilio Provinciali Mediolanenſi 7.*tit.de Sodalit.* ibi: *Anniverſaria, & quæ ſeptimo, vel trigeſimo die fiunt officia, in parochialibus fiant, niſi habeant jus ſepultura, & tum Parocho præſente, qui officium peragat, & quando ſcilicet ibi cadaver ſit ſepultum*. Quod Concilium, licet ſit provinciale, ob confirmationem tamen Summorum Pontificum; & ob ſanctitatem Authoris, qui ſacrorum rituum, ac juris Eccleſiaſtici religioſiſſimus cuſtos fuit,

ac

ac vindex, magnæ est authoritatis in Ecclesia. Illud certò verùm est nedum Sacras Congregationes jus constituere, sed etiam declarare, quid in ipso jure inest adeò, ut essentialiter earum declarationes non differant à jure declarato, ut docent Doctores, quos refert, ac sequitur idem D. Fagnan. in *cit. cap. Quoniam, de constit. nu.* 14. *ac seqq.* ac proindè declarationes istæ circa officium funeris à Parochis peragendum ostendunt, quid in jure communi sancitum sit, & ideò si jus commune obligat, etiam istæ declarationes, siquidem ostendunt ad quid jus commune obligat, obligat enim ex vi sua prima, secundùm quod authoritativè declaratur. Unde observandæ sunt tanquam declarationes authenticæ, ut per Suarez *de legib. lib. 6. cap.* 1. *nu.* 2. & juxta illas, tanquam Apostolicas, judicandum, *cap. in causis de re jud.* Sunt enim veræ litteræ Apostolicæ saltem mediatè declarationes hujus Sac. Congregationis, ut in specie resolvit Rota *decis.* 558. *num.* 8. *part.* 2. *recent.*

54 Deducitur quintò idem jus ex ipso jure funerandi, quod supra probatum est, esse jus Parochiale. Eo enim ipso, quod quis sit constitutus Parochus, debet non solùm suo populo administrare Sacramenta, sed ea etiam, quæ ex suo munere ipsis Sacramentis sunt annexa ratione exercitii curæ animarum. Officium autem funeris, & administratio Sacramentorum sunt invicem annexa, tanquam ordinata ad ea, quæ debentur morituro, ac defuncto ex officio pastorali. Constat autem quod jus ministrandi Sacramenta in articulo mortis pertinet ad Parochum quoad omnes, qui sunt in ipsius parochia, ita ut nequeant ministrari à ministris Ecclesiarum Confraternitatum, aut alterius Ecclesiæ, unde etiam ad ipsum spectat jus peragendi officium; in annexis enim est idem judicium, *cap. translato de constit.*

55 Præcipuè quia officium funeris largo modo est Sacramentum, ut *ex cap. Cùm in Ecclesiæ de simon.* notat Vitalin. *in Clem. eos, qui de sepult. n.* 41. vel saltem Sacramentale, ut clarè colligitur *ex can. dictum est* 1. *q.* 1. ubi verbum *Sepultura* pro ipso officio funeris accipiunt Doctores, ut per Hostien. *in summ. lib. 3. tit. de sepul. n.* 1. *in fine.* Atqui nemo potest intra fines parochiæ Sacramentalia ministrare absque privilegio, nisi solus Parochus, nam ad eum pertinet Sacramentalia ministrare, ad quem & Sacramenta, Suarez *in 3. par. D. Thom. disp.* 15. *sect.* 3. *in fine.* Sunt enim veluti pars Sacramentorum. Sacramenta autem ministrare ad solos Parochos spectat ex Sac. Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 13. *de refor.* & ex *d. Clem. Dudum*, §. *Verum de sepult.* Quia sicut hujusmodi officia per Ecclesiam sunt institura, ita ministri eorum illi sunt, qui juxta eandem Ecclesiæ institutionem sunt ad hoc ministerium designati. Non potest autem dici, quod ad hoc ministerium sint designatæ Confraternitates laicæ, quia incapaces, neque earum Capellani, ut mox probabitur, sed soli Parochi, præcipuè quia solemniter, ac publicè peraguntur cum superpelliceo, stola, & aspersorio, quæ sunt jurisdictionis, atque adeò non sunt peragenda intra limites parochiæ, nisi à Parochis. Nam licèt quilibet Sacerdos habeat ad id potestatem ordinis, non tamen habet potestatem jurisdictionis, nisi eam accipiat ab Episcopo, vel à Parocho. Rectus enim ordo requirit, ut omnia regulentur ab uno capite ex D. Hieronymo *in can. In apibus* 7. *qu.* 1. Neque immeritò Fusch. *lib. 2. de visit. cap.* 2. *num.* 8. docet hujusmodi functiones præcipuè pertinere ad jus parochiale. Quod etiam idem Concilium Provinciale Mediolanense, tanquam certum supponit *in dict. tit. de Sodal.* licèt Gavantus *in rubr. Missal. p.* 4. *tit.* 19. *num.* 1. & 20. ea, quæ habentur in Missali, à quocumque Sacerdote absque præjudicio jurium parochialium fieri posse autumet; quæ verò in Rituali, ut est officium funeris, ad Parochos tantùm propriè pertinere, non absque ratione, cùm Rituale editum sit pro Parochis, ejusque observatio illis commissa à Paulo V. in suo Diplomate, in quo illud confirmat.

56 Atque hinc Parochis prohibitum est pro officio funeris stipendium petere, non autem aliis Clericis, quia illi ex officio, non autem isti sunt ad hoc munus ab Ecclesia designati, ut per Suarez. *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *de simon. cap.* 15. §. *prioribus.* Unde non potest hoc jus in alia persona fundari. Cùm enim ille, ad quem spectat aliquid facere, possit etiam invitus cogi ad id faciendum, nemo nisi Parochus potest cogi ad hoc officium peragendum, utpotè qui tenetur adimplere munus suum, non autem presbyteri manuales Confraternitatum, qui nullo jure ad curam animarum, ac funus, funerisque officium sunt adstricti.

Quidquid igitur sit, an Ecclesia Parochialis habeat in- 57
tentionem fundatam super plenaria subjectione Ecclesiæ minoris, sitæ intra suos fines ad tradita per Abb. *in cap. dilectus num.* 11. *de capel. monach.* illud verò certum est, quoad hujusmodi jus funeris, Parochum habere super illo assistentiam, quemadmodum habet Episcopus super juribus episcopalibus, ut ait Calder. *cons.* 5. *ante fin. de relig. domib.* ac Sebast. Medic. *in tr. de sepult. quæst.* 6. *per tot.* Et in his terminis quando Ecclesia non est unita Monasterio Regularium, & agitur de exercendis his functionibus præsupposuit Rota ex mente hujus Sac. Congregationis in Veronensi jurium parochialium 23. Martii 1629. coram Cardinali Virili apud Postium *de manut. decis.* 260. ex benignitate legenda.

Quintò id deducitur ex privilegiis, quibus gaudent 58
Ecclesiæ Regularium, ne in illis hujusmodi officia peragantur à Parochis, ut ex privilegio Sixti IV. concesso Religioni Prædicatorum in Bulla, quæ dicitur *Mare magnum*, quæ est prima ejusdem Pontificis apud Confec. *in collect. privil.* ibi: *Volentes, &c. ne quispiam domos, & loca hujusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumat.* Magis autem dilucidè ex privilegio Casinatibus concesso ab Eugenio IV. *Constit. ejus* 9. ibi: *Ut autem hujusmodi Congregationis Monachi, &c. omnes, & singulos Episcopos, vel locorum quorumlibet Ordinarios, aut alias quasvis personas ad monasteria, sive loca dicta Congregationis causa ordines celebrandi, &c. & processiones convocandi, Missas, & alia officia celebrandi, &c. sub excommunicationis pœna. &c. accedere, vel immorari, ipsis invitis, tenore præsentium prohibemus.* Item ex aliis, quæ adducunt Casarub. *in comp. privil. Mendic. verb. sepelitio, & sepultura num.* 1. 3. 4. & 8. Rodriq. *tom.* 3. *q. regul.* 85. *num.* 10. Peyrin. *in addit. tom.* 3. *de privil. Minim. in fin. decr.* 6. Lezan. *tom.* 4. *v. sepultura num.* 12.

Quæ privilegia, & ii etiam habent, qui habent com- 59
municationem privilegiorum, hoc est Regulares propè omnes. Pro quibus extant, præter alias sparsim hinc inde in libros plurium Auctorum conjecturas, variæ de hac re declarationes Sacrarum Congregationum, inter quas primò occurrunt, quæ ab hac S. Congregatione emanatæ sunt, scilicet sub die 1. Octobris 1591. Cardinali Morosino, & in Licien si apud Peregrin. *in comp. privil. Regul. pag.* 106. confirmata in *Bituntina* 26. *Junii* 1602. & apud Pasqualig. *in observat. ad Laurent. de Franch. nu.* 1591. & Lezan. *in sum. v. defunctus num.* 4. & Barbos. *de offic. Paroch. cap.* 26. *num.* 24. & *de jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 82. *ac seqq. & in comp. Bull. v. officium*, ac relatis plurium Summorum Pontificum Constitutionibus, aliisque decretis Aldan. *in comp. resol. lib.* 4. *tit.* 17. *n.* 4. & supponit S. Rota Romana in dicta decisione coram Cardinali Virili. Quæ omnes declarationes fundantur in exemptione Ecclesiarum Regularium, ac proindè cùm Ecclesiæ Confraternitatum nullam habeant exemptionem, debent in eis officium funeris Parochi peragere, quorum juri per privilegia tantùm derogari supra non obscurè probatum est. Ideò namque non possunt Parochi hoc officium persolvere in Ecclesiis Regularium, quia exemptæ. Ecclesiæ autem Confraternitatum non sunt exemptæ, atque adeò possunt Parochi in illis officium funeris peragere.

60 Sextò idipsum deducitur ex eo, quod Capellani Ecclesiarum Confraternitatum sunt manuales, & ad nutum amovibiles, ac proindè non potest in eis radicari aliquod jus considerabile, cùm non jure proprio, sed alieno deserviant, Lap. *alleg.* 5. *n.* 8. Ægyd. *cons.* 38. *n.* 1. & Mantic. *decis.* 294. *in fin.* Confraternitatibus verò laicis easdem Ecclesias administrantibus non potest hoc jus competere quia officium funeris est quid spirituale, ac spiritualitati annexum, ut per Suarez *loc. cit. de Relig* ideòque illius incapaces, *can. si quis deinceps* 16. *q.* 7. *cap. causam, quæ de præscript. cap. quamvis de decim* ubi Doctores communiter. Atque ita reconciliari debent Doctores, qui videntur in hac re contrarii. Nam quando Capella, sive Ecclesia sita intra fines Parochiæ non habet Rectorem, tunc Ecclesia parochialis in illas jus habet, & in hoc casu non procedunt tradita per Abb. *in d. cap. dilectus de Capel. Monach.* sed potiùs doctrina Archidiaconi *in can. pluries nu.* 3. 16. *quæst.* 1. & Hostiensis *in d. cap. Dilectus n.* 4.

61 Denique Parochis, præter assistentiam juris, suffragatur quoque observatio, de qua datur *in summ. n.* 3. fides à viris probis, & gravibus subscripta, atque recognita, quæ sufficienter probat ex iis, quæ in dicta prima dissertatione §. *quoniam* adducta sunt.

62 Ac primum opponunt Adversarii huic resolutioni decisionem Coccini 2089. *in Aversana funeralium* 23. *Junii* 1634 Et quidem hic murus aheneus ille, sed qui jacta spicula retorquet. Principio autem sciendum est causam illam *Aversanam* quintò in hac Sac. Congregatione fuisse propositam. Semel ac iterùm non citatis, neque auditis Parochis, sed solùm Oeconomis laicis, qui duo decreta obtinuerunt, nec ex jure sibi debito, sed ex consuetudine, qua se tuebantur. Auditis deinde Parochis, ac proposita causa diù multumque, tertiò, & quartò discussa, eadem Sacra Congregatio declaravit, *Parochos fovere bonum jus*, cui declarationi Oeconomi non acquiescentes instituerunt quintò proponi. Et quia pro se allegabant consuetudinem immemorabilem. Sacr. Congregatio rem ad Rotam remisit, ut scilicèt solùm discuteret, an constet de immemorabili, quam allegabant, non autem, an id jus Parochis competeret, quod jam ipsis Sacr. Congregatio assistere declaraverat. Et ideò tam decisio, quàm decreta, quæ in ea allegantur pro Confraternitatibus, non merentur allegari, cùm censeantur, tanquam si non emanassent,

63 Hoc præmonito, id quod primo loco dicta decisio asserit de juribus Parochialibus *§ & pro resolutione*, minus æquo illa restringit ad quinque ibi enarrata. Multò enim plura recensent Hostiens. *in sum. tit. de Paroch.* & Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 4. Sed hoc leve. Illud autem, quod subdit in casu, quo Parochianus elegerit sibi sepulturam extra Ecclesiam Parochialem, Parochum habere fundatam intentionem in quarta funeralium tantùm, verùm est, si accipiatur de Ecclesia exempta, secus autem de non exempta. Hoc enim casu non solùm Parochus habet fundatam intentionem in sola quarta funeralium, sed etiam in officio funeris, quæ duo jura non sunt confundenda, ut est superiùs probatum.

64 Quod deinde secundo loco dicit *in* §. *Secundò est præmittendum*, non officit; quia tam textus *in cap. fin. de offic. Archid.* quàm ea, quæ adducit pro Ecclesia Cathedrali, loquuntur de subjectione quoad jura Archidiaconalia, & Cathedralia, nimirùm in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem, correctionem, & visitationem, ut expressè habetur *in d. cap. fin.* ubi etiam sermo est de Monasteriis Regularium; quæ sanè Parochi non contendunt habere ab Ecclesiis Confraternitatum, neque à Monasteriis Regularium, sed solùm jus ministeriale quoad munia, quæ ex officio ipsi obire tenentur, sicut est officium funeris intra limites suarum Parochiarum.

65 Nihil insuper deferendum est allegatis *in dict.* §. auctoritatibus illorum, qui hoc jus negare visi sunt. Nam Abbas, & alii, qui referuntur, ad rem nostram non faciunt. Tum quia loquitur Abbas de presbyteris existentibus in capellis Monachorum juxta textum, quem ipse adducit *in dict. cap. dilectus de capel. Monach.* & quem ipse interpretatur, atque adeò Regularium exemptorum juxta *decis.* Rotæ in Piscien. sive nullius jurisdictionis 7. Maij 1582. coram Gypsio, & coram Puteo *decis.* 115. *lib.* 3. Tum etiam quia loquitur de juribus subjectionis, & de institutione, ac detestatione, in quibus perspicuum est tam hujusmodi presbyteros, quàm hujusmodi Ecclesias existentes intra fines Parochiæ non subijci Parocho. At quoad ea, quæ non concernunt subjectionem, sed Ecclesiæ Parochialis honorem juxta *cap. ad audientiam* 1. *de Eccles. ædif.* ubi Glos. *verb. honor*, & quæ concernunt jus Parochiale, ceù sunt jus funerandi, illique annexa, non negavit Abbas, quin pertineant ad Parochos. Neque alii Doctores *in dict.* §. citati negant, sed præservant Parochis ipsorum jura, inter quæ connumerari officium funeris est comprobatum. Neque D Fagnanus dicit aliud, sed aliter *in dict. cap. ad audientiam* 1. *nu.* 10. Atque ita intellexit eadem S. Rota doctrinam Abbatis, & Calderini in allegata *Veronensi* Jurium Parochialium coram Virili, adeoque ut mirum nunc videatur, eosdem textus, ac eosdem Doctores, quos adducit Coccinus pro derogatione hujusmodi juris, adduxisse antea pro illo adstruendo Cardinalem Virilem.

Hæc autem in præmissis, neque meliora sunt, quæ in 66
consequentiis afferuntur. In §. *enim his tribus* totus est in probando, quod peragere officium funeris in hujusmodi Ecclesiis non sit jus Parochiale. Quod probat non quidem ex authoritate Canonum, aut Doctorum, sed quia non numeratur inter illa quinque jura, quæ sub initio recensuerat. Sed quam sit infirma probatio ab argumento negativo, nemo est, qui ignorat ex topicis. At verò spectare hoc jus ad Parochos, illudque esse annexum eorum officio tum ex jure, tum ex declarationibus hujus S. Congregationis, tum ex privilegiis Regularium ostensum est supra. Textus verò *in can. placuit* 7. *q.* 1. non autem *q.* 2. *can. Episcopus in diœcesi ead. caus. & q. cap nullus de Paroch.* quos refert, loquuntur de Episcopo, ne usurpet alienas plebes, neve alienos Clericos ordinet juxta Concil. Carthag. 3. *cap.* 21. & Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *& sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.* Quæ nihil ad Parochos, cùm non usurpent aliena sed sua vindicent in suis parochiis.

Præterea nihil etiam ad amoliendum hoc jus Paro- 67
chiale conferunt declarationes *in* §. *Hinc meritò* adductæ. Quia ut dictum est, fuerunt Parochis non auditis extortæ vigore consuetudinis, quam allegabant, & postea revocatæ, ut ostenditur *in dict. summ. n.* 2. Quod verò addit in comprobationem, eundem modum servandum esse in Ecclesiis Confraternitatum, ac in Ecclesiis Regularium, destruit omninò Regularium privilegia, & hujus Sacræ Congregationis declarationes, quæ ex solis privilegiis exemptionis id Parochis in Ecclesiis Regularium non competere sæpissimè declaravit, ac firmavit Rota in dicta Veronen. coram Virili. Unde non oporret amplius investigare sensum, sed sententiam tum hujus Sacr. Congregationis, tum aliarum, quam in suis declarationibus, ac decretis planè ostendunt.

Tandem *in* §. *ultimo* agnoscens idem Coccinus tam 68
mentem hujus Sacr. Congregationis, quàm ejus declarationes stare pro jure Parochorum, ut hoc evaderet, confinxit distinctionem illam inter Ecclesias Confraternitatum, & Oratoria. In istis jus hoc Parochis concedit, in illis negat. Sed hæc evasio facilè præcluditur. Tum quia *d. cap. dilectus de capel. monach.* loquitur de Ecclesia, non de Oratorio, & tamen non ex eo quod non erat Ecclesia, sed quod erat regularis non subijciebatur Ecclesiæ S. Ceciliæ. Tum quia abusivè Oratoria Confraternitatum appellantur Ecclesiæ, *cap. ad hæc de relig. domib.* Tum quia quando Oratorium est publicum, & saltem ex consuetudine acquisivit, jus sepeliendi, non differt quoad hunc effectum peragendi officium funeris ab

Ecclesia,

Ecclesia, quia in illo ex Tridentino, *in decret. de serv. & vit. in celebrat. missar. sess.* 22. permittitur publicè celebrari missæ sacrificium, est Ecclesiasticum, est omnium usui destinatum, habetque cultum publicum, ac usum sepulturæ, & gaudet immunitate, quæ omnia habent Ecclesiæ confraternitatum, ut proindè idem fuerit apud antiquos Oratorium publicum, ac ædes sacra, sive Ecclesia, quæ non differt ab Oratorio publico, nisi magnitudine, ac dote, ut per Stephan. Durant. *de ritib. Eccles. lib.* 1 *cap.* 1. *n.* 13. & D. Fagnan. *in cap. auctoritate de censib. n.* 27. Tum etiam quia major videtur ratio, ut Parochus hoc officium in Ecclesia magis, quam in Oratorio peragere debeat. Quia in Ecclesia est magis publicum, atque adeò magis spectat ad ejus munus, qui tanquam minister publicus ab Ecclesia designatus est ad illud obeundum. Et tum denique quia privilegia Regularium, & declarationes tam hujus Sacr. Congregationis relatæ à Lavorio superiùs citato, & *in dict. Aversana*, ac pluries alibi, quam Sac. Congregationis super Episcop. & Regul. apud Gavantum ubi supra, & decisio Rotæ coram Virili speciatim, ac expressè loquuntur etiam de Ecclesiis, ut in illis videre est *Sammario d. n.* 2. Quare si ex Coccino id licet Parochis in Oratorio, licebit etiam eis, & in Ecclesia. Itaque decisioni Coccini opponimus declarationes, & Sacrosancta decreta hujus S. Congregationis, quæ solùm in hisce rebus attendi debent, ut testatur idem Coccinus in dicta decisione propè finem; sed ne videamur operam ludere, supplicamus Eminentissimis Patribus, ut legant integram *responsionem* 21. *part.* 4. Caroli Marandæ, omninò videndam, in qua omnes rationes, & argumenta Coccini excutiuntur, illisque doctè, ac solidè respondetur ita ut sive illius rationum pondus æstimetur, sive authoritas, propè dixerim, omnium Doctorum, quos magno studio, parique fide collegit, sufficiat ad causæ victoriam hunc locum ostendisse, quem quidem ægrè repellunt, qui pro Confraternitatibus scribunt, ac qui opinionem præjudicatam Coccini mordicus tenent.

69 Secundò opponunt Statutum Cleri Romani *cap.* 5. *§.* 10. & aliquot fortassè declarationes hujus S. Congregationis, in quibus videtur declaratum hujusmodi officium peragi debere à Sacerdote illus Ecclesiæ, in qua cadaver tumulari debet. Sed quod ad statutum jam illi fuit responsum in d. prima dissertatione *ad* 5. *dubium*, §. *minusque*. Et quoad declarationes hujus Sac. Congregationis, ne inter se pugnent accipi debent de Ecclesiis vel exemptis, vel habentibus jus funerandi, vel consuetudinem immemorabilem peragendi hujusmodi officium, ut in dicta prima dissertatione probatum. Præcipuè quia in nulla declaratione expressè habetur, hoc officium spectare ex jure ad Capellanos Confraternitatum.

70 Ad alia, quæ forsitan obstare videntur, responsum est in prima dissertatione ad V. dubium ex benignitate Eminentissimorum Patrum etiam videnda.

71 Atque hæc ad officium funeris peragendum in Ecclesiis Confraternitatum Parochis satis, superque esse speramus, secluſa tamen, ut diximus, legitima consuetudine discutienda, vel privilegio Apostolico exhibendo.

72 Eadem Sacr. Congregatio utraque parte informante dubia præfata pro Parochis declaravit. Sed habita à Confraternitatibus nova audientia, fuerunt tertiò in eadem Sacr. Congregatione proposita, & ego tertiò ita italicè respondi

73 Eminentissimo Signore. Certa cosa è, che prima, che fussero instituiti gli Ordini regolari, niun' altro poteva sepellire nella sua Chiesa i fedeli defonti, se non il Paroco; perche egli solo hà popolo, e territorio à se sogetto, *Clem. Dudum de sepult.* e per conseguenza egli solo portava la Croce ne' funerali.

74 Furono poi instituiti gli Ordini regolari, i quali non poteron ricevere alla sepoltura delle lor Chiese i defonti infino al tempo del Concilio Viennense, nel quale si concesse loro privilegio nella detta *Clem. Dudum, recipiendi liberè* alla sepultura i cadaveri di quei fedeli, che nelle Chiese di essi la eleggessero, con dare però essi Regolari alle Chiese Parochiali la portion canonica de' legati, e de' funerali.

75 Col pretesto di tal privilegio pretendevano i Regolari di prendere i cadaveri dalle Parocchie altrui, di entrauvi processionalmente con la lor Croce, e di non chiamarvi nè anche il Paroco del defonto; alle quali cose resistendo i Parochi, si pose inquisitione, se ciò era lecito di fare a' Regolari.

76 Scrissero à favore de' Parochi molti huomini dotti, fra' quali fù l'Oldrado *nel cons.* 82. con le ragioni ivi da esso apportate, seguito dal Cardinale *nella detta Clement.* §. *hujusmodi q.* 2. e da molti altri, anche da' medesimi Regolari, come dal Samuelio, dal Donati, dal Passarini, addotti nell' altre nostre scritture. E à favore de' Regolari fra gli altri Bonifatio Vitalini, come si può vedere da quel che obiter ne lasciò scritto nella *Clem. Archiepiscopo n.* 5. *de privil.* la di cui opinione, e le di cui parole han voluto seguire, e trascrivere ne' loro libri il Peirini, e'l Pax Jordano. Mà ciò che si sia dell' opinione del Vitalini, della quale più innanzi, certo è, ch' egli parla con molta bile contro alla Chiesa Catedrale, à favore della quale hà sempre dichiarato questa Sacra Congregatione, oltre che egli proferisce molte altre sue opinioni, non solo temerarie, mà anche sospette di eresia, come quella *nella Clement. inter solicitudines n.* 30. *de magistr.* ove dice, che *Ecclesia Latina fuit causa subtractionis Græcorum, quæ judicavit eos schismaticos, ne amplius eligantur in Papam.*

77 I Sommi Pontefici per togliere affatto ogni occasione di risse vedendo essi quanto sopra di ciò era ben fondato il jus Parochiale, concessero a' Regolari privilegio di poter' essi inalzar la lor Croce ne' funerali, entrar processionalmente con essa nell' altrui Parocchie, e levare i cadaveri sudetti, si come si legge nell' Estravagante *Inter cunctas, de privil.* di Benedetto XI. e nelle Constitutioni di Sisto IV. di Pio V. e di Gregorio XIII. altrove distesamente apportate, *vocato etiam Parocho*, si come ordinò il Concilio Lateranense sotto à Leone X. e la Sagra Congregatione sopra a' Vescovi, e Regolari appresso il Quaranta *in Summ. Bullar. v. privilegia Regularium.* E benche in quanto alla portion canonica alcuni di essi ottenessero poscia privilegio di esentione, egli poi fù rivocato dal Concilio Tridentino *nella sess.* 25. *cap.* 13. *de ref.* e da Gregorio XIII. *nella Constit.* 5. §. 6. rimanendo illeso il privilegio di poter portar la Croce ne' funerali, e di entrare nelle Parocchie altrui processionalmente à levare i cadaveri. E con questa Religiosa osservanza han proceduto frà se infino al presente i Parochi, e i Regolari.

78 Ultimamente si sono erette molte Compagnie secolari, le quali pretendono anch' esse di erigere la lor Croce nelle dette processioni, e con esse entrar processionalmente nelle Parocchie altrui à levare i cadaveri de' fedeli, e sepellirgli nelle lor Chiese, ove si elessero la sepoltura Il che da' Parochi si niega loro oltre alle ragioni altrove da essi arrecate, anche per le seguenti.

79 E primo perche non hanno privilegio alcuno *recipiendi libere* alla sepultura delle loro Chiese i sudetti cadaveri, si come l'hanno i Regolari.

80 E secondo perche non hanno tenitorio, nè popolo a se sogetti, secondo *il cap.* 1. *ut lite pendente*, e quivi i Canonisti, e perciò non ponno inalzar la Croce, mà si richiede in esse privilegio espresso, si come l'hanno essi Regolari.

E terzo perche è ciò loro espressamente prohibito da questa S. Congregatione nell' Andriense a' 22. di Novembre del 1631. altrove allegata, nello statuto del Clero Romano *nel* §. 5. *del cap.* 7. che è particolare delle Compagnie, ne' quai luoghi si hà che esse *nullo modo, & nulla ratione in funeribus Crucem erigere possint.*

81 Non osta la Bolla di Pio IV. per la Cópagnia delle Morte di poter portare la Croce nelle processioni per Roma. Si perche tal Compagnia nel tempo, nel quale Pio IV.

le conceſſe tal privilegio, non haveva ancora Chieſa, mà ſe ne ſtava precario nomine ora nella Capella della Concettione di S. Lorenzo in Damaſo, e ora nella Chieſa Parochiale di S. Giovanni in Aino, come ſi legge nel libro degli ſtatuti di eſſa Compagnia *nel cap* 1. e nell'iſteſſa Bolla di Pio in ſul principio. E perciò non ſi può intendere delle proceſſioni de' morti alla ſua Chieſa, la quale non vi era. Sì perche non ſi concede nella detta Bolla privilegio alcuno di ricevere alla ſepoltura della Chieſa di eſſa Compagnia quelli, che ivi ſi eleggono la ſepoltura, mà ſolo i cadaveri di quei poveri, che a lei da' Parochi ſi vorranno concedere, ſi come anche ſi legge nel libro de' medeſimi ſtatuti *nel. cap.* 44. il che ſi dee avvertire per non equivocare con gli Avverſarii, e per conſeguente non ſi può intender la Bolla di Pio di altre proceſſioni, perche non poteva la Compagnia ſepellire altri morti per ſuo inſtituto. E sì perche Pio parla di quelle proceſſioni, che la Compagnia era ſolita di fare in quel tempo per ſuo inſtituto medeſimo, le quali ſono del Venerdi Santo, dentro all'Ottava del Corpo di Criſto, quelle delle Quarantore, e altre ſtraordinarie da ordinarſi dal Pontefice, come ſimilmente ſi legge nel ſudetto libro degli ſtatuti *nel cap.* 32. laonde confermando eſſo Pio i ſudetti ſtatuti, ſolo concede, che ſi porti la Croce in quelle proceſſioni, che in eſſi ſono eſpreſſe, e non eſſendovi eſpreſſe le proceſſioni funebri, non ſi può la Bolla intendere della Croce da portarſi in eſſe. E sì ancora perche ſe Pio IV. haveſſe voluto comprendere, non dico la Croce, ma le ſimplici proceſſioni funebri, lo haverebbe ſpecialmente eſpreſſo, sì come l'eſpreſſe il Beato Pio V. nella ſua Bolla 86. che comincia *Inter deſiderabilia* per la Compagnia del Roſario *nel* §. 4. ivi: *Ac ſinguli confratres ad quaſcumque proceſſiones accedere*, nè baſtava queſto, mà ſoggiunſe il Pontefice, *& in quibus corpora defunctorum ad ſepeliendum deferuntur*, nè diſſe *cum Cruce*, mà *cum eorum inſigniis*, cioè col ſacco, col capuccio, e col veſſillo, ò col ſegno dell'imagine del Roſario. E finalmente perche ancora eſſi Regolari portavan la Croce nelle proceſſioni communi, mà non quelle funebri, e perciò fù loro neceſſiario il privilegio.

83 Ne oſta la preteſa oſſervanza interpretativa; imperciocche ancora l'altre Compagnie allegano la medeſima oſſervanza, e pur nondimeno eſſe non hanno Bolla alcuna di poter portare nè anche nelle proceſſioni communi la Croce, e per conſeguente l'oſſervanza, che eſſa Compagnia della Morte allega, non è interpretativa della Bolla di Pio IV. ma indipendente da quella, e commune con la preteſa oſſervanza dell'altre. E perche eſſa oſſervanza è difforme. E perche ancora quando eſſa vi fuſſe, e ſtato atto facoltativo de' Parochi. E perche eſſi han ſempre reſiſtito E perche non coſta, che non l'abbiano mai portato i Parochi. E perche più toſto ella è perſcrittione, e perciò ſi richiede la patienza, e l'acquieſcenza di eſſi Parochi. E perche un Paroco non può prægiudicare all'altro, e l'altro al ſuo ſucceſſore. E perche è neceſſario, che tutti i Parochi di Roma habbiano à ciò conſentito per tanto tempo, che baſti alla preſcrittione, imperciocche un ſolo, che non habbia ciò conceduto, riſerba à nome di tutti la ragione di tutti. E alla fine perche è irragionevole, imperciocche le Compagnie ſecolari haverebbono la preminenza ſopra il Clero. Laonde il Cardinal di S. Severina, che viſſe infino al tempo di Paolo V. nel ſuo Rituale atteſta, che le Compagnie per conſuetudine immemorabile non hanno mai portato avanti di ſe ne' funerali la Croce, mà ſolamente doppo di eſſe il Chierico della Parochiale; e perciò non innanzi, mà doppo il feretro è ſolito altrove di portarſi da alcuna di eſſe non la Croce, ma un ſemplice loro veſſillo, come in una Hiſpalenſe dichiarò queſta Sacra Congregatione a' 16. di Decembre del 1613.

84 Nè meno oſta lo ſtatuto del Clero Romano *nel cap.* 5. §. 7. nè alcuni decreti di queſta S. Congregatione: Imperciocche non parlano eſpreſſamente delle Chieſe delle Compagnie, e perciò ſi debbono intendere di quelle Chieſe, che ò per ragion commune, ò per privilegio ponno innalzar la Croce ne' funerali, & entrar proceſſionalmente nelle Parocchie altrui, e non delle Chieſe delle Compagnie, alle quali eſpreſſamente è prohibito d'innalzar la Croce del medeſimo ſtatuto *nel* §. 5. *del cap.* 7. e da queſta S. Congregatione nell' Andrienſe citata Nè ſi ritruova decreto, ò riſolutione alcuna di queſta S. Congregatione, nè di altra, che parli ſpecialmente delle Chieſe delle Compagnie ſecolari.

Nè giova il dire, che tanto eſſo ſtatuto *nel cap.* 7. quanto l'Andrienſe ſi debbono intendere, quando le Compagnie ſono invitate ad accompagnare i cadaveri alle Chieſe altrui, e non alle loro. Imperciochè ò eſſe accompagnino alle lor Chieſe, ò alle altrui, ſempre debbono eſſere ſpecialmente invitate, come ordina eſſo ſtatuto *nel* §. 1. *del detto cap.* 7. e queſta S. Congregatione nella Bononien. à 9. di Decembre del 1617. e quando ſono invitate *nulla ratione*, *& nullo modo* ponno innalzar la Croce, proibendoſi ciò loro dallo ſtatuto, e da queſta S. Congregatione. E imperciochè l'una, e l'altro il proibiſcon loro generalmente, e perciò anche quando accompagnano alle lor Chieſe. Si veggano oltre aciò l'altre riſpoſte, date al medeſimo ſtatuto nella prima ſcrittura, dove appieno ſi ſpiega. 85

Nè perche non ſi annovera ciò dall'Abbate *inter jura Parochialia*, egli non è *jus Parochiale*. Imperciochè, che egli ſia *jus Parochiale*, ſi è provato con ſette dimoſtrationi nella ſeconda diſſertatione, e con l'auttorità dell' Oldrado, del Cardinale, del Lavorio, e degli altri. E in quanto all' Abbate, ne anche eſſo vi ſi annovera la benedittione delle caſe nel Sabbato Santo, nè quella dell' uova nella Paſqua, le quali la Ruota coram Coccino in Romana funeralium à 14. di Decembre del 1620. decide, che ſono *jura Parochialia*. Laonde non ſi dee ciò dagli Avverſarii allegare come fondamento della lor cauſa. 86

Ancora non oſta, che'l portar la Croce ne' funerali non è atto di preminenza, nè di giuriditione, mà ſolo ſegno, che'l defonto ſia morto criſtianamente, come viſſe. Imperciochè, che egli ſii atto di preminenza, e di giuriditione ſi è provato altrove, e ſi convince da' ſudetti privilegi de' Regolari, e da molti decreti di queſta Sagra Congregatione, la quale hà più volte dichiarato, particolarmente nell'allegata Andrienſe, che intervenendo ne' funerali la Croce della Chieſa Cathedrale, ò quella della Collegiata, come fù riſoluto a' 14. di Maggio del 1644. benche il cadavere ſi portaſſe a ſepellire alle Chieſe de' Regolari, ò altrove, ſi debba portar la Croce di eſſa Cathedrale, ò della Collegiata, non per altro, ſe non per ſegno di preminenza, e di dignità. Laonde ſe la Croce ne' funerali fuſſe ſolo ſegno di divotione, e non ancora di preminenza, e di dignità, queſta Sagra Congregatione non haverebbe dichiarato, come ſopra. 87

E quando, ſenza però pregiudicio della verità, fuſſe ſolo ſegno, che'l cadavere ſii d'huom chriſtiano, à chi più ſi conviene, e chi più di ragione la dee portare, che'l Paroco, al quale è commeſſa la cura dell' anime, e'l quale sà chi ſi vive, e chi ſi muore nella communione della Chieſa, e chi e degno della ſepoltura Eccleſiaſtica, e chi nò? Laonde per la medeſima ragione non altri, che'l proprio Paroco del defonto dee portar la Croce nel di lui funerale per atteſtare a' fedeli, ch' egli e morto nella fede Cattolica, e perciò degno di ſepoltura Eccleſiaſtica. E così ſe i Parochi con ugual Carità di quella che ſi eſercita talora dalla Compagnia della Morte interveniſſero con la propria Croce alla ſepoltura de' morti, non ſi ſepellirebbono nella Chieſa, come ſi dice di eſerſi talora ſepelliti per ignoranza, ò per inavvertenza da detta Compagnia, peccatori publici, ſcommunicati, eretici, e pagani. 88

Laonde il Vitalini medeſimo, il Peirini, e gli altri, confeſſano, che la Croce ſi debba portare *da' Sacerdoti*, e non dalle Compagnie ſecolari, le quali, ò ſi conſideri il portar della Croce ne' funerali, come ſegno di preminenza, e di 89

e di giuriditione, ò come di divotione, e di Christianità, perche non si porta, se non da Christiani, e non da Giudei, a' quali è scandalo, nè da' Gentili, a' quali e stoltezza, come dice l'Apostolo *nel cap. 1. a' Corinthi, n. 23.* ò per altre pie meditationi fatte dagli Avversarii, non debbono perciò esser preferite a' Parochi, nè al Clero, perche *nullo modo, & nulla ratione* la ponno innalzare ne' funerali, e perciò nè anche per cagion di divotione, nè per qualsivoglia altro imaginabil fine, e pretesto.

90 E oltre à ciò esso Vitalini dice, che si portava attualmente in segno di preeminenza, sì come si porta ora, e si è sempre portata, ma che *non debeat deferri causa præeminentiæ, sed in signum devotionis per Sacerdotes.* Ilche era quello, che allora si questionava frà Parochi, e Regolari, ora in ciò privilegiati.

91 E notisi, che gli Avversarii han tralasciato à bello studio la parola *per Sacerdotes*, che'l Vitalini, il Peirini, e'l Pax Jordano adducono, con la quale si dimostra, che la Croce per qualunque cagion, che si porti, anche di divotione, si dee portare dal Clero secolare, ò regolare. Laonde non segue, la Croce è segno ne' funerali di divotione, adunque si può, e si dee portare dalle Compagnie secolari, perche niuno Autore dice questo, mà *per Sacerdotes*, perche le Compagnie secolari *non sunt de Clero*, e quest' attione si dee al Clero, come dicono i medesimi Autori allegati, ma con poca integrità da gli Avversarii. Nè si proibisce solamente alle Compagnie di portar la Croce nelle Parocchie altrui, ma anche di entrarvi processionalmente senza Croce, e di farvi funtione, e ufficio alcuno, chiamandosi ciò invasione da Dionisio Papa nel *can. Ecclesias 13. q. 1.* Nè si ritruova Autore, che dica espressamente, che si debba portare dalle Compagnie.

92 E in vero havendo i Parochi a lor favore *il cap. 1. ut lite pendente*, il *cap. Antiqua de privil.* e la *Clem. Archiepiscopo eod. tit.* dove generalmente si hà, che *deferre ante se Crucem* nel tenitorio, e nel popolo à se soggetto, è segno di preminenza, di dignità e di giuriditione, non si dee stare alla distintione desiderata dal Vitalini, che ne' funerali non debba esser segno di preminenza, tantò più che la ragione, ch' egli apporta non sussiste, perche, dice egli, nella via publica, e nelle case della sua Parocchia il Paroco non vi hà potestà alcuna.

Imperciochè è vero, che non vi hà potestà alcuna con-
93 tentiosa, ma in quanto *ad jura Parochialia* consistenti nell' esercitio della cura dell' anime, e negli atti à quella pertinenti, egli vi hà potestà, e giuriditione di foro penitentiale, che è il primo requisito constitutivo della Parocchia, cioè, come conchiuse la Ruota in Ravennatensi Parochialis coram Cantuccio 20. Maij 1577. *Potestas ligandi, & solvendi, quæ non cadit, nisi in Sacerdotem, can. In novo 71. d. cap. Omnis de pœnit. & remiss. Non tamen omnis Sacerdos hanc curam habere dicitur, sed is tantùm, qui necessitate adstringitur Ecclesiastica ministrare Sacramenta, & fideles, quibus administrat, ad eum accedere coguntur*, ut per Glos. *in Clem. Dudum, v. Impendant. de sepult.* Et il secondo requisito si è *certa Parochia*; cioè, come segue la medesima Ruota: *locus certis finibus constitutus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, dicitur ejus Parochia, quasi partitio curæ, can. Ecclesias 13. q. 1.* Laonde i Parochi nelle case delle loro Parocchie amministrano i Sagramenti della penitenza, del Sagro Viatico, e dell' Estrema untione, e le benedicono, le quali funtioni sono *jura Parochialia*, e atti di giuriditione in guisa che, in esse case ne anche i Regolari con tutti i loro privilegi gli ponno esercitare, mà solamente i Parochi, e per conseguenza essi solamente nelle loro Parocchie, e nelle vie, e nelle case hanno giuriditione, e potestà Parochiale.

94 E perciò esso Dionisio Papa chiama le Parocchie *jus proprium parochorum, ita videlicet*, sono parole sue, *ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat*, confirmato dal Tridentino *nel cap. 5. de ref. della Sess. 14.* E conciosia cosa che il luogo, dal quale si debbano prendere i cadaveri, e tenitorio Parocchiale, sogetto a' Parochi rispetto al loro ufficio, e non alle Compagnie, non vi si può da esse entrare, nè portar la Croce, mà da' Parochi per ragion del popolo ad essi sogetto, e per conseguente per cagione di preminenza per lo citato *cap. 1. ut lite pendente.*

Et l'haver tenitorio non importa dominio di terreno, 95
ò di vie, ò di case, come dice il Vitalini, perche questo è altresì appresso de' sudditi, ma importa giuriditione, e superiorità in quanto agli atti del suo officio secondo la Ruota in Burgensi jurisdictionis a' 4. di Decembre del 1595. coram Merlino *decis. 665. n. 15.* la qual giuriditione è la forma, che constituisce il tenitorio, la quale è solamente de' Parochi nelle loro Parocchie per lo sudetto *can. Ecclesias 13. q. 1.* Laonde, concorrendo ne' Parochi il tenitorio circoscritto da' certi confini, e la giuriditione sopra di esso, vi dee concorrerere la dispositione del sudetto *cap. 1. ut lite pendente*, cioè, che'l portare in esso tenitorio la Croce non solo è segno di divotione, e di Christianità, ma anche di preminenza, e di dignità.

E quindi è, che non la ponno essi Parochi inalzare 96
dentro alle Chiese de' Regolari, perche non è luogo ad essi soggetto, mà esente, *arg. l. in agris, de acquir. rer. dom.* E quindi ancora si è, che i medesimi Regolari fuori del loro Chiostro, e della loro giuriditione, e dell' altrui Parocchie non ponno far processione alcuna, sì come hà più volte decretato la Sagra Congregatione de' Riti, particolarmente nell' Aretina Montis S. Savini a' 19. di Maggio del 1614. e in un'altra Aretina del 1615. e in Gaballicensi Insultæ a' 28. di Agosto del 1615. e a' 18. di Febraro del 1617. nè meno funebre, se non in virtù de' loro privilegi in maniera, che il far le processioni per la Parocchia pertiene solamente a' Parochi, e niun'altro, eziandio Regolare, ò Compagnia secolare può farle, se non con la licenza, col contenso, e con la Croce del Paroco, come in una Hispalensi a' 28. di Febraio del 1628. e in Limana a' 16. di Decembre del 1632. appresso il Barbosa *in collect. Bullar. v. processio*, e facendo essi altrimente, si può loro toglier la Croce, come prova l'Oldrado nel sudetto suo conseglio, il Lavorio, e gli altri. Nè i preti stessi di Chiesa alcuna ponno inalzare in qualunque processione la Croce dentro a' limiti dell'altrui Parocchie, per decreto dell'istessa Sagra Congregatione in Romana a' 12. di Marzo del 1616. appresso il detto Barbosa nel luogo citato *v. Crux* con altri somiglianti.

E l'hà dichiarato ancora la Sagra Congregatione del 97
Sagro Concilio a' 27. di Luglio, e a' 27. di Agosto, e a' 19. di Settembre del 1628. con le seguenti parole: *S. Congregatio censuit, Regularibus, & confraternitatibus permissum esse processiones facere intra eorum Ecclesias, & claustra tantùm, & non extra, nisi de licentia, & consensu, aut cum Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, vel præscriptionibus immemorabilibus, Privilegiis Apostolicis, Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus, quibus per hoc decretum minimè censetur derogatum*, il qual decreto fù confermato dalla S. M. di Urbano VIII. come si prova nel *1. tom. delle mie consul. nella consult. 221. n. 1. c. 2.* Per lo che fù conceduto il privilegio di far processione con la Croce ne' funerali doppo il Tridentino dal B. Pio V. e da Gregorio XIII. e veggasi il medesimo Peirini *tom. 2. privil. const. 7. Pii V. §. 10. n. 1.* in Novar. *in Lucern. v. processiones n. 25.* e doppo il Diana, il Lezana, e gli altri il Donati *in prax. rer. regul. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 81 n. 1. & seqq.* Laonde dato, mà non conceduto mai, che la Compagnia della Morte havesse tal privilegio da Pio IV. egli non gioverebbe, perche non è posteriore al Concilio Tridentino.

E quindi ancora non osta la pretesa consuetudine, ezian- 98
dio immemorabile. Imperciochè, ò le Compagnie per provarla intendon di servirsi degli atti seguiti doppo il decreto della Sagra Congregatione del Concilio, e a questa intentione resiste l'istesso decreto, il quale spezialmente deroga alla consuetudine, eziandio immemorabile,

e perciò impedisce anche l'introduttione di nova consuetudine, come parlando generalmente di detti decreti, scrive il Donati nella citata *q.* 71. *n.* 9. O intendon provarla dagli atti prima del 1628. nel qual tempo uscì il decreto sudetto, e basta, dire che questa prova si rende impossibile per ragion dell'età de'testimoni; imperciochè si debbon ritrovar testimoni, che in quel tempo havessero 54. anni, e di presente 106. come appunto per eschiuder l'immemorabile fù detto dalla Ruota *part. 6. recent. decis.* 142. *nu.* 5. *& decis* 266. *n.* 16. e l'approvò nella Calaguritana decimarum a' 26. di Giugno del 1654. coram Zarata, §. *Praterea.*

99 E perciò *il cap. fin. de consuet.* che ammette somiglianti consuetudini, richiede due qualità, cioè, che sia ragionevole, e legitimamente prescritta. L'uno, e l'altro si desidera nel caso nostro. Imperciochè non si può dir ragionevole, mentre si fà la processione fra' confini delle Parocchie altrui, perche si pertutba la giuriditt'one di esse, e si proibisce dalle leggi, come ferma il Ricci nella *p.* 1. *decis.* 9. *num.* 2. e conchiude il Donati nella detta *q.* 81. *num.* 1. *& seqq.* e' l. Tamburino *de jur. Abb. disp.* 15. *num.* 49. *tom.* 2. Nè legitimamente prescritta, perche non si mostra, che tali processioni siino state fatte senza licenza de' Parochi; anzi, benche ciò si provasse, non gioverebbe, perche havendo i Parochi *juris assistentiam.* contro di essi non giova l'immemorabile, se non è approvata per tre sentenze conformi, come vuol la Ruota nella Beneventana jurisdictionis a' 27. di Luglio 1659. §. *Praterea* coram Zarata.

100 Et tanto più perche i testimoni, che si adducono à provarla, sono tutti fratelli delle Compagnie, e perciò per ragion d'affetto non meritano fede bastante, ò piena per la *decis.* 631. della Ruota *n.* 2. *p.* 4. *tom.* 1. *e dec.* 220. *n.* 14. *p.* 17. *rec.* Nè conchiudono la proibitione, e l'acquiescenza de' Parochi, la quale sopra del tutto in queste materie facoltative si dee provare, come fermò la Ruota nella detta *Calaguritana a'* 17. *di Aprile* dell'anno medesimo, e fù detto da noi di sopra, e altrove sovente.

101 Dalle quali cose si rende manifesto, che non si può trattar di manutentione, sì perche il petitorio chiaro assorbisce la manutentione, come per Postio *de manuet. observat.* 42. *à num.* 146. e sì perche la possessione avanti i sudetti decreti non si prova, e quella, che si pretende provata doppo i decreti non giova, perche hà contro di se gl'istessi decreti, che derogano alla consuetudine, eziandio immemorabile.

102 Nè giova l'asilo dell'equità. Imperchioche la causa de' Parochi non solo ha l'equità, ma anche la ragione, la giustitia, e la certezza. E a quello, che si oppone, che i Parochi accompagnando il cadavere per l'altrui Parocchie non esercitano atto di perminenza nel passarvi, e che le meretrici si sepelliscano senza Croce, e perciò è segno di religione, e non di preeminenza, si risponde, che fra' Parochi vi è uno scambievol consenso di passar per l'altrui Parocchie con la Croce, sì come vi è nell'udir le confessioni, quantunque in Milano vi sia necessario il consenso espresso di ciascun Paroco per passarvi ogni volta con la Croce. E alle meretrici, perche da' Parochi non si esercita atto alcuno di potestà Parochiale con amministrar loro in sù la morte i Sagramenti, perche muoion nel peccato publico, perciò non si porta da' Parochi ne' funerali di esse la Croce, dipendendo questa dalla potestà penitentiale, che hà il Paroco, il quale concede i Sagramenti à chi n'è capace, e per conseguente anche la sepoltura Ecclesiastica, e perciò anche la Croce in segno della sua potestà, ò siasi della Religione, ò della vita, e della morte Christiana del defonto.

103 Il dire, che i privilegi de' Regolari non furon necessarii per portar la Croce, ma solo per entrar processionalmente nelle Parocchie, e prendere i cadaveri, è contro alla letteral dispositione di essi privilegi, ne' quali letteralmente si concede d'inalzar la Croce, d'entrar processionalmente nell' altrui Parocchie, e di prendere i cadaveri. E quando fussero solo conceduti per entrar processionalmente nelle Parocchie altrui, e per levare i cadaveri, non havendo le Compagnie questo privilegio, non vi ponno entrare processionalmente, nè levargli secondo la sentenza degli Avversarii medesimi. Ma che veramente la contesa principale si fusse d'inalzar la Croce, si dimostra dall'Oldrado, e perciò i privilegi furono principalmente conceduti per essa, e conseguentemente per entrar processionalmente nelle Parocchie, e levare i cadaveri, i quali senza Croce levar non si ponno. E certo è, che tali privilegi debbono operar qualche cosa, ò siasi il poter portar la Croce, ò entrar processionalmente nelle Parocchie per levare i cadaveri. Nè l'uno, nè l'altro ponno far le Compagnie senza privilegio, il quale, se si debba, e se si possa loro concedere senza turbare la Gerarchia Ecclesiastica, si lascia al savissimo giudicio dell'Eminenze vostre.

104 E ciò in quanto al primo dubbio, nel quale à favore delle Compagnie non si apporta alcun'idoneo fondamento, decreto alcuno specifico, nè autorità specifica di alcun'Autore, che dica espressamente, che la Croce, la quale ne'funerali dee esser una, si debba portare dalle Compagnie, ma bensì all'incontro vi è decreto espresso nell'Andriense, e nello statuto del Clero Romano, che *nullo modo, & nulla ratione* la inalzino, ciò che si sij nell'altre processioni communi, nelle quali ogni Compagnia, e ogni Chiesa porta la sua Croce, e in questi termini parla, e s'intende la decision del Coccino nella Cesaraugustana, altrimente ella sarebbe contraria a' decreti di questa S. Congregatione, la quale hà dichiarato, che ne' funerali si dee portare una sola Croce, e quella dee essere della Catedrale, ò della Collegiata intervenendovi. E dal non osservarsi questa distintione di processioni communi, e funebri è nato l'equivoco degli Aversarii, e dall'equivoco l'errore.

105 In quanto poi al quinto dubbio oltre similmente all'altre risposte altrove apportate, non osta quell'unico fondamento tante volte decantato dagli Avversarii, cioè à dire, che l'Abbate non annovera *inter jura Parochialia* il far l'ufficio sopra il defonto. Imperciochè altrove esso Abbate *nel cap.* 1. *num.* 4. *de sepult.* nel fine lo annovera fra essi, e lo chiama *jus Parochiale*, come anche si può leggere appresso à Carlo Maranta nella *risposta* 22. *del suo* 4. *tomo.* E l'istesso Coccino *inter ipsa jura Parochialia* annovera le sudette benedittioni non annoveratevi dall' Abbate. Laonde *jura Parochialia* non sono cinque solamente, come vuole il Coccino nell'Adversana a se stesso contrario, ma sei con l'Abbate medesimo, e otto con esso Coccino nella Romana sudetta, e con più altri Dottori.

106 E doveriano almeno gli Avversarii dar qualche risposta alle ragioni apportate contro alle decisioni del Coccino nella detta Aversana. Imperciochè quantunque l'autorità della Ruota sii grande, non è però maggiore in questa materia dell'autorità di questa S. Congregatione, e di quella sopra a Vescovi, e a' Regolari, le quali han più volte decretato a favore de' Parochi, e che solamente nelle Chiese de' Regolari per la loro esentione non ponno essi far quest' ufficio, come si è provato nella seconda dissertatione, massimamente quando ancora vi è l'autorità di un'altra decisione di Ruota à quella del Coccino contraria, cioè del Signor Cardinal Virile parimente ivi allegata, e quando le ragioni, e i fondamenti dal Coccino apportati sono poco applicabili alla materia, della quale si tratta, e quando ancora vi è l'opinion commune a favore de' Parochi, come si può vedere appresso il sudetto Maranta. Laonde non è opinion moderna, ma antichissima da che furono instituiti i Parochi, cioè infin dal tempo degli Apostoli, seguita dall' Abbate stesso, da' Sagri Concilii, da questa S. Congregatione, e dall'altre, dal Lavorio, e da quasi tutti i Dottori, e particolarmente da S. Carolo, la di cui testimonianza. e autorità dee esser gravissima, sì per la sua Santità, come anche per l'osservanza de' Sagri Canoni, non istatuendo egli ne' suoi Concilii.

Concilii, approvati da' Sommi Pontefici, cosa alcuna, che non sii presa da' Sagri Concilii generali, e conforme ò à quelli, ò alla dottrina de' Padri, ò al commun senso della Chiesa.

107 Nè meno si è data risposta veruna, che le Compagnie non ponno acquistar ragione alcuna nelle funtioni spirituali, perche sono secolari, nè i loro Cappellani, perche sono amovibili. Nè vale l'esempio de' Parochi regolari col dire, che anch' essi sono amovibili ad nutum de' loro Superiori, e pur tuttavia nelle l'or Chiese non fanno l'ufficio i Parochi. Imperciochè questo avvien loro non per cagione de' Parochi regolari, perche sono amovibili, mà per cagion delle Chiese, perche sono esenti.

108 Nè osta il dire, che le Chiese delle Compagnie di Roma sono esenti dalla giuridittione dell'Eminentissimo Signor Cardinal Vicario, come ardisce di dire la Compagnia del Confalone, e l'adduce per suo unico fondamento, e che perciò anche dalla giuridittione de' Parochi. Imperciochè è necessario di provarlo con la esibitione de' privilegi di tali esentioni concedute doppo il Sagro Concilio Tridentino, in quanto all'Eminentissimo Signor Cardinal Vicario *nel cap. 8. e 9. di riform. della sess. 22.* E in quanto a' Parochi nel *cap. 13. in fine di riform. della sess. 24.* nè qua' luoghi si toglie qualunque consuetudine, e privilegio in contrario. E se elle sono esenti, perche adunque i Parochi vi amministrano a' loro Cappellani il Sagro Viatico, l'estrema Untione, gli sforzano al precetto Pasquale della communione, e quando vi si sepelliscono ne hanno la quarta funerale?

109 A gli altri dubbi non fa mestiere di altra risposta di quella, che si è data nell' altre scritture, le quali supplicano i Parochi, che dall'Eminenze Vostre si rileggano, e si persista ne' decreti, che in questa causa furono fatti a' 27. di Gennaio del presente anno, e di risolvere l'ultimo dubbio à favore di essi per le ragioni ivi anche apportate, accioche le Compagnie con l'autorità de' Sagrosanti decreti di coresta S. Congregatione rendano a' loro Pastori la dovuta riverenza, e con pace esercitino insieme gli ultimi uffici di pietà, dovuti a' fedeli defonti secondo che si prescrive dalla Chiesa.

110 Auditis partibus S. Rituum Congregatio tertiò præfata dubia, excepto dubio quinto, cujus resolutionem distulit, pro Parochis resolvit. Sed quia Confraternitates recursum habuerunt ad Sanctissimum D. N. qui causam remisit ad S. Congregationem Concilii, ego quartò eisdem dubiis respondi per hæc verba.

111 Eminentissime Domine. Quinque dubia, de quibus agitur, fuerunt remissa per Sac. Congregationem Rituum ad hanc Sac. Congregationem examinanda, & decidenda, quorum quatuor, excepto ultimo, fuerunt disputata, & resoluta in eadem Sac. Congregatione Rituum sub die 27. Januarii 1679. favore Parochorum, qui humillimè supplicant pro eorumdem confirmatione.

112 Primum ergo dubium, *An Confraternitas Mortis, atque adeò quæcumque aliæ Confraternitates seculares possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti à propriis Parochis tumulandi deferuntur ad ipsarum Confraternitatum Ecclesias, in quibus sepulturam elegerint.*

113 Negativè resolvendum, quemadmodum resolvit S. Congregatio Rituum sub dicto die 27. Januarii 1679. Etenim ad Parochum spectat funus, illudque dirigere, & determinate, cum Jus habeat in qualibet parte suæ Parochiæ, & super cadaver usque ad Ecclesiam, in qua sepeliendum sit Oldrad. *cons. 82. sub num. 2.* Barbos. *de Jur. Ecclesiastico univers. lib. 2. cap. 10. n. 74. cum seq.* Novar. *in Lucerna Regul. verb. Defunctus n. 4.* Zecch. *de Republ. Ecclesiast. cap. 28. num. 18.* Cesped. *de exempt. Regular dubit. 219. n. 29* Bordon. *oper. mor. tom. 3. resol. 51. de sepult. n. 60.* Lavor. *var. Elucubr. tit. 2. cap. 9. n. 119.* Lezana *in summa verbo Defunctus n. 4.* Passarin. *de stat. hominum tom. 2. qu. 187. art. 4. sub num. 191.*

114 Ac proinde in funeribus, dum cadaver ad tumulandum defertur, sola Crux Parochi erigitur, S. Congregatio apud Gavantum *in manual. verb. exequiæ n. 14* & nemo alius præter Parochum, & illo invito potest deferre Crucem, etiam si sint Regulares mendicantes, non habentes privilegium Apostolicum, Oldrad. *d. cons. 82. sub num. 2.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 3. n. 206. & cap. 11. n. 73. & seq.* Fusch. *de visit. lib. 1. cap. 25. sub n. 8.* Ugolin. *de Episcop. cap. 18. sub num. 3.* ubi ibidem servari, quando Parochianus Clerici secularis elegit sepulturam in Ecclesia alterius Clerici secularis Bonacin. *de contract. disput. 3. qu. 21. punct. 5. vers. dixi dum Parochus*, Molphes. *in summa par. 2. tract. 13. cap. 8. nu. 54.* Barbos. *de Jur. Ecclesiast. univers. lib. 2. cap. 10. sub nu. 78* Lauren. de Franch. *de controvers. int. Episc. & Regular. quæst. 67.* Sess. *decis. 143. n. 18. & seqq.*

115 Et in specie Confraternitates, quando accedunt ad funera, ad quæ non possunt accedere, nisi vocatæ ab hæredibus defuncti, non possunt erigere propriam Crucem, Ricciul. *elucubr. Ecclesiast. lib. 4. cap. 14. n. 3.* Barbos. *de Paroch. cap. 26. nu. 61. in fine, & in summ. decis. Apost. collectan. 207. n. 2.* Lezan *quæst. Regular. tom. 1. par. 2. cap. 15. n. 27.* Samuel. *de sepult. tract. 1. disput. 2. contr. 10. conclus. 5.* Murgas *eodem tract. tom. 1. tract. 8. disquisit. 3. sect. 2. dub. 27. n. 7.* Passarin. *d. tom. 2. disp. 187. art. 4. sub nu. 184. in fine*, Donat. *in prax. regular. tom. 3. tract. 8. de Confraternit. quæst. 30.* Franc. *de Eccl. Cathedral. cap. 25. n. 357.* qui omnes referunt, ita pluries declarasse Sacr. Congregationem.

116 Ratio autem est, quia delatio Crucis est signum Jurisdictionis, seu auctoritativæ potestatis, quam nullus potest in alieno Territorio exercere, invito illius Domino, ut inquit Bonac. *de contract. disp. 3. d. q. 21. punct. 5. sub n. 2.* propè finem, & quod delatio Crucis sit signum Jurisdictionis, majoritatis, præeminentiæ, & superioritatis, tradit Abb. *in cap. 1. sub n. 7.* ibique Butr. *n. 6. ut lite pendente*, Card. *in Clem. Archiepiscopo sub n. 5.* Decian. *cons. 67. n. 7. lib. 2.* Passarin. *tom. 2. quæst. 187. d. art. 4. sub. n. 186. in fin.* Ventrigl. *de Archiepisc. cap. 17. n. 8. & cap. 18. n. 6.* Donat. *in prax. Reg. tom. 1. tract. 13. q. 81. n. 3.* Et in hac specie funerum declaravit S. Rituum Congregatio in Andrien si ad 4. sub die 22. Novembris 1631. ubi quod interveniendo in funeribus Crux Ecclesiæ Cathedralis, quamvis cadaver deferatur sepeliendum ad Ecclesias Regularium, deferri debeat sola Crux Cathedralis, ut apud Barbos. *de Paroch. cap. 26. nn. 78.* vel Collegiatæ, ut in Bononien si 14. Maij. 1644. in signum quidem præeminentiæ, ac dignitatis.

117 Et propterea ex hac ratione, quia erigere, & deferre Crucem est actus jurisdictionis, prohibitum est Regularibus, & Confraternitatibus facere processiones cum elevatione, seu delatione Crucis extra proprias Ecclesias, & claustra Monasteriorum, nisi de licentia, & consensu, aut cum Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, vel præscriptionibus immemorabilibus ex declaratione, & decreto hujus Sac. Congregationis confirmato ab Urbano VIII. in quo decreto præservantur tantùm Privilegia Apostolica concessa post dict. Concil. Trident. ut refero *tom. 1. consult. 221. n. 1. & seq.* ac tradit Donat. *d. tom. 1. part. 2. tract. 13. quæst. 81. nu. 1. & seqq. per tot.* Novar. *in Lucerna Regular. v. Processiones n. 25.* Et in specie funerum extant privilegia Regularibus concessa erigendi suam Crucem, ut *in extravag. inter cunctas*, §. *porrò de privil.* & plurium Pontificum in 2. dissertatione adducta.

118 Unde etiam prædicta comprobantur, quia in funeribus unica tantùm Crux est deferenda, ut disponitur in ipso statuto Cleri Rom. *cap. 7. §. 4.* vel illa Capituli Cathedralis, sive Parochi, ut tradit Jo. Baptista Paroletus *in Palastra Clericali par. 3. cap. 5. litt. D.* quem refert, & sequitur Dian. *oper. moral. tom. 7. tract. 1. resolut. 239.* juxta ultimam impressionem coordinatam, Moron. *res. pons. 51. num. 1.* Passarin. *de stat. hom. d. q. 187. art. 4. sub n. 186.* ubi recenset plures declarationes Sac. Congregat.

vel illus Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur, Barbos. *de jur. Ecclesiast. univers. d. lib. 2. d. cap. 10. n. 78. & de Paroch. d. cap. 26. n. 7.* Moron. *d. respons. 51. n. 21.* & Lezan. *in Summ. v. Crux.*

119 Et consequenter non potest deferri Crux Confraternitatis, quia Confratres sunt laici, & per delationem Crucis deputarentur majores, & superiores ipso Parocho, incedente cum pluviali, & stola, & sub vexillo Crucis ipsius Confraternitatis, Decian. *dict. cons. 67. sub n. 6. cum seqq. lib. 2.* Emin. de Luca *disc. 19. n. 23. de Regular.* Rot. *decis. 320. n 27 part. 11.* quod est absurdum, ut major procedat sub vexillo minoris, ut per Decianum ubi proximè.

120 Et hinc Card. S. Severinæ nuncupatus scriptum reliquit, quod in processionibus pro associandis cadaveribus ad sepulturam præcedunt Confraternitates laicales, & post ipsas deferens Crucem, & deindè sequitur Clerus Regularis, & Secularis, & ultimo loco Parochus indutus superpelliceo, & stola, prout refert Theodos. Rub. apud Gratian. *discept. 298 nu. 87.* & ex eodem Rubeo Barbos. *de jur. Ecclesiast. univers. lib. 2. d. cap. 10. sub n. 56. & de Paroch. d. cap. 26. sub nu. 56* Et ita etiam disponitur, & ordinatur in Rituali Romano *in rubr. de exeq.* quod facit Jus, & est pro lege tenendum, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, ut plenè firmavit Rota *decis. 647. per tot. part. 4. tom. 3. rec.* & coram Dunoz. Sen. *decis. 98. per tot.* Et istud Rituale fuit ordinatum, & confectum longo studio per dictum Card. S. Severinæ, ut dicitur in Bulla S. M. Pauli V. confirmatoria Ritualis in principio illius impressa.

121 Non obstat, quod Confratres habent Ecclesiam, quod in funeribus deferri debeat una Crux, & illius Ecclesiæ, ad quam cadaver defertur tumulandum ex ipso statuto Cleri Romani *in cap. 5. § 7.* & ex pluribus declarationibus Sac. Congregationis Rituum, & Sacr. Concilii Tridentini Quia habent Ecclesiam quoad gubernium temporale, & œconomiam tantùm; non autem in titulum, & quoad exercitium spiritualium, quorum sunt incapaces, quia laici, & ideò quoad spiritualia est subdita Ecclesiæ Parochiali, nec statutum, nec declarationes loquuntur de Ecclesiis Confraternitatum, imò illas excludunt, & signanter in illa Andrien. 22. Novembris 1631. quæ datur authentica *in Summ. nu. 2.* nam in illa postquam Sac. Congregatio ad primum dixerat, quod Crux deferri debeat illius Ecclesiæ, ad quam funus defertur, respondens ad secundum limitando declaravit, quod Confraternitates nullo modo in actu associationis cadaveris Crucem erigere possunt, & hoc idem habetur ex statuto Cleri Romani, *d. cap. 7. §. 4.* ubi licèt in d. antecedenti *cap. 5. §. 7.* decernat, quod una tantùm Crux deferatur, in d. tamen *cap. 7. d. §. 4.* statuit, quod nulla ratione Confraternitates Crucem erectam in funere portare possint. Et clariùs in dict. Rituali Romano, quod in omnem casum semper esset præferendum cuicumque statuto, cùm sit confirmatum à Papa cum clausula sublata & Decreto irritanti, *ut in d. decis. 647. par. 4. tom. 3. rec.* & coram Dunoz. Sen. *d. decis. 198. n. 1. cum seq.*

122 Minus obstat Bulla fel. record. Pii IV. pro Confraternitate Mortis Illa enim, præterquam quod non est edita post Concil. Trident. est tantùm confirmatio statutorum ejusdem Confraternitatis, in quibus nulla fit mentio de erigenda Cruce in funeribus à Parocho præsente ductis. Solùm enim *in cap. 22.* statuitur de Processionibus à Confraternitate fieri solitis, inter quas non est, nec ibi recensetur Processio funeralis, *& in cap. 44.* solùm datur facultas deferendi Crucem, quando Parochus non comitatur funus cum Cruce sua, ut in ipso legitur, ac proinde non potest dici Bulla prædicta hunc casum comprehendere, nec ad illum dd. Statuta extendere. Confirmatio enim non ampliat confirmatum, sed tantummodo illi majoris roboris firmitatem adijcit, Rota coram S. M. Innocen. X. *decis. 680. nu. 17. & in rec. decis. 85. n. 2. & decis. 377. n. 18. & 25. part. 17.*

Et quæcumque privilegia concessa Confraternitati 123
Mortis, aut aliis intelligi debent in aliis processionibus, in quibus, vel solæ Confraternitates interveniunt, vel possunt deferri plures Cruces, non autem in Processionibus funerum, in quibus una Crux tantùm elevari, & deferri potest, & est prohibitum Confraternitatibus illam deferre, ne sequatur supradictum absurdum, ut Parochus major, & superior incederet sub Cruce Confraternitatis inferioris, & regulariter omnia Privilegia semper intelliguntur sine præjudicio Parochi, Medic. *de sepult. part. 1. q. 7 n. 41.* Sess. *d. decis. 413 sub n. 2. cum seq.*

Et hoc ipsum manifestè supponunt omnes declaratio- 124
nes Congregationum, & Doctores, dum dicunt, Confraternitates invitatas ad funera non posse erigere Crucem; supponunt enim habere jus deferendi Crucem, dum illam prohibent deferri, & erigi in funeribus, quia talis prohibitio non fuisset necessaria in Confraternitatibus non habentibus facultatem, seu privilegium deferendi Crucem, Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 32. nu. 86.*

Neque subsistit prætensa observantia, consuetudo, & 125
quasi possessio Confraternitatis erigendi, & deferendi Crucem in funeribus, præsente Parocho; quia non probatur pacifica, & est difformis ex actibus contrariis gestis per eosdem Parochos, ut ex pluribus attestationibus juratis, & depositionibus ad perpetuam rei memoriam, quæ dantur *in hoc Summario n. 3.* Ideòque nullius momenti, Caren. *resolut. 102. n. 13.* Rot. coram Buratt. *decis. 464. n. 6.* & observantia interrumpitur per unicum actum contrarium, Rot. *decis. 319. n. 37.* ubi etiamsi darentur mille actus pro observantia *par. 11. recent.*

Eòque magis, quia non solùm agitur de præjudicio 126
unius, vel alterius Parochi, sed totius Universitatis, & Collegii Parochorum, ac proinde probari debet scientia omnium Parochorum, de quorum præjudicio agebatur Rota coram Coccin *decis. 436. n. 6.* & coram Buratt. *decis. 129. n. 7. & in recent. decis. 697. nu. 16. & seq. part. 4. tom. 3.*

Maximè, quia materia est facultativa. *Summ. d. n. 3.* 127
nam Parochi possunt permittere, quemadmodum permiserunt, elevationem Crucis Confraternitatibus, *d. sum. n. 3.* vel non accedere ad Processiones; In facultativis autem non acquiritur quasi possessio manutenibilis, Rip. *in cap. cum Ecclesia Sutrina n. 42. & seqq. de caus. possession. & propriet.* cum aliis per Posth. *de manut. observat. 53. nu. 2. & seqq.* Idque procedit non obstante quocumque lapsu temporis etiam immemorabilis, Adden. ad Gregor. *decis. 162. sub n. 15.* Et tollitur omnis difficultas ex d. Rituali Romano; nam in Bulla confirmatoria derogatur quibuscumque consuetudinibus contrariis, & decernitur, neminem posse aliter cæremoniis satisfacere, nisi forma in d. Rituali præscripta servata, & solùm præservatur immemorabilis, & propterea cùm immemorabilis non probetur, nec probari possit, nulla alia consuetudo, quamvis longissima, potest suffragari, Rot. *d. decis. 647. n. 9. & seqq. par. 4. tom. 3. rec.* & coram Dunoz. Sen. *d. decis. 198. n. 2. & seq.*

Et proinde neque etiam agi potest de manutentione, 128
præsertim in hac Sacra Congregatione, ubi discutiuntur causæ in Petitorio, & quia jus confraternitatibus resistit, ut patet ex d. Rituali Romano, confirmato cum decreto irritanti, & ex tot declarationibus Sac. Congregationis supra recensitis, & signanter ex illis factis ab hac Sac. Congregatione, & confirmatis ab Urbano, relatis *dict. Summ. n. 1.* in quibus prohibetur Confraternitatibus facere Processiones cum Cruce extra propriam Ecclesiam sine licentia, & Cruce Parochi, non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & solùm præservatur privilegium Apostolicum concessum post Concilium Tridentinum, quale non habet Confraternitas Mortis, aut quæcumque alia. In his enim, quibus jus resistit, non conceditur manutentio, non obstante possessione, vel quasi,

quæ

quæ tunc potiùs dicitur occupatio, & usurpatio, & abusus, Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. disput. 15. quæst. 8. n. 10. & seqq.* Posth. *de manutent. observat. 44. n. 12. & seqq.* Rota *post eundem decis. 215. n. 2. & decis. 422. n. 6. cum seq.*

129 Secundum dubium, *An Confraternitas possit Crucem erigere tam in via, quàm in Ecclesia Parochiali, quando in ea cadaver est tumulandum*: negativè pariter est resolvendum, ut etiam videtur admittere Pars adversa, & adsunt tot declarationes Sacræ Congregationis, prohibentes in hoc casu Crucem elevari, & deferri per Confraternitates, & disponit etiam statutum Cleri Romani, ut supra dictum fuit.

130 Ad tertium dubium respondendum, posse Capellanum post absolutum à Parocho officium funeris, iterùm facere officium, sine tamen Cruce, stola, & aspersorio, ut resolvit S. Congregatio Rituum in hac causa 27. Januarii 1679. & prius in una Causarum 1665. Stola enim, Crux, & aspersorium conceduntur Parocho in signum Parochialis officii, & jurisdictionis, ut tradit Passarin. *d. quæst. 187. art. 4. n. 190.* Ideòque dum sepeliendus est defunctus in Ecclesia exempta Regularium, non potest Parochus in ea recitare orationes cum Stola, & Cruce, sed ista deponere debet, idem Passarin. *d. art. 4. n. 192. cum seq.* Barbos. *de Jur. Eccles. univers. lib. 2. d. cap. 10. n. 80. cum seqq.* Lauren. de Franc. *de controvers. inter Episcop. & Regular. quæst. 68.* Et hoc etiam probatur ex Rituali Romano *in rubrica de Exequiis* ubi statuitur stolam deferri per Parochum; undè cùm Capellanus Confraternitatis nullam habeat jurisdictionem, non potest officium cum Cruce, stola, & aspersorio celebrare in Ecclesia Parochiali. Et ita etiam fuit observatum, ut ex attestationibus juratis, quæ dantur *Summar. n. 3.*

131 Ad quartum dubium, *An possit Parochus super cadavere, præsertim sui Parochiani, qui in Ecclesia, seu Oratorio Confraternitatum intra fines suæ Parochiæ positis, sepulturam elegit, officium funeris peragere*, affirmativè est respondendum ex multis Sacr. Congregationis Rituum declarationibus authenticis, datis *in dict. Summ. n. 4.* & refert etiam Nicol. *in flosc. v. Confraternitas sub n. 20.* Lavor. *var. Elucubrat. tit. 2. cap. 3. n. 119. & seq. & cap. 11. n. 207.* Samuel. *de sepultur. contr. 5. concl. 8. nu. 16.* Bonacin. *de contract. dict. disput. 3. q. 21. n. 2.* Passarin. *dict. quæst. 187. art. 4. n. 194. in fine.* Et statuitur etiam in Concilio Mediolanensi 7. *tit. de Sodalit.* Item ex privilegiis exemptionis, quibus gaudent Regulares apud Peyrinum, & alios. Pro quibus extant variæ declarationes apud Pasqualigum, & supponit Rota in Veronensi jurium Parochialium coram Virili apud Posth. *dec. 260.* videnda.

132 Neque obstat decisio in Aversana funeralium coram Coccino inter ejus impressas *decis. 2089.* in qua firmatur, quod jus faciendi officium super cadaveribus non sit jus Parochiale, & Ecclesiam Parochialem non fundare intentionem suam super subjectione alterius Ecclesiæ, vel alicujus Confraternitatis, quamvis intra fines suæ Parochiæ sitæ; quia, quidquid sit quoad omnimodam jurisdictionem, quoad jura tamen Parochialia, & in specie super jus faciendi officium super cadaveribus, habet Parochus intentionem fundatam, & ad ipsum spectat, etiam in alia Ecclesia intra limites suæ Parochiæ, non autem ad Sacerdotes, seu Capellanos illius Ecclesiæ hoc officium peragere, Barbos. *de Paroch dict. cap. 26. sub nu. 8.* ubi refert, ita fuisse resolutum per Sacram Congregationem in Mediolanensi, & idem tradit *de Canonic. & Dignitatib. cap. 18. n. 62.* & in Summa decisionum Apostolicarum *verb. Officium Defunctorum n. 1. & seqq.* Passarin. *de stat. homin. dict. quæst. 157. art. 4 sub n. 194.* & in terminis quando defunctus sepelitur in Ecclesia alicujus Confraternitatis, quod officium facere pertineat ad Parochum, non autem ad Capellanum, seu Sacristam illius Confraternitatis, tradunt Lavor. *Lucubrat. Ecclesiasticar. tit. 2. dict. cap. 9. n. 120. & cap. 11. nu. 107.* Samuel. *de sepultur. tractat. 1. disput. 5. controvers. 10. in 4. Conclus.* ubi refert, & declarasse Sacram Congregationem in Laudensi, referente Cardinali Taberna, & resolutionem extare in illius Synodo, Gavant. *in Manual. verb. Confraternitates n. 41.* Bonacin *de contract. dict. disput. 3. d. quæst. 21. punct. 5. sub n. 1. in fine*, ubi refert tres resolutiones Sac. Congregationis, Passarin. *dict. artic. 4. sub n. 194. in fine.* Lezan. *oper. moral. tom. 1. part. 2. cap. 15. sub n. 22.* ubi dicit, ita fuisse resolutum per S. Congregationem Episcoporum, & Regularium, Donat. *in prax. Regular. tom. 3. tract. 8. q. 38.* Murg. *de Sepultur. tom. 1. tract. 8. disquisit. 2. dub. 25. nu. 5. & seqq.* Nicol. *in Flosc. v. Confraternitas n. 20.*

Et dicta decisio Rotæ coram Coccino potest adsum- 133
mum procedere in illis Ecclesiis, in quibus adest perpetuus Rector ad tradita per Archid. in *c. pluries n. 3. 16. quæst. 1.* & Host. in *c. dilectus n. 4. de Capell. Monach.* & quoties Ecclesiæ Confraternitatum ex privilegio Apostolico sunt exemptæ à Parochia, ut advertit Nicol. *in Flosc. v. Confraternitas n. 19.* & d. decisioni Rotali præferendæ sunt resolutiones Congregationum, quibus ipsa Rota solet, & tenetur deferre, ut coram Cels. *decis. 5. n. 12.* & coram Bich. *decis. 459. n. 1.* & si quæ dantur declarationes Sac. Congregationis in contrarium, procedunt in casu, quo Parochus nolit ipse officium celebrare, ut per Nicol. *dict. v. Confraternitas sub n. 19. & 20.* Et in his terminis quando Ecclesia non est exempta, dixit Rota ex mente S. Congregationis, id licere Parochis, *ut in cit. Veronensi* coram Virili. Ac demum quia Abbas in *cap. 1. n. 4. de sepult. in fine*, hoc officium recenset inter officia Parochialia, illudque appellat jus Parochiale. Qua de re videndus omninò Carol. Maranta *resp. 22. n. 4.* Et si vacat, secunda dissertatio tradita in ultima Congregatione.

Et ita se habet consuetudo, & observantia, ut ex dictis 134
attestationibus, *Summar. n. 3. & decr. Sac. Congregationis summ. n. 4.*

Deinde his addidi aliam responsionem in compendium 135
redactam.

Ad dubia proposita in præterita Congregatione, & non 136
resoluta, ad 1. scilicet, & ad 2. negativè respondendum est, ad 3. posse sine stola, aspersorio, & Cruce, ut ad illa respondit S. Rituum Congregatio 27. Januarii 1679. Quartum verò affirmativè resolvendum.

Etenim una tantùm Crux erigenda est in funeribus, 137
quod non controvertitur, & in concursu Ecclesiæ superioris cum inferiori, non hujus, sed illius erigenda est Crux, licèt funus ad inferiorem ducatur, ut notat Passarin. *de stat. homin. tom. 2. q. 187. art. 4. n. 186. cum seqq.* Estque ratio naturalis, canonica, & civilis, ne caput ponatur sub pedibus, quod indecorum, & inhonestum advertitur à Rota *decis. 4. n. ult.* coram Eminentissimo Otthobono.

Cùm igitur Confraternitates laicales sint inferiores, 138
quia non sunt de Clero, imò subjectæ Clero, quia puri laici, cumque ipsæ non possint de jure in funeribus elevare Crucem, neque incedere sub Cruce, sed ante illam, ut refert Barbos. *de jur. Eccles. lib. 2. c. 10. nu. 56. & de Paroch. cap. 26. n. 56.* urget quidem regula, quod in concursu simultaneo Cleri cum laicis, incedant isti sub illo, non autem contra.

Non obstat, quod elevatio Crucis non sit actus juris- 139
dictionis; quia saltem est signum præeminentiæ, præcedentiæ, ac directionis non concedendæ laicis supra Clerum, neque inferioribus supra Superiorem, præsertim in functionibus Ecclesiasticis, & pertinentibus ad curam animarum.

Minùs obstat, quod Ecclesia Confraternitatis sit pu- 140
blica, ipsaque Confraternitas habeat privilegium elevandi Crucem, ac sepeliendi, sitque à jurisdictione Parochi exempta, id quod gratis concedimus. Nam cùm laici non sint, neque possint esse Rectores Ecclesiæ, quia incapaces conjugii spiritualis, & Parochus intra limites suæ Parochiæ sit verus Rector omnium Ecclesiarum

parti-

particularium, non erectarum in titulum Collegii, vel Rectoriæ clericalis, ne aliàs Ecclesiæ remaneant viduæ, vel acephalæ, utique Confraternitates laicales non habent, nisi solùm usum Ecclesiæ cum rerum temporalium œconomia, quam possunt absque ulla resignatione ad suum libitum dimittere, atque adeò etiam in sua Ecclesia de jure sunt subjectæ Parocho quoad functiones Parochiales, ut optimè firmavit Rota *dec.* 124. § *Etenim p.* 12. *& dec.* 231. *n.* 2 *cum seqq. p.* 13 *rec.* & declaravit S. Congregatio super Episcopis in Forolivien. 22. Septembris 1679. & hæc Sac. Congregatio respondendo ad quæsita hujus causæ Romanæ jurium Parochialium 16 Martii 1680.

141 Idque præcipuè de jure Parochorum quoad funera in Ecclesiis Confraternitatum, & missam in eis solemniter celebrandam juxta S. Congregationis decreta, quæ referunt Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 3 *de contract. q.* 21. *punct.* 5. *ad §. observa secundo*, Samuel *de sepult. tr.* 1. *dis.* 5. *contr.* 10. *concluſ.* 4. Lezan. *tom.* 1. *quæst. reg. p.* 2. *cap.* 15. *n.* 22 Murgas *de sepult. tom.* 1. *tr.* 8. *disq.* 2. *dub.* 25. *nu.* 5. *& seqq.* Donat. *rer. regul. tom.* 3. *tr.* 8. *q.* 38. & Passarin. *de stat. homin. q.* 187. *art.* 4. *n.* 194. *ad finem.*

142 Porrò elevatio Crucis, & jus sepeliendi sine Parocho subsidiariè tantùm conceditur Archiconfraternitati Mortis, Parocho scilicet absente, vel negligente, non autem illo præsente. Neque prætensa exemptio extendi debet ad functiones Ecclesiasticas, literaliter non expressas in ipsa exemptione, quando nimirùm Parochus adest, & vult eas peragere; quia quodcumque privilegium intelligendum est præcisè in suis terminis, non contra Parochum præsentem, ac volentem fungi officio suo, præsertim in concursu cum laicis, ut est regula relata in *dec.* 165. §. *quoniam visum p.* 16. *rec.*

143 Hinc patet, non adaptari statutum Cleri Romani; quia loquitur de Ecclesiis in peculiarem titulum erectis cum Collegio, vel Rectore Ordinis Clericalis ad terminos juris naturalis, Canonici, & civilis.

144 Et decisio 2089. Coccini pariter loquitur de seculari Ecclesia in particularem titulum erecta, & quatenus aliter loqueretur, esset sanè juri contraria. Decisio autem 36. *n.* 7 coram Roias, & 45. coram Zarata *nu.* 10. *cum seqq.* loquuntur de hospitalibus erectis collegialiter cum juribus Parochi per privilegia expressa.

145 Quod verò ad prætensam consuetudinem, vel illi obstat varietas probata per Parochos, vel abusus impræscriptibilis ponendo caput sub pedibus, ut plenissimè apud Eminentissimum Otthobonum *d. dec.* 4. *n.* 37. *cum tribus seqq. ac dec.* 212. *n.* 11. *& seq. p.* 15. *rec.*

146 Quatenus verò Ecclesia Confraternitatis habeat privilegium territorii separati à Parochia, quod nondum ostensum est, ac etiam habeat Clerum mercenarium pro functionibus Ecclesiasticis, Rectoria esset reservata Summo Pontifici, & Clerus fungeretur officio Vicarii, aut Vicerectoris, atque ita posset Ecclesia erigere Crucem in forma Cleri, Parocho etiam præsente, quando funus ad illam duceretur, præcedentibus tamen Confraternitatibus laicis ante Crucem, & incedente Clero sub Cruce ad formam Ritualis Romani *sub tit. Exequiarum ordo, versic. mox ordinatur processio*, & Ritualis majoris Eminentissimi viri D. Cardinalis S. Severinæ in *rubr. de exeq. & ord. proced* quorum verba in 2. dissertatione hac de re integrè potulimus.

147 Et hæc quidem summatim nobis suggessit D. Vincentius Russophylus, Patritius Altamuræ, Vir generis nobilitate, doctrina, prudentia numeris omnibus integer, atque ut omnia uno verbo complectar, Eminentissimi Cardinalis Hieronymi Casanatæ, hoc est, oraculi Themidis consultricis Auditor. Quæ sanè sufficere possent ad hæc dubia in favorem Parochorum decidenda. Poterunt tamen Eminentissimi Patres si lubet, pro majori causæ instructione resumere scripturas omnes in duabus præteritis Congregationibus datas, & insistere decretis in hac causa emanatis à S. Rituum Congregatione, prout iidem Parochi humillimè petunt, ac supplicant.

Sacra Congregatio Concilii distulit resolutionem, & 148
Cardinalis de Luca edidit super primo dubio sequentem discursum.

Erecta in Urbe secularium Confraternitate ad plera- 149
que pietatis opera exercenda, & præsertim pro oratione 40. horarum, & pro charitativa, & gratuita sepultura pauperum, & miserabilium defunctorum, ideòque Mortis, & 40. horarum nuncupata, S. M. Pius IV. de anno 1560. dictam erectionem approbavit, eidemque Confraternitati quamplura concessit privilegia, & præsertim ut in processionibus per Urbem Crucem deferre posset, atque ad aliam Ecclesiam se transferre, vel novam erigere, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum retineri possit, quodque ejus Officiales, Confratres, & Capellani quorumcumque pauperum decendentium corpora in forma Ecclesiæ consueta; & solemniter sepelire, vel sepeliri facere liberè, & licitè valeant,

Cùm autem eadem Confraternitas, quæ circa illa 150
initia in variis Ecclesiis evagata fuit eo modo, quo de recenti experti sumus in Confraternitate Agonizantium, tractu temporis propriam contraxerit Ecclesiam Mortis nuncupatam, habentem sine dubio omnia veræ, & publicæ Ecclesiæ requisita, adeò ut ab anno 1606. citra usque ad præsens per Summos Pontifices tanquam talis nuncupata, & tractata fuerit, pluraque defunctorum cadavera ad illam pro sepultura deferri soleant. Hinc oritur primum dubium, à quo alia pendere in magna parte videntur, quænam Crux in hujusmodi sepeliendorum funere debeat erigi, an scilicet illa Confraternitatis, vel illa Parochiæ defuncti?

Quamvis autem cum magno quidem studio, & labo- 151
re multa hinc inde in jure deducta fuerunt, præsertim ex parte Parochorum, multaque etiam hinc inde deducta sint in facto super inclusione, & respectivè exclusione consuetudinis, in qua ex parte Confraternitatis magnum constitui videtur fundamentum; nihilominùs mihi videtur, quod adeò magnus labor in notabili parte fuerit superfluus, assumendo in abstracto quæstiones cessantes ex solo facto, quodque distinguendo facilis esse possit resolutio.

Tres itaque ad rem distinguendo videntur casus. Unus 152
nempè, in quo Parocho nolente, vel negligente intra tempus à S. Urbano VIII. statutum, facere funus, quia nempè defunctus pauper, & miserabilis esset, quod præsertim in defunctis ex morte violenta sequi frequenter solet, adeò ut sola Confraternitas cum propriis Confratribus, Capellanis, & Clericis funus peragat, atque defunctum ad propriam Ecclesiam pro sepultura traducat sine Parocho, aliisque Clericis secularibus, vel regularibus. Alter est casus, in quo Confraternitas interveniat cum Parocho, fortèque cum aliis Clericis secularibus, vel Regularibus in funere defuncti sepeliendi in alia Ecclesia. Et tertius est casus præcisus quæstionis; quod scilicet eadem Confraternitas cum Parocho, aliisque Clericis secularibus, vel Regularibus interveniat in funere defuncti sepeliendi in propria ipsius Confraternitatis Ecclesia.

In primo, & secundo casu planæ videntur resolutio- 153
nes. In primo, scilicet affirmativè tum ex clara, & literali dispositione prædicti Indulti Apostolici Pii IV. quod propriè, & principaliter istum casum percutere videtur. Tum etiam quia nulla alia interveniente Cruce perneces-se ista venit adhibenda, ne aliàs contra ritum universalem Ecclesiæ fiat funus, & sepeliatur Christianus absque Cruce. Et è converso in secunda plana sit negativa, ut Confraternitas propriam Crucem erigere non valeat ob expressam, & literalem dispositionem statuti Cleri Romani, adeò ut isti duo casus videantur disputationis incapaces. Non tamen inutile censendum est eos distinxisse, & prænotasse ad effectum regulandi observantiam hinc inde deduci solitam, & conciliandi, vel interpretandi testes hinc inde deductos, qui aliàs nimirùm varii, vel contrarii videntur, quoniam plerique actus, de quibus ipsi pro una, vel respectivè altera parte loquuntur,

in istis

in istis casibus verificabiles esse possunt.

154 Quatenus itaque pertinet ad tertium casum qui est proprius, & præcisus quæstionis, pernotandum, vel præsupponendum venit certum, receptum, & irrefragabile principium, vel axioma, quod nunquam evagandum est in generalibus, vel similibus, quando habentur specialia, & individualia. Ideòque inanis videtur magnus labor hinc inde adhibitus in perquirendo authoritates antiquorum, & modernorum Canonistarum, & Moralium citra, & ultramontanorum, sive in perquirendo multas Sacrarum Congregationum declarationes, quæ pro regionum, & Casuum diversis moribus, & respectivè circumstantiis prodierunt, dum in Urbe habemus specialem, & individualem determinationem statuti Cleri Romani; quod prudenter, & studiosè ordinatum fuit ad dirimendas quæstiones, quas involutas reddidit varietas tot authoritatum, & decisionum, ac declarationum, quæ hinc inde habentur, & cum magno labore, & diligentia collectæ sunt per utramque partem, ut ita scilicet per statutum istæ controversiæ, quæ frequentes, & scandalosæ esse solebant, dirimantur. istudque statutum est illa irrefragabilis lex, in qua situm est Cleri, & Parochorum fundamentum, ideòque ab eis nullo pacto impugnabilis.

155 Statutum itaque in verbis disponit, quod in funere una tantùm Crux adhiberi debeat illius Ecclesiæ, ad quam cadaver tumulandum defertur, nec alia Crux, sive Crucifixus erigatur, sive sit propriæ Parochiæ, sive Regularium, sive laicarum Confraternitatum, & per consequens, cùm ista sit vera Ecclesia, atque ad illam funus ducatur, hinc de plano excluſa remanet prætensio Parochorum, dum in verbis superiùs registratis expressè dicitur, quod erigatur Crux Ecclesiæ, ad quam cadaver defertur, non autem illa Parochiæ, adeò ut inter vulgaris regula textus in *l. ille, aut ille ff. de leg.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta.

156 Neque his adversari videtur altera statuti pars, quæ prohibet erigi Cruces Confraternitatum, quoniam quando Confraternitas considerata de per se absque propria Ecclesia haberet hanc prætensionem, tunc utique reijcienda esset, dum regulariter, & pro frequentiori contingentia hujusmodi Confraternitates soleant habere solùm privata Oratoria, vel Capellas in alienis Ecclesiis, ut praxis docet in Ecclesiis Minervæ, S. Laurentia in Damaso, S. Augustini, SS. Apostolorum, & similibus, atque antiquiori tempore verificabatur etiam in istamet Confraternitate, antequam ista Ecclesia erigeretur; quoniam in aliena Ecclesia sedem habebat cum privato Oratorio, illoque statu, vel tempore attento, non poterat erigere propriam Crucem, nisi in primo casu, de quo supra; de quo intelligendum est Indultum Pii IV. atque ad hanc distinctionem inter Ecclesiam, & Confraternitatem omninò reflectendum venit, quoniam ea mediante, omnia contraria conciliantur, atque tolluntur æquivoca.

157 Alia siquidem est Crux Ecclesiæ consideratæ de per se independenter à Confraternitate, & alia est Crux Confraternitatis consideratæ de per se independenter ab Ecclesia. Existentia verò Confraternitatis in Ecclesia non tollit substantiam Ecclesiæ, neque illi adimit illas præeminentias, quas Ecclesia suo jure haberet, quamvis Confraternitas ibi non adesset, dum ita esset dare casum, quod accidens prævaleret substantiæ, illamque destrueret, atque in hac distinctione totus est præsentis controversiæ punctus.

158 Et quamvis ex parte Parochorum replicari soleat, quod statutum intelligendum est de illis tantùm Ecclesiis, quæ habent jus erigendi Crucem; nihilominùs ista est responsio divinatoria, & de proprio capite, nullum habens fundamentum, atque contraria literæ statuti, quod loquitur generaliter de omni Ecclesia, quæ sit capax recipiendi cadavera pro illis sepeliendis discretivè ad Parochiam, & ad Ecclesias Regularium, dum statutum in verbis præsupponit, quod illa Ecclesia non sit Parochialis, neque sit Ecclesia Regularium, ideòque non videtur in quibusnam Ecclesiis illud verificetur, & in quibus non, ac propterea dicendum venit, quod pro verificatione statuti sufficit, quod sit Ecclesia, quæ habeat sepulturam, & facultatem recipiendi illos defunctos, qui in ea velint sepeliri, quamvis nullum adesset indultum; multò magis, & clariùs dùm Indultum Pianum expressè considerat casum erectionis Ecclesiæ pro tumulandis cadaveribus, & tamen concedit erectionem Crucis, quæ ad istum finem principaliter concessa videtur, dum istud est principale Institutum.

Considerando potissimè rationem, cui dicta staturaria 159
dispositio innixa est. Ratio siquidem erigendi unicam Crucem, quæ esse debeat Ecclesiæ funeris, vel sepulturæ privativè ad Parochiam, & ad omnes alias Ecclesias, quantumvis majores, & privilegiatas, non est illa, quæ consideratur per aliquos Doctores, ut scilicet ita dignoscatur, quod defunctus esset Christianus; ista namque ratio inepta videtur, & contemptibilis, tum quia in Orbe Catholico, & præsertim in Urbe non fiunt funera publica, & solemnia Judæorum, & Maumettanorum, aliorumque Infidelium, adeòut ad contradistinguendum istos à Christianis oporteat dare istud signum. Tum etiam quia attenta ista ratione oporteret potius, quod Crux esset Parochiæ, quoniam Parochus magis informatus est, an ille esset Christianus nec ne, sed unica, & vera ratio, ob quam Crux debet esse Ecclesiæ sepulturæ est illa, ut ita populus de illa certificetur, atque ad ibi orandum pro defuncto invitetur.

Prout insubsistens, nullique fundamento innixa est al- 160
tera ratio, quod sit signum jurisdictionis, & potestatis, dum id expressè excluditur per ipsum statutum, atque ad evidentiam, cum multis argumentis, imò claris demonstrationibus de facili probari posset, nisi cohiberet motivum abstinendi à superfluis in re clara.

Unica itaque non improbabilis dubitandi ratio contra 161
Confraternitatem videtur illa, quæ in Congregatione per Eminentissimum D. meum Vicarium judiciosè fuit excitata, quod scilicet ubi etiam erigenda esset Crux istius Ecclesiæ, adhuc tamen ipsa Confraternitas non deberet sub illa incedere, sed deberet sine Cruce præcedere; deindeque Crux per Ecclesiæ Clericum deferri, & post eam subsequi ejusdem Ecclesiæ Capellani, aliique de Clero seculari, vel Regulari cum Parocho ultimum, & digniorem locum occupare. Verùm ista difficultas non videtur obesse dupliciter. Primò nempè quoniam illa districta juris censura percutit illas Confraternitates, quæ non habent propriam Ecclesiam, sed solùm privatum Oratorium in aliena Ecclesia. Unde propterea sint Confraternitates invitatæ ad funus in diversa Ecclesia peragendum, atque de istis Confraternitatibus verè, & propriè statutum loqui videtur; secus autem in Confraternitate ejusdem Ecclesiæ; quoniam ista consideratur tanquam ejus pars, & membrum, atque Confratres considerantur tanquam ejus servientes, ita efformando unum, & idem Corpus Ecclesiæ repræsentativum, ideòque non scindendum. Et secundò, quoniam ista esset species æmulationis Parochorum, dum quoties erigenda non est eorum Crux, sed illa Ecclesiæ funeris, vel sepulturæ nil eorum interest, an dicta Crux in uno, vel in altero loco asportetur, & è converso ista novitas magnum pareret in populo scandalum, & aversionem tot operariorum ab isto tam pio, charitativo, & exemplari instituto, & opere. Atque ad hunc effectum nimiùm attendenda est retroacta observantia talis, qualis illa sit, neglectis subtilibus, & rigorosis criticationibus contra illam deductis, quæ considerabiles quidem essent, quando talis observantia deberet attendi tanquam præscriptiva novi juris aliàs non competentis, & cum clara resistentia juris; secus autem ubi consideratur tanquam præscriptiva novi juris aliàs non competentis,

& cum

& cum clara resistentia juris; secus autem ubi consideratur tanquam interpretativa distinctionis superius traditæ inter Confraternitatem ejusdem Ecclesiæ, & illas aliarum Ecclesiarum, ut supra, sive tanquam observantia de facto, cujus innovatio posset in populo producere scandalum, & in Confratribus aversionem, sive refrigerationem solitæ charitatis. Ideòque concludendo punctus consistere videtur in eo, quod in casu, de quo agitur Crux non est consideranda tanquam Crux Confraternitatis, sed tanquam Crux Ecclesiæ, de qua statutum disponit.

162 Huic discursui hanc brevem dedi responsionem.

163 Eminentissime Domine, Placeat Eminentiæ Vestræ resumere scripturas saltem in ultima Congregatione datas, & insistere decretis in hac causa emanatis à Sac. Rituum Congregatione sub die 27. Januarii 1679. prout Parochi humillimè petunt, ac supplicant.

164 Quoniam verò editus est pro Confraternitatibus discursus ab uno ex Eminentissimis Cardinalibus, accerrimi viro ingenii, in quo probationum claritate, definiendo, dividendo, earum adversarios convincere videtur, ideò ne videamur causa cadere, non abs re esse censuimus, quanta potuimus perspicuitate breviter ei respondere.

165 Totum controversiæ cardinem, & rectè quidem in eo constituit, quod statutum Cleri Romani c. 5. §. 7. decernit in funeribus unam deferendam esse Crucem illius Ecclesiæ, ad quam cadaver defertur. Atque adeò cùm Ecclesiæ Confraternitatum sint veræ Ecclesiæ, illarum Crux in funeribus deferri debet.

166 At huic §. opponimus idem statutum *cap.* 7. §. 4. ubi in specie de Confraternitatibus laicorum ita disponit. *Nulla ratione Confraternitates Crucem erectam in ipso funere portare præsumant:* hoc est in nullo casu, ac proinde etiam quando funus defertur ad ipsarum Ecclesias, & cùm loquatur indistinctè, comprehendit etiam Confraternitates, quæ habent Ecclesias, prout illas habebant tempore conditi statuti.

167 Oportet igitur statutum Cleri idoneè conciliare. Concedamus itaque, quod sint veræ Ecclesiæ, & quod statutum etiam illas comprehendat; nihilominùs quia statutum emanavit post Rituale Romanum, fuitque antea recognitum à Cardinali S. Severinæ, qui ipsum Rituale confecit, ideò intelligendum est juxta Ritualis dispositionem à Paulo V. Bulla sua illi præfixa confirmati, in qua jubet ab omnibus observari. In illo autem *tit. exequiarum Ordo vers. Mox ordinatur Processio*, ita decernitur: *Parochus indutus superpelliceo, &c. Clerico præferente Crucem ad domum defuncti unà cum aliis, &c.* Id quod clarius expressit dictus D. Cardinalis S. Severinæ in suo Rituali majori, *in rubr. de exeq. & ord. proced.* his verbis: *Parochus indutus, &c.* ut supra relatis.

168 Ex collatione igitur statuti, & Ritualis debet deferri Crux Ecclesiæ, ad quam funus defertur, quatenus sit Confraternitatum, non quidem à Confratribus, sed à Clerico ipsius Ecclesiæ, præcedentibus tamen Confraternitatibus, si adsint, ante Crucem, & incedente Clero sub Cruce dictæ Ecclesiæ, ad quam ducitur funus.

169 Et hoc modo facillimè statutum conciliatur, quatenus decernit, quod una Crux deferatur illius Ecclesiæ, ad quam funus defertur, & quatenus præcipit Confraternitatibus, ne ulla unquam ratione Crucem erectam in ipso funere portare præsumant. Idque sive Crux sit signum jurisdictionis, sive præeminentiæ, sive directionis, nullo pacto concedendæ laicis supra Clerum.

170 Ratio autem est, quia Confraternitates laicorum quocumque modo considerentur, non possunt elevari in ordinem Clericalem, neque repræsentare Ecclesiam, quia sunt laici, sed solùm illam repræsentant Clerici, cujus sunt ministri, & delatio Crucis in funeribus ex statuto Cleri est tantùm permissa Ecclesiæ, atque adeò illam repræsentantibus, non autem Confraternitatibus, quæ uti laicæ non possunt sub Cruce Cleri incedere, quia non sunt de Clero, sed debent distingui, ac secerni à Clero, ut proinde habeant separata ab Ecclesiis Oratoria, quorum tantùm illæ sunt servientes.

Deinde quia licèt habeant Ecclesiam, non tamen illam 171
habent in titulum, neque quoad exercitium spiritualium, quorum sunt incapaces, quia laici, sed solùm quoad gubernium temporale, & œconomicum. Et postremò, quia Confraternitates incederent cum Cruce, & Clerus sine Cruce, si illam deferrent Confratres, qui non constituunt Clerum. Quod non decet, quia inferior præferretur superiori, contra jus naturale, Canonicum, & civile, ut per Eminentissimum Otthobonum *dec. 4 ferè per totam.* At verò nullam oportet reddere rationem ubi legem præscriptam à Rituali Romano, hoc est ab Ecclesia, habemus.

Atque hinc est, quod electa sepultura in Ecclesia Con- 172
fraternitatis, si ad funus non invitetur ipsa Confraternitas, cùm non possit ad funus accedere, nisi speciatim, & expressè invitetur, ut declaravit S. Rituum Congregatio 9. Decembris 1617. apud Barbosam *de Paroch. c. 26. num. 61.* Crux aliquando delata fuit à Clericis Ecclesiæ Confraternitatis in forma Cleri, ac ferè semper à Clericis Ecclesiæ Parochialis, unum Clerum constituentibus, numquam verò à Confratribus; Undè si Confraternitas repræsentaret Ecclesiam, deferret Crucem in funeribus, in quibus non invitaretur, & aliqua profectò ratione illam posset deferre, obstante statuto Cleri loco allegato.

Non obstat, quod ex observatione hujusmodi Ritua- 173
lium sequeretur scandalum, & Confraternitates retraherentur ab operibus piis, ideòque observanda sit consuetudo hucusque servata. Nam ex observatione legis Ecclesiasticæ nemini sanæ mentis scandalum oriri potest, sed potiùs ex illius inobservatione, habetque hìc locum illud D. Gregorii in Ezechiam: *Si de veritate sumitur scandalum, utilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.*

Quare Confraternitates nullam habere possunt causam 174
justam conquerendi, dum ita legibus sancitum est, illisque est obtemperandum, nullaque rationabili, ac firma consuetudine, sed tantùm varia tueri se possunt contra honestatem Cleri, ac Rituale Romanum, quod obligat sub peccato, ut aliàs probatum, præsertim cum malo magis exemplo, quàm concesso jure id aliquando factum sit, ex tolerantia scilicèt, permissione, ac negligentia Parochorum, quæ nullo unquam modo præjudicare debent observationi Ritualis, accedente potissimùm observatione deferendi Crucem Parochialem, etiam in hoc casu, pro qua sanè, vel pro observatione ritus Ecclesiastici, & decore utriusque Cleri, non autem pro æmulatione aliqua instant Parochi apud Eminentissimos, Patres, ut insistant decretis in hac causa editis à Sac. Rituum Congregatione, utque tandem Cleri, atque Ecclesiæ honestas, & decus conservetur, quod magni interest ad dignitatem Ecclesiasticorum. Nec mirùm, si Cardinalis de Luca aliter dixerit. Nam non est scriptor Ecclesiasticus, sed profanus, in causis nempe ac foro profano apprimè versatus imo & versatus; non autem in sacris Conciliis, sacris Canonibus, sanctis Patribus, ac ritibus Ecclesiasticis.

Die 10. Januarii 1682. Sac. Congregatio Concilii de- 175
claravit Crucem deferendam in funeribus esse debere illius Ecclesiæ, ad quam funus ducitur, illamque deferendam esse à Clerico ejusdem Ecclesiæ post Confratres ante Clerum, & ita servari mandavit, &c. Unica igitur Crux in funeribus deferenda, ac etiam in translationibus cadaverum, ut observatum religiosissimè fuit in translatione corporis Pii V. quinto Idus Januarii 1588. in qua puerorum orphanorum familia, Confratrum pia Collegia, & quatuor Mendicantium, ac Servitarum item, & Minimorum prætereà, aliorumque Ordinum Regulares frequentissimi, suo quique loco, atque ordine procedere inceperunt perlata una Cruce Basilicæ S. Mariæ Majoris, ad quam corpus è Basilica Vaticana efferebatur, ut constat ex ordine translationis

auctoritate,

auctoritate, ac jussu Sixti V. factæ apud Bzovium in Pio V. propè finem. Idem observatum in funere Cardinalis Farnesii ad Ecclesiam, Iesu dictam, & ab ipso constructam, elato.

Afferamus integram restitutionem dubiorum verbis ipsius S. Congregationis, quæ sunt hujusmodi.

Romana funerum. Præter multiplices controversias jam pridem pendentes inter Parochias, & Archiconfraternitatem Mortis de Vrbe, recens quæstio suborta fuit inter istam, & Parochum Ecclesiæ S. Ioannis Nationis Florentinæ, prætendentem exhumari cadaver Ioannis Francisci Petrochii in Vrbe occisi, & inter limites dictæ Parochiæ, dum viveret habitantis, quod ab Archiconfraternitate præfata in propria Ecclesia, ipso Parocho irrequisito, sepulturæ traditum fuit.

Sed proposita in Sac. Congregatione Rituum hujusmodi causa sub die 20. Septembris proximè prætersti, decretum fuit: Uniantur causæ Confraternitatum contra Parochos tam prætensæ exhumationis cadaveris, quam funerum, & remittantur ad Sacr. Congregationem Concilii pro decisione.

Vnde delato ad aliam Congregationem dubio exhumationis dicti cadaveris, super qua Parochus S. Ioannis Florentinorum protestatus est se informando paratum non esse, Confraternitas citato Collegii Parochorum Camerario, & exaratis hinc inde informationibus per manus Eminentissimorum Patrum circumferendis, supplicant declarari.

Primò. An Archiconfraternitas Mortis, aliæque confraternitates Vrbis possint in funerum processionibus, erigere suam Crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad ipsarum Ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt?

Secundò. An eadem Confraternitates possint suam Crucem erigere, tam per viam, quam in Ecclesiis parochialibus, quando sunt invitatæ ad associandum cadaver sepeliendum in ipsa Ecclesia parochiali.

Tertio. An Capellanus ejusdem Archiconfraternitatis, aliarumque Confraternitatum indutus cotta, & stola possint post absolutum à Parocho officium funeris in Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, super eodem cadavere una cum confratribus canere psalmos Miserere, ac De profundis cum aspersorio aquæ benedictæ?

Quartò. An Parochus officium funeris possit peragere in Ecclesia Archiconfraternitatis super cadavere defuncti in eadem Ecclesia tumulandi, etiamsi sit Parochus, intra limites cujus parochiæ Ecclesia Archiconfraternitatis sita est?

Die 10. Ianuarii 1682. Sacra &c. ita declaravit: Præcedat Confraternitas; deinde Crux ejusdem Ecclesiæ, deferenda per clericum ipsius; postea sequatur Clerus regularis, & tandem secularis.

Ad secundum, negativè, tam in Ecclesiis parochialibus, quam in processionibus funebribus, prætente Parocho.

Ad tertium, & quartum, negativè.

CONSULTATIO LXXIV.

An Inquisitores Apostolici possint absolvere suos familiares, seu Officiales ab excommunicatione incursa vigore Can. Si quis suadente, *vel potius hujusmodi facultas spectet privativè ad Episcopum? Quando nimirum percussio est levis, vel mediocris, & quid si enormis?*

An absolutio data ab Inquisitoribus Apostolicis, ut supra, sit valida?

1 AD primum respondeo, seclusò privilegio, vel consuetudine, non posse, atque adeò spectare privativè ad Episcopos. Ratio autem est, quia hujusmodi manus injectio secundum se nec continet hæresim, neque suspicionem hæresis, quia est solum circa præceptum, quod non concernit fidem. Facultas autem Inquisitorum de jure est tantum ad inquirendam contra hæresim, *cap. Accusatus, §. Sanè de hæret. in 6.* Unde neque possunt de jure communi procedere contra sacrilegos, nisi sacrilegia sapiant hæresim manifestam, ut statuitur in *d. §. Sanè.* Et quamvis postea injunctum sit Inquisitoribus, ut procedant contra alia delicta, id tamen est de jure speciali, quod jus speciale non est conditum pro delicto injectionis manus in Clericum. Et ideò cum ex natura sua neque contineat hæresim, neque inducat suspicionem hæresis, non pertinet ad Inquisitores.

Confirmatur. Nam S.M. Urbanus VIII. ex voto Emi- 2
nentissimorum, &c. sub anno 1631. mandavit scribi omnibus Inquisitoribus ut in causis familiarium, & officialium S. Officii, ad illud tamen non spectantibus, tam civilibus, quam criminalibus activè, & passivè non se ingerant, sed illarum cognitionem suis Iudicibus competentibus, & ordinariis relinquant, solùmque incumbant causis spectantibus ad S. Fidem, aut ab ea dependentibus juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, excepta tamen cognitione causarum officialium, & familiarium, qui aliquo modo delinquunt in officio sibi commisso. Et casu, quo habeant aliquid relevans in contrarium, reddant certiorem S. Sedem una cum rationibus, ut considerari possint.

Ad secundum consentanè ad primum respondeo ne- 3
gativè, idque ex defectu jurisdictionis, quæ solum de jure communi, quando percussio est levis, competit Episcopo, *cap. pervenit 17. de sent. excomm.* Ubi Glos. & Abb. traditque Sayr. *lib. 3. c. 28. num. 35.* sicuti etiam quando est mediocris, & enormis, in quibusdam tamen casibus, ut de mediocri, *c. quoniam 9. de vit. & honest. Cler. & c. Monachi 2. & c. Si verò de sent. excomm.* & de enormi *cap. de cætero, c Quamvis, & c. Mulieres, eod. tit.* De quo nos alibi prolixè in peculiari Consultatione.

CONSULTATIO LXXV.

Constitutio Alexandri VII. favorabilis immaculatæ Conceptioni B. Mariæ Virginis, incipiens, *Sollicitudo*, data 8. Decembris 1661. habet præ cæteris hæc verba: *Omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ & festo, seu cultui secundum illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quovis prætexiu etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætexiu; seu occasione scripto, vel voce loqui, concionari, tractare, disputare contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo; aut alio quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutione Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus; & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque alia declaratione.*

HIs positis quæritur, *an Doctor, qui assignans regu-* 1
lam eorum, quæ sunt de fide dicit: ad demonstrandum aliquid esse, vel non esse de fide, requiritur, & sufficit probare, quod contineatur, vel non contineatur in scriptura, vel traditione; & per modum Corollarii dicit, hoc modo demonstratur non esse de fide, aut fide divina credendas revelationes Brigittæ, Hildegardis, &c. Item ea, quæ permittuntur per Ecclesiam à fidelibus piè credi, probari tamen non possunt contineri in scriptura, vel traditione, v. g. mysterium Immaculatæ Conceptionis B.V. quod quidem per multas rationes sustinetur, ut verum, sed defectu scripturæ, & traditionis de fide esse non

potest, an inquam Doctor, qui hoc docuit, & impressit, incurrerit pœnas à præfata Constitutione taxatas?

2 Item, *an Episcopus Ordinarius illius Doctoris potuit sine citatione ipsius declarare eum incurrisse, & pro tali habendum?*

3 Et, *an hoc appellante potuerit idem Episcopus decretum facere, quod non obstante appellatione sustinenda est sententia, & tanquam privatum facultatibus esse habendum?*

1 Ad 1. puto affirmativè respondendum esse, idque ex enixa voluntate Summi Pontificis coercendi effrænatam libidinem eludentium Constitutiones Pontificias hac in re editas, clausulis illis amplissimis expressas: *quoquo modo, directè, vel indirectè, aut sub quovis prætexu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive Sacram Scripturam, &c. glossandi, vel interpretandi, &c. aut alio quovis excogitabili modo differendo, &c.* Quæ clausulæ ita sunt generales, ut complectantur, quæ alias in concessione non venirent *per l.1. vers. quoquomodo, ff. de testam. milit. l.1.§. quidam, juncta Glos. v. Quoquomodo, ff. de fideicom. libert.* ac denotent universaliter omnem modum, qui excogitari potest, etiam improprium, Mandos. *de privil. ad instar, gloss.14. num.1.* comprehendantque omnes alios casus requirentes specialem expressionem, *cap. qui ad agendum, de procur. in 6 Clem. non potest.* ubi Vital. & alii *eod. tit.* ac Rot. *in novis. dec.106. num.1. p.1.* Ac proinde possint intelligi de similibus, aut majoribus expressis, cum plurimum augeant, Alex. *cons.30. col.2. num.16.* & sint aptæ non solum comprehendere ea, quæ alias ex natura sermonis non comprehenderentur, Rolan. *cons.5. nu.48.* Gabr. *cons.20. num.18. lib.3.* Rot. Avenion. *dec.110. nu.1.* sed etiam quod dispositio non restringatur ad habilitatem, & eo maximè quando fuerunt pluries repetitæ, ut in hoc casu, per ea, quæ tradit Cravet. *cons. 294. n.3.* Id quod adeò verum est, ut non possit fieri restrictio ex defectu rationis, Bartol. in *l. prospexit, in princ. ff. qui, & à quibus.*

2 Ad 2. Etiam affirmativè. Quia hæc Constitutio afficit ex ipso jure, seu ipsa disponente, idest ex sola ipsius præcepti potestate, seu ipso facto absque ministerio Judicis, ibi: *eo ipso absque alia declaratione,* & iterum: *ipso facto absque alia declaratione.* Ita Abb. *in cap. 1. de re judic.* Bartol *in l.1. in fin. ff. de compens.* Felin. *in cap. Rodulphus n.24. de rescript.* Tiraquel. *in l. si unquam, v. Revertamur n.5. C. de revoc. donat.* Sayr. *in clau. reg. lib.3. c.8. nu.24. & de censur. lib.1. cap.11. num.4.* Salas *de legib. disp.15. sect.3. n.41.* Suar. *lib.5. cap.7. num.1. de legib.* Unde non requiritur citatio per *text. in cap. pervenit, & in cap. pastoralis,* §. *Verum, in fin. de appel.* cum aliis, ac tenet Felin. *in c.3. n.3. de re judic.* & latè cum rationibus firmat Roman. *cons. 482. n.5.* Quod absque ulla difficultate videtur procedere in re notoria, Genuen. *in prax. c.23. n.16.*

3 Ad 3. Itidem affirmativè. Nam à pœna latæ sententiæ ex ipso jure, in quam dicitur quis incurrisse, non datur appellatio, *l. Si qua pœna, ff. de verb. signif. cap. Quia nos de appel.* Glos. in *cap. Cupientes,* §. *quod si, v. privatos, de elect. in 6.* Felin. in *cap. Rodulphus nu.43. de rescript.* & Canonistæ communiter *ad d. cap. quia nos,* & alii, quos ibi allegat Barbos. Tametsi à declaratoria censuræ, & alterius pœnæ latæ sententiæ ex ipso jure commissæ admittatur appellatio, dummodò verè non sit notorium pœnam commissam. Ita Gloss. in *d. c. Cupientes,* Felin. *loc. cit.* cum aliis per eum allegatis, & de communi testatur Genuen. *cap.22. n.2.* Et per talem appellationem suspenditur non ipsa pœna, sed declaratoria, ut interim habeatur pro non declarato, ut Genuen. *ibid.* & Sanchez *opusc. lib.3. cap. un. dub.32. n.243.* aliique apud ipsum, ac P. Delben. in *tract. moral. tr.3. dub.12. num.22. & seqq.*

CONSULTATIO LXXVI.

TItius sponte comparens in S. Officio Inquisitionis confitetur, se in carceribus per vim, & metum duxisse in matrimonium Bertam coram Parocho, & testibus, facta prius secretò coram alio Notario protestatione de hujusmodi violentia, eaque stante, non intendere matrimonium verè contrahere. Deinde relicta Berta, & contra eandem introducto judicio, sed non terminato per sententiam super nullitate primi matrimonii, contraxisse aliud matrimonium coram Parocho, & testibus cum Fausta. Postmodum redeundo ad Bertam, illam proditoriè occidisse, ut libentius frueretur secundo matrimonio cum Fausta contracto.

1 Quæritur, *an absolvendus sit à sola polygamia, tanquam à delicto spectante ad S. Officium, vel etiam ab homicidio occasione dictæ polygamiæ commisso?* Et

2 *An denuò contrahere debeat validè matrimonium cum Fausta, & interim debeant dicti conjuges separari?*

AD primum respondeo, absolvendum esse etiam ab homicidio. Nam S. Officium cognoscere potest non solum de causa hæresis, sed etiam de omnibus connexis, dependentibus, & incidentibus illius, ut per Eymer. *p.3. direct. num.37.* ibique Pegn. *com.10. vers. In prædictis omnibus,* Decian. *tr. crim. lib.5. cap.22. num.12.* & alii passim, quos sequitur Farinac. *de hæres. q.186. nu.26.* Quia concessa jurisdictione, & cognitione causæ principalis, conceduntur emergentia, seu incidentia, connexa, accessoria, & dependentia ab illa per text. in *l. Nulli & l. quoties C. de judic. l.1. C. de ordin. cognit. & in Clem. dispendiosam eod. tit.* & docent communiter Doctores, præsertim Aretin. *cons.83.* Dec. in *cap Pastoralis, de appellat. num.4.* Menoch. *arbitr. lib.1. q.45. num.9.* Grass. *de effect. Cler. eff.1. num.400.* Tusch. *litt. C. concl.625. n.10.* & Decian. ubi supra, & *cap.23. nu.13.* Ubi sequens Decium *cons.165. n.5.6. & 15.* advertit, quod, cum Inquisitor habeat jurisdictionem limitatam, non possit cognoscere de emergentibus, dependentibus, &c. si non attingant hæresim immediatè. Concesso enim uno intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus illud commodè expleri non potest, *c. præterea, cap. prudentiam, de offic. ord.* Atqui connexorum idem est judicium, Gloss. *in cit. cap. præterea, v. ex eo.* Igitur ab eodem Iudice tractandum, *cap.3. de Iudic.* ubi Glos. *v. Connexa,* quod etiam docent Dian. *p.4. tr.8. resol.70.* & Caren. *p.2. tit.5.* Ubi à *num.83.* probat Inquisitores esse Iudices competentes in causa legitimitatis prolis, loquendo de polygamis. Hinc cum N. carceratus expeditus in S. Officio Anconæ, sub bona fide vocatus accessisset ad Gubernatorem, qui illum carcerari mandavit, Sanctissimus dixit, quod si ejus causa habet aliquam etiam levem, & minimam dependentiam à S. Officio, liberè dimittatur à Gubernatore, ut sub die 22. Februarii 1618. & fuit excarceratus die 1. Martii ejusdem anni.

Ad 2. solet in hujusmodi casibus dispensari, ut denuò, 2
servata forma Concili Tridentini matrimonium contrahere valeant, & interim separentur, cum clausula dummodò neuter defunctæ necem machinatus fuerit, ut dispensatum fuit à Sanctissimo sub die 25. Iulii 1624. & sub 9. Martii 1623. ac alibi sæpius. In hoc autem casu Bertæ necem vir machinatus est. Et ideò non est ita facilè cum ipso dispensandum.

CONSULTATIO LXXVII.

QUidam Judæus conjugatus annorum 58. ante annos 40. fuit captivus Tartarorum, & Turcis venditus, & ab his transfuga, in Insula Corcyræ à Deo illuminatus, ad baptismum, & fidem Christianam accessit, & græco ritu baptismum accepit in Cathedrali Civitatis Corcyræ, ubi graviter ægrotans votum fecit de profitendo in Religione S. N. quod executus est, & nomen Marci Matthæi assumpsit, & professionem emisit, insciâ uxore Iudæa, & per sex annos in ea Religione, & Civitate permansit. Transeuntibus autem Polonis, ac Ruthenis, eis se conjunxit, ipsosque, ut interpres associavit usque

in Polo-

in Poloniam, & Chioviam appulit, ubi ab Archiepiscopo Pangagnei pro interprete assumptus, ipsumque sequutus, ab hoc ordinatus est Subdiaconus, & Diaconus, & pluribus vicibus eidem Archiepiscopo in his Ordinibus solemniter inservivit semper ritu græco.

Post sex annos se contulit in Civitatem suam Colomiæ, repertaque sua uxore vidua, cum illa cohabitavit, & hæbraicè vixit per quinque menses in suo priori officio Rabini prædicante. At conscientiæ stimulo agitatus ad Sacerdotem græcum se præsentavit, & ab hoc iterum ritu græco baptizatus est. Quod factum resciente uxore ad eum cum suis quatuor filiis accessit, & paucis interpositis ipsa quoque cum filiis baptismum accepit, & post aliquot dies coram eodem presbytero, qui eos baptizaverat, iterum cum eadem uxore jam conversa matrimonium contraxit.

Horum ergo delictorum syndaresi maximè agitatus statuit peregrinationem facere ad D. Jacobum Galliciæ, sed in via per vim captus, & militiæ adscriptus, reperitur nunc in Neapolitano Navali.

Ex hoc facto oriri videntur hæc dubia.

Primum, an ex conversione istius Iudæi, inscia uxore, matrimonium intelligatur solutum quoad vinculum?

Secundum, An professio emissa sit valida, & saltem ad quid obliget, si matrimonium subsistat?

Tertium, An possit deinceps cohabitare cum uxore, si matrimonium subsistat?

Quartum, Quas censuras incurrerit, præter irregularitates ex multiplici capite?

1 Ad 1. Negativè. Certissimum namque est, non eo ipso quod alter ex conjugibus infidelibus ad fidem convertitur, altero manente in infidelitate, dissolvi conjugium. Ita constat ex illis verbis D. Pauli 1. *Cor.* 7. *nu.* 12. *Ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Per Sacramentum enim baptismatis, non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur, ut ait Innocentius III. *in cap. gaudemus, de divort.* Ratio autem est, quia matrimonium jure naturæ consistit inter infideles, & ipsa fidei professio nec naturam, nec ejus jura è medio tollit. Habeturque ex Consilio Maldensi *cap.* 1. *relato in c. si quis* 28. *q.* 2. ex Innocentio Primo *epist.* 23. *relata in c. Nunquid* 28. *q.* 1. ex Triburiense Concilio *c.* 39. ex quadam Synodo Romana, & ex eodem Innocentio III. in *cap. Quarto de divort.* & tradunt Basil. Poncius *de matr. lib.* 7. *c.* 48. *n.* 4. Perez *eodem tract. disp.* 36. *sect.* 3. *n.* 3. *& alii.*

2 Ad 2. Prima sententia tenet, professionem hujusmodi esse validam. Quia sicut matrimonium ratum fidelium dissolvitur per professionem alterius conjugis, ita etiam dissolvitur matrimonium consummatum tempore infidelitatis, quod est minus insolubile, cum non sit Sacramentum. Dissoluto enim matrimonio validè quis profitetur. Ita Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 76. *n.* 9. Henriquez *lib.* 11. *c.* 8. *n.* 4. Ledesm. *disp* 59. *art.* 5. aliique.

3 At tenendum est, matrimonium conversi cum infideli contractum, & consummatum ante baptismum non dissolvi per solemnem ac Religiosam professionem. Quia professione status Religiosi tantum dirimitur matrimonium ratum fidelium, vel ex Christi privilegio, ut probat Pontius *loc. cit. lib.* 9. vel ex jure Ecclesiastico juxta aliorum sententiam. Hic autem nihil eorum ostendi potest. Non ergo est fundamentum, quo dicatur Religionis professione dissolvi matrimonium ratum, & consumatum infidelium, etiamsi contumelia adsit Creatoris. Ita docent Abulensis 1. *Reg. c.* 8. *q.* 68. & 78. Coninch. *disp.* 26. *dub.* 5. *n.* 65. Hurtad. *disp.* 8. *diff.* 14. *n.* 51. Perez *loc. alleg. sect.* 8. *n.* 3. & Poncius *d. lib.* 7. *cap.* 48. *n.* 19.

4 Non dissoluto igitur hujusmodi matrimonio certum est, illi, qui jam matrimonium consummavit, non licere ad Religionem transire invita conjuge, dum non adest causa perpetui divortii, *can. sunt qui dicant, c. Agathosa cum seq.* 27. *q.* 2. Habet enim conjux potestatem in corpus alterius. Quare sine ejus consensu alterius fieri non potest, *c. si dicat, c. notificasti, c. mulier* 33. *q.* 5. & constat ex D. Hieronymo *ep.* 14. *ad Celantiam*, & ex D. Augustino *ep.* 49. *ad Armentanum, & epist.* 199. *ad Editam, can. quod Deo, can. secundum* 33. *q.* 3. Unde peccat profitendo, neque valida professio est *d. c. notificasti* 33. *q.* 5. *cap. veniens, de convers. conjug. & cap. quidam eod.* redire cogitur ad uxorem, nec petit, licet reddat debitum; *cap. placet, & d. cap. quidam de convers. conjug.*

Ex qua communi, receptaque doctrina colligitur 5
primò, votum illud castitatis, quod hic conjux, qui sua uxore inscia, sive invita, ad Religionem transiit, emisit in professione, esse omninò nullum, nullamque obligationem parere, si ille intendebat tantum ea vota emittere in illa professione, & ea observatione, & statu regulari. Quia cum in Religionis professione fiat Deo promissio, cujus fundamentum, & traditio, qua seipsum Religioni tradidit, si traditio illa nulla est, nulla etiam sunt vota Deo facta, quæ illam supponunt. Vel ad summum cum tutiori sententia dicendum est ex *d. cap. quidam, & d. cap. placet de convers. conjug.* hunc conjugem teneri ad id, quod potuit promittere, scilicet, ad non petendum debitum.

Secundò colligitur, ejusmodi professum invita con- 6
juge, si revocatus vel sponte exivit, non teneri defuncta sua conjuge ad Religionem redire; *d. cap. quidam, & cap. placet de convers. conjug.* In quorum primo dicitur, non teneri, in secundo verò dicitur tantum adhortationibus cum illo agendum, ut redeat, non tamen cogendum; quia cum hujusmodi votum fuerit omninò irritum, & nulla ex ea professione orta fuerit obligatio, non est, cur obligetur ad Religionem mortua sua uxore redire.

Et in casu planè simili S. Congregatio Concilii apud Fa- 7
rinac. *ad sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. inclinabat, quod mulier cogeretur repetere virum, aut præstare ei consensum, ut in Religione maneret, aut ipsa quoque Religionem ingrederetur juxta notata *in d. c. Agathosa* 27. *quæst.* 2.

Ad 3. posse. Constat ex dictis, dummodò reddat, 8
non autem petat debitum. Sed quoniam ultra professionem Religiosam hic Conjux promotus etiam fuit ad Ordines Sacros, invita, vel inscia sua uxore in casibus non permissis. Ideò potest ex hoc etiam capite ab uxore revocari, si illa non ratum habuit, ut *per extrav. un. de vot.* nisi ipse matrimonio non consummato velit Religionem approbatam ingredi, & in ea solemniter per tria vota essentialia profiteri, & ad talem ingressum debet Episcopus promotum ad Sacros, matrimonio nondum consummato, admonere, quod si ingredi nollit, cogi potest ab uxore ad consummandum matrimonium, sed ea uxore præmoriente ipse in Sacris ordinatus non potest aliam ducere uxorem. Hæc omnia *in d. Extrav.* habentur, & tradit Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp* 83. *per tot.* Quod etiam procedit in hoc conjuge ordinato ritu græco Quia licet in Ecclesia græca ligamen matrimoniale non reddat irregularem hominem, ut durante eo vinculo promoveri ad ordines non possit, idque ex consuetudine, in quam Romani Pontifices consensere *can. Alter* 31. *d. c. Syracusane* 28. *d. cap. Cum olim de Cler. conjug.* Sanch. *d. lib.* 7. *cap.* 28. *n.* 4. *& seqq.* Laym. *de Sacr. Ordin. cap.* 11. *n.* 9. post susceptos tamen Ordines Sacros licitum Græcis non est contrahere matrimonium, neque permissum esse, ut ostendit præ aliis Bellarm. *lib.* 1. *de Cler. cap.* 19. ex Concilio Romano *cap.* 8. & ex aliis. Quare si Græcus aliquis Sacerdos contraheret matrimonium, invalidè contraheret, non quidem ratione voti solemnis, quod est annexum Sacris Ordinibus ex decreto Ecclesiæ; quod decretum à Græcis non est acceptum, ut inquit Innocentius III. *in cap. Cum olim. de Cler. conjug.* sed ratione ipsorum Ordinum, ut per Bonac. *de matrim. q.* 3. *punct.* 9. *num.* 13. & alios. Cohabitans verò sic pro-

sic promotus cum uxore amittit jus petendi debitum, sed tenetur reddere, Sanch. *d.cap.28.& lib.9.disp.35.num.2.* Guttier. *de matr.cap.96.per d.cap.Quidam, & cap.placet, de convers.conjug.* ubi Canonistæ. Verum id aliqui putant non procedere in ordinato ritu græco, ut supra dictum est, quare ex hoc solum capite poterit petere, ac reddere debitum.

9 Ad 4. Primò certum est incurrisse in censuras, & pœnas contra Apostatas à fide latas, nempè excommunicationem, infamiam, irregularitatem, privationem omnium bonorum, & alias pœnas contra hæreticos statutas, ut de communi testatur Sanch. *lib.2.in decal.cap.7.n.18.* & tradunt Canonistæ *in cap,1 de Apost.*

10 Secundò certum est, incurisse in pœnas contra baptisma reiterantes, nempè irregularitatis *cap.Confirmandum 50.d.cap.Quibus, de cons.d.4.cap. qui in qualibet 1.q.7.c. Afros 98.d.cap.2. de Apost.* Ubi deponendi sunt Clerici rebaptizantes, & rebaptizati, & laici sunt excommunicandi, Cardin.*n.3.* Anchar.*num.2.* Anan.*n.2.* & Glos.*in d.c.qui in qualibet 1.q.7.* Quare damnari de hoc crimine sunt infames, & iterum irregulares. Item sunt suspecti vehementer de hæresi Anabaptistarum, & Novatianorum, de qua Baron. anno Christi 218. damnata in Concilio Arelatensi sub Sylvestro Papa anno Christi 314. & ita tenent Anan. *in d.cap.2.de Apost.n.2.* & Glos.*in rubr. C.ne san.baptism.reit.*

11 Tertiò videtur incurisse in censuras ob Ordines Sacros susceptos post contractum, & consummatum matrimonium. Sed videndum, an id procedat in hoc casu, in quo promotus fuit ritu græco, ut antea diximus.

12 Quartò videtur etiam incurrisse censuras ex eo, quod invalidè professus non poterat ad Ordines absque titulo promoveri per Const.75. Pii V. *incip.Romanus Pontifex.* Sed videndum quoque est, an dicta Constitutio locum habeat inter Græcos extra Italiam commorantes.

13 Cæterum Ecclesia græca vigore unionis obligatur recipere leges Apostolicas, etiam in his, quæ spectant ad jus humanum. Imò in professione fidei Græcorum jussu Gregorii XIII. edita juramento, & subscriptione firmarunt recipere Concilii Tridentini decreta, Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones.

14 Atque ex his omnibus censeo, hujusmodi sponte comparentem, prævia abjuratione de formali, posse absolvi à censuris, & cum eo ab irregularitatibus dispensari, ac suæ uxori restitui, cum qua cohabitare poterit reddendo, non autem petendo debitum, post mortem verò suæ uxoris posse ad ingressum d. Religionis moneri, non cogi, nullo autem modo aliam ducere propter Sacrorum Ordinum susceptionem.

CONSVLTATIO LXXVIII.

SOlent Orientales cum ipso Sacramento baptismatis conferre simul Sacramentum Confirmationis per hæc, vel similia verba. *Post orationes Sacerdos ungit baptizatum cum chrismate in forma crucis super membra dicens: Signum doni Spiritus Sancti primò super frontem, deinde super oculos, ad nares, ad os, ad aures, ad pectus, ad manus, & ad pedes.* Quæritur.

1 *An hujusmodi formula in Orientalibus Ecclesiis consueta suppleat Sacramentum Confirmationis, & toleranda sit ab Ecclesia latina?* Et

2 *An à quolibet Sacerdote baptizante possit conferri hujusmodi Sacramentum, cujus in Ecclesia latina solus Episcopus est minister?*

1 QUoad primum dubium tria sunt discutienda. Alterum circa formam. Alterum circa tempus. Tertium circa partes subjecti, quod ungitur. Et ad formam quod attinet, difficultas est, quia nihil omninò de illa legitur in Scriptura Sacra. Si autem ad traditionem confugimus, magnam in antiquis Patribus reperimus varietatem.

Primò enim in Edicto Constantini legimus Sylvestrum hac forma confirmasse Constantinum: *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in consignatione fidei.* Secundò D. Ambrosius *lib.2.de Sacram.cap.ult.* hanc ponit formam: *Deus, qui te regeneravit Omnipotens, remisitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* Tertiò Alcuinus *lib.de divin.offic.cap. de Sabat.Sanct.* dicit, Romanum Pontificem confirmaturum baptizatos solitum esse orationem præmittere, per quam eis invocat septiformem Spiritus Sancti gratiam, eaque finita, facere Crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti pax tibi.* Eodem modo refert hujus Sacramenti administrationem Durand. *in ration. divin.offic.l.6 cap.84.* Quartò alii Patres scribentes de hoc Sacramento, vel nullam faciunt mentionem formæ, vel solius unctionis, ut Cyrillus Hierosolymitanus *Cathec.4.Mystag.* & Dionys. *cap.2.de Eccles.Hierarch.* vel ad summum adjungunt Pontificis, vel Episcopi orationem, ut videtur etiam facere Dionys *c.4.de Eccles.Hierarch.* & clariùs Augustinus *15. ac Trinit.cap.26.* qui id colligit ex verbis *Act. 8 Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, quem morem*, inquit, *in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Undè Amalarius *lib. de Ecclesiast. offic. cap 27.* sentit formam hujus Sacramenti esse deprecativam, neque aliam ponit præter orationem, per quam Episcopus Spiritum Sanctum postulat infantibus, cum eos signat, quia illi non dant Spiritum Sanctum, sed dari petunt. Quintò tandem legitur in Concilio Florentino sub Eugenio IV. forma hujus Sacramenti, qua utitur Ecclesia Catholica Romana, nimirum: *signo te signo Crucis, & confirmo te, &c. chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 2

Ex quibus constare videtur ejusmodi formam tolerari posse, si absque scandalo forma in dicto Concilio Florentino præscripta observari non poterit, cum illi æquivalere videatur, saltem in sensu, & significatione substantiali, tametsi formam istam Græcorum non videri sufficientem observarunt aliqui, eo quod multa non exprimit, quæ continentur in forma latinorum, quæque necessario, ut valeat Sacramentum exprimenda esse dicunt. Verum quia Arcudius latè oppositum defendit: vide illius argumenta, eorumque solutionem *in tract.de Sacram.p.2. disp.3. sect.6.* Quibus addo, quod inter ea, quæ apud Græcos non tolerantur, nusquam reperitur hæc forma, undè evidens signum, quod Ecclesia latina illam toleravit. 3

Quod autem attinet ad tempus, licet Concilium Aurelianense relatum *de consecr. dist. 5. can. Ut jejuni*, sancire videatur, ne ante usum rationis pueri chrismentur. Sic enim ait: *ut jejuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius.* 4

Nec immeritò, hac enim de causa, dum quis confirmatur, alapa cæditur, ut admoneatur quemadmodum juxta verbum Evangelicum ante Reges, & Præsides flagella pro fide æquanimiter ferre debeat, & mortem; pueri autem ante usum rationis tam ad pugnam, quam ad hujusmodi cæremonias inepti sunt; quoniam tamen id solo Ecclesiæ usu tenetur, non malè sentit Dominicus Sotus *in 4. d.7. q. un. art.8.* si aliquibus nationibus usus esset confirmare infantes, retineri posse, cum id etiam factitarit Ecclesia primitiva, quæ solita fuit infantibus statim post baptismum ministrare Sacramentum Confirmationis, ut ex Dionys. *cap. 2. Eccles. Hierarch.* colligitur, atque ex Tertulliano *de baptism. cap.7.& 8.* Rabano *lib.1. instit. Cler.cap.30.* Alcuino *de Eccles.offic.cap. de Sabat. Sanct.* D. Augustino *lib. de Eccles.dogmat.cap.52.* & ex libro, cui titulus: *Ordo Romanus tit.de Sab.Sanct.* tradit Vicecomes *de antiq.baptis. ritib. lib. 5. cap. 30.* & desumitur ex *can. 1. & ex can. de his verò de consecr. dist. 5.* Undè constat non esse 5

contra

contra naturam hujus Sacramenti, quod ministretur infantibus, neque adesse aliquod præceptum divinum, sive Ecclesiasticum de non ministrando. Quod autem modo non soleat apud plures Ecclesias ministrari non provenit, quia de hoc sit aliquod præceptum, sed quia magis censetur expedire, ne ministretur ante usum rationis, ut habetur ex Cathechismo Romano sub Pio V. *p.2. cap. 3. num.14.* Vnde posse pueris constitutis in periculo mortis hoc Sacramentum ministrari; etiamsi non habeant usum rationis, docent D.Thom. *3. part. quæst.72. num.8. ad 4.* ibique Nugnus Alensis *p.4. quæst.28. membr. 2. art. 1.* D.Bonav. *in 4. d.7. art.3. quæst.1.* Granad. *3. p. contr.5. tract. 2. disp.2. num.10.* Mærat. *tom.3 sum. disp.7.* Tanuer. *tom.4. disp.4. qu. 4. dub. 2. num. 37.* aliique. Quia hoc Sacramentum est ordinatum ad perficiendam animam speciali modo, nam ut ait D.Thomas *loc. cit.* sicut baptismus tribuit animæ vitam spiritualem, ita confirmatio tribuit incrementum in hac vita spirituali, & speciale robur, ex quo fortis fiat contra hostes fidei. Et ideo est Sacramentum necessarium pro acquirenda hujusmodi perfectione vitæ spiritualis, ac proinde non est conveniens, si fieri possit, quod morituri careant hujusmodi spirituali perfectione, cum sit complementum vitæ spiritualis, ut anima, quæ immortalis est, obtineat suam completam perfectionem. Non obstante Valentia *tom.4. disp.5. q.2. punct.2.* & Pontificale Romano *tit. de Confirmatione.* Quia quoad Valentiam non est consuetudo obligans, sed consuetudo convenientiæ, ut ex Catechismo citato. Et quoad Pontificale, illud loquitur de adultis confirmandis, quos vult non esse confirmandos, nisi sint instructi in fide.

6 Et quoad tertium. Licet etiam de necessitate hujus Sacramenti, vel saltem præcepti sit, ut hæc unctio fiat in fronte ejus, qui confirmatur: ut docet D.Thom. in *3. p. quæst.72. art.9* & cum pluribus Suar. ad dictum locum D. Thomæ *disp.33. sect.4.* nihilominus si aliæ quoque partes ungantur, id non tollit substantiam Sacramenti; nam Cyrillus Heroselymitan. *cath.3. Mystagogica* æquè dicit frontem, & alios sensus corporis chrismate injungi. *Et primum quidem*, inquit, *fronte illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat, simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri.* Et addit: *deinde vero aures unguntur, postea nares, &c.* Quam cæremoniam observari olim in illa Ecclesia ex iis non obscurè colligitur, quæ tamen neque in aliis, præsertim in Romana fuisse legitur, neque nunc servatur, patetque illas alias unctiones non esse, nec fuisse unquam de essentia, sed accidentarias, neque ipse Cyrillus eas ponit, ut omnino æquales, sed unctionem in fronte ponit ut primariam, & substantialem, alias ut accessorias, eodem modo intelligenda est Synodus Trullensis 96. ibi: *Arianos, Macedonianos, & Novatianos recipimus, dantes libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit, ut Sancta Dei universalis, & Apostolica Ecclesia Sancto primum chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures imprimentes dicimus: Signaculum doni Spiritus Sancti.* Quare Severus Alexandrinus in ordine baptismi non fecit mentionem, nisi de unctione solius frontis.

7 Quod vero ad secundum dubium de ministro Confirmationis apud Orientales major difficultas est. Petrus Arcudius *de concord. Eccles. Orient. & Occid. lib.2.* eumdem sequutus Lucas Oltenius in *dissert.1. de ministro confirmationis*, paucique alii, qui volunt esse simplicem Sacerdotem, his rationibus utuntur. Primo usus, & perpetua consuetudo, quæ aliquando in Occidentalibus etiam viguit. Secundo auctoritas Sacræ Scripturæ, ac Patrum Nam 1. *ad Timoth.4.* sic habetur: *Noli contemnere gratiam, quæ est in te per impositionem manus presbyterii,* & *Act.9.* Ananias imposuit manus Paulo, ut impleretur Spiritu Sancto, cum tamen non esset Episcopus. Clarius ex Concilio Toletano primo *can.20.* ubi dicitur: Statutum est, Diaconum non chrismare, sed presbyterum, ablente Episcopo præsente verò non, nisi ab ipso fuerit præceptum. Vnde in Concilio Arausic.1. *can.2.* dicitur hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent si desit Episcopus à presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet. Et Innocent. I. *epist.1. cap.6.* idem planè docet de energumenis, scilicet si non possint ad Episcopum referri, posse Episcopum authoritatem dare presbytero ad consignandos illos, seu ad imponendas eis manus. Idem habetur *in canon. Omni tempore de consecr. decisio. 4. & in capit. presbyter 95. dist.* quæ jura supponunt presbyterum habere potestatem Ordinis, alias neque absente Episcopo, neque eo præsente ex præcepto ejus quidquam posset efficere. Hoc ipsum habet Ambrosius *lib.3. de Sacram. capit.2.* dicens, *spirituale signaculum, & septiformem Spiritum Sanctum dari ad invocationem Sacerdotis.* Vnde Ignatius *ep.13.* in munera Sacerdotis ponit manus impositionem.

Nihilominus tenendum omnino est de fide Ministrum 8
Ordinarium Confirmationis etiam apud Græcos esse solum Episcopum. Probatur primo ex decreto Innocentii primi *epist. 1. ad Episcopum Eugubinum capit. 3. tom.1. Concil.* his verbis: *De consignandis verò infantibus, manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat verum, & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Ioannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris, qui extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Quod decretum refertur à S.Isidoro *de Eccles. offic. cap.27. & ult.* Albino Alcuino *lib. de div. offic. cap. de Sabb. Sanct.* Beda in *acta Apostol. cap 7. tom.5.* & ab aliis, cujus etiam pars habetur apud Gratian. *de consecr. dist.4 can. presbyteri.* Idem decrevit Eusebius Papa *epist.3.* dicens: *manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus.* Et infra: *Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum nec inter Ecclesiastico unquam reputabitur Sacramentum.* Idem etiam habet Melchiades Papa, eodemque ferè modo scribunt Clemens Papa, Damasus, & Leo, ac Innocentius III. *in cap. Quanto de consuetud.* scribens ad Vicarium suum apud Constantinopolim; & habetur *lib. 2. tom.1.* ejus regesti.

Et licet hæc decreta nominatim de Græcis non loquantur, de ipsis tamen expresse traditur in literis Innocentii IV. *§.4.* datis ad Episcopum Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum in Regno Cypri, quæ extant in ejus regesto Pontificatus sui anno 11. apud Bibliothecam Vaticanam super ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari possunt his verbis: *Soli autem Episcopi confirment Chrismate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos adhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.* 9

Probatur secundo auctoritate, & definitione Ecclesiæ. 10
Nam in Concilio Florentino habetur decretum Eugenii Papæ IV. in Bulla instructionis Armenorum *§. secundum Sacramentum est*, in quo sic traditur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma, confectum ex oleo, & [illegible] forma autem & signo te signo Crucis, &c. Ordinarius Minister est Episcopus, & cum cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem*

Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis quia recipisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum, &c. legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum, &c. Pariter in Concilio Tridentino *sess. 7. de Sacram. confirmat. can. 3.* ita definitur: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Vndè cùm hæc Concilia doceant solùm Episcopum esse Ordinarium ministrum Confirmationis; sanè loquuntur de ministro simpliciter necessario ad substantiam Sacramenti.

11 Denique hoc sentiunt omnes antiqui Patres tum Græci, ut colligitur ex Clemente Primo *lib. 3. constitut. cap. 16. & epist. 4.* Dionysio *part. 2. cap 2. de Eccles. hierarch.* Clemente Alexandrino apud Eusebium *lib. 3. cap. 37.* Eusebio Cæsariense *lib. 6. Eccles. hist. cap. 35.* Synodo Nicæna prima, Amphilochio in vita S. Basilii, Epiphanio *hær. 21.* Chrysostomo *ad cap. 8. Act. Apost.* ubi luculenter id probat, Isidoro Pelusiota *lib. 1. epist. 450.* eadem habetur ex Chrysostomo, & ex Oecumenio *ad d. cap. 8. Act.* Eadem quoque ex Simone Thessalonicensi *lib. 2. de Sacram.* ex Niceta *lib. 4. orthod. fid. in refut.* Messalianorum. Tum Latini ut desumitur ex Vrbano Primo *ep. ad Vniversos*, Cornelio Papa *ep. ad Fabium Antiochenum*, Cypriano *ep. 73. ad Iubaianum*, clarè ex Eusebio Papa *ep. 3.* & ex Melchiade ad Episcopos Hispaniæ, Concilio Elibernitano *can. 38.* ex Paciano *ser. de baptism. & ep. 1.* ad Sypronianum, ex Damaso *ep. 4. de Chorepiscopis*, Hieronymo *dial. adv. Lucifer. cap. 4.* Innocentio Primo *ep. ad Devotium Eugubinum c. 3.* Leone Primo *ep. 88.* Synodo Aurelianensi apud Gratianum *de consecr. d. 5.* Primasio *in cap. 13. ad Hebr.* Joanne Tertio *ad Episcop. Germaniæ*, & Galliæ, Fortunato vitæ S. Mauritii *cap. 15.* Gregorio *lib. 3. ep. 9. & ad Cap. 1. Cantic. & lib. Sacram. de baptism. infant.* Isidoro Hispalensi *de offic. Eccles. lib. 2. c. 26. & lib. 6. etymol. c. de offic. & lib. 7. c. 12.* Beda *in psal. 26. & in cap. 8. Act.* Ordine Romano *fol. 76.* Oratio post confirmationem, Gregorio Tertio *ep. 4. ad Bonifacium*, Synodo Francica, Vvilibaldo Eistrensi *in vit. S. Bonifacii, c. 20.* Alcuino *de div. offic. cap. 19. de Sab. Sanct. Pasch.* Carolo Magno *lib. 6. legum c. 83. & c. 174.* Concilio Cabilonensi secundo *c. 27.* Haymone *homil. in fer. 2.* Pasch. *& ad c. ad Hebr. & ad 13.* Concilio Parisiense *lib. 1. c. 33.* Vvalfrido *de reb. Eccles.* Concilio Meldense *capit. 6.* Rabano Mauro *de instit. Cler. lib. 1. cap. 30.* Nicolao Primo ad Ridolphum Bituricensem Episcopum, Smaragdo *de diadem. monach. cap. 63.* Abbone Florisacensi Vitæ S. Edmundi *cap 8.* Bernone Augiensi *ser. 1. de Pentecoste*, Petro Damiano *ser. 1. in dedic. Eccles.* Edinero *in vit. S. Anselmi lib. 2.* Ruperto Tuitensi *lib. 5. de div. offic. cap. 16.* Hugone Victorino *de Sacram. fidei lib. 2. p. 7. cap. 2.* Petro Lombardo *lib. 4. d. 7.* Innocentio Tertio ad Vicarium apud Constantinopolim & ad Patriarcham Constantinopolitanum, Edmundo Cantuariensi *in specul. Eccles. cap 14. de septem Sacram.* Thoma Aquinate *in tom. de artic. fid. c. 14.* & contra Gentil. *lib. 4. capot. 60.* Gulielmo Durando *in rational. div. offic. lib. 1. cap. 9.* Durando à S. Portiano *lib. 14. sent. d. 7. qu. 3.* Nicolao Lyrano *in cap. 8. Act.* Ludolpho Carthusiano *vita Christi p. 2. c. 10.* Thoma Vvaldensi *tom. 2. de Sacram. Confirm. cap. 111.* Concilio Ferrariense in doctrina *de Sacram.* Concilio Senonense *de Sacram. Confirm.* Concilio Tridentino *sess. 7. de confirmat. can. 3.* Augustino *15. de Trinit. cap. 26. & lib. quæst. nov. testam. quæst. 47.* Beda *in cap. 8. Act. & inter Theologos* D. Thoma *3. p. q. 72. art. 11.* ubi ejus expositores, præsertim Suarez *disp. 36. sect. 1.* Et oppositum fuit error Vviclephi, damnatus in Concilio Constantiensi *sess. 8.* item error Armachani *lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 4.*

Ex quibus apertum fit, Sacramentum Confirmationis 12
à presbytero collatum irritum esse. Quare, ut alias dixi Gregorius XIII. Pontifex Maximus in quadam Synodo suo tempore anno 1578. apud Majoritas celebrata, ei, qui Synodo præsidebat, injunxit, ut qui in illis Regionibus à simplici Sacerdote erant confirmati, si vellent, possent iterum ab Episcopo chrismari, si tamen scandalum timeretur, non oportere confirmationem reiterari, & si nullum esset Sacramentum, tamen cum non sit de necessitate salutis ob scandalum securè prætermittendum. Eamq; hujus rei Summus Pontifex reddit rationem, quia etsi Florentinum Concilium in unione Armenorum doceat, posse presbyterum ex Papæ dispensatione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregorius *lib. 3. regesti epist. 26.* hanc tamen Apostolicam dispensationem non legimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cui Maronitæ substant, collatam esse, idcirco à presbytero chrisma collatum irritum est.

Neque difficile est rationibus contrariæ opinionis 13
respondere. Quod enim spectat consuetudinem, dicendum est, illam fuisse ex dispensatione Apostolica, vel si secus damnandam esse, quemadmodum in specie eam damnat Augustinus *lib. 9. qq. nov. & vet. testam. q. 42.* ubi graviter queritur de corrupta Ægyptiorum, & Alexandrinorum consuetudine, quorum Sacerdotes audebant confirmationis Sacramentum administrare, ac idem Innocentius III. *in d. cap. quanto, de consuet.* ubi addit, tutius esse hoc Sacramentum sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quam ab his, quibus illud conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferatur, cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subest in effectu.

Ad testimonia Scripturæ quod attinet. In priori non 14
est legendum *presbyteri*, sed *presbyterii*, unde illa particula non designat ministrum, sed modum, seu speciem illius manus impositionis, quæ non fuit Sacramentum Confirmationis, sed ordinis. In posteriori non est etiam sermo de Confirmatione, sed de manus impositione curativa, ut patet ex contextu juxta illud, *super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Ad Concilium Toletanum dicendum est, ibi non esse sermonem de unctione chrismatis in frontibus, sed de cæremoniali unctione, quæ in vertice fit in baptismo solemni; nam ut ibi dicitur, & confirmat optimè Leo Papa *epist. 86.* & Damasus Papa *epist. 1.* olim nihil presbytero agere licebat absque licentia Episcopi, atque eam fuisse unctionem cæremonialem, tradit etiam Damasus *in vit. Sylvestri*, Hugo Victorinus *lib. 2. de Sacram. p. 7. cap. 2.* & Innocentius I. *Epist. 1. cap. 3.* Vnde ad decretum Concilii Arausicani dicendum est, non posse intelligi de hoc Sacramento, sed de reconciliatione solemni, quia olim ad Ecclesiæ gremium recipiebantur hæretici. Ad eundem modum intelligi potest decretum Innocentii I. quanquã in eo nulla fit mentio chrismatis, neque unctionis, sed tantum consignationis, & manus impositionis, quæ sine dubio non erat Sacramentum confirmationis; hoc enim nunquam applicatum fuit energumenis in remedium, sed cæremonia aliqua, qua soli Episcopi utebantur ad expellendos dæmones, presbyteri autem solum ex licentia Episcopi. Denique *ad c. omni tempore, &c. Presbyter*, non quidem ex Martino I. desumptos, sed à Martino Bracharensi Episcopo, rectè idem Sotus respondet, illos non esse intelligendos de Sacramento Confirmationis, sed de cæremoniali unctione in vertice, quæ olim etiam erat prohibita presbyteris, præsente Antistite, ut ostensum, præsertim ex Leone Papa *epist. 82.* ad Ambrosium, & Ignatium respondetur. Hic apertè loquitur de Episcopo. Sic enim ait: *Nihil sine Episcopis facito, Sacerdotes enim sunt.* Ille quasi per Antonomasiam

Episcopum

Episcopum Sacerdotem vocat est enim revera Sacerdos & Sacerdotum Princeps, nec ait Spiritum Sanctum dari ad invocationem cujusliber Sacerdotis, sed simpliciter, ac indefinitè ad invocationem Sacerdotis, scilicet principalis, ac præcipui, qualis est Episcopus, &c. Itaque observandum in hoc Concilium Tridentinum loco citato, quod Græci suscipere tenentur, ut alibi dictum à nobis est. Vnde satis esse censeo respondere huic dubio simpliciter, *obstare S. Concilium Tridentinum.*

CONSVLTATIO LXXIX.

An expediat ad declarationem Instructionis super celebratione matrimonium decernere, quod Episcopi qui habent amplas diœceses, teneantur deputare Parochum, seu Vicarium foraneum pro diœcesanis habitantibus ultra duas dietas à Curia Episcopali & matrimonium contrahere volentibus ad hoc, ut ii coram suo Parocho, aut Vicario foraneo suum statum liberum probare valeant absque majori dispendio accedendi ad Curiam Episcopalem pro eodem effectu.

1 AFfirmandum videtur. Sic enim prospiceretur nedum incommoditatibus matrimonium contrahere volentium, cùm hoc modo providebitur, ne per longum iter testes ad probandum eorum statum liberum evocentur prohibente *l. 3. §. testes; ff. de testibus*, sed etiam sumptibus, cùm eorum productio sumptibus producentis fieri debeat *per text. in l. Quoniam liberi, C. de testib. & in l. eos, 1. §. Si quid autem, in fin. C. de appel. & in cap. Statutum, §. proferendo, & §. Insuper, de rescript. in 6.* utrobique Glossa, est enim regula, eum sumptus præstare teneri, cujus gratia actus celebratur, *l. sed etsi §. 1. ff. ad exhib.* Præsertim quod extra locum habitationis peregrè evocantur, undè viaticum necessarium, nulla habita ratione, vel deductione sumptuum, quos alias domi fecissent, producens suppeditare tenetur per *text. in d. §. proferendo, & §. Insuper*, & alios ibidem. Quod nisi fuerit, testes etiam citati comparere non tenentur, *d. §. proferendo* ubi Glossa notabilis, dicens producentem sumptus, & expensas abitionis, moræ, stationis, & reditus apud Iudicem deponere debere. Id quod Anchar. *ibid. num. 3. & in d. §. Insuper num. 5.* quoque annotavit. Ac præsertim, quia non solum contrahentes, sed etiam ipsi testes sæpissimè mercenarii sunt, qui ex operis diurnis se, uxorem, & liberos alentes peregrè evocantur, quo in casu præter expensas etiam harum operarum, & diurnæ mercedis ratio haberi debet. Nam etsi testimonium testi non debeat esse lucro, & emolumento, attamen operarum intermissio ob utilitatem alterius, non debet etiam ei esse fraudi, & nocumento per *in l. Iulianus, §. Idem Iulianus, & in lib. præterea, ff. de rei vend.* ne ex officio suo damnum iniquè patiatur, quod fieri non debet *l. si servus communis, §. quod vero, ff. de fur.* cum vulgo aliis. Habetque summam rationem, quia hujusmodi operæ diurnæ, quasi in fructu sunt, ergo merito considerari debent per *l. venationem, ff. de usur. l. In hominis, ff. de oper. servor.* ubi dicitur, in hominis usufructu operæ sunt; & ob operas mercedes, *lib. fructus, ff. eodem tit.*

2 Quare Concilium Trid *sess 24. c. 7. de refor. matr.* id integrum Parochis reliquit, solumque præcipit, ne vagorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Cumque Vicarius Hydruntinus mandaverit per totam diœcesim Parochis, ne solemnizarent matrimonia sine ejus licentia, S. Congregatio Concilii rescripsit sub die 26 Iunii 1590. revocandum esse tale præceptum, & restringendum ad casum, quando contrahentes sunt exteri, vel deregitur impedimentum. Id, quod etiam sæpius declaravit S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus, nuncupatim in Telesina 7 Augusti 1606. & 20. Decembris 1629. Vt proinde sæpè ex justa causa Sedes Apostolica committit causas ipsas matrimoniales inferioribus Episcopis, ut habetur *ex cap. proposuisti de probat. & cap. ex litteris de integr. rest. & c. 1. ut lit. non contest.* & advertunt Covar. *de sponsa p. 2. c. 2. §. 11. n. 1.* ac intra quidem eamdem diœcesim, nisi Pontifici aliter visum fuerit.

Quibus ex causis distinctis locis olim factum est, ut singuli ferè cujusque loci incolæ, suos habuerint pacis conservatores, & Iudices, & non opus fuerit alibi ad justitiæ remedium recurrere, quod maximo est in Republica beneficio tribuendum, dandaque est opera his, qui gubernacula tenent, ne leges bonæ tantum constituantur, sed & ut secundum leges vivatur, quod facilè consequentur constitutis per singulas Civitates, & Oppida domesticis Iudicibus. Sicut Iosaphat Rex Iuda laudatur ex bonis operibus 2. *Paralip. c. 19.* & quod constituerit Iudices Terræ in cunctis Civitatibus Iuda munitis, per singula loca, & in Hierusalem constituerit Levitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, ut judicium, & causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Et ne confusio esset in concursu jurisdictionum, distinxit singulis Iudicibus causas proprias de quibus cognoscerent. Sic & Jurisperiti per Regum, Imperatorumque constitutiones responderunt, territoria singulis Iudicibus commissa, nec extra jus dicere possint, *lib. fin. ff. de jurisdict. omn. Iudic. l. pupillus, §. territorium, ff. de verb. signif.* & Dionysius Papa singulis presbyteris certos fines parochiarum, & terminos præscripsit *in can. Ecclesias 13 q. 1.* Effecerunt autem Principes, & Legislatores, ne alicubi esset penuria lites discutiendi, & pluribus ideo modis quemlibet aliquod forum, seu judicium sortiri voluerunt, vel ratione domicilii, vel ratione contractus, vel delicti, vel rei controversæ, ne injustitiæ, aut calumniæ, aut impunitatis daretur occasio & omnibus paratissimis, & oblatis remediis quies societatis humanæ, & Reipublicæ retineretur, præsertim pauperum hominum, qui minutis etiam expensis exhauriuntur superbia, & avaritia eorum, qui Curiis Episcopalibus præsunt. Vnde cum Episcopus de jure habeat pro loco procedendi, & tribunali totam diœcesim *cap. cum Episcopus, de offic. Ordin. in 6.* debet pro commoditate sui populi deputare Parochos, vel Vicarios foraneos quoad statum liberum probandum eorum, qui matrimonia contrahere voluerint, per textum *in l. Si locum, ff. de judic. & in l. 1. cum post sententiam, C. de appel.* cum ibi & contrahentes ipsi, ac testes sint magis cogniti quam in Curia Episcopali ultra duas dietas distante. Quo casu Episcopus non potest trahere, ne suos quidem Capitulares ad Curiam suam, sed debere illis deputare Iudicem ex tutiori tenet Abb. *in cap Sanè in fin. de for. comp.* Anchar. Felin. & alii; quos acduxit Rota in Calciaten. jurisdictionis coram Re. boldo.

4 At vero contrariam partem de jure videtur amplectendam. Nam Episcopus potest exercere jurisdictionem suam in quacumque parte suæ diœcesis per text. *in capit. Cum Episcopus, de offic. Ord. in 6.* Glos. *in c. fin. v. diœcesim. de const. quod lib. cum aliis* per Gonzal. *ad Reg. 8. §. 2. præm. num. 15* Ac proinde non tenetur deputare in diversis locis suos Officiales; præsertim quando agitur de causa gravi, & ardua, in quo casu etiam de stylo Rotæ non datur remissoria, sed testes debent accedere ad Curiam, ut testatur eadem Rot. in Tullensi nullitatis matrimonii 18. Martii 1647. coram Ghislerio. Hìc autem agitur de re gravi, quoniam agitur de evitandis polygamiis, ac impedimentis matrimoniorum, ex quibus fidei Catholicæ, & Reipublicæ christianæ gravissima damna inferuntur. Et hanc partem absolutè sequuta est Sacr. Congregatio S. Officii, quæ semper denegavit facultatem committendi examen testium examinandorum in causis matrimonialibus Vicariis foraneis, & injunxit, quod observetur ab Ordinariis Instructio pro iisdem testibus examinandis, ut videre est in decretis ejusdem S. Congregationis. Cum enim experientia demonstraverit difficultatem, quæ reperitur in inveniendis peritis

Parochis, vel Vicariis foraneis, præsertim Villarum, & Castellorum, ac detexerit tot polygamias atque impedimenta, tutius judicavit ejusmodi examen nonnisi ab ipsis locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, vel alio idoneo Deputato faciendum esse.

5 Non obstat, quod testes evocandi non sunt per longum iter per *d.l.3.ff.de testib.* nam id intelligitur, si temerè & absque necessitate evocarentur ut *in d. l. §. testes in fine* habetur.

6 Minus obstat, quod Episcopus debet jus dicere sine incommodo partium more majorum per *text. in l. pen. ff.de just.& jur.* & *in l si locus, ff.de judic.* Quia id quoque intelligi debet, ut non judicet extra territorium suum ut per Butrig. Bald. & alios *in d.l.si locus*, & melius Host. *in sum. tit. de feud. §. apud quem num.* 13.

7 Neque obstat amplitudo diœcesis, ut idcirco non possit Episcopus cogere suos subditos ad suam Curiam accedendum è loco longinquo, sed debet vel ipse accedere, vel alium delegare per Anchar. *in cap. Nonnulli nu. 5. de rescript. & in cap. Cum te in prine. de offic. deleg.* Butr. *in cap. Sanè in fin de foro comp.* & ibi Io. Andr. *n.5* & alios. Quia dicta conclusio communiter reprobatur à Doctoribus, ut per Abb. *in d.cap. Sanè num* 3. Rot. *decis. 297. n. 8. p. 2. div.* Et restringitur, ut procedat tantummodo, quando locus valde distat, & causa est modica, Barbat. *in d. cap. Nonnulli num.6.* & Felin. *de rescript.* Rot. *d. decis. n. 8.* Atque etiam de æquitate tantum, ut per Imol. *in d.c. Sane*, & Additionator ad Abb. *in cap. dilectus 2. lit. ff de rescript.*

8 Denique non obstat incommoditas, & sumptus contrahentium. Quia cum dicta Instructio provideat communi bono Republicæ, & remedium adhibeat incommodis Religionis Catholicæ, non est censenda præjudicialis tertio. Quia quod dirigitur in bonum commune, non censetur alicui præjudicare, etiamsi aliquid juris ipsi detrahat, quia communis utilitas privatæ utilitati præferenda est, *l. fin. §. communia, de legat. & l. utilitas, C. de privil. lib. 12. & l. actione, §. labeo ff. pro socio, & can. Sciat* 17. *q.* 2. ibi: *Plurimorum utilitas unius utilitati, vel voluntati præferenda est.* De quo Doctores communiter. Quod adeo verum est, ut publica utilitas sit ratio sufficiens auferendi jus suum privatis hominibus, ut notant Doctores *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de const.* ubi Felin. *num.* 27. & Dec. *num.* 20. Cujus rei ea ratio est, quod in publica utilitate omnes communicant, & ideo continet majus bonum, cum contineat illud bonum, quod omnes tangit.

9 Et hæc quidem de jure, & juxta mentem Sacr. Congregationis S. Officii. Sed quid de æquitate? Et expedire æquissimum puto, cum his tamen limitationibus. Primo quod non deputentur, nisi Vicarii Foranei, dummodo sint idonei, alioquin alii Officiales, nec nisi in Oppidis sive Terris numerosis commodioribus, non autem Curati Villarum, qui, ut plurimum, sunt imperitissimi. Secundo, quod non recipiant examen, nisi pro matrimoniis diœcesanorum, non autem vagorum, neque exterorum Tertiò, quod examen hujusmodi pro iis, qui vel Romæ vel alibi commorantur, transmittant ad Curiam Episcopalem, ut fiat attestatio sigillo, & subscriptione Episcopali munita, pro faciliori postea recognitione ejusdem sigilli, & subscriptionis in casu, quo extra diœcesim producatur.

CONSULTATIO LXXX.

1 *Armenis, quibus est Indultum celebrare Officia divina ritu Armeno, licet commorentur in Oppido latino, an sit permittendum, ut etiam celebrent Pascha, & alia festa mobilia juxta ritum Armenum, hoc est secundum antiquam calculationem, servari solitam ante correctionem Kalendarii?*

Episcopus ad sedandum tumultum permisit Armenis, ut Dominica in Albis, in qua cadebat Pascha juxta ritum antiquum celebrarent Missam solemnem de Resurrectione publicè, reliqua vero signa lætitiæ privatim.

2 *An Sacerdos Armenus in Diœcesi latina possit in Missa dicere orationem pro Patriarcha Armeno, licet dictus Patriarcha sit Schismaticus?*

3 *An Armeni degentes in Diœcesi latina possint jejunare juxta ritum Armenum.*

4 *An Armeni Catholici, reversi in patriam, non valentes habere Sacerdotes Catholicos, & abstinere à communione absque scandalo, possint confiteri Sacerdotibus Armenis Schismaticis, qui non sint nominatim excommunicati?*

AD 1. Licet aliquando tolerandi sint ritus aliquarum nationum, etiamsi ab Ecclesia Romana dissentiant dummodo in aliis catholicè sapiant, ut docent Patres, quos alibi adduximus. Vt proindè Sac. Congregatio Inquisitionis 23. Septembris 1595. censuerit, Kalendarium Gregorianum, ubi non est usu receptum, possunt Religiosi Ordinis Minorum observantiæ recitare officium juxta formam Kalendarii antiqui, & 24. Ianuarii 1602. ac 26. Septembris 1619. censuit, quod Kalendario veteri utantur de licentia Sanctissimi latini diœcesis Tini, & Miconis ad evitandum confusionem, cum iis, qui sunt ritus græci. Item cum Christianis partium Hungariæ in Episcopatu Quinque Ecclesiarum, subditis Turcæ connivetur, ut veteri Kalendario utantur, ut sub 18. Iulii 1613. & 14. Decembris 1616, ac dictum, quod Kalendarium Gregorianum debeat etiam servari Constantinopoli, si potest, sin minus utantur antiquo ut 27. Septembris 1607. & 14. Januarii 1610. & alibi Kalendarium vetus fuerit permissum per modum conniventiæ mulieribus latinis degentibus Constantinopoli, & nuptis Græcis, sicut etiam paucis aliis degentibus in quadam Civitate, ubi reliqui Christiani sunt Græci, ut se conforment cum aliis in celebratione festorum, ut 20 Iulii 1616. 1

Nihilominus in hoc casu permitti non potest, neque sine scandalo dissimulari, quod Armeni, sive alii Orientales in locis latinis utantur Kalendario veteri, quia necesse est eos in celebratione Paschatis plurimum à Catholica Ecclesia discrepare, nisi novi Kalendarii ratio suscipiatur. Quam ob causam Græci Insulæ Melitæ coacti fuerunt ad observationem Kalendarii Gregoriani, ac scriptum Inquisitori, ut quoad abusus Græcorum prædictorum relinquat cognitionem Ordinario, nec contra ipsos pro iis procedat, sed tantum si aliquid contra fidem faciant, ut 25 Augusti 1595. 2

Ad 2. Negativè. Quia Schismatici sunt excommunicati excommunicatione majori *capit. 1. & 2. de hæret.* & ipsorum excommunicatio quotannis innovatur in Bulla Cœnæ *can. 1. & 2.* & proinde urget prohibitio de non orando publicè pro Shismaticis, cùm neque per charitatem, neque per fidem, quæ est radicale vinculum conjungitur in corpore mystico Ecclesiæ, sed sunt membra omnino separata, & ideo non possunt cum cæteris communicare in influxibus capitis, nec participare in thesauro Ecclesiæ, ac ejus sacrificiis, cum non pertineant ad communionem Sanctorum. Et ideo Sacr. Congregatio inquisitionis sub 19. Decembris 1613. censuit, Græcos non esse permittendos orare pro Archiepiscopo schismatico eorundem ordinatore, sed debent orare pro Summo Pontifice, & eorum legitimo Episcopo. Pro schismaticis autem tantum est orandum, ut convertantur. 3

Ad 3. Posse, dummodo etiam observent jejunia Latinorum. Non enim illis inter Latinos habitantibus permitti debet usus carnium diebus, quibus Latinis vetatur, & ita pro Græcis degentibus inter Latinos scriptum fuit Inquisitori Melitæ 25. Augusti 1595. Tenetur quippe unusquisque se conformare consuetudini Ecclesiæ, in qua actu existit *c. illa, d.* 12. ubi in specie de jejuniis, 4

estque

estque D. Augustini ex consultatione D. Ambrosii dicentis: *cùm Romam venio, jejuno Sabbato, cùm Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

5 Ad 4. Affirmativè videtur respondendum ex Constitutione edita à Martino V. in Concilio Constantiensi, & in Lateranensi recepta, ut fatentur Authores mox citandi, & quos alibi adduxi. Ex qua colligitur apertè, non esse vitandos omnes excommunicatos, sed tantùm illos, qui sunt nominatim excommunicati, vel manifesti Clerici percussores. Ita tenent doctissimi viri, Navar. variis in locis, signatè *cons.* 15. *de hæret.* ubi affirmat per dictam Constitutionem limitari omnia jura antiqua tam decreti, quàm decretalium Sexti, & Clementinarum, & omnium Extravagantium, & ita observari in praxi in Curia Romana apud Prætorium Rotæ, ubi etiam retractavit sententiam, quam priùs in *Manual. cap.* 27. *numer.* 34. & 35. tenuit. Idemque tradit Sot. *in* 4. *d.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Caiet. *in sum. v. Absolutionis impedimenta, & v. Excommunicatio major*, Victor. *in sum. de Sacram. tr. de excommunic.* Tolet. pariter *in sum. lib.* 1. *cap.* 65. Suar. *in* 3. *p. quæst.* 104. *disp.* 44. *sect.* 3. Valent. ad eundem locum, D. Thom. *disp.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 3. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *cap.* 11. qui pro hac sententia quamplurimos adducit Authores alios, & dicunt in usu, & praxi esse receptam.

6 Ac proinde licet ab iis Sacramenta recipere, Angel. *v. Irregularitas num.* 30. Sylvest. *eod. v. quæst.* 7. Sot. *etiam in* 4. *d.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 3. Valent. *loc. alleg.* Suar. *ubi supra, & de censur. disp.* 31. *num.* 64. *& disp.* 9. *sect.* 4. *num.* 9. *& seqq.* Maiol. *lib.* 4. *cap.* 22. Navar. *d. cons.* 15. *de hæret.* Tolet. *in summ. cap.* 13. ac alii, qui omnes unum judicium ferunt de Sacerdote hæretico, sive schismatico nominatim non excommunicato, ac de aliis iniquis ministris Catholicis; in casibus inquam illis, in quibus licet sine peccato mortali Sacramentum ab hujusmodi improbis ministris accipere. Hi autem casus sunt, quos ex doctrina magis recepta recensent Caietan. *in* 3. *p. q.* 104. *art.* 6. nempè, si minister sit per se paratus, & habeat alioqui potestatem. Secundus, si est proprius Pastor. Tertius, si accipiens Sacramentum sit constitutus in necessitate. Hanc autem necessitatem Sotus *dist.* 1. *qu.* 5. *art.* 6. non existimat sufficientem ad adimplendum præceptum Ecclesiæ, sed requirit extremam, scilicet, ut sit quis in periculo mortis, licèt Suarez existimet sufficere necessitatem adimplendi præceptum audiendi Missam, aut communicandi, aut utilitatem non differendi usum Sacramenti confessionis, vel communionis. Imò etiam affirmat in his casibus licere accipere Sacramenta à quolibet Sacerdote, etiam non parato. Omnes tamen fatentur, requiri sequentes conditiones. Prima, ne ulla inde oriatur Catholicorum offensio. Secunda, ut in Sacramentis administrandis, & recipiendis legitima Ecclesiæ forma servetur, ut ministri verè sint Sacerdotes, verè Episcopi. Tertia, ne ulla sit communicatio ritus, cæremoniæ, schismaticæ, vel hæreticæ pravitatis. Quarta, ne ullum immineat Sacramenta percipienti periculum erroris in fide.

7 At verò negativè resolvendum est. Et contraria sententia aliquibus dubia, aliquibus verò minùs probabilis videtur, ex quorum numero est Cardinalis Bellarm. *lib.* 2. *de Rom. Pontif. cap.* 30. Azor. & alii. Quia, ut ipsi affirmant, schisma, & hæresis ex natura sua ante ullam excommunicationem præscindit, aut dividit schismaticos, & hæreticos ab Ecclesia, privans eos omni jurisdictione. Vnde non tam quia excommunicati, quàm quod schismatici, & hæretici omni jurisdictione carent, ut optimè docuit D. Thom. 3. *pag. quæst.* 82. *art.* 7. *ad* 2. & ita conferre nequeunt Sacramenta. Vnde, tametsi schismatici in quantum excommunicati non nominatim, non sint vitandi, in quantum tamen schismatici sunt separati à communicatione per jus canonicum, & privati jurisdictione, ut constat ex *cap.* 1. *& 2. de schism. & c. ordinati nationes* 9. *q.* 1. *can. audivimus* 24. *eod. & can. ord. didicimus ibid.* his verbis: *didicimus omnes omninò hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & juris.*

Et confirmatur, quia apertè Clemens Papa VIII. in 8
Bullo de communicatione Latinorum cum Græcis 31. Augusti 1593. hanc docent sententiam. *Ordinati*, inquit, *ab Episcopis schismaticis, alias ritè ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem, & insuper prohibentur in prædictis Ordinibus ministrare sine dispensatione Sedis Apostolicæ.* Nec erit sufficiens solutio, si quis dicat, loqui hic de ordinato, qui non sit subditus Episcopo. Nam illa verba, *aliàs ritè ordinatis*, hoc etiam includunt. Quod comprobatur, quia in eadem Bulla de Sacramento Pœnitentiæ dicitur, in casu necessitatis presbyteros græcos catholicos posse Latinos absolvere. Vbi per particulam illam *Catholici* videntur schismatici excludi etiam in casu necessitatis, quia eo ipso, quod schismatici sunt carent jurisdictione.

CONSULTATIO LXXXI.

An Matrimonia Græcorum, si contrahantur post susceptos Sacros Ordines, sive prima sint, sive secunda, sint valida?

PErsistendum puto in sententia illa, quæ vult, ejusmodi matrimonia esse irrita. Ratio hujus rei pendet ex 1
juris dispositione. Nunquam enim fuit permissum in Ecclesia, ordinatos in Sacris transire ad matrimonium, ne græca quidem in Ecclesia, ut proinde apud Græcos conjugium contractum post receptum aliquem Ordinem Sacrum sit irritum, & inane jure Ecclesiastico, sicut est apud Latinos. Ita docent Palud. *in* 4. *dist.* 3. *qu.* 1. *art.* 1. *concl.* 4. Sylvest. olim S. Palatii Apostolici Magister, & in practicis quæstionibus vir sanè peritissimus. *v. Matrimonium* 8. *q.* 12. *vers. sexto esse irritum*, Azor. *instit. moral. tom.* 1. *cap.* 12. *qu.* 5. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 28. *num.* 4. Filiuc. *p.* 2. *tr.* 10. *c.* 4. *num* 121. Archid. Gemin. & Turrecrem. *in c. Diaconi, d.* 28. & inter Græcos Caryophilus apud Arcud. *de concord. lib.* 7. *cap.* 40. Ita ut cùm Erasmus scripsisset, hodiernis temporibus Sacerdotes, & Episcopos post susceptos Ordines uxores ducere posse, sicuti cùm Venetiis commoraretur id à Græcis accepisse, qui ibi degebant, fassus fuit, eam sententiam uti temerariam, censuit Parisiensis Academia, ut legitur apud Azor. *loc. cit. qu.* 3. Et inter errores Nestorianorum narionis apud Thomam à Iesu *de procur. salut. omn. gent. lib.* 2. *cap.* 2. *fol. mihi* 354. hic quoque recensetur, nimirùm, quod Sacerdotes mortua prima uxore secundas, & ulteriores faciunt nuptias.

Id probant ex *c. Si quis eorum d.* 32. *ex c. Nicena d.* 31. 2
ex c. Cum in præterito d. 84. *& ex c.* 17. *Apostolorum.* Sed certè hi Canones solùm prohibent, ne clerici post Sacros Ordines nuptias contrahant; expressè autem non statuunt matrimonium contractum à Clerico post Sacrum Ordinem irritum esse. Quidquid sit, prædictos Canones usus, & consuetudinè etiam apud Græcos servatâ, sic interpretatur, nempè Clericos post Sacros Ordines à contrahendis nuptiis prohiberi, quod si contraxerint, esse eos ab uxoribus, quas duxerint, penitùs separandos. Matrimonium igitur post Sacros Ordines initum etiam apud Græcos non valet Ecclesiastica constitutione, ut ait Glos. *in c. Si cuiquam ad fin. d.* 28. & Rosel. *v. impedimentum* 11. ubi citat Director. & Glos. *in d. Can. Diaconi d.* 28. cujus hæc sunt verba: *Ad intelligentiam horum capitulorum notabis, quod in Orientali Ecclesia, & Occidentali licitè contrahitur in minoribus Ordinibus, ut* 23. *dist. c. Si quis eorum, & c. lectores, & c. placuit; sed constituti in superiori ordine, nec apud nos, nec apud Græcos possunt contrahere, nec poterant tempore Apostolorum, & si contrahant non est matrimonium, & hoc patet ex sexta Synodo, qua in Oriente fuit celebrata, & regulam statuit eis, ut* 32. *d. c. Si quis eorum*, 31. *d. c. Nicena,*

Nicena, & 84. d.c.cum in præterito. In hoc autem est differentia inter eos, & nos; Ipsi enim sive sint conjugati, sive non, promoventur ad Sacros Ordines, non promissa continentia, ut 31. d.c. quoniam; sed occidentales nunquam promoventur, nisi continentia promissa, ut supra eod. c. nullum, &c. assumi d. 28. A tempore autem Syricii, & Innocentii non licuit Occidentalibus ad Diaconatum, vel supra promoveri, nisi promissa continentia, ut 82. d.c. proposuisti, &c. plurimos, sed Subdiaconis usque ad tempus Gregorii licuit, ut 31. d.c. ante triennium. Orientales ergo licitè utuntur matrimonio contracto ante Sacros Ordines, postea in Sacris Ordinibus contrahere non licet, ut 31. d.c. quoniam, & cap. alter, & exir. de Cler. conjug. cap. cum olim; sed post receptum Sacrum Ordinem non possunt contrahere, ut ibi dicitur. Hactenus Glossa. Vnde, licèt in his canonibus id non exprimatur, tamen videtur servatum à tempore Apostolorum, quod indicat Christi ordinationem ex regula D. Augustini *lib. 4. de baptism. cap. 24.* Siquidem ea solùm est differentia inter Græcos, & Latinos in Sacris Otdinibus constitutos, quod illi possint post conjugium ad Sacros Ordines ascendere, & uti matrimonio antea contracto, quod Latinis est interdictum, ut constat ex *cap. olim, de Cler. conjug. &c. De Syracusana 28. d.* Ergo non possunt post Ordines Sacros matrimonium inire.

3 Neque refragatur Arcudius, & ex eo Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 27. num. 2.* dicens in nullo canone expressum esse, quod ejusmodi conjugia sint irrita. Tum quia scopus, quem habuit Arcudius scribendi librum de concordia Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ in septem Sacramentorum administratione, declaratur in proœmio totius operis, qui est ad removendas, quantum fieri possit, novas occasiones schismaticis; proinde non est restringendus ad hoc tantùm, ut instituantur Græci, quos certè si solos instituere voluisset, non latine, sed græcè scripsisset. Tum quia id pugnat cum antiquissima Ecclesiæ Orientalis consuetudine, atque usu. Tum etiam quia licèt per verba legis simpliciter prohibentis non irritetur contractus, quamvis sit absoluta, & ex causa perpetua, & directè feratur in personam; attamen secus est, quando ex effectibus, vel ex usu, & traditione sic interpretante legem, ut in hoc casu, irritatio colligatur. Quod constat exemplo de impedimento consanguinitatis. Nam in *cap. Tua nos, de consang. & affin.* apertè supponitur, matrimonium habens tale impedimentum esse dirimendum, & in *c. Contradicimus 35 q. 3.* cum similibus dicitur, sic contrahentes esse separandos; quod est signum nullitatis. At nihilominùs reperiri canones, qui id exprimunt, inferiùs ostenditur.

4 Minùs refragantur, quæ tradit Verricel. *de Apostol. mission. tit. 4. qu. 98. dub. 13. § 29. num. 166.* cum binis *seqq.* Non primum de privilegio dispensationis. Tum quia id non constat. Tum quia id arguit nullitatem matrimoniorum. Ad quid enim dispensatio, nisi matrimonium esset irritum? Vnde non mirum, si idem Auctor *tit. 17. q. 300.* id revocatum esse tandem fassus sit. Neque in Constit. Innocentii IV. § 7. id concessum legitur. Porrò in illo opere multa coacervata esse, quæ minimè sint authentica, viri docti adnotarunt. Neque secundum ex Pontio *loc. cit.* Nam fuisse quoque irrita hæc matrimonia ante Innocentium Secundum constat *ex c. Vt lex 27. q. 1.* ubi sic statuitur: *Vt lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis, & sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, &c. qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.* Duas enim hic Canon habet partes. In prima præcipit, ut tales uxores sibi copulantes omninò separentur. Quod sanè fuisset nimis grave, & improportionatum, si talia matrimonia valida essent. Deinde in alia parte jam expressè declarat, matrimonia illa fuisse irrita. Vbi observandum est, hoc secundum non statuere, nec decernere, nec definire, sicut dixerat in prima parte canonis; sed censemus, quasi declarando talem esse regulam Ecclesiasticam, jam ante ipsum Innocentium circa hoc statutam, ut matrimonium contra illam nullum censendum fuerit. Igitur constare videtur, hoc jus fuisse antiquius Innocentio, cui juri conforme est aliud Callisti Secundi *in c. presbyteris d. 27.* ubi simili modo loquens, profert hæc verba: *matrimonia à presbyteris, diaconis, subdiaconis, & monachis disiungi, & ejusmodi personas ad pœnitentiam redigi debere juxta Sacrorum Canonum diffinitiones judicamus.* Præcipit itaque ejusmodi matrimonia disiungi, ubi etiam Glossa notat, disiungi quoad carnis copulam; quia quod non est, non potest dissolvi; patetque id amplius ex Vrbano pariter Secundo, qui vivebat longè ante Innocentium. Nam dictus *canon presbyteris* inventus est in Codice Bibliothecæ Vaticanæ in fragmento cujusdam Concilii ab Vrbano habiti *c. 2.* in quo Vrbanus declarat, non se hoc primum constituisse, sed juxta antiquos Canones id judicare. Erat ergo hæc antiquior institutio, ac jus antiquius Innocentio.

Pariter non obstat, quod adiicit Verricellus, scilicet 5
Ecclesiam Orientalem non acceptasse post suum schisma leges Ecclesiæ Occidentalis. Primò quia probatum est hanc legem irritantem ejusmodi conjugia esse antiquiorem Innocentio, & schismate, ac penè dixerim Apostolicam. Secundò quia, ut alibi dixi, Ecclesia græca vigore unionis obligatur recipere leges Apostolicas etiam in his, quæ spectant ad jus humanum, ut constat ex professione fidei Græcorum jussu Gregorii XIII. edita apud eundem Thomam a Iesu *lib. 6. pag. 319.* ubi inter cætera & hoc habetur: *Insuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sanæ ceremoniæ generalis Synodi Tridentinæ Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei symbolo profitenda, ac recipienda proposuit, atque præscripsit, ac sequitur, Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.* Ex Concilio autem Tridentino *sess. 24. can. 9.* ejusmodi matrimonia esse irrita definitur. Quare satis esset respondere, quod obstat S. Concilium Tridentinum, quod Græci recipere tenentur.

Denique non refragatur *c. aliter, d. 31.* ubi habetur, 6
in Orientali Ecclesia Clericos solere matrimonio copulari; quem canonem sequuntur Caietanus, Sotus, & quidam alii. Nam per matrimonium copulari intelligitur, utiljam matrimonio contracto, ut notant Covar. 4. *decret p. 2. c. 6. §. 3. n. 1.* Azor. *loc. cit. q. 3.* Bellarm. *de Cleric. cap. 21.* ac prosequitur Sanch. *ubi supra n. 7.* per Glossam communiter ibi receptam. Ea enim carnis copula appellatur matrimonii conjunctio *in c. quoniam & in c. nosse, cad. d. & in c. Agathosa, & in c. priusquam 27. quæst. 2.*

Quod autem ex canonibus sextæ Synodi, quam Trul- 7
lanam appellant, pro opposita sententia stabilienda fortè adducitur, nullius est ponderis. Quia non sunt authentici, neque Ecclesiasticam habent authoritatem, neque editi sunt à Concilio, sed post illud dissolutum à quibusdam Episcopis, nullusque Romanus Pontifex eos approbavit, imò apertè approbavit Sergius illius temporis Pontifex summus, ut scribunt Beda, Paulus Diaconus, Anastasius, Theophanes, & Vmbertus apud Simanch. *de Cathol. instit. tit. 40. n. 38.* Canus, Sotus, Torrensis, Bagnes, Valentia, Surius *tom. 3. Concil. in 6. Synodo*, admonens quosdam ex his Canonibus esse ab hæreticis corruptos, & falsò tribui sextæ Synodo, & omnium instar Bellarm. *lib. 1. de Concil. cap. 7. & de Pontif. cap. 18. ac de Cleric. d. caq. 21. col. 3. vers. ad 3.*

Ex iis igitur, quæ recitavimus, in omni ferè Oriente 8
id factitatum esse constat. Vbi, quod continentia ista non sit tam accuratè servata, contra primæ Ecclesiæ consuetudinem, & contra Canones id factum, Epiphanius

tinus ex illustribus Græcorum Patribus in hunc modum ostendit *lib. 2. tom. 1. hæres. 59.* *Revera*, inquit, *non suscipit Sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui à nuptiis, mortua ipsorum uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt, propter excellentem Sacerdotii honorem, ac dignitatem: & hæc certò Sancta Dei Ecclesia cum sinceritate observat. Sed & adhuc viventem, & liberos gignentem, unius uxoris virum non suscipit; sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi, omninò in quibusdam locis adhuc liberos gignere, & Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inveniretur ministerium. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum benè dispositа videns, statuit apparere, ut cultus divini indistracti perficerentur, & spirituales necessitates cum omni benevola conscientia peragerentur.* Hæc & alia in hunc sensum Epiphanius, qui & videndus *lib. 3. in compend. doctor. fid. Gath.* Iano Cornaro Interprete. A quo non dissentiunt Africani Patres, qui tradunt & Apostolos docuisse, & antiquitatem id servasse.

9 Quod igitur ad Subdiaconos attinet ex D. Gregorii epistolis non patet, quod præter Romanam Ecclesiam, & alias quasdam reliquæ Ecclesiæ etiam occidentales usum uxorum Subdiaconis permitterent. D. Gregorius enim *lib. 3. ep. 34.* testatur duntaxat in Sicilia hanc consuetudinem viguisse. Cùm verò eam consuetudinem in aliis Ecclesiis fuisse non meminerit, potius ex Gregorio constat, omnes alias Ecclesias cum Romana uxorum usum Subdiaconis interdixisse. Eam verò consuetudinem Pelagius Gregorii Decessor decreto in Siciliam misso abstulerat, quo Subdiaconis uxoratis indicebatur, ut unum ex duobus eligerent, videlicet aut à suis uxoribus abstinerent, aut certè nulla ratione ministrare præsumerent.

10 Cur autem Gregorius post triennium Pelagii decretum renovaverit, ea causa fuit, quòd æquum minimè videretur, ut qui legitimas conjuges adepti fuerant, antequam ad Subdiaconatum accederent, nec in Ordinis susceptione continentiam ab uxore promiserant, ad eam ullo jure compellerentur, quam Gregorius ipse his verbis explicat, quæ habentur in *dict. cap. Ante triennium d. 31.* *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur, quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem antè promisit, compellatur à sua uxore separari, atque per hoc, quod absit deterius cadat.* Sed quamvis Gregorius hoc Pelagii decretum sustulerit, non tamen Subdiaconis usum conjugum permisit; sed quid in futurum observandum esset posterioribus verbis sancivit ita subdens: *Unde videtur mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur; ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit.* Cujus rei rationem reddit in fine ejusdem canonis his verbis: *quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.*

11 Ex his planè constat, in sola Sicilia ante hæc Gregorii, & Pelagii decreta Subdiaconos conjugatos suis uxoribus licitè frui potuisse.

12 Neque obstat testimonium Gratiani *d. 31.* ita asserentis. *Nondum erat institutum, ut Sacerdotes* (in Subdiaconis, ut intepretatur Gregoriana annotatio) *continentiam servarent.* Id enim, ut ibidem eadem Glossa Gregoriana explicat, de Subdiaconis Siciliæ loquitur, de quibus statim Gregorianum decretum profert. Minus obstat Concilium Carthag. 2. cum *cap. 2.* ita statuit, ut habetur *cap. Episcopus dist. 31. Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos ita placuit, ut decet Sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus.* Nam, ut notat Glossa, per illa verba, *vel qui Sacramentis divinis inserviunt*, Subdiaconi indicantur, qui divinis Sacramentis ministrant, *can. cum in præterito d. 84.* ubi clarius idem Concilium non modò Episcopos Presbyteros, ac Diaconos ad castitatem colendum præcepto compellit, sed etiam Subdiaconos his verbis: *Ab omnibus Episcopis dictum est, omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant.* Quapropter minimè credendum est Concilium Carthag. 5. relatum *d. 32. in cap. placuit, & d. 84. in c. Cum quorundam*, à priori discrepare, quamvis de Subdiaconis nullam mentionem faciat. Atque inde cum Zacharias Papa in *cap. 11. responsionum ad Pipinum*, quod ad Clericorum continentiam spectat, Carthaginensis Concilii decreta servanda statuit, Subdiaconorum continentiam, quæ ex 2. Concilio Carthag. ipsis indicta est, procul dubio approbat. Idem sentit & Siricius *ep. 1. cap. 7.* & præclarissimè ante Gregorium duobus integris seculis Concilium Eliberitanum *cap. 32.* statutumque habemus à Leone I. *ep. 82.* ad Anastasium *cap. 3. & 4.* & habetur *d. 32. can. omnium*, ibi: *Ad exhibendam perfectè continentiæ puritatem ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Idem confirmatur ex Concilio Toletano 2. *cap. 1. & 3. dist. 28. can. de iis d. 31. c. lex continentiæ d. 32. can. Eos. qui* ex Vrbano II. *& d. 27. can. presbyteris*, ex Calisto II. ex Concilio Aurelianensi 3. *cap. 2.* Gerundensi *cap. 6.* Hæc autem omnia Concilia, & Patres Gregorium præcesserunt, qui vivebat anno 606. atque adeò ante schisma Græcorum, quod contigit anno salutis 858. Quibus addere lubet Iustinianum, qui juxta Sacrorum Conciliorum decreta idem quoque Subdiaconis observandum præcipit *lib. 1. C. tit. 3. de Episcop. & Cler. numer. 45. in Nomocan. tit. 9. capit. 29. Authent. col. 1. Quom. oport. Episcop. tit. 6. capit. 1. novel. 123. de Episc. & Cler. c. 14.* cujus verba inferiùs dabo.

Quamobrem nihil aut prioribus Pontificum, & Conciliorum decretis, aut antiquissimo usui in tota Ecclesia recepto officere potuit, quod Alexander III. in Concilio Later. *p. 18. c. 13. & 14.* tolerandum censuit, quosdam Subdiaconos matrimonia contraxisse. Id enim tunc ad majora scandala evitanda erga quosdam tantummodò tolerari jussit. quorum incontinentia ex continentiæ lege potius in pejora ruere, quàm à malis refrænari potuisset. Non tamen Scriptori Adversario ita colligendum fuit, toleratse Ecclesiam in nova lege non solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos usque ad tempora Alexandri III. quod Sacerdotes matrimonium contrahant. Quod apertè cum antiquissimis canonibus pugnat, ut prospectum est ex Concilio Carthag. ex Concilio Tolet. 2. ex Leonis epistola; & ex Gregorii decreto, quod non soli Romanæ Ecclesiæ, aut Provinciæ, sed etiam Siciliæ, ac vicinarum Provinciarum, in quibus ritu græco antiquitus vivebatur, ut idem Scriptor asserit ex laudatis à se Authoribus, necnon universali Ecclesiæ præscriptum fuit. Neque Alexander de Sacerdotibus ibi loquitur, ut perperam idem Scriptor ait, sed de Subdiaconis tantùm. Præterea quæ hæc consequentia est? Toleratum est, non permissum quibusdam Subdiaconis nuptias contrahere. Ergo Subdiaconi omnes, vel Sacerdotes post susceptum Subdiaconatum, vel Sacerdotium matrimonia jungere consueverunt. Illud enim perinde, est ac si diceres, quidam Episcopi schismatici, ac hæretici fuere. Igitur omnes Episcopi schismatici, ac hæretici esse soliti fuerunt. 13

Ex quo id quoque falsum evincimus, quòd idem asserit cœlibatum Subdiaconis nulla esse lege Ecclesiastica præceptum extra Romanam Ecclesiam, aut Provinciam, cùm oppositum omninò probatum fuit. Pontificum 14

enim

enim decreta, nisi aliter in iis significetur, universalem Ecclesiam alligant.

15 Veniamus ad Diaconatum. Diaconus ex Ancyraua Synodo, quæ fuit Orientalis, *cap.* 10. *aliàs* 9. olim uxoratos fuisse, & suis uxoribus uti potuisse, aliqui dicunt, dummodò in sua ipsorum ordinatione se continere nolle protestati fuissent. Canon hic ita legitur *d.* 28. *cap. Diaconi: Diaconi quicumque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicumque sanè tacuerunt, & suscepe-runt manus impositionem, professi continentiam, si posteà ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* At hi magnoperè ab hujus Concilii sensu aberrant. Nam in primis Martinus Bracarensis *in sua collect. c.* 39. alio modo canonem hunc legit, nimirùm ut habetur *d.* 27. *can. Diaconus: Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quodsi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & posteà matrimonium desideraverit, alienus sit à ministerio, & vacet à Clero.*

16 Quo fit, ut diversa illius Canonis lectio diversum quoque sensum ferat. Quod si priorem lectionem velut legitimam accipiamus, quo tamen sensu canon ille intelligendus sit, explicat Glossa ibidem, nimirùm si aliqui in Diaconos ordinentur, & dicant se nolle, vel non posse continere, Episcopus nihilominùs tales ordinat, si posteà contraxerint, ab uxore separabuntur, sed in ministerio remanebunt; quia videtur, quod Episcopus eis licentiam dederit. Si verò in ordinatione sua tacuerunt, quoniam videntur continentiam professi, si posteà contraxerint, officio, & beneficio privabuntur. Quæ explicatio quan-doquidem cum reliquis Canonibus, ac præsertim cum Gregoriana Constitutione conspirat, idcircò universa, quæ pro Diaconorum conjugiis ex hoc Canone Scriptor adversarius, atque alii deducunt, facilè prosternit. Neque enim Canon hic Diaconis aut uxores ducere, aut ductis uxoribus uti permittit, ut ex ipsius verbis perspicuum est, sed potius illos ab uxoribus separat, ac separatis ministerium, ac officium relinquit, ex quo Eliberitanum Concilium, quod ipsum proximè sequutum est, decretum illud desumpsisse creditur, quo cunctos Sacros ordines ab uxorum contubernio expellit.

17 Neque placet, quod dicitur, Concilium Ancyranum Orientali Græcorum præsertim Ecclesiæ favisse, quanquam posteà Græcana Ecclesia à Latina in eo dissenserit, ut testatur Stephanus Papa *in c. fin. d.* 31. quod in Orientali Ecclesia Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi matrimonio copulantur. Id enim ipsis antiquissimis Ecclesiæ temporibus neque inuer Græcos usitatum legitur, ut ex plerisque Conciliis apud Orientales celebratis, ac græcis Patribus non obscurè constat, ac præsertim ex Concilio Neocæsarienſi *c.* 1. qui de non ducenda uxore post Sacros Ordines loquitur. Nicæno I. *c.* 3. Sexta Synodo *c.* 6. Epiphanio *hæresi* 59. Chrysostomo *hom.* 2. *in Iob.* Ioanne Cyprio *vit. S. Epiph. c.* 38. *& aliis.*

18 Tandem ad Presbyteros convolemus. Et hos quidem antiquis Ecclesiæ statutis ad continentiam in primis adigi invenitur, sublata ei facultate, ne possint in presbyteratu jam constituti uxores ducere. Ac presbyteri si uxorem duxerint ex Concilii Neocæsarienſis decreto *c.* 1. à presbyteratu deponendi sunt. Et quod præter Lucium Papam apud Gratianum *d* 81. *c. ministri*, sive Clementem *ep.* 2. ut & apud Ivonem, alii quoque Pontifices, ac Concilia ante Syricium continentiam presbyteris indixerint, facilè ostenditur. Nam in Concilio Nicæno I. quod Syricium præcessit, *c.* 3. ita decernitur: *Omnibus modis interdixit S. Synodus neque Episcopo, neque presbytero, neq; diacono neque ulli Clericorum omninò licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut avia, aut amita, vel matertera sit.* an non clarissimè presbyteris uxoris contubernium prohibetur, cùm præterquam matris, sororis, aviæ, amitæ, materteræ omnis illis mulierum conversatio interdicitur? Concilium quoque Eliberitanum Syricium antecessit, quod tamen *can.* 33. ita statuit: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in ministerio abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios, quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Ante Syricium Concilium Arelatense 2. ita cavet: *Assumi ad Sacerdotium aliquis non potest in vinculo conjugii constitutus, nisi fuerit permissa conversio.* Conversionem autem appellat ipsum continentiæ votum.

Idem habet *can.* 3. Quod Ambrosius quoque Syricio 19
prior *lib.* 1. *offic. c.* 50. velut communi lege in Ecclesia statutum, ac observatum confirmat. Idipsum, & Epiphanius velut inviolabile prædicat ante Syricium *hæres.* 59. his verbis: *Hæc certè S. Dei Ecclesia cum sinceritate observat; sed & adhuc viventem, & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit Diaconum, & Presbyterum, & Hypodiaconum, maximè ubi sinceri Canones Ecclesiastici. At dices mihi, omninò in quibusdam locis adhuc liberos gignere, presbyteros, & diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est juxta Canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Vides, quàm luculenter Epiphanius inter Partes Græcos Sanctitate, & doctrina præcipuus, perpetuo Ecclesiæ Canone sancitum fuisse testatur, ut Presbyteri, ac alii Sacris Ordinibus initiati, non solùm à novis nuptiis, verùm & ab uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, sese abstineant Post Syricium Concilium Carthag. II. *c.* 2. *& habetur d.* 84. *c. cum in præterito*, ita decrevit: *Cùm in præterito Concilio de continentiæ, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres constrictione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut deceret sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt continentes esse in omnibus.* Vnde nunquam ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia visum fuit, ut qui majoribus Ordinibus initiati essent, uxores post susceptum ordinem ducerent. Placuit inquit, continentes esse in omnibus, non ut uxores tantummodò post Sacrum Ordinem non ducant, neque ut continentiam conjugalem servent, neque tandem, ut continentiam tunc solummodò servent, dum in ministerio versantur, sed in omnibus temporibus, ac vitæ curriculis, & omnibus modis continentes sint. Quod apertè colligitur ex Agathensi Concilio *cap.* 9. ubi absoluta, & perpetua continentia Presbyteris, & Diaconis conjugatis indicta fuit, quæ deinde à Concilio Turonensi I. *cap.* 1. *&* 2. & Turonensi II. *cap.* 20. à Toletano II *cap.* 1. Aurelianensi III. *cap.* 7. Toletano IV. *cap.* 5. Antisiodorensi *cap.* 2. Aquisgranensi *cap.* 6. Vvormatiensi *cap.* 9. Melfitano *cap.* 3. necnon à Hieronymo adversus Iovin. *lib.* 1. & adversus Vigilantium *sub init.* his verbis: *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægyti, & Sedis Apostolicæ? Quæ aut Virgines Clericos, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* A Leone *Ep.* 88. ad Anastasium, & ad Rusticum Narbon. *Ep.* 95. ab Ambrosio *offic. lib.* 1. *cap. ult. & Ep.* 82. *& in* 1. *Timoth.* 3. ab Augustino *de adult. conjug. c.* 20. confirmata est.

Hinc citra controversiam esse, nemini in Sacris Ordi- 20
nibus jam constituto, licere uxorem ducere; siquis cœlebs tales susceperit Ordines, etiam incluso Subdiaconatu, neque in hoc dogmate Græcam Ecclesiam à Latina discrepare hæretici ipsi fatentur, præ cæteris verò M. Ant. de Dominicis, cœlibatus alioquin insectator *lib.* 2. *de republ. cap.* 10. *n.* 29 quod nonnullis Synodorum, & Patrum testimoniis ostendit.

Quare non obstat, quod in Ecclesia nostra occidentali expressæ leges, & sanè toties multiplicatæ habentur continentiam hanc plenam, & absolutam, ut necessarium jam præcepto factam asserentes. In orientali verò

Ecclesia

Ecclesia nullum prorsus in genere, quod quærimus decretum habetur, nulla lex, nullum edictum, nulla constitutio Ecclesiastica, sive universalis, sive provincialis, sive particularis, sed potius contraria, & penè universalis. Quod falsum ostenditur ex Ancyrani, Neocæsarienſis, ac Nicæni Concilii canonibus, & ex Patrum testimoniis paulò ante allatis, quamvis post Trullanum Canonem continentiæ usus illibatus paulatim defluxerit.

22 Nec alicujus momenti sunt quæ obiiciuntur ex Synodo Trullana. Nam Synodus illa non fuit legitima. Primò quod nec tempus Concilii, nec Episcoporum nomina, qui hanc Synodum celebrarunt, in ea Synodo notantur, cum tamen id in omnibus legitimis Conciliis fieri soleat. Secundo, quod ea Synodus à nullo Romano Pontifice hactenus confirmata, neque ab ullo generali Concilio approbata fuit. Nam Innocentius III. *in cap. à multis de ætat. & qual. & ord. præf.* & Adrianus *d.16.c. Sextum* non hanc, sed sextam Synodum generalem commendant, ut ibi perspicuum est, hæc verò post sextam Synodum annis plusquam 24. celebrata fuit, ut scribunt Theophanus, Cedrenus, & Anastasius, quo fit, ut hi Canones sextæ Synodi esse non potuerint; qua de re Turrianus *lib.de* 6.7.& 8.*Synodo.* Tertiò quod Sergius Papa, ut testes sunt Beda *in lib.de sex ætat.* in Justiniano, hanc Synodum erraticam appellat, & Paulus Diaconus *lib.*8. *cap.*9.*de reb.Roman.* eandem apertè improbavit, cum id certum sit ex Concilio Nicæno, nullam Synodum legitimam esse, nisi quæ à Romani Pontificis authoritate collecta, ac confirmata fuerit. Quartò, quia Humbertus Leonis IX. Legatus apertè testatur, Canones hujus Synodi, quam vocant Quinisextæ, saltem omnes à Romana Ecclesia receptos non fuisse, cujus verba sunt hæc, quæ habentur *in annot. Gregoriana d.* 16. *c.* *Habet*: *Non autem miror*, inquit Humbertus, *si Agathoni Papæ, & Sanctis Patribus Sextæ Synodi vestra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupistis, aut finxistis capitula ipsi Domino Iesu, & Apostolis ejus imputetis figmenta.* Id propterea dicit, quod in eo 4.*can.* Synodus conjugium Clericorum ex Evangelica, & Apostolica perfectione proficisci autumat. Tum pergit: *Unde nos scientes sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas constitutiones congregatam, capitula, quæ nobis sub ejus auctoritate apponitis, omninò refutamus, quia prima, & Apostolica Sedes nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus.* Idem confirmat etiam Anastas. Bibliothecarius in *præfat. in* 7. *Synod.ad Ioan.*8. Denique quicquid de aliis hujus Synodi canonibus sentiendum sit, id certum est, Canonem illum ab Adversario citatum à tota Ecclesia reprobatum esse,

23 Id quidem non negamus, tunc primum orientis Ecclesias quamplurimas Romanis legibus refractarias Clericorum conjugia colere cœpisse, & paulatim schismate in aliis quoque fidei dogmatibus ingravescente, Græcos à Romana Ecclesia recessisse. Id tamen quam prosperè illis cesserit, jampridem agnoscunt, cum totius fermè orientis Ecclesias, vel extinctas, vel misera servitute depressas nobiscum gemant. At neque illud inficior, Græcos Sacerdotes nunc quoque licitè suis uxoribus ante ordines susceptos posse frui, quandoquidem paterna Romanorum Pontificum pietas, ac benignitas id illis propter suam ipsorum duritiam privilegii contulit, quod prioribus omnibus Conciliis, ac perpetuo Ecclesiæ usu illis interdictum fuerat. Et hoc tantum convincunt ea, quæ ab Adversario adducuntur. Quare nec legitimum, neque tolerandum ibi in sacris viris matrimonium ullo modo censendum est, ubi Romanus Pontifex reclamat, & ecclesiastica cœlibatus lex nulla temporis, aut consuetudinis præscriptione collapsa imperium obtinet. Quod sanè à Græcis Ecclesiæ Romanæ unitis omninò observari debet; quia cum sint Romano Pontifici subjecti, legem cœlibatus absque illius consensu abrogare nequeunt.

Haud majorem fidem in eo Canone Trullano, expo- 24
nendo meretur Balsamon, qui licet vir certè doctus, eum tamen non moror, vel quia odio magis, quam veritate contra Romanam Ecclesiam pugnat, vel quia pro augenda sua dignitate Canones figere, at refigere solitus sit; qua tamen in re Isaurius Angelus, Græcus Imperator egregiè corvum delusit, hiantem apud Niceram *in Isaacio pag.* 101. Socrates verò, & Sozomenus suspectæ admodum fidei auctores habentur à Baronio *tom.* 4 *an.*391.*nu.* 19. Unde tota hæc res ab iis pendere non debet; quandoquidem Socrates Novatianus videtur ex Nicephoro *lib.*6. *ap.*37.*& li.*9.*cap.*13. Sozomenus Theodorum Mopsuestiensem, à quinta Synodo damnatum magnis laudibus extulit, in multis verum non scripsisse arguitur ex Gregorio I. *lib.*6.*ep.*31. Unde Patres tum Græcos, tum Latinos à nobis adductos potius audire debemus, quam commentitium istum Græcorum Canonem, ejusque interpretes, qui non est editus, quo tempore reliqui, quos dicimus sextæ in Trullo Synodi Canones, sed ab impuris hominibus longè post adjectus, & interpretatione donatus. Constantissimum itaque cunctis est, ait Sotus *de just. & jur. lib.* 7. *qu.* 6. *art.*2. statim ab Ecclesiæ incunabulis conjugatos quidem ad Sacerdotium admittit, Sacerdotes verò à ducendis uxoribus fuisse cohibitos.

Pariter neque verum est, quod dicitur votum non 25
esse ordinibus Sacris annexum, & sanè votum irritans matrimonium; quia pœnæ, quas Ecclesia iis statuit, qui in Clero cœlibatum non tenuerint, sed post Ordines uxores duxerint, sunt pœnæ duntaxat aut depositionis à ministerio, aut ad summum excommunicationis, neque in tota antiquitate est reperire ullum ante Conciliorum, aut Patrum dictum, quo matrimonia hæc irrita, & nulla declarentur. Peccatum quidem agnoscunt, sed matrimonium relinquunt. Quod est fundamentum totius machinæ Adversariorum.

Quoniam etsi vel solum œcumenicum Trid. Concili- 26
lium, quod recipere Græci uniti tenentur, ut alias diximus, ad amplissimam hujus rei confirmationem sufficere deberet, quod ita statuit *sess.*24.*can.*9.*Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit*; attamen ut nos Conciliorum, & Canonum antiquorum penuria minimè laborare dignoscatur, audiamus quid de Clericorum connubiis decernat Concilium Toletanum 8. *c.*5. *Pervenit*, inquit, *ad totius Concilii Sacrum auditum, quosdam Sacerdotes, ac ministros oblivisscentes majorum, ac veterum constitutorum, aut uxorum, aut quarumcumque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari. Et cum hoc verissimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter distringunt, ut nunquam ulterius tam abominanda immittant. Mulieres verò, seu liberæ sint, seu ancillæ hanc illis turpitudine sociatæ, ita omnimodè separentur, aut vendantur, ut ulterius ad consocios sui criminis revertendi omnem habeant aditum denegatum.* Quis Clericorum matrimonia valida, ac sancta pronunciare audeat, quæ hujus Concilii auctoritas immundam societatem, & execrabilem contagionem appellat? Num quis ullas Patrum regulas, aut Canones hujusmodi conjugia irritantes minimè reperiri effutiet, cum ea à Patrum regulis damnari, ac irritari audiat? Denique cum hujus Concilii Patres uxores hujusmodi, velut turpi societate Sacerdotibus conjunctas, ab ipsis separari jubent, apertè declarant ea matrimonia, velut fornicaria, nulla, ac invalida esse.

Eodem planè modo & Concilium Toletanum 9. *c.*10. 27
de his Clericorum conjugiis loquitur, quæ detestanda connubia appellat, ac filios ex eo concubitu natos, velut spurios ab omni parentum hæreditate exclusos

declarat. Prætereo recentiores Callistum 2. *d.* 27. *can. Presbyteris*, qui non modò Clericis in Sacro Ordine constitutis matrimonia interdicit, sed etiam contracta dirimit, Clementem V. *in Clem. un. de consang. & affin.* & Alex. III. *c.* 1. 2. & 3. *qui Cler. vel vovent. matr. contr. pos. & cap.* 1. *de Cler. conjug.* & alios, qui post schisma Græcorum sua ediderunt decreta.

28 At neque Ivo Carnotensis, neque Romani Pontifices unquam Clericorum conjugia, tanquam valida approbarunt. Ivo enim *ep.* 220. idcircò Canonici illius matrimonium integrum manere sensit, quia Canonicus ille sacris nondum initiatus fuerat. Universos verò Romanos Pontifices hujusmodi conjugia, velut turpia damnasse ex his, quæ diximus, perspicuum est. Separatio enim, quam sacris hominibus ab uxoribus indicebant, non eò tantum spectabat, ut illi ad proprium ministerium redire possent, aut ea ipsis loco pœnitentiæ cederet, cum prius separatio, deinde pœnitentia illis injungeretur, ac plurimi etiam post separationem nunquam ad ministerium reverterentur, ut constat ex Concilio Aurel. II. *c.* 8. & Aurel. V. *c.* 4. ubi Clericis post Sacrum ordinem conjugatis usque in diem mortis ministerium interdicitur, sed potius, ut hujusmodi conjugia vana prorsus, ac turpia ostenderent. Notanda etiam est decisio ejusdem Callisti II. *in can.* 8. *can. Presbyteris* 27. *d.* ubi distinctio, an matrimonia talia de facto contracta nulla sint. In quo articulo licet variare videantur leges Græcorum Imperatorum; siquidem Justinianus aliquando sancivit in §. *neque autem cap.* 5. *novel.* 6. *quomodo oporteat*, Episcopos ducentes uxores in hujusmodi Ordinibus majoribus constitutos ordine quidem privari, & idiotas, seu laicos effici, attamen non videtur ibi matrimonium irritum facere, ut quidam arbitrantur, sed falsò. Non enim ratum ait §. *ille*, neque etiam §. *sed & si quia cap.* 42. *de nupt. novel.* 22. cum privat Sacerdotem sacerdotio ob ductam uxorem juxta Sacros Canones. Quin contra *in* §. *Sancimus* ejus *cap.* 42. *novell.* 22. omnem spem matrimonii adimi Sacerdoti, vel in majoribus ordinibus constituto, idem videtur statuere, *in* §. *Si autem cap.* 14. *de Sanctis Episcop. novel.* 123. Extat & nuper inventa ejus græca Constitutio, in qua matrimonium in his gradibus ordinatis prohibuit expressè, declaratque filios ex tali concubitu genitos pejores nefariis, ac incestuosis, inhabilesque ad quidpiam accipiendum. Extat nunc illa Constitutio inter leges Codicis Justiniani *tit. de Episc. & Cler.* quam integram mox dabimus, *auth. multò magis eod. tit.* Videndusque Balsamon *ad cap.* 9. *sexta Synodi in Trullo.*

29 Ut igitur omnis hujus rei dubitatio tollatur, & constet præclarissimè universa Pontificum, & Conciliorum decreta simul cum Imperatorum edictis in hanc catholicam sententiam conspirare, ut quæcumque Sacrorum hominum conjugia ipso jure nulla, ac meretricia censenda sint, lubet Justinianum proferre de his conjugiis, ita ex Ecclesiastica, & civili lege statuentem *lib.* 1. *C. tit.* 3. *de Episc. & Cler. num.* 45. *Sacris Canonibus, neque Deo amantissimis presbyteris neque reverendissimis diaconis, aut subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationes permittentibus, sed solis reverendissimis Psaltis, & lectoribus id concedentibus, animadvertimus, quosdam despicientes quidem Sacros Canones, pueros autem generantes ex quibusdam mulieribus, quibus conjungi secundum Sacerdotalem censuram non possunt, &c. Sancimus obtinere in illis, quæ & sacris visa sunt Canonibus, perinde ac si civilibus inscriptum esset legibus, & omnes istiusmodi homines tam Sacerdotio, quam divino ministerio, atque etiam dignitate ipsa, quam habent, nudari. Quemadmodum enim Sacris Canonibus prohibita sunt talia, sic & secundum nostras leges rem ipsam prohibere. Et præter supradictam excidendi à ministerio pœnam, ne legitimos quidem, & proprios eos esse, qui ex hujusmodi inordinata constupratione nascuntur, aut nati sunt, sed eam, quæ ex talibus seminibus oritur, parcicipare turpitudinem. Tales enim eos esse disponimus, quales, quos leges ex incestis, aut nefariis nuptiis definiunt, ita ut neque naturales, aut nothi, seu spurii intelligantur, sed prorsus, & undique prohibiti, & successionis genitorum indigni, ac nec donationem ab illis capere possint.* Idem edictum refricat in Nomocan. *tit.* 9. *c.* 29. Ex quibus palam fit ex Ecclesiasticis, ac imperialibus legibus pendere, ut conjugia à Clericis inita nullum veri conjugii nomen, ac rationem habeant, sed potius constuprationes, incestus, nefarii concubitus, ac turpes copulæ censeri debeant. Quod si illi contrahendo tantum peccarent, matrimonium tamen integrum maneret, cum filii ita illegitimi esse decernerentur, ut nedum inter naturales, neque inter nothos aut spurios, quibus aliqua bonorum successio Principum interdum benignitate indulgetur, sed inter eos, qui ex incestibus, aut alio turpissimo coitu natos, quibus non modò successionis, verùm & donationis spes omnis sublata sit, tantum deputentur.

Et quamvis, quæ pro irritatione hujusmodi matrimoniorum hic afferuntur ex Imperialibus Constitutionibus, optimè sciam in rebus Ecclesiasticis nullum pondus habere, ad usum tamen Ecclesiæ græcæ probandum maximè conducunt, eoque præcipuè, quod apud Græcos legibus Imperialibus ea auctoritas tributa sit, ut ubi deficiunt Canones, ipsæ Canonum locum habeant. Quod etiam idem Balsamon affirmat *in Nomocan. Photii tit.* 1. *cap.* 28. his verbis: *Vbi nihil definitur à Canonibus, debemus sequi leges, & ex similibus similia decidere.* 30

Votum itaque, & Ecclesiasticam legem in Sacro ordine contineri, quibus Sacri Ecclesiæ ministri ab incundis nuptiis abstineantur ex his, quæ hactenus dicta sunt perspicuum est, & probat Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 27. *n.* 3. ex his Canonibus. *Ex c.* 1. *d.* 28. *Nisi qui se castum victurum promiserit, &c. Diaconi ead. d.* ibi: *professi continentiam & c.* 1. *d.* 31. ibi: *Nisi qui se victurum caste promiserit, & c. placuit ead. d.* ibi: *continentes esse in omnibus*, ex *c. de iis d.* 28. quod est ex Concilio Tol. 2. ubi de promotis ad Ordines Sacros dicitur: *Cavendum tamen est iis, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus ultro concurrant*, &c. & *c.* 1. *d.* 27. *Si dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur*, & ex Concilio Carth. 2. 12. quod refertur *c. cum in præterito d.* 84. *Gradus isti tres constrictione quadam castitati per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, presbyteros, & diaconos, &c.* Unde falsissimum est, quod asserit Scriptor Adversarius antiquis temporibus Orientales non consuevisse emittere votum continentiæ, quod proinde non fuit ab Ecclesia solemniter acceptum, suaque lege firmatum, neque postremis temporibus emitti, vel pro implicitè in ordinatione emisso reputari, ut per Sanchez *loc. alleg. & disp. seqq* Ex quibus concidit ejus fundamentum, quo firmabat, quod secluso voto continentiæ solemniter ab Ecclesia accepto, sacer ordo per se non dirimit matrimonium subsequutum, cum certum sit, votum hujusmodi continentiæ secludi non posse ex lege Ecclesiastica, ut decernit Trid. *d. can.* 9. 31

Ex quibus notandum, quod ex voventibus alii sunt simpliciter voventes, de quibus Augustinus relatus, *in c. quidam d.* 27. & Theodorus *in c. Si vir. ead. d.* loquuti sunt; alii sunt quibus post votum benedictio accedit consecrationis, vel propositum religionis, de quibus Hieronymus relatus *in c. Virgines ead. d.* Nicol. Papa relatus *in c. quod interrogasti ead.* & Callistus II *in c. Presbyteris pariter ead.* Et de hoc voto cum benedictione consecrationis scilicet de solemni, ut explicavit Bonifac. VIII. *in c. un. de vot. in* 6. intelliguntur Canones superius relati. Unde Doctores, qui referuntur ab Adversario, præsertim D. Basilius illis verbis: *Virorum professionem non novimus*, intelligūtur de voto ante susceptos ordines. Quo etiam modo intelligitur Inno. III. *in cap. cum olim de Cler. conjug.* ab Adversario inutile adductus, ibi: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus* 32

contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto. Unde patet, quod inter Sacerdotes Latinos, & Græcos illa tantum intercedit differentia, quod in nullo tempore possunt accipere, & habere uxores, isti verò ante susceptos Sacros Ordines duntaxat.

33 Incluso igitur in ordinatione ministrorum voto solemni continentiæ ex lege Ecclesiastica, matrimonium subsequens est irritum ex Concilio Tolet. I. *c.16.* Tribur. *c.23.* Tolet. VIII. *c.6.* Tolet. IV. *c.11.* Turonic. II. *c.16.* Tribur. *c.23.* ex Syricio Pap. *in ep.1.c.6.* Innoc I. *ep.2. c.12.& 13.* Gelasio I. *ep.1.c.22.& 23.* Gregorio I. *lib 1. ep. 40.* ex recentioribus Alex. III. Cælest. III. & Innoc. III. *in tit. qui Clerici, vel voventes*, ex Patribus Cyprian. *lib.1. ep.11.* Basil. *in lib. de Virginit. ad med.* Ambros. *in lib. ad Virgin. lapsc.5.* Io. Chrysost. *ep.6. ad Theodor.* Hieronym. *lib.1. in Iovin.* Idque sive jure divino, ac naturali, ut ex D. Thom. D. Bonav. Alberto, Richardo, Durand. & Sot. apud Bellarm. *de Sacrament. matr. lib.1. c.21. v. Sive ex Ecclesiæ decreto*, ut idem Bellarm *loc. alleg.* & Sanchez locis supra deductis. Atque ita censuit etiam S. Congregatio S. Officii, nimirum hujusmodi matrimonia esse irrita, & nulla sub anno 1631. & 1637. & 1673. & 1677. ac ita, ut pœnas contra Latinos, qui ordinati in sacris Ordinibus matrimonium contrahunt, locum etiam habere contra Græcos in sacris Ordinibus constitutos, si uxorem ducant post susceptos sacros Ordines, vel tentent ducere, nempè puniendos esse ab officio S. Inquisitionis, tradit Trasmiera *lib.3. qu.12. num 14.* sicque servatum fuisse in S. Officio Melitensi, testatur Salelles *lib.6. de mater. Tribunal. fid. c.8. num.223.* Cumque Metropolita Chioviæ prætenderet matrimonia contracta à Græcis post susceptos ordines Sacros non esse invalida, attenta consuetudine, quæ viget in illis partibus, Sanctissimus die 27. Iunii 1619, mandavit, scribi Nuntio Apostolico, ut dictum Metropolitam moneat, doceatque hujusmodi matrimonia esse irrita.

34 Cæterum posse Summum Pontificem in hac re dispensare ex causa, certum est, cum id sit ex jure Ecclesiastico. An autem unquam dispensaverit, & quæ causa sufficiat ad dispensandum, diligenter inquirendum est, atque examinandum.

CONSVLTATIO LXXXII.

An Constitutio B. Pii V. de non audiendis condemnatis in contumaciam, elapso anno à die condemnationis, locum habeat etiam in Tribunali S. Officii? Maximè verò in iis causis, quæ ad fidem non pertinent?

1 NOn puto. Nam Pius V. in ea Constitutione, quæ incipit, *Dudum*, data Idib. Septem. Pontificatus sui anno 6. solum declarans litteras Pii IV. eadem super re datas, ait in iis comprehendi contumaces, tam sponte comparentes, quam etiam intra tempus sex mensium definitum à Pio IV. & à se prorogatum ad annum. Pius autem IV. in suis literis incip. *licet Dudum* 12. Kal Junii anno sui Pontificatus etiam 6. ut patet ex earum proœmio, ex quo habetur causa finalis, & mens disponentis, *l.1. ff. ad Macedon.* cum vulgò aliis per Ror. coram Ludovis. *dec.531. nu.5.* declarat, se ea, quæ ad salubrem temporalis ditionis Apostolicæ Sedis directionem, & pro Cameræ Apostolicæ indemnitate prudenter ordinata comperiit, ut illibata, firmaque perpetuò subsistant, &c. roborare. Et in aliis etiam de eadem re, quæ incipiunt, *Et si cuncta* 10. Aprilis 1562. etiam in proœmio dictus Pius IV. narrat, se providere velle causis criminalibus, seu mixtis, Fiscum, & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, in quibus rei condemnari contigerit, &c. & deinde *sub* §. 9. Contumaces, ut infra sex menses se constituant, disponit. Unde cum constet, Pium IV. fuisse contemplatum regimen duntaxat temporale Sedis Apostolicæ, illiusque Cameræ indemnitatem, non autem S. Inquisitionis, præfatæ constitutiones non se extendunt ad Officium S. Inquisitionis.

Confirmatur ex §. 2. d. Constitutionis Pii V. in quo mandatur Almæ Urbis Gubernatori, cæterisque Iudicibus in temporalibus tamen, eandem constitutionem servare in causis criminalibus, seu mixtis, ac aliis Fiscum, & Cameram Apostolicam, illiusque interesse quomodolibet concernentes. Solùm itaque Pontifex considerat commodum temporale, quod in iis causis ad Cameram Apostolicam spectat, non autem in causis fidei, vel ex illis aliquo modo provenientibus, quæ ad S. Inquisitionis Officium pertinere possunt.

Et cum Constitutio Pii V. sit declaratoria literarum 2
Pii IV. qui duntaxat respicit gubernium temporale, non se extendit ad S. Officium. Quia declaratio non facit aliquid de novo, sed quod est à lege statutum ostendit. Et proinde declarationem non alterare subjectum, sed addere solum qualitatem demonstrativam, dixerunt Bald. *in l. hæredes palam, §. sed & si notam, ff. qui testam fac. pos.* Imol. *ibid.* §. *si quis*, & Aretin. *not.4.* & ideò non potest alterare substantiam Constitutionis Pii IV. aliquid addendo, aut detrahendo aut quovis alio modo immutando, sed debet ipsam relinquere in sua natura, & in propriis terminis, *l. esse toto, ff. de hæred. instit. & l. unum ex familia, §. Si falcidia, ff. de leg.2.* & notant Bart. *in l.1. vers. quæro quot testes, C. de codicil.* Rot. *dec.454. n.2. p.1. rec.* apud Farinacium.

Hinc juxta veriorem sententiam, explicantem *cap.* 3
Cum contumacia de hæret. in 6. reus in S. Officio non auditur expleto anno quoad hoc, ut bona recuperet, nisi vel de ejus innocentia, vel de justo impedimento constiterit. Auditur verò quoad excusandum crimen, & probandam innocentiam quocumque tempore, etiamsi terminus illi assignatus fuerit elapsus, ut verè docet Glossa communiter recepta *in cap. Excommunicamus, §. qui autem, v. condemnentur, de hæret.* per textum *in l. annus, ff. de requir. reis*, ibi: *In summa sciendum est, nullam temporis præscriptionem à causæ defensione summoveri eum, qui requirendus adnotatus est*, eamque tradunt Simanch. *de Cathol. instit. tit.2. nu.20. & tit.14. num.10.* Sanchez *in decal. lib.2. cap.20. nu.28.* Flamin. Chartar. *de execut. sentent. contumac. cap.1. nu.278.* Farinac. *de hæres. qu.185. §.7. num.103.106. & seqq.* Eymer. *p.3. direct. rubr. de 13. modo term. proces. n.215.* ubi Pegna qui vivebat tempore Pii V. *conf.49. num.114.* subdens, iniqua esse, & valdè injusta earum civitatum statuta, quibus cavetur, ut certo tempore expleto post latam sententiam in absentia ob contumaciam reus nullatenus audiatur, etiam quoad crimen. Hæc enim omnia statuta velut contra naturalem rationem condita, quæ defensionem cuique permittit, delenda penitus essent.

Quare ne id de d. Constitutione B. Pii V. asseratur, di- 4
cendum, eam strictè esse accipiendam, & ita, ut vel non procedat in Tribunali S. Officii, quod videtur sentire Scaccia *de judic. lib.1. cap.98. n.34.* vel ad summum, quod tantum procedat quoad bona non autem quoad pœnam corporalem, idque non in pœnam hæresis, vel alterius delicti, sed in pœnam contumaciæ; Nihilo tamen minus si causæ hujusmodi fidem non respiciunt, remittendæ sunt ad suos Iudices.

CONSULTATIO LXXXIII.

An ministri Cameræ Apostolicæ exequi possint manu regia contra debitores Cameræ conductores bonorum Cameralium, si dicti debitores sint Officiales S. Officii ex illis, qui gaudent privilegio fori absque exequatur Inquisitoris.

NEgativè videtur respondendum. Nam hujusmo- 1
di conductio non ponit subjectionem in exempto, atque adeò non dat alteri jurisdictionem. Quia qui accipit talem conductionem, censetur illam accipere citra præjudicium exemptionis. Hinc Ecclesiastici non possunt trahi ad forum secularem, neque à laico Iudice puniri, si exerceant officium seculare, etiam quoad ea, quæ

concernunt officium, ut docent Doctores communiter, Carol. de Graff. *de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 82. Zanard. *p.* 3. *director. cap* 50. Cochier. *de jurisd. Ordin. in exempt. tom.* 2. *p.* 3. *qu. ult. nu.* 1. & 2. Alexand. *cons.* 98. *vol.* 2. & *facit. l. siquis ad declinandum, C. de Episc. & Cler.*

2 Non obstat, quod conductor, censeatur consentire in jurisdictionem Ministrorum Cameralium. Quia exemptus non potest in aliquo exemptionis privilegio renunciare, cum hoc sit præjudicium Superioris, cujus jus involvit, ut notant Abb. *in cap. Cum tempore de arbitr. in fin.* Archidiacon. *in cap. Conquestus nu.* 49. *quæst.* 3. *de for. comp.* Bald. *in l. si quis ex consensu num.* 8. *C. de Episcopal. aud.* Surd *cons.* 47 *num.* 24. Rot. in Gandavensi Monasterii 19. Aprilis 1641. coram Panzirolo. Hinc quando jus proprium ita est implicatum cum alieno, ut renunciatio ipsius cedat in præjudicium tertii, non tenet, ut tradunt Felin. *in cap. Cum dilecta de rescript.* Rot. *decis.* 32. *num.* 8. *p.* 2. *divers.* ac alibi, & ideò deficit in renunciante potestas, quæ requiritur, ut teneat renunciatio privilegii, juxta *cap. cum super de offic. deleg.* ac proinde requiritur superioris consensus, sive *Exequatur.*

3 Hanc sententiam videtur approbasse S. Congregatio S. Officii. Nam sub anno 1630. fol. 3. fuit dictum, quod contra Notarium S. Officii R. P. D. Assessor ponat Exequatur, non obstante inhibitione S. Officii. Idem contra alium sub eodem anno fol. 30.

4 At nihilominus censeo respondendum affirmativè. Ita declaratum invenio in simili ferè casu ab eadem Sacr. Congregatione sub eodem anno 1630. fol. 170. quæ scripsit inquisitori Perusiæ, quod in exequendis mandatis Auditoris Cameræ contra familiares S. Officii non impediat justitiam. Quod confirmatur ex decreto Urbani VIII. qui de voto Eminentissimorum mandavit, scribi omnibus Inquisitoribus, ut in causis familiarium, & Officialium S. Officii ad illud tamen non spectantibus, tam civilibus, quam criminalibus activè, & passivè non se ingerant, sed illarum cognitionem suis Iudicibus competentibus, & Ordinariis relinquant, sed solum incumbant causis competentibus ad Sanctam fidem, aut ab ea dependentibus juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, excepta tamen cognitione causarum Officialium, & familiarium, qui aliquo modo delinquunt in Officio sibi commisso. Et casu, quo habeant aliquid relevans in contrarium, certiorent una cum rationibus, ut ut considerati possint. Ita sub anno 1631. folio 40. sed hoc non fuit observatum, neque tunc observatur; quare tenendum est cum prima sententia superius adducta, cum agatur de officialibus, qui gaudent privilegio fori.

CONSULTATIO LXXXIV.

1 SCiendum est, Maronitas esse optimos Catholicos, & Calendarium reformatum sequi, ita ut festa immobilia nostra decem dies præcedant festa Græcorum, & aliarum Sectarum Christianorum, qui in his regionibus simul commixti sunt. Idem de festo Paschali, & aliis festis mobilibus dicendum est. Accidit autem sæpius, ut aliqui Maronitæ iter agant cum aliis Christianis sive terra sive mari, & aliquando erit unus tantum Maronita inter decem, aut viginti alios. Quæritur, *utrum Missionarii permittere possint prædictis Maronitis, ut jejunent, & abstineant, & dies festos agant cum Græcis?* Ratio autem difficultatis est, quia plerique hi Christiani fidem suam in hac differentia festorum, & jejuniorum collocant.

2 Sæpè sæpius accidit, ut Sacerdos Maronita, qui celebrat diebus festis, & dominicis, illis diebus absit, aut æger fiat, aut absconditus sit propter aliquarum pecuniarum petitionem, & etiam contingat, ut Ecclesia Maronitarum clausa sit, & sigillo Turcæ obsignata. In prædictis autem casibus nonnulli Maronitæ devoti, & auditioni Missæ assuefacti, ad Ecclesiam Græcorum advolant, ut Sacro intersint. Quæritur, *utrum eis liceat illis confugere, ut sine Missa potius permaneant, quam Ecclesiam Schismaticorum adeant?* Græci porrò nunquam Missæ, aut precibus Maronitarum interesse volunt, & propriam Ecclesiam habent, quia Maronitas pro hæreticis, & excommunicatis habent.

3 Sciendum etiam est, omnes Nationes Christianorum Orientis in tota Quadragesima, quæ Pascha præcedit, Missam tribus horis post meridiem celebrare, & statim post Missam comedere, ita ut si Missam circa meridiem audiant, circa meridiem comesturi sint. Contingit, ut Missionarii Capucini tempore Quadragesimæ per villas inter Maronitas discurrant, & etiam contingit in aliquibus Civitatibus, ut Sacerdotes Maronitæ aliquibus diebus in Quadragesima non adsint, quibus nihilominus Missam omnes, ut moris est, audire peroptant, & ad Capucinos confugiunt, summoperè exorantes, ut Missam illis statuta illorum hora, scilicet tertia post meridiem celebrent. Quidam autem ex illis Missam ægrè prædicta hora tertia celebrant, quia privilegia ad unam duntaxat horam post meridiem se extendunt. Quæritur, *utrum propter animarum salutem, & devotionem populi Missam tertia hora post meridiem celebrare possint? Ubi de consuetudine Ecclesiarum, ac de forma Sacramenti unctionis inter Græcos.*

4 Ad 1. Possunt permittere per modum conniventiæ, modò instruant præfatos Maronitas, Catholicam fidem non esse collocatam in his ritibus. Ita quoque S. Congregatio S. Officii censuit 20. Iulii 1626. permittendum esse per modum conniventiæ Calendarium vetus mulieribus Latinis, degentibus Constantinopoli, ac nuptis Græcis; sicut etiam paucis aliis famulis degentibus in quadam Civitate, ubi reliqui Christiani sunt Græci, ut se conformarent cum aliis in celebratione festorum.

5 Ad 2. Affirmativè. Quia cum Sacerdotes Schismatici de facto sint privati legitimo usu potestatis Ordinis, non licet ipsis eam exercere, dum manent in Schismate, ut docet D. Thom. 2. 2. *qu.* 39. *ar.* 3. Turrecr. *lib.* 4. *sum. p.* 1. *c.* 7. & Farinac. *de hæres. q.* 184. *n.* 43. Probaturque ex *c.* 1. *de schismat. cap Novatianus cap. audivimus, & cap. didicimus eod.* & diximus *alibi.* Item cum sint excommunicati ex *can.* 1. *Bullæ Cœnæ*, non solum licet, sed debent consulere, id quod sine peccato præstari non potest. Non potest autem præstari sine peccato mortali communio in divinis cum excommunicatis, Tolet. *lib.* 1. *c.* 11. *§. tertius effectus*, Suar. *disp.* 15. *de censur. sect.* 2. *n.* 8. Sayr. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 4. Imo sine excommunicatione minori *c. placuit cum pluribus seqq.* 11. *q.* 3. *c. nuper de sent. exc. c. statuimus, eod. tit. in* 6. Hinc præceptum audiendi Missam non obligat. Quia est causa gravis, & necessaria pro custodienda disciplina Ecclesiastica vitatio excommunicati schismatici, cum sit in medicinam ad salutem animæ ordinatam, & ideò facit cessare obligationem præcepti, ut ex pluribus probat Gesualdus *de Sacram. tr.* 17. *c.* 2. *n.* 28. & Leander. *in præc. Eccles. tr.* 2. *disp.* 2. *qu.* 9.

6 Neque obstat, quod inter alias causas, ex quibus communicare possumus cum excommunicato etiam denunciato, reperiatur non solum necessitas, sed etiam utilitas. Hic autem concurrit non solum utilitas, sed etiam necessitas. Nam id verum est, quando utilitas, & necessitas sunt tales, quæ præponderare possint præcepto vitandi excommunicatum Schismaticum, qualis non est necessitas audiendi Missam; quia est tantum necessitas, proveniens ex præcepto Ecclesiæ, quod facilè relaxari potest. Imò neque adest talis necessitas; quia cum Schismaticus excommunicatus non possit celebrare, se habet, ac si non adesset, & consequenter præceptum non obligat, nec aliquam iniicit necessitatem. Unde inter Constitutiones datas in Synodo Provinciali Patriarchæ Maronitarum apud Thomam à Jesu *cap.* 7. *§.* 9. *fol. mihi* 496. hoc recenset: *efficite insuper quam possint maximè subditi vestri Schismaticorum, hæreticorum, excommunicatorum, & infidelium conversationem execrentur, &c.*

7 Minus obstat, quod Sacerdotes ejusmodi non sint excommunicati, nominatim denunciati juxta Constitutionem

tutionem Martini V. in Concilio Constantiensi edita, & in Lateranensi approbata; quia non versamur in simplici excommunicatione, sed etiam in Schismate, quod natura sua sine aliqua alia excommunicatione id operatur.

8 Ad 3. etiam affirmativè, nempè in diebus jejunii Missarum celebratio protrahi potest usque ad horam nonam. Hora autem nona est tertia post meridiem. Ita in hac specie D. Thom. *3.p.q.83.ar.2.ad 3.* Alens. *3.p.q.10.membr. 5.ar.2.* Durand. *in 4.d.13. q.7.* Richard. *ar.2. q.13.* Palud. *qu.2.art.2. conclus.2.* D. Antonin. *3.p. tit.13. cap.6. §.4.* Sylvest. *v. Missa 1. quæst.6. dicto 2.* & ex Scriptoribus rerum Ecclesiasticarum Ammalar. Fortunat. *lib. 4. de Eccles.offic.cap.40.* Durand. *lib.4.Ration.divin.offic.cap. 1.num.20.* Valfrid. Strabo *de reb. Eccles. cap.23.* fundaturque in Concilio Carbilonensi relato in *can.Solent de consecr.d.1.* ubi non censebantur legitimè jejunare, qui statim audita hora nona comedebant, eo quod prius absolvenda erat Missa, & cantandum vespertinum officium. Ex quo constat, quod usque ad horam nonam protrahebatur celebratio missæ ex illa congruentia, quod scilicet Christus hora diei nona in Cruce expiraverit. Ex quibus sequitur, quod si quis celebraret Missam longè post meridiem, dummodò non excederet horam nonam, præsertim si ex rationabili aliqua causa tantum differret, prout in præsenti, non esset damnandus peccati mortalis. Nam hæc sententia habet pro se plures, & graves Doctores, ac proinde saltem ex hoc capite est probabilis, nec contra ipsam affertur aliquid, quod convincat, imò quod facilè dissolvi non possit.

9 Unde non obstant primò Rubricæ Missalis, quæ assignant Auroram, & Meridiem pro terminis, intra quos Missa celebrari potest. Rubricæ autem habent approbationem à Summo Pontifice. Secundò, neque consuetudo, quod non differatur Missa ultra meridiem, quæ consuetudo est universalis. Tertiò, nec privilegia, quæ conceduntur pro celebratione Missæ ultra meridiem, quæ superflua essent, si possent absque ipsis celebrari. Quartò, neque communis sensus; nam omnes putant terminum meridiei esse ita præfixum, ut non liceat ultra ipsum celebrare. Denique nec Constitutio 4. Pii V. in qua prohibentur Missæ vespertinæ.

10 Nam ad primum respondetur, Rubricas assignare Auroram, & Meridiem tanquam terminos, intra quos Missæ celebrari possint, procedendo directivo modo, & respiciendo ad id quod frequentius observatur, non autem tanquam terminos inducentes præcisam obligationem, præsertim in diebus jejunii, & in Regionibus, in quibus id, non observatur. Ad 2. Consuetudo non celebrandi ultra meridiem non est inducta, ut obligativa, sed ob commoditatem tam Sacerdotum, qui nolunt remanere impransi usque ad horam nonam, quam etiam fidelium, qui non solent audire Missam, nisi ante prandium, & volunt prandere circa meridiem. In locis autem, ubi Sacerdotes non prandent in diebus jejunii, nisi post horam nonam, & fideles solent audire Missam eadem hora nona, & post eandem etiam prandere, non habet locum hæc consuetudo. Ac proindè cum diversimodè observetur, non est obligatio saltem in diebus jejunii. Ad 3. privilegia concedi juxta petitionem instantium, & proinde fuerunt petita, suppositâ opinione, quod non posset differri celebratio ultra meridiem in diebus saltem non jejunii. Et ita non habent vim inferendi obligationem juxta doctrinam Cassadori *decis.* 8. & Rotæ *decis. 286.num.4.p.3.rec.* Ad 4. non adesse communem sensum, cum plures Doctores tam ex antiquis, quam ex recentioribus sentiant, quod Missa celebrari possit hora diei nona, etiam absolutè singulis diebus, etiam non jejunii, inter quos Scotus, Rosella, Navarrus, Sà, Vivaldus, Pitigianus, Lamas, Salzedo, Rodriquez apud Dicastillum *de Sacram. tr.5. disp.4. dub.5. num.* 18. Ad 5. Illam Constitutionem Pii V. non habere locum in hoc casu, ut etiam advertunt Villalob. *p.1.sum. tr.8. diff.22. num.* 7. Pax Iord. *tom.1. Lucubr. lib. 4. tit.1. num.93. in fin.* Nam ibi Pontifex prohibet tantum Missas vespertinas, seu quæ celebrabantur tempore vespertino. Tempus autem vespertinum, non incipit, nisi post vesperas. Undè antiquitus mane durabat celebratio Missarum saltem in diebus jejunii usque ad horam nonam, & totum hoc tempus habebatur pro matutino. Secundò, quia intentio Pontificis est tollere Missas, quæ celebrabantur post vesperas, atque adeò per tempus vespertinum intelligit tempus post vesperas.

Et nihilominus ad majorem cautelam potest concedi 11
facultas, protrahendi celebrationem Missarum in illis Regionibus, diebus tantum jejuniorum quadragesimæ usque ad horam diei nonam, hoc est, tertiam post meridiem. Quæ facultas fundatur in ritu antiquo, in auctoritate Doctorum, in congruentia Christi, qui hora nona in Cruce expiravit, & in devota observatione quarundam Nationum Orientalium.

Et sanè non solum Canonum, ac decretorum perpe- 12
tuam executionem polliciti sunt Summi Pontifices, sed etiam benigno in subjectas Ecclesias animo usi, consuetudines antiquas in Provinciis inviolatas servari voluerunt. Jus enim Canonicum perinde, ac civile scripto, & non scripto constat. Undè Iudices Cognitores in Concilio Chalcedonensi *act.* 13. rectè petunt ab Anastasio Episcopo Nicæno, qua ratione probare vellet Ecclesiam Basilinopoleos subjectam esse Nicænæ, an secundum Canones, an ex consuetudine aliqua. Et annis aliquot superioribus Faustinus Legatus Romanæ Ecclesiæ dixerat in Concilio Africano aliqua teneri Canone, aliqua verò consuetudine. Quare Photius *in Nomocan. tit.1. cap.3.* rectè adnotavit, Ecclesiasticam Consuetudinem non scripta perinde, ac legem servari, quod probat è Synodo sexta, & è Basilii locis aliquot. Eandem consuetudinis antiquæ auctoritatem probant Ivo *4.p.decr.* & Gratianus in collectionibus suis ex Augustino, & Isidoro, aliisque testimoniis relatis *d.* 1. 8.11. 12. & alibi. Planè dubitari non potest, quin magna debeat esse vis consuetudinis in disciplinæ Ecclesiasticæ administratione, cum ex ea Provinciarum privilegia metienda esse Synodus Nicæna velut edicto perpetuo definiverit *cap. 6. Antiqui mores obtineant*, inquit, idemque postea Synodus Ephesina generalibus verbis *cap.7.* constituerit, ut omnibus Provinciis jura intemerata serventur, quæ illis ex antiqua consuetudine competunt.

Cum autem disciplina Ecclesiastica duo summa ca- 13
pita complectatur, ritus scilicet, & jurisdictionem, consuetudinis in utramque partem, par omninò est auctoritas, etsi religiosius tractanda sunt, quæ ritus sacros respiciunt, cum pietatem, atque externum divini Numinis cultum contingant. Sed, ut eleganter monuit D. Augustinus *ep.* 117. de consuetudine dupliciter disputare possumus, vel ut est universalis Ecclesiæ traditio, vel ut est propria, & particularis quarundam Ecclesiarum institutio. Universalis illa traditio, quæ per universam servabatur Ecclesiam, nec à Conciliis decreta erat, quin ab Apostolis profecta esset, non dubitabat Augustinus. Sed traditionem illam missam facimus, quæ ad propositum nostrum non pertinet.

De particularibus Provinciarum moribus est agen- 14
dum, in quibus hæc regula tenenda est, ut si fidei non officiant, usurpari possint, prout à majoribus sunt traditi, nec aliorum consuetudo aliorum contrario more subverti debeat, ut docet Gratianus ex Augustino, Hieronymo, & aliis *d.11.& 12.* Augustini autem verba *ep.ad Consulanum* hæc sunt: *In his rebus, in quibus nihil certi statui Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt, de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.* Quare Gregorius Magnus divini, & humani juris consulentissimus Pontifex inveteratas consuetudines, quas in administranda Ecclesia sequebantur, Africanis integras reliquit. Concilium Numidiæ à

Gregorio, Pelagii Decessore, petierat, ut vetusti mores, qui per Numidiam ab ipsius B. Petri temporibus invaluerant, inviolati servarentur. Gregorius post obitum Pelagii rescripsit *lib. 2. ep. 75.* se omnia antiqua Capitula illis permittere, quæ fidei contraria non essent. Prudens sanè responsum, quo pax Ecclesiarum continetur, & contentionibus, quæ de disciplina sæpissimè emergunt, via penitus occluditur. *Petistis*, inquit, *per Hilarium Chartularium nostrum à beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retrò temporum consuetudines servarentur, quas à B. Petri Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de cæteris capitulis.* Eodem sensu rescripsit ad Dominicum Carthaginensem Episcopum *lib. 2. epist. 39* apud Gratian. *25. qu. 2. can. de Ecclesiasticis. De Ecclesiasticis privilegiis, quod vestra Fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.*

15 Quidquid ab Africanis usurpabatur, dummodò fidei regulam non violarent, Gregorius disertè confirmat. Eadem regula usus est Theophylactus, Bulgariæ Archiepiscopus in Epistola ad Nicolaum Diaconum, & Castrinsium, relatus à Demetrio Chomateno *lib. 5. juris Græcorom.* qui ab eo petierant, an Græcis liberum esset Ecclesiæ occidentalis communionem amplecti ob discrimen, quod in jejuniis, in Sacerdotum cœlibatu, in Azymis, & plerisque aliis mysticæ disciplinæ articulis intercedebat. Respondet graviter his verbis inter cætera: *Non omnis consuetudo ad dissociandas Ecclesias valet, sed quæ dogmatis differentiam inducit*, ubi alludit ad contentionem de Processione S. Spiritus. Eadem fuit sententia Leonis Papæ IX. qui circa annum 1050. *Epist. ad Michael. cap. 5.* Michaelem Constantinopolitanum Episcopum, & Leonem Acridanum acriter objurgat, quod Romanam Ecclesiam ob ritus suos, & azymum panem in sacrificiis adhibitum damnarent, & unumquemque cogerent ad græca instituta amplectenda, quamvis alio jure uterentur Romani, qui liberam in Urbe, Græcorum rituum observationem relinquebant, nequa dissidii occasio inter Ecclesias oriretur. Hæc sunt verba Leonis: *Ut enim fertur omnes Latinorum Basilicas penè clausistis, Monachis Monasteria, & Abbatibus titulis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quantò discretior, moderatior, & clementior vobis est. Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potius suadetur, & admonetur eam observare. Nec enim animositatem impiæ hæreseos habet, quæ semper divisione gaudet, dicens per parricidam mereiricem: Nec mihi, nec tibi sit, sed incidatur; sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: Obsecro Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum. Scit namque quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operatur bona, quæ potest uni Deo, commendans omnes.* Aliquot annis ante Leonem Fulbertus Carnotensis de variis observationibus Ecclesiarum Orientis, & Occidentis eadem regula usus judicium tulit *Ep. 2. ad Finardum: Sed nec parva, nec rara sunt, quæ ab aliis necessariò servanda, ab aliis non adeò curanda affirmantur. Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porrò in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana, & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis exitisse. Stet enim Regina Ecclesia à dextris Regis sui in vestitu deaurato circumdata varietate.*

16 Adde Petrum Abbatem Cluniacensem *lib. 1. Ep. 2. Sunt*, ait, *innumerabiles, & diversissimæ diversarum Ecclesiarum ad unam Catholicam pertinentium consuetudines, ut penè tanta sit varietas usuum, quanta multiplicitas Ecclesiarum; sed non damnat aliquem diversa institutio, quæ & veræ fidei inservit, & charitatis compaginem non dissolvit. Ubi vero aut fides læditur, aut charitatis unitas periclitatur, si occultè fit, damnabile est, si publicè, damnabile simul, & hæreticum.*

Sanè varias jam olim invaluisse consuetudines in quadragesimæ, cæterisque statutorum dierum jejuniis adnotavit Irenæus apud Euseb. *lib. 5. cap. 6.* græcæ editionis, eamque observationum discrepantiam, nullum in Ecclesiam dissidium intulisse, sed æquo animo pacem inter Sacerdotes retentam. Quo argumento, & aliquot Pontificum Romanorum exemplis adductis persuasit Victori Papæ anno 198. ut pacem Polycrati, cæterisque Asiaticis Episcopis restitueret, quos Ecclesiæ communione privarat, quod à reliquis Orbis Christiani Episcopi dissentientes, decimaquarta Luna, non autem die Dominica Pascha celebrarent. Censuit enim Irenæus, æquum non esse, ut Victor tot Ecclesias à communi unitate recideret ob morem antiquum, cujus se retinentes præstabant. Exoratus Victor, ut præcipuè auctoritatis, quæ in Romana Sede viget, specimen edidit, excommunicatione in Asianos lata universalis Ecclesiæ traditionem comprobatam à quamplurimis Synodis nutus ejus indictis, constantissimè vindicando, ita quoque humanitatis, remissionisque in toleranda consuetudine particulari singulare exemplum præbuit. In gratiam enim statim rediisse Polycratem, & Asiaticos cum Victore, retento Ecclesiarum suarum usu, testatur Sozomenus *lib. 7. cap. 19. Decreto communi singuli, ut consueverant festum agentes, à mutua communione non recesserunt. Frivolum enim & merito judicarunt consuetudinis gratia, à se mutuò separari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Dissimulandum tamen non est, errorem irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine, cum lectio integra remanserit in nomine Victoris. *Sapientissimè autem arbitror*, inquit, *solvisse subortam olim de eo controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smirnensem*, Legendum est *Polycratem*, qui error proclivis est. 17

Ex sola rei gestæ narratione non solum probatur assertio nostra de retinenda communione cum diversis ritibus, sed etiam Novatorum calumniæ refelluntur, qui Victoris excommunicationem à cæteris Ecclesiis spretam, & Ecclesiarum Asiaticarum consortium ab omnibus retentum prædicant adeò, ut quæ adversus illos directa erat machina, in nostros contorqueant, nec vano quidem ictu, nisi exceptione à nobis proposita repellantur. Probent enim, quod facillimum est, non rejectos Asiaticos à communione Orientalium post Victoris censuram, hoc de dignitate Sedis Apostolicæ nihil demit, cum ad Irenæi suggestionem pacem redditam à Victore docuerimus. Ex Eusebio enim, & Socrate constat de excommunicatione à Victore inflicta, & de Irenæi Epistola. Ex Sozomeno autem de communione Victoris, & Polycratis non interrupta. Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso à Victore excommunicationis effectu post monita Irenæi. Cætetum Sozomenus, & Socrates *lib 5. cap. 22.* græcæ editionis varios Ecclesiarum ritus observant, qui earum concordiæ non officiebant. *Qui in eadem fide consentiunt*, inquit Socrates, *jidem in ritibus, & cæremoniis inter ipsos discrepant.* Alia vide alibi. 18

Ex his colligitur non esse redarguendam formam Græcorum ex eo, quod in ipsa non explicent actionem unctionis, nec proximam materiam. Siquidem hoc non est de necessitate Sacramenti, ut tradunt Arcud. *lic. 5. de Sacram. cap. 5.* Iacob. Goar. *ad Euchelog. Græcor. in not. in offic. Sancti Olei n. 29.* defendentes formam, quam adhibent Græci, in qua non exprimunt unctionem, atque adeò neque actionem ministri. 19

Nèque dici potest, Græcos non habere veram formam 20

hujus

hujus Sacramenti, ut tenent Suar. 3.p.tom.4. disp.40.sect. 3.num.12. Palaus p.4.oper.mor.tr.16. disp.un.pun.4. num.4. Isambert. 3.p.disp.3. de extrem. Vnct. qu. un.art.2. prop.1. Sylvius qu.29. supplem. ar.9. Mærat. tom.3.sum.disp.4.de extr.Vnct.sect.2.& alii, qui id potius videntur supponere, quam disputare. Quia, inquit, in sacramentis, quæ consistunt in actione, debet exprimi ipsa actio ministri, alias non esset Sacramentum. Sacramentum autem Extremæ Unctionis consistit in actione transeunte. Nam facta unctione, & prolatis verbis, nihil remanet de Samento, sed solum relinquitur effectus.

21 At contra Clemens quippè VIII. *in instruct.pro ritib. Græcor.* edita die 31. Augusti 1595. ac Romæ excusa anno 1597. corrigit ritus Græcorum circa Sacramenta præcipuè, & non corrigit formam hujus Sacramenti. Innocentius IV. in Bulla ad Episcopum Tusculanum Legatum Sedis Apostolicæ in Regno Cypri nonis Martii anno II. sui Pontificatus super ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari possunt, non corrigit formam hujus Sacramenti. Hoc autem signum est, quod hi Pontifices illam habuerunt pro legitima, & sufficienti; alioquin illam correxissent, sicut correxerunt cætera. Neophytus quoque Rhodinus *in sua synopsi* Romæ edita, & approbata ex mandato S. Congregationis de propaganda fide, tradens materiam, & formam hujus Sacramenti, refert illam orationem, qua Græci utuntur, & in qua non exprimitur unctio, seu actio ministri.

22 Idque confirmatur. Nam antiquitus in Ecclesia Romana in forma Confirmationis non applicabatur unctio, seu actio ministri, neque materia proxima, sicuti modò explicatur, sed solum Episcopus dicebat: *Confirmo te in nomine Patris, &c.* ut habet Ordo Romanus *in officio Sabbati Sancti post benedictionem fontis, & Orationem Omnipotens*, ubi his verbis traditur modus confirmandi: *Pontifex tincto pollice in chrismate faciat Crucem in frontibus singulorum ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.* Ex quo patet, eos, qui aiunt non poni integram formam, non vidisse textum; siquidem tanquam rituale ponit omnia, quæ dicenda sunt in ministrando tali Sacramento, ac etiam quod respondendum est, completa forma. Quod servat etiam in omnibus aliis Sacramentis, ac ritibus, quorum modum tradit. Non est igitur de necessitate Sacramenti consistentis in actione transeunte, quod in forma explicetur actio, seu materia proxima.

23 Etenim determinatio, quam forma debet tribuere materiæ, debet esse in ordine ad effectum Sacramenti, nam tanquam indeterminata ad ipsum significandum debet à forma determinari. Expressio autem actionis ministri, seu materiæ proximæ non tribuit hanc determinationem. Quia talis expressio solum significat, Oleum Sacrum applicari ad ungendum tanquam signum sensibile significativum gratiæ. Hoc autem totum habet unctio ex se, ut proinde S. Concilium Tridentinum *sess.* 14 *cap.1. de Sacram. Vnct.* dicat: *Quod unctio significat Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur.* Ergo neque talis significatio, quæ habetur ex hac expressione, erit significatio propria, & substantialis formæ.

24 Tunc autem in forma Sacramenti, quæ consistit in actione transeunte exprimenda est actio ministri, seu materia proxima, quando de se est indifferens ad significandum effectum Sacramenti, vel aliquid aliud, ut contingit in Baptismo, in quo ablutio, ut ait D. Thomas 3 *p.qu.*60. *art.6. in corp.* est indifferens ad effectum mundandi, & refrigerandi. Et ideò quia significat ablutionem internam, quæ est effectus Sacramenti, ut ablutiva, debet à forma determinari, ut applicetur tanquam ablutiva. Quod, fit dum explicando actionem ministri dicitur: *Ego te baptizo*, hoc est, abluo. In Sacramento autem Extremæ Unctionis materia non indiget hac determinatione; nam unctio, ut unctio est, significat interiorem unctionem, ut dictum est. Atque ideò Græci habent sufficientem formam pro Sacramento Extremæ Unctionis, dum in ipsa precantur, Deum, ut tanquam medicus animorum sanet à morbo corporis, & animæ. Nam sanare animam est indulgere peccata, ideòque eorum forma æquivalet Latinæ quoad essentialem significationem.

Hinc quoque ritus Græcorum adhibentium septem 25
Sacerdotes ministros pro Extrema Unctione damnandus non videtur, cum non contineat errorem, sed omnes illi septem Sacerdotes conficiunt unicum Sacramentum. Probatur eadem ratione, quia plures Summi Pontifices, nominatim Innocentius, & Clemens VIII. locis superius allegatis correxerunt errores Græcorum, præcipuè circa administrationem Sacramentorum, & tamen non correxerunt hujusmodi ritum circa Extremam Unctionem. Undè videntur approbasse; cum enim fuerint examinati, habentur pro concessis juxta regulam *l.cum Prætor, ff de jud. & l.necnon, § quid ergo, ff.ex quibus caus.major. & l.1. §.adhiberi, ff de testib.* Atque ex eo, quod Sacramentum Extremæ Unctionis hoc habet peculiare præ cæteris Sacramentis, quod sit applicandum deprecativo modo, & ideò forma ipsius debet continere deprecationem juxta verba D. Jacobi Apostoli: *Orent super eum, ungentes eum Oleo, & oratio fidei salvabit infirmum.*

Et quidem potest Ecclesia instituere plures materias 26
per se singulas sufficientes pro Sacramento, & inter se distinctas, & applicatas eidem parti, quod se habeant per modum unius. Id constat in Sacramento Baptismi. Nam sufficit unica immersio & tamen Ecclesia instituit, quòd adhiberetur trina in eadem parte corporis. Poterit ergo id etiam instituere in Sacramento Unctionis nedum quoad materiam, sed etiam quoad formam. Quia etiam unctio est materia Extremæ Unctionis, & ideò ex Ecclesiæ institutione adhiberi poterit multiplex unctio per modum unius. Nec refert, quod diversa unctio sit à diverso Sacerdote; quia hoc est quid extrinsecum materiæ, & ideò non variat ipsam in substantia. Et in tantum trina immersio debet esse ab eodem, quia materia debet applicari ab eodem, à quo profertur forma, non autem quia requiratur unitas ministri, ut plures immersiones se habent per modum unius.

Et quod pertinet ad formam probatur. Forma Extre- 27
mæ Unctionis est per modum deprecationis, ac proindè sequitur naturam orationis. Natura autem orationis est talis, ut eædem preces effusæ à pluribus non solum simul, sed etiam successivè conjungantur in unam orationem, & habeantur pro una, & eadem deprecatione, ut constat, quando in Sabbato Sancto cantantur Litaniæ. Nam totum, quod cantant Cantores, repetit postea chorus. In Missa quando recitatur Kyrie eleison, quod pluries successivè repetunt Sacerdos, & Minister. In Missa solemni, in qua plura cantantur à choro, quæ Sacerdos recitat. Ratio autem est, quia societas orantium dat unitatem orationi. Cum enim conveniant veluti collegialiter ad orandum, seu tanquam consocii, preces, quas fundunt, sive eodem modo se habeant, sive diverso, habentur pro una, & eadem oratione. Cum ergo forma Extremæ Unctionis sit per modum orationis, potuit Ecclesia instituere, quod repetita à pluribus consociis, & collegialiter convenientibus, se habeat per modum unius orationis, atque adeò unius formæ. Septem autem Sacerdotes, qui ministrant Extremam Unctionem apud Græcos, conveniunt collegialiter, & tanquam consocii repræsentantes Ecclesiam. Ex eoque etiam constat, quod Ecclesia habet à Christo potestatem variandi ministrationem Sacramentorum, prout ipsorum dignitati, vel utilitati fidelium expedierit, salva tamen eorum substantia, ut statuit Concilium Tridentinum *sess.*21.*c.*2. Ergo potuit etiam instituere, quod Extrema Unctio ministretur eo modo, quo Græci ministrant. Quia in hoc non variatur substantia, cum remaneat unctio, quæ significat interiorem Unctionem, & eadem forma. Nec repetitio Unctionis, & formæ variat substantiam, quia tantum addit, non autem detrahit, & facit, quod partes substantiales

sint magis extensæ, & constent pluribus partibus integralibus coeuntibus moraliter in unum modo explicato. Et id ò tota variatio est solum materialis, non autem formalis, atque essentialis.

28 Id autem certum est, quod cum singulis ministris Extremæ Unctionis apud Græcos sit concessum benedicere Oleum pro Sacramento ministrando, tenentur tamen sub mortali uti consueta benedictione præscripta in ipsorum Euchologiis. Nam ipsi quoque tenentur sub eadem obligatione servare ritum propriæ Ecclesiæ. Non potest tamen Ecclesia ita certam formam, seu ritum pro Olei infirmorum benedictione præscribere, ut ea non servata Sacramentum non teneat. Quia cum non sit de necessitate Sacramenti hæc, vel illa forma benedicendi, ut dictum est, non poterit unquam ipsius omissio, dummodò alia adhibeatur, reddere irritum Sacramentum. Neque Ecclesia potest facere, quod Sacramenta irrita sint, si adhibeantur pro ipsis conficiendis ea, quæ sunt de ipsorum substantia juxta institutionem Christi, cum validitas Sacramenti non dependeat ex voluntate Ecclesiæ, sed ex institutione Christi. Ita Mærat. *tom.3.sum.disp.2.de Extrem.Vnct.sect.2.vers.Secundo quia.*

29 Hinc etiam ritus Græcorum conferendi sanis Sacramentum Extremæ Unctionis tolerandus est, idque faciunt præsertim post susceptum Sacramentum pœnitentiæ, ut desumitur ex Simeone Thessalonicensi *lib. de sept.Sacram.* ubi habetur: *Sanctum Oleum tradutum est, veluti Sacrum mysterium, divinæque misericordiæ typus, quod in redemptionem, & sanctificationem præbetur his, qui se à peccatis convertunt.* Hoc idem habet Job Monachus apud Archud. *lib 5. de sacram. c.4.* cujus verba refert, quæ sunt: *Tempus autem, quo oporteat susscipere Euchelæon, tota est mortalium vita post peccatum ad extremum usque spiritum. Cumque opus sit statim post errata illud sumere, plerumque tamen ob humanam oblivionem, & ignorantiam, verecundiam item, & negligentiam, atque omninò propter quascunque alias humanas passiones, etiam post ultimas horas exhibetur.* Hieremias item Patriarcha Constantinopolitanus *cap.7.suæ censuræ*, hæc habet: *Illis verò, qui post baptisma peccaverunt, pœnitentia, consecratoque oleo unctio conducunt, quæ sacramenta, aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.*

30 Hic autem Ritus fundatur in auctoritate Innocentii I. *ep.1.ad Decent.cap.8.* ubi sic ait: *Oleo Sancto, ab Episcopo benedicto, posse uti non solum Sacerdotes, sed etiam omnes Christianos in suis, ac suorum necessitatibus.* Nec valet expositio Iansenii *in c.6.Marci*, quod Pontifex intelligat de usu passivo. Quia constat, quod oleum benedictum soleret distribui etiam in medicinam corporalem, quod cum in abusum tenderet, fuit prohibitum in Concilio Moguntino sub Carolo Magno *can.24.* his verbis: *Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priventur.* Imò plures Sancti ipsum adhibuerunt ad sanandos infirmos, quorum plura exempla recensct Arcudius *d.lib.5.de Sacram.eodem cap.4 vers.In Vita S.Genovefæ*, Et celebre est illud S.Gotardi Episcopi apud Surium *tom.7.die 4.Maii*, ibi: *Iussit etiam presbytero, ut sacro oleo, quod infirmorum dicitur, ejus ungeret oculos, qua quidem unctio, & Sancti viri preces ab illo dolore usque ad vitæ finem eam immunem conservarunt.*

31 Atque hic mos ungendi sanos oleo infirmorum etiam hodie Venetiis apud Græcos ibi commorantes servatur. Nam in ipsorum Ecclesia S. Georgii in Majori Hebdomada, quando consecratur oleum, Episcopus consecrans ungitur septies à Sacerdotibus adstantibus, & Sacerdotes ab Episcopo, & etiam totus populus assistens, nempè septies in fronte, & quinquies in sensibus. Et quod magis urget Innocentius IV. in citata Bulla circa ritus Græcorum tacitè approbat ritum ungendi pœnitentes post susceptum Sacramentum pœnitentiæ. Nam *nu.6.* sic inquit: *Nullis autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodò injungatur*, ubi notanda est dictio *solummodò*. Nam operatur, quod Pontifex non prohibeat injunctionem unctionis, sed solum quod prohibeat, ne sola injungatur, ac proindè injungi poterit simul cum aliis operibus satisfactoriis.

Pro defensione autem hujus ritus advertendum est, 32
quod eadem materia inservire potest & pro materia alicujus Sacramenti, & etiam pro Sacramentali. Constat hoc in chrismate etiam apud Latinos; nam inservit pro materia confirmationis Sacramentalis, ac etiam pro diversis Sacramentalibus, ad ungendum scilicet verticem baptizati, pro consecratione altaris, Ecclesiæ, calicis, & hujusmodi aliis. Antiquitus etiam inserviebat pro reconciliandis hæreticis, ut desumitur ex Concilio Araufica-no 1.*can.2.* & ex secunda Synodo œcumenica *can.7.* Eodem modo poterit oleum infirmorum inservire pro materia in Extrema Unctione, & pro Sacramentali in aliis occasionibus.

Quare dicendum videtur, Græcos non conferre sanis 33
Sacramentum Extremæ Unctionis, sed tunc adhibere oleum infirmorum tanquam Sacramentale in ordine ad diversos fines juxta subjectam materiam. Ita Arcud.*eo l. 5. & cap.4.* Colligiturque ex eo, quod imponunt Sacerdotes unctionem pro satisfactione sacramentali, ut constat ex dicta Bulla Innocentii VIII. Dum autem imponitur in ordine ad satisfactionem, oportet, ut habeat rationem Sacramentalis; quia Sacramenta non ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, sed ad sanctificandum homines. Et quia Innocentius VIII. non tolerat talem unctionem, nisi cognovisset adhiberi tanquam Sacramentale. Nam apud Ecclesiam Latinam certum est, quod non potest Sacramentum Extremæ Unctionis ministrari sano. Oratio verò, quæ adhibetur in Extrema Unctione, adhibetur in his unctionibus non tamquam Sacramentum, sed tanquam Sacramentale. Quia cum forma Sacramenti Extremæ Unctionis deprecativo modo proferatur, ac proindè, quantum est de se, possit esse nuda deprecatio ordinata ad orandum Deum, & possit etiam esse deprecativo modo significativa effectus Sacramenti ex institutione Christi, utroque etiam modo adhiberi potest, & ideò dependet ab intentione, ac institutione Ecclesiæ, ut hoc, vel illo modo se habeat, atque adeò ut sit pars Sacramenti, vel pars sacramentalis. Undè cum Sacerdotes Græci conforment suam intentionem intentioni Ecclesiæ Græcæ, poterunt utroque modo illam adhibere, & modò conficere Sacramentum, modò aliquod Sacramentale. Ut autem hoc, vel illo modo adhibeant, non est necesse, quod explicitè determinent suam intentionem ad Sacramentum, vel ad Sacramentale, sed sufficit, quod operentur juxta institutionem Ecclesiæ, & juxta capacitatem subjecti. Nam tunc determinatur operatio, ut sit vel Sacramentum, vel Sacramentale, & consequenter intentio quoque ministri est virtualiter determinata.

CONSVLTATIO LXXXV.

1 *An Regulari Ministro S.Officii, decedenti extra claustra, dum iter agebat ex uno ad alium Conventum obedientia sui Superioris, faciendum sit spolium, & quatenus?*

2 *Et an à Superiore suæ Religionis, vel ab Inquisitore, cujus erat Minister.*

REspondeo ad utrumque. Certum est, quod si Regularis degeret extra Monasterium cum licentia sui Superioris, vel sine ea, sive ut Apostata, sive ut fugitivus, sive ut ejectus, & extra illud moraretur, & in ejus bonis ab ipso undecunque, & quomodocunque acquisitis hodie succederet per spolium Camera Apostolica ex Constitutione 43. Gregorii XIII. quę incipit *Officii nostri*, in quam à die mortis non solum dominium, sed & possessio transfertur: quidquid dicendum sit de jure communi, de quo alii nominatim Campan. *in divers.jur.rub.11.cap.15.nu.9.* Rodriq. *tom.1. qu.reg.30.ar.29.* Nald. *in sum.v.Religiosus num.35.* 1

*num.*35. Sanch. *l.*7. *mor. cap.*33. *num.*22. Ricc. *decis.*245 *p.*4. Bonac. *de claus. qu.*2. *punct.*12. §.7. *n.*14. Alphons. de Leon. *de censur. recollect.*6. *nu.*332. Novar. *in prax. de bon. Regul. concl.*1. *& in Lucern. Relig. v. ejecti nu.*11. Donat *in prax. rer. regul. p.*2. *tract.*8. *de ejecti. qu.*46. *num.*5. Navar. *l.*3. *cons. tit. de Regul. cons.*80. *edit.*1. *& tit. de stat. Monach. cons.*17. *edit.*2. ac Suar. *tom.*4. *de Relig. tract.*8. *l.*3. *cap.*2. *num.*30. sed hic non est casus noster.

2 Ideò tenendum est non esse faciendum spolium. Undè Regulari decedenti intra Monasterium, vel extra sed casu fortuito, ut in præsenti, nemo propriè loquendo succedit; quia nihil habenti non succeditur. Regularis autem nihil habet; quia quod habet, est monasterii, ac proindè non potest Monasterium id de novo acquirere per successionem, quia res semel mea, amplius mea fieri non potest. Et ita censuit S. Gongregatio super Episcopis, ac Regularibus in Vercellensi 11. Aprilis 1600. & 30 Iunii 1604.

3 Non obstat, quod erat Minister S. Officii. Quia cum non fuerit omninò exemptus à Religione, erat ei subditus non secus, ac cæteri. Hinc resolvit S. Congregatio S. Officii 30. Novembris 1596. quod Inquisitores, eorumque Vicarii sunt subjecti Custodibus Conventuum in iis, quæ spectant ad disciplinam regularem, eosque venerari tenentur, ideò bona, quæ ad ipsum pertinent, debent pertinere ad Monasterium; quia in tantum pertinent, in quantum pertinet jus Regularis, & efficitur jus ipsius Monasterii. In tantum autem efficitur jus Monasterii, in quantum Regularis subiicitur Monasterio, & est membrum illius. Undè cum per officium ejusmodi non fuerit absolutus à jugo regularis observantiæ; sed communicabat cum Religione, erat adhuc membrum illius, & ideò ad illud pertinent ejus bona. Atque ita declaravit S. Gongregatio S. Officii sub die 6. Februarii, ac 29. Martii 1608 his verbis: *Inquisitorum bona non spectantia ad S. Officium post eorum obitum dividuntur juxta Constitutiones Religionis.* Et clarius sub die 18. Ianuarii 1616. pro Inquisitore Ariminensi, qui extra Monasterium decessit, hunc in modum: *Inquisitores, licet decedant extra clausuram non subjacent spolio, quod fit à Camera Apostolica, ideòque ordinatur Thesaurario, ne fratres molestet.* Et meritò quidem, esset enim hoc ministerium odiosum Religionibus.

CONSULTATIO LXXXVI.

1 *An Inquisitores S. Officii procedere possint, ac debeant ad censuras contra Iudices, ac ministros laicos, qui furantem pyxidem cum particulis consecratis non confessum, neque convictum in termino octo horarum suspendere fecerunt altis furcis in platea ejusdem Ecclesiæ, in qua sacrilegium commissum fuit, turbantes jurisdictionem S. Tribunalis, prætendentis hujusmodi causas ad se spectare privativè quoad omnes alios?*

1 ET quamvis videatur nimis durum procedere ad censuras, quid aliud expediat S. Tribunali pro repellenda hujusmodi injuria jam cognita, & ne transeat in exemplum, tantò magis quod propè dictam Ecclesiam appendere fecerunt caput, & manum dicti Sacrilegi, & in loco, ubi ceciderunt pyxis, & particulæ, construxerunt memoriam lapideam præfati sacrilegi sceleris, in qua sculpserunt pyxidem, conopæo coopertam cum expressione particularum Sacramentalium in ea existentium.

2 *An hoc crimen spectet ad S. Officium, cum S. Congregatio modò negavit, modò affirmavit?* Negavit in eo, qui particulas sumendo consumpsit, & pyxidem furatus fuit, illumque remisit Ordinario, ut severè puniat, & mittat ad triremes per decennium 1. Julii 1604. Alium pariter remisit Ordinario, ut si quid spectans ad S Officium reperierit, certiorem reddat 5 Augusti ejusdem anni. Affirmavit verò, reumque damnavit ad carceres, & ad reficiendum ornatum Tabernaculi, ac pyxidem Sanctissimi Sacramenti 29. Decembris 1605. In alium, qui pyxidem pariter cum particulis furatus fuit, scripsit Archiepiscopo Consentino, ut faciat sibi consignari carceratum à Curia seculari, illumque examinet pro spectantibus ad S. Officium, ac faciat abjurare 29. Septembris ejusdem anni 1605. Alias ordinavit Inquisitori Florentiæ, ut in carceres quemdam coniiciat, qui Tabernaculum furatus fuit, ubi asservabatur Eucharistia 8. Aprilis 1588. Alias dixit, quod ejusmodi furtum puniatur in S. Officio, & rei abjurent juxta qualitatem responsionum, ut in literis 17. Maii 1607. & 31. Iulii ejusdem anni. Unde qui furatus fuit pyxidem cum particulis, abjuravit de vehementi, & punitus fuit à S. Officio 4. Augusti 1611. Alius interrogatus, quid fecerit de particulis, super intentione damnatus est ad triremes per septennium 20. Februarii 1620. iterùmque dixit 20. Martii 1618. furtum pyxidis spectare ad S. Officium. Quidam Parmensis ob furtum pyxidis una cum particulis consecratis, quas in puteum projecit, ductus fuit ad S. Officium Urbis. Tandem Inquisitor Mutinæ consulit, an causa furti pyxidis Sanctissimi Sacramenti cum ostensorio, & hostia Sacra spectet ad S. Officium, fuit responsum spectare. Verum si Curia Episcopalis, prævenit illius cognitionem, ei relinquat, cum Ordinarius sua auctoritate ordinaria potest procedere in hujusmodi causis, ut 1640. *folio* 132.

Ex quibus clarè colligitur furtum pyxidis cum particulis Eucharisticis spectare privativè ad Iudicem Ecclesiasticum, sive ad S. Officium, non quidem privativè quoad Ordinarium, sed cumulativè, vel præventivè, nullo autem modo ad Iudices seculares. Ratio autem est, quia ex ejusmodi furto, sive ex facto ipso oritur suspicio, quod fur malè sentiat de Sacramento Eucharistiæ. Sive enim dicatur cum Martino Delrio *disquis. magic. lib.*5. *sect.*15. §. *Axioma primum*, factum hæreticale esse illud, quod quamvis non sit hæresis, quia pertinet ad enunciationem intellectus, attamen quasi materialiter enunciat hæresim, seu est materia, circa quam intellectus errat. Sive dicatur cum Soto *in tract. de hæres.* factum hæreticale esse illud, quod aliqui hæretici laudarunt, vel non esse peccatum affirmarunt, semper quidem hoc factum furandi pyxidem cum Sacratissimis particulis erit factum hæreticale. In utroque enim casu certum est de fide, non licere Christianis furari pyxidem, & Sacras hostias proficere, & qui contrarium assereret, esset hæreticus reputandus. Hinc licet à sacrilegio, & à blasphemia hæreticali possit abesse prava intentio, attenditur nihilominus illud factum, vel dictum, quod sapit hæresim. Nec Iudices seculares in hisce criminibus difficultatem faciunt, quia pertinent ad Inquisitores privativè, ut per Sanfelic. *dec.* 232. *per tot.* & Protex ipse Neapolis sub die 6. Iulii 1606. instituit apud Sanctissimum, ut declararet hujusmodi crimen spectare ad S. Officium. 3

Non obstat, quod ejusmodi furtum sit sacrilegium, atque adeò mixti fori, *can. Sacrilegium* 17. *q.*4. *cap. quod proposuisti, cap. cum sit generale*, & ibi Glos. Abb. & alii *de for. comp. l. si quis in hoc genus, C. de Episc. & Cler. l. Divus, ff. ad leg. Iul. pecul. & l. aut facta*, §. *locum, ff. de pœn.* Nam id concedimus, nisi illi esset annexa illa qualitas, quæ sapit hæresim, vel nisi concurreret suspicio, quod malè fur iste sentiret de Sacramento Eucharistiæ. Undè licet esset mixti fori laicus tamen non potest in eo procedere ob dictam suspicionem hæresis, donec non fuerit declaratum, id quod ad finem pertinet, ideòque Iudex competens est Ecclesiasticus. Minus obstat, quod in hoc crimine procedi possit ex abrupto. Nam affirmo, de jure procedi posse ex abrupto, denegatis defensionibus in causis hæresis, & contra insignes latrones, grassatores, incendiarios, violentos raptores, & alios committentes gravia, & atrocia delicta ex textu *in l. per omnes, C. de defens. Civit. l. fin. C. de sic. l. in adulteriis, C. de adult.* ibi: *Quærendum est sine cujusquam defensione*, & in regula universali, quod ex causa licitum est leges transgredi, estque doctrina Innocentii *cap.*1. *de constit.* illamque firmarunt Farinac. *cons.*103. *num.*5. Guaz. *def.*21 *n.*6. Hucque tendit dispositio Constit. Pauli III. *constit.*44. §. *cæpium*, ubi statuit dandam esse copiam judiciorum reo, ut se possit 4

defendere

defendere ante torturam, præterquam in crimine hæresis, & aliis criminibus à jure exceptis, juxta tamen juris dispositionem. Quam Constitutionem confirmavit B. Pius V. *constit.85.§.& quod expeditiones*; sed à Iudice in sua causa, & foro competenti, ne confundantur jurisdictiones, præcipuè in causa hæresis, cujus Iudex secularis est omninò incompetens per ea, quæ alibi adduxi.

5 Atque hinc ejusmodi Iudices seculares, eorumque Ministri, qui Episcopi, vel Inquisitoris Iudicis sententiam, seu processum super intentione hujusmodi rei directè, vel indirectè impedire præsumpserunt, vel se eis opposuerunt, excommunicationis mucrone sunt percussi in *cap.ut Inquisitionis 18.de hæret.in 6.* quæ est latæ sententiæ, ut notant ibi Barbosa, & Tiraquel. *in l.si unquam nu. 72.v.revertatur, C.de revoc.donat.* Etsi per annum eam excommunicationem animo sustinuerint indurato ex tunc velut hæretici condemnantur. Et *cap.14.Bullæ Cœnæ* excommunicantur Iudices laici se interponentes in causarum spiritualium, aut illis annexarum cognitione. Quodque ex eo vel manifestè patet, quia reo, ne Inquisitori, vel Ordinario tradatur, defensiones, exceptiones legitimas, ac tempus ad illas probandas aptum, & sufficiens omninò denegarunt contra jus naturæ, ut colligitur ex *Clem.Pastoralis, §.cæterum de sent.& re jud.* ex *Clem.sæpè de verb.signif.& ex l.ut vim, ff.de just. & jur.* & tradunt Doctores communiter apud Calder. *in tract. de hæret. rubr.de mater.proces. num.3.* Simanch. *de Cathol. instit. tit.17.num.50.* Pegn. *in direct.com.28. vers. ac defensione juris*, & Farinac. *qu.185. num.210.* Idque, etiamsi reus defensiones non peteret, ex officio tamen Iudicis dari debent, ad textum *in l.etsi non defendantur, ff.de pœn.& in auth.qui semel, C.quomodo, & quando Iudex.* Ex quo videtur indirectè impediviſſe processum Inquisitoris, ac proinde incidisse in censuras allegatas.

6 Ad repellendum igitur, quoad fieri potest, à S.Tribunali hanc injuriam, licet opus esset gravissimis remediis, satis tamen hisce difficillimis temporibus esse puto, ut deleto monumento illo marmoreo, una cum actis Causæ, vel saltem facta declaratione hæc omnia nomine, ac jussu S.Officii facta fuisse, ac prævia absolutione, saltem ad cautelam, item & monitione expediantur. Siquidem impedientes Inquisitores, vel Episcopos in negotio S. Inquisitionis per censuras monendi sunt, ut desistant, invocato etiam brachio seculari, *cap. Ut officium, §. compescendi de hæret.in 6.* & notant ibi Glossa, quam sequuntur Canonistæ communiter.

7 Extat tandem Constitutio Innocentii XI. *Ad nostri Apostolatus auditum* 4.Idus Martii 1676.in qua sub motu proprio decernit, *ut deinceps omnes, & singuli utriusque sexus, qui de furto hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium particularum consecratarum cum sacra pyxide, vel sine illa per legitima indicia judicialiter juxta S. Officii Inquisitionis contra hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti regulas, & praxim confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius ordine, seu mandato hostiam, sive unam, vel plures particulas consecratas prædictas apud se retinuerint, vel alio transferre, seu asportare præsumpserint, condignis pœnis, & animadversionibus pro facinoris atrocitate puniantur, & nisi constiterit non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice Curiæ seculari tradantur, non obstante minori ætate, dummodo vigesimum attingant annum, quibus pœnis, etiam mandantes subjaceant; porrò omnimodam cognitionem causarum furti hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium particularum consecratarum hujusmodi cum pyxide, vel sine illa, tamquam delicti hæresim, vel vehementem hæresis suspicionem continentis ad Iudices Ecclesiasticos, & ad S. Inquisitionis Officium prædictum privativè spectare eadem auctoritate harum serie, ac motu simili declaramus, decernentes præsentes nostras litteras, &c.*

CONSULTATIO LXXXVII.

1 *An Princeps secularis possit edicto suo prohibere, ne quis faciat incantationes superstitiosas cum invocatione dæmonum tacita, vel expressa, vulgò Inciarmaturas, adhoc ut arma inimicorum non noceat, sub pœna mortis ultra pœnas Ecclesiasticorum in iis, quæ ad ipsos Iudices Ecclesiasticos pertinent?*

2 *Quid faciendum de hujusmodi edicto jam publicato?* Et

3 *An Episcopus potuerit publicare simile edictum sub pœnis arbitrariis tam contra delinquentes, quam non revelantes, vel ipsi Episcopo, vel S. Inquisitioni, & ulterius concedere Indulgentias quadraginta dierum tam denunciantibus, quam cooperantibus ad extirpationem hujusmodi delinquentium?*

AD 1. negativè videtur respondendum. Quia licet 1
olim Iudex secularis causam hæresis cognoscere poterat de jure civili, sicuti patet *ex §.si vero crimen, auth.de Sanctiss. Episcop. ex l.1. §.fin.C.de Summ. Trin. & ex l. Quicumque, §. ult. C.de hæretic.* hodie tamen prohibetur de jure canonico sub pœna excommunicationis ipso jure incurrenda, ut patet *ex cap.Ut Inquisitionis officium, §.Prohibemus de hæret.in 6.* ibi: *Prohibemus quoque districtius Potestatibus, Dominis temporalibus, & Doctoribus, eorumque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cum verè sit Ecclesiasticum, quoquomodo cognoscant, vel indicent*; Et ex Constitutione Iulii III. incip. *licet à diversis* apud Pegnam, ubi excommunicatio reservatur Summo Pontifici. Et notat Clar. *in pr.cri. §.hæresis num.4.* Castr. *lib.1. de just.hæret.punct. cap.23.* Simanch. *de Cathol.Instit.36 num.1.* Scacc. *de Iudic.cap. 15.num.2.* Paris. *lib. 4. cons.3. num.107.* & Farinac. *quæst. 186.num.154.* Atqui incantationes superstitiosæ cum invocatione dæmonum sapiunt hæresim manifestè. Imò etiamsi non saperent hæresim manifestè, earum cognitio spectat ad solos Inquisitores, & Episcopos, privativè quoad Iudices seculares ex Const. Sysli V. contra Sortilegos, & ex textu *in cap. Accusatus de hæret. in 6.* qui non intelligitur de solis hæreticis formaliter, sed etiam de quibuscumque dictis, vel factis de hæresi suspectis, ut per Mouram *opusc. de incant.& ensalm. sect.3.cap.1.* ubi etiam testatur de praxi.

Quare non possunt Principes condere statuta, vel de- 2
creta, quibus præscribatur modus procedendi, vel puniendi crimen hæresis, si diversus sit ab illo, quem Ecclesia tradit, & observat. Quia id esset de crimine hæresis cognoscere contra textum *in cap.Statutum Civitatis, & in d.cap accusatus, §.Sacerdotes, & in d.cap.ut Inquisitionis officium de hæret.in 6.* & tradit Paris. *vbi supra nu.104.* ac Boss. *tit.de hæret.num.13.& 14.* Quia præscribere modum procedendi in crimine hæresis, cum sit crimen merè Ecclesiasticum, spectat ad jurisdictionem Ecclesiasticam. Ideòque subditi non debent obedire hujusmodi statutis atque edictis, utpotè contra Ecclesiæ leges promulgatis, & Inquisitores possunt contra sic statuentes, ac edicentes procedere pœna excommunicationis, & aliis pœnis contra fautores hæreticorum impositis, ut per Eymer. *in direct.p.3.q.34.* & Pegnam *ibi com. 83.* Zanchin. *de hæret. cap.31.nu.6.* Locat. *in prax.Inquis.v. Domini temporales num.5.& v.Ordinati nu.1.* Zanard. *in direct.Theolog.p.1. præcept.2.cap.6 qu.18.* atque alios.

Ac proinde hujusmodi edictum est nullum defectu po- 3
testatis, *cap.Ecclesia S.Mariæ, & cap. Quæ in Ecclesiarum,* ubi Doctores communiter, *de constit.* & ideò poterunt Inquisitores sic edicentem cogere, ut hoc edictum abroget ex Bullis Alexandri IV.Innocentii IV.& Urbani IV.apud Pegnam, Locatum, & alios, quod si ille facere renuerit, debent ipsi propria authoritate illud tollere, ac declarare irritum, atque nullum, Felin. *in d.cap.Ecclesia S.Mariæ nu.145.* Sayr. *de censur.lib.3.cap.34.num.17.* Ex quo responsum est ad secundum.

At nihilominus censeo, posse Principem hujusmodi 4
edictum condere. Quia solum auget, ac promovet procedendi, ac puniendi modum, quem observat Ecclesia, & non cedit in Ecclesiasticæ jurisdictionis diminutionem

sed

sed potius in illius augmentum. Quapropter laicorum statuta, vel decreta pœnas per jus canonicum, & hæreticis impositas augentia, vel ab Ecclesiasticis judicibus impositas observari mandantia, firma, & valida esse diserte, probat Decian. *tr. crim. lib. 5. cap. 25. num. 2.* & alii communiter quos sequitur Farinac. *de hæres. quæst. 186. num. 157.* nuncupatim Pegna *p. 3 direct. qu. 86. com. 135. vers. de Principibus secularibus, ac vers. seqq.* docens, id non esse intromittere se de crimine, sed favere potius Ecclesiæ, & incrementum fidei procreare. Nam per hujusmodi statuta, & edicta non auferunt propriis judicibus, videlicet Episcopis, & Inquisitoribus jurisdictionem, sed etiam potius amplificant, juvant, & amplius promovent; id quod esse debet Principum secularium proprium, & peculiare munus, ut graviter docuit Conrad. Brun. *lib. 3. de hæret. cap. 9. & 10.* Et *vers. Postremò* subdit; quod Romani Pontifices Principum secularium leges, & decreta adversus hæreticos, & suspectos variis temporibus edita, non modo non sustulerunt, aut abrogarunt, imò confirmarunt, & inviolabiliter custodiri jusserunt, ut constat ex multis Pontificum rescriptis apud ipsum, omninò videndum.

5 Duo tamen animadvertenda sunt. Primum est gravitas pœnæ, nimirùm pœna capitalis, quæ in edicto pro hoc crimine est imposita. Quod etiam observavit Pegna *loc. cit. §. Illud tamen*, monens, ne dum hujusmodi pœnæ augentur contra hæreticos, aliquid committatur injustum, incautum, aut contra jus, & rationem. Nam favor fidei non tribuit hanc facultatem, statimque subdit. Itaque cavendum est, ne dum ex una parte fidei propagationem nituntur afferre, ex alia ejus detrimentum inducant. Hinc cùm Senatus Mediolanensis publicasset edictum contra exercentes, vel exerceri curantes maleficia scriptum fuit inquisitori, ut videat unà cum Archiepiscopo, ne aliquid ponatur in edicto præjudiciale S. Officio, & curet reddere capacem Senatum, non esse locum pœnæ ultimi supplicii, ac provideret, ne sequatur effectus, ut ex Epistola data sub 14. Maii 1620.

6 Alterum, quod fortè in hoc edicto desideratur est, declaratio perquam necessaria, nempè quod Princeps tunc demum ad pœnam comminatam adversus hujusmodi superstitiosos Incantatores devenire possit, postquam uti tales ab Episcopis, vel Inquisitoribus fuerint declarati; alioquin enim cognosceret, ac judicaret de crimine hæresis contra textum *d. cap. Vt Inquisitionis officium* superiùs deductum; ideòque poterit Princeps cogi ad id declarandum.

7 Ad 3. Affirmativè censeo respondendum. Etenim Episcopus, potest procedere in crimine superstitionum, ut ex citata Bulla Sixti V. potuit, ac debuit uti alternativa illa de revelandis reis sibi, vel Inquisitori, ut ex pluribus declarationibus S. Congregationis S. Officii, præsertim quia hujus criminis cognitio spectat ad Episcopum, cumulativè ad Inquisitores, ut ex dicta Bulla Sixti. Ac tandem quoad Indulgentiam non deesset Episcopo potestas ordinaria, ut ex *cap. Quod autem, cap. Cùm ex eo, & cap nostro de pœnit. & remiss.* Neque causa, quæ est gravis, publica, & Ecclesiæ Catholicæ utilis, atque adeò sufficiens per dictum *Cap. Cum ex eo in fin.* Vbi permittitur Episcopis concessio Indulgentiæ quadraginta dierum in quocumque casu, in quo eis causa sufficiens occurrit.

CONSULTATIO LXXXVIII.

1 *An assertiones illæ possint licitè sustineri, nimirum, quod liceat mutuanti, etiam pignoribus assicurato de credito, aliquid ultra sortem exigere, dummodo non repeteret sortem usque ad certum tempus.*

2 *Item quod possit vendi res carius, quam valet ob dilationem temporis datam ad solvendum pretium credito, sive ut dicitur à credenza, & in exorbitanti summa, nempè ultra dimidium justi pretii, & cum speciali obligatione rei venditæ, sive translatione dominii usque ad integram satisfactionem.*

Et quod possit fundari census annuus super bonis stabilibus & fructiferis ad rationem decem pro centenario, & haberi ultra hanc assicurationem pignus rerum mobilium ejusdem valoris Capitalis?

QVod attinet ad primam assertionem, licet quidam ut refert Molina *de just. & jur. disp. 308.* putaverint ratione carentiæ pecuniæ, seu obligationis non repetendi ante certum tempus posse aliquid exigi, in qua sententia videtur esse Ioannes Medina *Cod. de restitut. quæst. 32. §. Inde infertur.* Quæ sententia pluribus argumentis probatur apud Lessium *de just. & jur. lib. 2. cap. 20. dub. 4. à num. 119.* 1

Nihilominus sentit idem Lessius *nu. 127.* non esse concedendum, ut quidquam supra sortem exigatur, si ex carentia pecuniæ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendet, nullum incommodum timetur. Primo, quia sententia hæc videtur nova, nec apud auctores reperitur, ac proinde in re morali tanti momenti non facilè admittenda. Deinde, quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi ante aliquod tempus est quid intrinsecum rationi mutui, alioquin mutuum non differret à precario. Vnde si mutuum debet gratis fieri, nihil pro hac carentia vel obligatione petendum est. 2

Quinimo idem Molina citata *q. 308.* ait, ait opinionem hanc non solum esse novam, & inauditam, sed etiam periculosam satis, & quæ viam aperit usuris. Quid enim inquit, id aliud est, quam pro omni mutuo, quod precario non conceditur, ut scilicet ad concedentis libitum, possit quocumque tempore revocari? docere posse licitè aliquid accipi ultra sortem, atque adeo posse licitè accipi usuram, sive tale mutuum formale sit, sive virtute? Quid item id aliud est, quam pro extensione majori, vel minori temporis quo ejusmodi mutuum conceditur, etiamsi inde nullum lucrum mutuanti cesset, nullumque damnum emergat, docere posse licitè accipi plus, vel minus ultra sortem, prout fuerit majus, vel minus tempus, ad quod conceditur? id verò, quid aliud est, quam docere, licitam esse usuram pro quocumque mutuo, quod non conceditur precario? Quod tamen Scripturæ, Concilia, definitiones Pontificum, & communis Doctorum sententia damnant. Est igitur ejusmodi assertio periculosa valde in fide; ut proinde relata fuerit inter damnatas à S. Officio Inquisitionis sub Alexandro VII. atque adeo cogendus est, qui illam asserit ad se retractandum, & quoad restitutionem ad consulendum suæ conscientiæ. 3

Secunda assertio est decisa, ab Vrbano III *in cap. Consuluit, de usur.* ubi cum Consulationi Pontificis proponeretur, an negotiator quasi usurarius debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur respondit Pontifex, quod hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi. Quare Doctores communiter apud Lessium *d. li. 2. cap. 21. dub. 6.* docent, quod supra pretium rigorosum quo res potetat vendi pecunia numerata, non licet eam vendere ob solam dilationem solutionis. Quia dilatio solutionis est implicitum quoddam mutuum. Dum enim creditor differt solutionem, perinde facit, ac si receptam à debitore pecuniam eidem mutuet. Atqui pro mutuo nihil licet accipere supra sortem, ergo nec pro dilatione solutionis ultra justum pretium. 4

Tertia. Quod ad justum pretium censuum spectanda est consuetudo locorum. Vnde in Regno utriusque Siciliæ concessum est primum à Nicolao V. deinde à Gregorio XIII. ut census non excedat decimam partem sortis, seu pretii. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in censibus realibus pro Polonia & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo, vel æstimatio, ua patet ex illorum 5

Extravagante,

Extravagante. Et quoad pignus, licet iidem Calixtus, & Martinus inter alias conditiones census posuerint, ut certa res immobilis, & fructifera solum maneat obligata solutioni census, non autem persona venditoris, aut alia ejus bona, quia tamen Pontifices non dicunt, has esse necessarias, ideo non potest hinc ad propositam dubitationem responderi, ac proinde observat Molina *disp.* 387. *num* 8. etiam hodie in locis, in quibus Bulla Pii V. est recepta, constituto censu reali in aliquo prædio, aut prædiis determinatis, posse adhiberi hypothecam aliorum bonorum ad hunc saltem effectum, quod scilicet si prædium, in quo census est collocatus, evincatur, vel dum est in potestate venditoris census, vel postquam transierit ad alium possessorem, venditor solvat interesse, hoc est, valorem census, & interesse lucri cessantis, ac damna sequuta, ut per Navar. *in com. cap.* 1. 14. *q.* 3. *num.* 77. Quo stante resolvendum censeo, quod loco talis hypothecæ accipi potest fidejussio, atque adeò pignus. Siquidem fidejussores, & pignora æquiparantur, *l.* 4. §. *quid est idoneè ff. de fidejuss. lib. & l. Promissor ff. de const. pec. &* §. *venditor instit. de rer. div.* & observat Io. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de dot. post. divort. restit.* §. 1. *n.* 8. Tam enim fidejussio, quam pignus ordinantur ad sustinendam principalem obligationem, & ideò si licitè acceptatur fidejussio, licitè etiam acceptatur pignus.

6 Accedit etiam, quod obligatus ad dandum fidejussores, potest dare pignora, etiam invito creditore, & tunc creditor tenetur ea acceptare, si sibi de cautione prospicere vult, quemadmodum tradunt Glos. *in l.* 1. *ff. qui satisd. cog.* ibique Bartol. ac cæteri Doctores, idem Bartol. *in l. Prætoria* 3. *ff. de Prætor. stipul.* Bald. *in l.* 1. *C. de Procur.* Cyn. & alii *ibi*, Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de pignor. in rubr.* Alex. *in d. l.* 1. *num.* 6. *ff. qui satisd. cog.* Ias. *n.* 17. Negusant. *de pignor. par.* 5. *princ. num.* 4. Vnde, cùm pignus subrogetur fidejussioni, licebit accipere pignus, sicut licet accipere fidejussionem.

CONSULTATIO LXXXIX.

An deturpantes, violantes, vel percutientes sacras Imagines puniri debeant privativè quoad Iudices laicos in S. Officio Inquisitionis? Vbi quid de Iudæis hoc ipsum committentibus.

1 NEgativè respondendum videtur. Nam facta contumelioſa erga Deum, vel Sacras Imagines sunt reipsa blasphemiæ, ita ut illa faciens dicatur verè blasphemus, licèt gravius delinquens, quàm blasphemans ore nomen Christi, vel illius Sancti, cujus Imaginem deturpat. Ita Tigrin. *in l. non contrahit, ff. ad leg. Iul. Majest.* Angel. *in l. ex Senatusconf. ff. ad l. Cornel. de sic. & disp.* quæ incipit *in refulgenti*, Marsil. *in prax. crim.* §. *& quia, numer.* 25. Io. de Anan. *in c.* 2. *num.* 14. *de maled.* Afflict. *in Constit. Regn. tit. de blasphem. v. Octava*, Iodoch. *in prac.* 61. *n.* 25. Chassan. *in consuet. Burgund. rubr.* 1. *n.* 59 Lancellot. Conrad. *tit. de offic. Præt. in caus. crim.* Plot. *de blasphem. n.* 16. 28. & 30. Graff. *de casib. reser. lib.* 1 *c.* 10. *n.* 19. & 42. Alph. de Castro *de just. hæret. punit. c.* 12. Montal. *de sententia Pilati n.* 6. Decian. *tr. crim. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 16. Alex. *conf.* 233. *n.* 6. *lib.* 6. Soccin. *conf.* 102. *n.* 5. *lib.* 1. Ghirlandus *de sortileg q.* 10. *nu.* 12. Cordub. *in quæst. lib.* 1. *quæst.* 17. §. 15. *not.* 3. Menoch. *de arb. cas.* 376. *in princ.* & Iul. Chartar. *dec.* 2. *n.* 23. ac Torreblanca *in epit. delict. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 17. Probaturque ex Esdr. *c.* 9. ubi factum ignominiosum erga Deum vocatur blasphemia magna, ibi: *Cùm fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent, isti sunt Dii tui, feceruntque blasphemias magnas.*

2 Blasphemia autem, quæ profertur à laico, est mixti fori, *cap.* 2. *de maled.* Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 9 §. *ad abolendam.* Atque adeò est locus præventioni inter Iudicem Ecclesiasticum, & Laicum, *d. cap.* 2. ubi Abb. *n.* 4. & 9. & Anan. *colum.* 3. ac tradunt Calder. *conf.* 2. *de Iud. & conf.* 11. *de for. comp.* Anchar. *conf.* 196. *n.* 6. Alex. *conf.* 72. *lib.* 1. Boer. *dec.* 301. *n.* 9. *& seq.* Bost. *tit. de Inquis. n.* 133. Afflict. *loc. cit. n.* 14. Alex. Roman. *in pragm. Regni de blasph. n.* 66. Covar. *pract. quæst. c.* 10. *num.* 2. Decian *tr. crim. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *num.* 1. Clar. *in* §. *blasphem.* ibique Baiard. *num.* 49. *& seq.* Mar. Anton. *var. resol. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Azor *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 5. Sot. *de just. & jur. lib.* 2. *quæst.* 2. *ar.* 3. Albertin. *de agnosc. cath. assert. quæst.* 6 *n.* 24. *& quæst.* 27. *per tot.* Franch. *dec.* 504. Farinac. *de delict. & pœn. quæst.* 20. *num.* 39. Symanch. *de cath. instit. tit.* 33. *nu.* 17. Menoch. *de arb. cas.* 376. Cabal. *resol. crimin. centur.* 1. *cas.* 919. & Mart. *de jurisdict. par.* 2 *cap.* 13. *numer.* 13. ac declaravit S. Congregatio S. Officii, dicens hujusmodi violantes, vel deturpantes posse etiam puniri in foro seculari, cùm hæ causæ sint mixti fori, & quando erunt examinandi Ecclesiastici, Episcopus illos examinet, & det copiam laicis, ut sub die 9. Novembris 1617. & alibi dixit, quod in hac materia habet locum prævention, ut sub die 18. Octobris ejusdem anni, ac 22. Novembris ejusdem etiam anni, in quo actum de casu, qui evenit Mutinæ, & 26. Ianuarii 1611. ac 9. Februarii ejusdem anni.

At nihilominùs tenendum est, ejusmodi reos puniendos esse in S. Officio privativè quoad Iudices seculares. 3
Ita decrevit Sanctissimus Vrbanus VIII. sub die 12. Novembris 1625. Ratio autem est, quia sunt vehementer sususpecti de hæresi. Præsumuntur enim malè sentire de cultu sacrarum Imaginum, & de Canonizatione Sanctorum cum Calvinistis, ac Luteranis à Sac. Concilio Trid. *sess.* 25. ac censentur agere contra definitionem Concilii Niceni *act.* 7. quod definivit Imagines colendas esse. Et contrarium asserere, aut sentire, hæreticum est, ut probant Repert. Inquisit. *v. Hæreticus*, Symanch. *de cath. instit. tit.* 33. *rubr de Imag. num.* 1. *& seq.* Pesant. *in* 3. *p. D. Thom. qu.* 25. *num.* 3. *disp.* 1. *&* 2. Suar. *in Reg. Angl. lib.* 2. *c.* 11. Valent. 2. 2 *quæst.* 94. *punct.* 6. *disp.* 6. Farinac. *de har. quæst* 178. *nu.* 53. dicunturque hæretici præsumpti. Hæresis autem crimen est merè Ecclesiasticum per textum *in cap. Vt Inquisitionis*, §. *Prohibemus, de hæret. in* 6. & post alios scribit Farinac. *q.* 181. *n.* 43. *& seq.* atque adeò judicium spectat ad Inquisitores, Farinac. *loc. cit.* Regens Tapia *in Constit. de blasphem. sub n.* 20. Et ita observari in Supremo Hispaniarum Consilio testatur Azeved. *lib.* 10. *Regiar. Constit. tit.* 1. *lib.* 3. & comprobat Genuen. *in prax. c* 18. *n.* 17. Bordon. *de Sacr. Tribun. cap.* 26. *n.* 22. Caren. *de offic. S. Inquisit. p.* 2. *tit.* 7. *num.* 41. Ricciul. *de person. quæ in stat. reprob. vers. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 3. Lezan. *consult.* 38. *num.* 36. *& seqq.* ac Sous. *in aphor. lib.* 2. *c.* 42. *n.* 14. *& seqq.* ac Raphael della Torre *in* 2. 2. *D. Thom. q.* 96. *ar.* 4. *disp.* 2. Belloch. *in pr. Theol. moral. par.* 2. *qu.* 1. *num.* 7. Ricc. *in pr. tom.* 1. *resol.* 423. Ioseph Sesse *tom.* 4. *dec.* 448. *num.* 19. Zecch. *in sum. tom.* 1 *cap.* 11. *num.* 5. Carer. *tr. de hæret. n.* 49. Delrius *in disq. mag. lib.* 5. *sect.* 16. *S. Sacerdotes*, aliique.

Confirmatur. Si quis enim verbo diceret, Imagines 4
Sanctorum non esse venerandas, certè quod proferret blasphemiam hæreticalem, atque adeò puniendam in S. Officio privativè quoad Iudices laicos. Atqui actus contumelioſus in Sacras Imagines est gravius delictum, quàm blasphemia ore prolata. Nam contemnens statuam Principis punitur tanquam reus læsæ Majestatis, *l. qui statuas, & l. famosi ff. ad leg. Majest.* At illum contemnens verbis, vel non punitur, vel arbitrio Iudicis punitur, *l.* 1. *C. Si quis Imperatori maledix.* quandoquidem facta majorem vim habent, quàm verba, *l. Paulus ff. rem ratam haberi.* Et facere facto plus est, quàm verbo, *cap. dilecti* 52. *de appell.* ubi Glossa & alii.

Comprobatur ex rebus judicatis. Cùm enim quidam 5
noviter conversus Imaginem B. Mariæ Virginis fregisset, is prima sententia condemnatus fuit ad amputationem manus, & ad suspensionem in furca, cùmque ab illa appellasset ad Regiam Pincianam Cancellariam, justù Dominorum causa hæc fuit remissa ad Inquisitores, testibus Carena *loc. alleg numero* 42. Azeved. *d. l.* 1. *tit.* 1. *lib.* 3. *nu.* 7. *& seqq.* addente, hanc remissionem justissimè fuisse factam, cùm de hoc crimine soli Inquisitores possint

cognoscere,

cognoscere, ac Lezan. ubi supra *n.* 39. Bononiæ tres rei, qui plures sacras Imagines conspurcarunt, fuerunt brachio seculari traditi sub anno 1623. Lezan. *num.* 41. apud quem alii, ac Romæ 14. Januarii 1557. blasphemus, qui imaginem evaginato gladio, Crucifixi, & B. Virginis percussit, mansit quinque diebus festis, lingua prius perforata, præ foribus Ecclesiarum S. Mariæ super Minervam, S. Laurentii in Damaso, S. Mariæ de Pace, Sanctorum Apostolorum, & S. Augustini, & postea fuit missus ad triremes perpetuas. Ac N.N. carcerati à Curia seculari Neapolitana ob prætensam deturpationem Imaginum, fuerunt consignati S. Officio 1635.

6 Non obstant, quæ in contrarium adduximus. Nam facta contumeliosa in Deum, ac in Sanctos non possunt dici vera blasphemia, sed vel pertinent ad infidelitatem, vel remanent sub generico nomine contumeliæ, ut apertè docet D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *ar.* 1. dum blasphemiam ponit inter peccata oris, & loquutionis, probatque clariùs Alex. de Ales. *p.* 4. *q.* 23. *n.* 3. Navar. *in man. cap.* 12. *nu.* 81. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 4. Comitol. *resp. mor. lib.* 4. *q.* 9. *c.* 1. *in fin.* Lazar. *de blasphem. q.* 3. *n.* 39. Ex recepto enim usu loquendi blasphemia propriè in linguæ vitio consistit ex D. August. *lib.* 2. *de morib. Manich. c.* 11. Et sicuti laus consistit in solis verbis *Psal.* 33. ac honor in signis, & factis, D. Thom. 2. 2. *q.* 155. *ar.* 1. *ad* 3. ita blasphemia consistit in solis verbis, in factis verò idololatria, & contumelia. Hinc *in cap.* 2. *§. cæterum, de offic. Ordin. in* 6. projectio Sacrarum Imaginum, ac Crucis non dicitur blasphemia, sed actus horrendæ, ac detestabilis indevotionis. Hincque pœna imposita contra blasphemos, licèt non habeat locum contra deturpantes Sacras Imagines, aut facientes alios actus infidelitatis, contra ipsos tamen est gravior pœna instituta, nempè mortis naturalis, nisi alia concurrant, ex quibus Judex moveri possit ad pœnam minuendam, Menoch. *de arbitr. cas.* 396. Cabal. *resol. crim.* 91. ac fusè Chartar. *dec.* 102. *n.* 18. *cum seq.*

Minùs obstat, quod blasphemia sit crimen mixti fori. 7 Nam id verum est de blasphemia simplici, de qua loquuntur Doctores ibi relati. Et hoc casu edicta Magistratuum, sive Ecclesiasticorum, sive secularium præcipientia, blasphemos simplices sibi denunciari, non prohibent, quin possint denunciari alteri Judici habenti potestatem procedendi contra blasphemos; quia non intendunt minuere alterius jurisdictionem, sed providere ne blasphemiæ remaneant impunitæ, ut rectè censuit Sanchez *in decal. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 47. Non autem de blasphemia hæreticali, cujus judicium est Judicis Ecclesiastici privativè quoad Judicem secularem propter præsumptam hæresis suspicionem, sive blasphemus sit Clericus, sive laicus per textum *in d. cap. Ut Inquisitionis §. Prohibemus, de hæret. in* 6. & tradunt Afflict. *in d. Constit. Regni n.* 48. Albert. *de Agnosc. cath. assert. q.* 6. *n.* 24. & *q.* 22. *n.* 63. Simanch. *de cath. instit. cap.* 8. *n.* 8. & in Enchirid. *cap.* 9. Brun. *de hæret. lib.* 5. *cap.* 20. Covar. *in cap. Quamvis, de pact. p.* 1. *§.* 7. *n.* 8. *& seq.* Roias *de hæret. p.* 2. *n.* 168. Decian. 8 *in tr. crimin. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 4. *&c.* 6. *n.* 22.

Denique non obstat, quod aliquando in hoc crimine processerit Judex secularis. Quia tale judicium fuit de facto, non de jure, ut per Bordon. *de Sacram. Tribun. d. cap.* 26. *n.* 23. & Lezan. *eo consul.* 38. *n.* 40. atque ante decretum Urbani VIII. superiùs relatum, quod hodie religiosè observatur. Quomodò autem hujusmodi delinquentes tractandi sint quoad abjurationem, & quoad pœnas vide Dianam *p.* 6. *tr.* 7. *resol.* 9. & Pestachium *de* 9 *superst. cap.* 25. *n.* 56. *par.* 2.

Quod autem spectat ad Judæos deturpantes, vel percutientes, vel corrumpentes Sacras Imagines, puniendos esse à Judice seculari desumitur *ex l. Judæos, C. de Judæ. ex cap. postulasti, eod. tit. & ex cap. post miserabilem, de usur.* & firmant Glos. *in Clem.* 1. *v. Principis*, ibique Cardinal. *n.* 3. *de Judæ.* Anchar. *cons.* 15. Alex. *cons.* 7. *n.* 5. *& cons.* 99. *n.* 12. *lib.* 6. Abb. *in cap. Gaudemus, n.* 12. *de div.* Socin. *cons.* 119. *n.* 26. *& seq. lib.* 4. ubi testatur de communi, de qua etiam Clar. *in §. blasphemia n.* 5. Martha *de jurisd. p.* 2. *c.* 13. *nu.* 14. *& seq.* & hanc eandem opinionem communiter à Theologis recipi testantur Almain. *in* 4. *d.* 18 *q.* 1. & Tostat. 1. *Reg. c.* 8. *q.* 57. ex duplici quidem ratione. Primùm, quia infideles non sunt de corpore Ecclesiæ, sed Civitatis, *l. Christianis C. de pagan. auth. de quæst. in princ.* Glos. *in d. cap. post. miserabilem, de usur.* cum aliis per Becc. *cons.* 84. *n.* 6. ac proinde uti merè laici sunt de jurisdictione Judicis secularis, *l. Judæi, C. de Judæ. & cap. Si Clericus, de for. comp.* Deinde quia Ecclesia in legibus, quas fert, uti Ecclesia, non intelligit comprehendere personas extra suum gremium existêtes, *d. c. Gaudemus, de divort.* ibique Abbas, & cæteri, atque adeò sive pœnam irroget, sive aliud præcipiat, non afficit infideles ex præsumpta ejus voluntate.

Verùm, hisce minimè obstantibus, tenendum est, ubi 10 crimen est merè Ecclesiasticum, ejus cognitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum. Ubi est mixtum, est locus præventioni. Ita censuerunt Calder. *cons.* 2. *de Judæ.* Bald. *cons.* 315. *lib.* 1. Jo. de Lign. Laur. de Presbyt. & Jo. de Fanrut. apud eundem Bald. *cons.* 316. ejusdem *lib.* 1. Alex. de Nav. *cons.* 100. *n.* 7. *& cons.* 101. *n.* 4. Felin. *In d. cap. postulasti sub n.* 5. Zanchin. *de hæret. cap.* 36. ibique Campeg. Paris. *cons.* 79. *n.* 24. *lib.* 2. Othob. Nicol. inter *cons. crimen.* 79. *num.* 24. *& per tot. & cons.* 81. *lib.* 2. Bursatt. *cons.* 90. *n.* 1. Estque sententia communis, testante Pegna *in direct. Inquis. com.* 71. Ubi verò crimen est de comprehensis in Constitutione 70. Gregorii XIII. quæ incipit, *Antiqua Judæorum*, in qua includuntur casus, qui sunt contra fidem, vel possunt in ejus contemptum committi, illius cognitio spectat ad Inquisitores hæreticæ pravitatis. Judæi autem deturpantes, vel percutientes, aut corrumpentes sacras Imagines delinquunt contra fidem Catholicam, & in ejus contemptum committunt, atque adeò puniendi sunt in S. Officio.

Et licèt videatur dicendum, quod ejusmodi crimen 11 spectet ad Inquisitores cumulativè, atque adeò quod sit locus præventioni. Quia cùm non sit casus comprehensus in dicta Constitutione Gregoriana, cognitio causæ relinquitur Curiæ seculari, quæ prævenit. Nihilominùs spectare privativè ad Inquisitores tenendum omninò est, tum ex citata Constitutione §. 5. ibi: *Si Salvatorem, &c. & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæretici dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerint.* Percussio autem, laceratio, deturpatio, vel contemptus Sacrarum Imaginum, est peior blasphemia ore prolata, ut supra diximus, quia committitur facto ipso, quod verbis prævalet, *l. de pupillo, §. meminisse, ff. de nov. oper. nunc.* Idem ex casu 9. dictæ Constitutionis deducit Bordon. *de Sacr. Trib. c.* 25. Tum etiam quia ita decrevit Sac. Congregatio Inquisitionis 7. Septembris 1610. & 30. Junii 1611. & 14. Julii 1615 quibus in casibus Judæi ob id facinus fuerunt severè in S. Officio puniti, licèt Gubernator Urbis præveniisset in captura. Idem observatum Mutinæ. Cùm enim Dux contra Judæos, qui sacras Imagines deturparunt, vellet procedere, fuit post discussum, & agitatum dubium, resolutum, ac scriptum Inquisitori sub dicta die 18. Octobris 1617. & 22. Novembris ejusdem anni, ut ipse causam cognoscat. Decrevitque demum Urbanus VIII. sub die 12. Novembris 1625. decreto suo generali, decernens causas quorumvis percutientium, deturpantium, corrumpentium, lacerantium, &c. Sacras Imagines, spectare ad S. Officium. Et hanc sententiã tuentur multi, quos sequitur Caren. *loc. cit. p.* 2. *tit.* 14. *nu.* 35. & Bordon. *de Sacr. Trib. c.* 25. *n.* 25.

Non obstant superiùs objecta. Nam procedunt in re 12 merè seculari, nempè in furto, homicidio, & aliis hujusmodi, non autem in re merè Ecclesiastica, & ad fidem spectante, ut per Felin. *in d. cap. Postulasti sub nu.* 5. *de Judæ.* & Add. ad Guidum Papæum *dec.* 63.

Quomodò autem Ecclesia in criminibus merè Eccle- 13 siasticis habeat potestatem procedendi contra infideles,

ac quomodò Principes procedant in crimine respiciente fidei contemptum per *d. l. Judæos*, *C. de Judæis*, alibi fusè docuimus.

CONSULTATIO XC.

1 *An Notarius, vel alius Minister S. Officii ex iis, qui gaudent privilegio fori, ex dicto privilegio superveniente possit declinare jurisdictionem Episcopi, coram quo introductum erat judicium Civile, & per multos annos discussum ante privilegium S. Officii?*

2 *Et an mandatum Episcopi executum contra dictum Notarium realiter, vel etiam personaliter post susceptum officium, nulla facta protestatione in actis superventæ exēptionis, sit nullum, & revocandum à S. Tribunali.*

1 AD primum affirmative. Quia cùm fiat mutatio status, fit etiam mutatio Tribunalis, ad quod pertinent causæ omnes emergentes post mutationem status per ea, quæ tradunt Doctores *in cap. 1. de oblig. ad ratioc.* Jo. Andr. Butr. & alii, Bartol. *in l. 1. in fin. ff. de pœn.* Bald. *in l. 1. n. 4. C. an ser. ex suo fact.* Aponte *de potest. Proreg. tit. 7. §. 7. n. 14. & seq.* Quia per mutationem status ponitur obstaculum; ne Episcopus aliusve Judex tueri possit suam sententiam.

2 Ad secundum etiam affirmativè. Quia est implicatum jus S. Officii; undè licèt quisque possit renunciare proprio juri & privilegio juxta *cap. de terra de privil.* Quando tamen implicat jus Ecclesiæ, aut Superioris, non potest ipsi renunciari juxta *cap. Cum tempore, de arbitr.* & docent communiter Innoc. *in cap. accedentibus de privil.* Felin. *in c. p. Cum dilecta de rescript.* Abb. *in cap. significasti n. 11. de for. comp.* ac Rot. *d. c. 273. n. 3. par. 4. rec.* Et proinde non valent ea, quæ facta sunt contra privilegium, quod concernit utilitatem publicam. Quia ea, quæ constituta sunt in favorem Ecclesiæ, Communitatis, & publicæ utilitatis, non sunt sub dispositione privatorum. Et ideò deficit in ipsis potestas, quæ requiritur, ut teneat renunciatio privilegii juxta *cap. Cum super, de offic. deleg.* Privilegium autem fori concessum Ministris S. Officii est ob publicam utilitatem, & in favorem Ecclesiæ. Hinc quidam Eugubinus, qui exequutus fuit mandatum civile contra familiarem S. Officii absque licentia Inquisitoris, fuit monitus, ut in posterum abstineat, 1641. licèt hujusmodi Notarius nullam fecerit protestationem in actis suæ superventientis exemptionis, sicque videatur renunciasse suo privilegio, cùm tamen non potuerit renunciare, tanquam habens implicatum jus S. Officii, fecerit que contra prohibitionem; ideò non solùm mandatum contra ipsum executum est nullum, sed etiam ipse Notarius meretur puniri, vel privatione privilegii, vel aliis pœnis arbitrariis.

CONSULTATIO XCI.

1 *An damnati ad triremes in Tribunali S. Officii sive in perpetuum, sive ad tempus, sint degradandi?*

2 *Et an degradatio debeat esse actualis, sive verbalis, sive nullo modo facienda sit? Ubi cursim recensentur casus, in quibus infertur pœna degradationis, & alia scitu minimè indigna?*

1 AD primum affirmativè, si condemnantur propter crimen hæresis. Sic Doctores loquentes de damnatis ad perpetuos carceres, præsertim Pegna *in direct. p. 3. com 46. n. 202. lit. F. §. & consequenter*, ubi subdit, sic decisum fuisse ab Urbano IV. in quodam rescripto, quod ibi refert. Probatur *ex cap. 1. de hæret. in 6.* & docent *ibi* Glos. *sub init.* Archid. *n. 2.* Gemin. *num. 3.* & Franch. *n. item 2.* ac etiam ex Constitutione Alexandri IV. apud Pegnam *loc. alleg.* & in specie de damnatis ad perpetuas triremes affirmant Pegna *d. n. 202.* Campeg. ad Zanchin. *de hæret. cap. 20. lit. G. verbo Pœnas*, & alii.

Si verò damnantur ob aliud crimen, quàm ob crimen 2
hæresis, licèt nonnulli cum Albertino *in d. cap. 1. de hæret. in 6. n. 27. & 28.* affirment, probabiliùs tamen alii cum Francho in eo *cap. n. 2.* negant ita, ut Clericus debeat tantùm degradari, quando condemnatur ad perpetuos carceres, vel ad perpetuas triremes ob crimen hæresis, non autem ob alia crimina.

Ad secundum quoad damnatos in perpetuum ad tri- 3
remes esse de jure actualiter degradandos, respondendum videtur. Quoniam talis pœna morti æquiparatur per ea, quæ habet Innocentius *in cap. Qualiter, & quando 2. de accus.* quem sequitur Auctor Repertorii Inquisitorum, *v. Carcer. §. quotuplex sit carcer*, Franch. *in rubr. de testam. lib. 6. n. 27.* citans Bartolum *in l. 2. ff. de publ. judic.* & in hac specie tradit Pegna *in 3. par. Director. Comm. 46. litt. B. §. de eo*, quam sententiam sequutus antea est Campegius apud Zanchin. *c. 20. circ. fin. vers. Observa denique*, eamque verissimam appellat Pegna *loc. cit.*

At nihilominùs tenendum est, eos, qui ad perpetuum 4
carcerem, vel in perpetuum ad triremes condemnantur, non esse solitum actualiter degradari, sed regulariter cum illis dispensari solet, ut verbaliter tantùm degradentur. Ita testatur idem Pegna non solùm de praxi, sed etiam de benignita e Sanctissimi Tribunalis laudabiliter introducta. Quod multò magis asserendum est in damnatis ad tēpus.

Favent huic sententiæ declarationes S. Congregationis 5
eiusdem S. Officii, quæ sic se habent. Degradatio actualis aliquando imponitur iis, qui ad triremes perpetuas damnantur 25. Maij 1552. & 13. Aprilis 1595. Interdum tamen damnati ad tempus fuerunt etiam actualiter degradati, 20. Novembris 1553. & 31. Augusti 1600. & 15. Aprilis 1595. De stylo tamen solent magis verbaliter, quàm actualiter degradari, etiam qui damnantur in perpetuum, ut 14. Februarii 1613. Undè Sanctissimus dixit, non esse in usu, quod rei actualiter degradentur, etiam si ageretur de damnato ad triremes in perpetuum, nisi puniantur ultimo supplicio, ut 15. Junii 1613. Quandoque verò tales fuerunt condemnati simpliciter absque alia degradatione, ut patet luculenter pluribus exemplis sub 5. Junii 1625. Hinc ad exequendam pœnam triremium ad tempus non esse necessariam degradationem ne verbalem quidem, & si non in materiis S. Tribunalis, censuit S. Congregatio Episcoporum in Agrigentina 12. Januarii 1604. Ad perpetuam verò requiritur degradatio solùm verbalis à Pio V. *constitut. 5. Cum primum Apostolatus §. 10.* quæ est contra blasphemos tam simplices, quàm hæreticales; quia generaliter loquitur. Ratio autem illa esse videtur, quia dum in jure imponitur pœna depositionis, sive degradationis, & nil aliud exprimitur, intelligi debet de verbali, Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 55. n. 5.* Diaz *in pr. cap. 148. n. 4* passimque alii. In pœnalibus namque, & odiosis mitiorem, & benigniorem partem amplecti debemus. In hoc autem casu non exprimitur; atque adeò intelligendum est de verbali.

Clericum autem hæreticum esse degradandum, quan- 6
do traditur Curiæ seculari, firmant Clar. *in §. fin. q. 36. n. 35.* Covar. *in pr. q. 32. nu. 2.* Scac. *de judic. lib. 1. c. 11. n. 76. & cap. 98. n. 4.* Scapp. *de jur. non script. lib. 5. c. 140. n. 10.* Diaz *cap. 97. num. 4.* & ibi Salzed. Bobadil. *lib. 2. c. 18. nu. 52. & 76.* Farinac. *lib. 1. q. 8. num. 78.* & alii communiter. Probatur ex *cap. Ad abolendam, §. Præterea de hæret.* ibi: *Totius ecclesiastici ordinis prærogativa nudetur*, docentque ibi Host. *nu. 6.* Zabarel. *in princ.* Abb. *num. 1. & 5.* Anchar. *num. 4.* Anan. *num. 6.* Joan. Andr. *sub init.* Et Butr. *num. 1.* item ex *cap. Excommunicamus 1. §. damnati de hæret.* ibi: *Clericis prius à suis Ordinibus degradatis*, ac tandem ex Constit. Innocentii IV. & Nicolai III. *incip. Noverit Universitas, §. damnati*, & ex Constit. Martini V. *Inter cunctas, §. similiter Clerici.*

Porrò degradationem realem meretur crimen hæ- 7
resis, læsæ Majestatis, vexationis in S. Officium laræ per

modos

modos expressos à Pio V. *Constit.* 83. *Si de protegendis*, falsificationis litterarum Apostolicarum, ac sigilli Regii, conspirationis in proprium Episcopum, homicidii præsertim qualificati per insidias, industriam, seu proditionem, parricidium, fratricidium, combustionis Ecclesiarum, assassinii, sodomiæ sæpiùs exercitæ, præcipuè quando quis est incorrigibilis. Verùm Clericus, qui falsificavit sigillum Regium, licèt degradetur, non tamen traditur Curiæ seculari, sed ei character imprimitur, quo inter alios cognoscatur, ac mittitur in exilium extra provinciam *cap. Ad audientiam 3. de crim. falsf.* Item Monetarii, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, vel fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumunt, Urbanus VIII. *constit.* 75. *In suprema*, § 3. Sacerdos sive secularis, sive regularis propter carnale sacrilegium cum Moniali perpetratum, maximè frequentatum actualiter degradandus est, & ad perpetuas triremes transmitti, ita mandante Gregorio XIII. ex declaratione S. Congregationis Episcoporum in Salernitana 12. Decembris 1585. & in una Aquileiæ 31. Martii 1618. Sic quoque non ordinatus celebrans, aut sacram Confessionem audiens, realiter ab Ordinibus, si quos habet, est degradandus, dummodò sit major viginti annis, Urbanus VIII. *constitut.* 79. *Apostolatus officium.* Si tamen absolutionem non est impertitus, quidam arbitrantur mitiùs puniendum, ut per Dian. *par.* 4. *tr.* 7. *resol.* 11. *&* 12. Idem dicendum de abortu fœtus animati, & solicitantium in confessione, si delicti qualitas id exegerit. Astrologi etiam Judiciarii, qui de statu Reipublicæ christianæ, vel super vita, aut morte Romani Pontificis, aut consanguineorum ejus usque ad tertium gradum judicia facere audent, & eos de hujusmodi rebus consulentes actualiter degradandi, Urbanus VIII. *const.* 112. *Inscrutabilis*

8 Verbalem verò degradationem meretur adulterium, concubinatus post monitionem perseverans, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium dolosè perpetratum sive mediatè, sive immediatè, revelatio confessionis, delictum, quo Parochus permittit proprium parochianum decedere sine baptismo, aliaque maxima, & atrocia, quæ inferunt irregularitatem. Qui celebrat, aut celebrari mandat, aut consulit Missas Defunctorum pro viventibus, ut moriantur. Videndi Covar. *pr. q.* 32. Farinac. *lib.* 1. *q.* 8. *n.* 47. 57. & 58. Diaz *in pr. crim. can. cap.* 97. *n.* 4. & ibi Salzed. *& in addit. cap.* 139. Garz. *de nobilit. glos.* 9. *n.* 29.

9 Depositio autem, seu degradatio verbalis triplex est. Prima qua quis privatur in perpetuum officio, & beneficio Ecclesiastico, non tamen privilegio clericali, scilicet fori, canonis, & bonorum. Hujus forma habetur *in cap. veritatis in fin. de dol. & contum.* & docent communiter Canonistæ *in cap. At si clerici, de judic.* Diaz *in pr. cap.* 138. *n.* 1. Menoch. *de arbitr. cap.* 415. *à n.* 6. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 20. *n.* 10. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 3. *tit. de suspens. cap.* 6. *n.* 3. Quæ pœna aliquando in jure canonico est latæ sententiæ, ut de clerico celebrante in censura est textus *in cap. Clerici, de Cler. excom. minist.* Sed in hoc casu ex æquitate hæc pœna non est exequutioni demandanda, nisi prævia monitione canonica, ut per Sayr. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 7. & Diaz *cap.* 33. Etenim olim hæc pœna depositionis Clerici sic celebrantis erat quidem latæ sententiæ, nunc verò id jus est moderatum, ut per Sayr. *ibid.* Hinc sequitur, quod celebrans in excommunicatione publicè in contemptum clavium, seu malitiosè, fit infamis infamia juris, & consequenter ex alio capite est irregularis; quia omne crimen depositione dignum, si fuerit notorium, reddit infamem infamia juris, & irregularem, Sayr. *lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 12. Maiol. *lib.* 5. *cap.* 12. *nu.* 2. ubi de celebrante in contemptū clavium. Qua in re advertendum, aliquem celebrasse in contemptum clavium, aliter accipi in formula dispensationis S. Pœnitentiariæ. Ibi enim intelligitur de contemptu formali potestatis Ecclesiæ. Undè quando conceditur dispensatio ei, qui celebravit in censura, semper excipitur, *non tamen in contemptum clavium.* De jure autem communi intelligitur etiam de contemptu materiali, & interpretativo. Vide Rotam *dec.* 438. *n. ultim. par.* 2. Posth. Farinac. ac Diaz, ibique Salzed. *d. cap.* 33. Ubi plures limitationes.

Sic quoque Clerici, qui fuerint deprehensi falsarii, 10
omnibus officiis, & beneficiis ecclesiasticis perpetuò sunt privati ipso jure, ut *in cap. Ad falsariorum de crim. falsf.* & de communi testatur Azor. *par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 17. §. *Quintum crimen*, & docet Garz. *de benef. p.* 1. *cap.* 10. *n.* 170. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. glos.* 15. *n.* 73. & sic sunt ipso jure depositi.

Item Clerici scienter præsumentes receptare, vel defen- 11
dere, vel favere personæ, vel credere, vel dogmatizare dogmata alicujus hæretici deprehensi, vel confessi, vel convicti, si hæreticus iste sit Episcopus, vel Cardinalis, vel Legatus, aut Comes, vel Baro, vel Dux, vel Imperator, incurrunt eo ipso privationem Ecclesiarum, beneficiorum, dignitatum & officiorum, & si sint laici, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & juris infamiam, ac fiunt intestabiles, & tam ipsi, quàm Clerici incurrunt privationem dominorum suorum, & bonorum omnium, & bona ista primo occupanti Catholico conceduntur ex Constitutione 19. Pauli IV. §. 5. quæ licèt non reperiatur publicata, tamen fuit publicata ex Bulla Pii V. 22. §. 3. in qua fuit confirmata, ut notat Cherubin. *in apostil. ad d. Constit. Pauli IV.*

Ad hanc depositionem infligendam non requiritur illa 12
solemnitas, seu numerus, & consensus Prælatorum, prout requiritur ad degradationem verbalem, sed sufficit ipsa lex, vel sententia Episcopi, etiam sine consensu Capituli, ut colligitur ex *d. cap. Veritatis*, & expressè habet Pontificale Romanum *tit. ordo suspensionis*, §. *circa depositionem*, ubi sic ait esse consuetum. Idemque testatur Clar. §. *fin. q.* 74. *vers. sed quæro*, & docent Joan. Andr. Gemin. Franch. & Anchar. *in cap.* 2. *de pœn. in* 6. Sayr. *lib.* 5. *de censur. cap.* 22. *n.* 7. Menoch. *ubi supra num.* 13. ac Suar. *de cens. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 18. Et potest ferri hæc sententia etiam à Vicario generali ex commissione Episcopi, Sbroz. *de offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 157. *n.* 8. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 3. *tit. de suspens. cap.* 6. *n.* 5. Sed nullus Ordinarius potest infligere pœnam depositionis, nisi in casibus à jure expressis, Sayr. *loc. cit. cap.* 21. *n.* 5. qui recenset casus istos, & advertit *n.* 1. neque in omnibus casibus per antiquos Canones expressis hodie hanc sententiam posse proferri, cùm ob humanam fragilitatem multum sit de antiquo rigore laxatum, *can. fraternitatis tuæ* 34. *d.* Regulariter autem loquendo degradationis nomen in jure prolatum intelligendum est de hac pœna depositionis simplicis, nisi aliud appareat, ut per Abb. *in cap. Tuæ, de pœn.* ac Menoch. *lic. cit. n.* 5. *&* 18.

Secunda species depositionis verbalis est illa, quæ pro- 13
priè dicitur degradatio verbalis præparatoria ad degradationem actualem, & deponit Clericum ab omni ordine, & beneficio, & ab omni privilegio Clericali, & requirit certum consensum Prælatorum, seu Ecclesiasticarum personarum, de qua in *cap. Novissimus, de verb. signif. d. c.* 2. *de pœn. in* 6. & Trident. *session.* 13. *cap.* 4. *de reform.* Et hæc pœna semper requirit sententiam specialem ferendam.

Tertia species depositionis verbalis est absoluta, & to- 14
talis. Participat enim de utraque supradicta; siquidem privat omni quocumque privilegio Clericali, & non exigit ulterius depositionem actualem, sed ipsa est actualis depositio, seu delegatio virtualiter, & æquivalenter, seu fictione juris, ut ait Menoch. *d. cas. num.* 415. *n.* 27. Carrer. *in prax. tit. de degrad. n.* 13. Et hæc pœna frequenter in jure etiam reperitur latæ sententiæ, ut de Clerico procurante abortum fœtus animati, effectu subsecuto, est Constit. Sixti V. & Gregorii XIII. & tradit Farinac. *quæst. crim.* 122. *&* 151. De Clerico assassino est *cap.* 1.

de homic. in 6. ac de communi testatur Farinac. *q.* 123. *n.* 13. De Clerico spoliante eligendum in Papam est Decretum Concilii Constantiensis celebrati anno 1415 sess. 41. De Clerico, qui Adversarium suum in causa sive Ecclesiastica, sive laicali, sive mixta vertente in Romana Curia, vel Adversarii Procuratorem, Advocatum, vel causæ Auditorem, Judicem, testem, Notarium præsumpserit minis afficere, invadere, verberare, mutilare, vel occidere per se, vel per alium quomodolibet ejusdem causæ occasione, aut si quis taliter delinquentem receptaverit, defenderit, occultaverit, eique consilium, auxilium, vel favorem dederit per se, vel per alium incurrit eo ipso primò in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini, reservatam Papæ, & in pœnam amissionis omnis juris, & actionis in ea causa Quod si mors, aut membri mutilatio à prædictis causata fuerit, incurrit tam principalis, quàm cooperans, ut supra, eo ipso pœnam depositionis ab omni dignitate, officio, ordine, & beneficio, ac læsæ Majestatis pœnas, eorumque officiorum, & beneficiorum dispositio Sedi Apostolicæ reservatur, & sunt eo ipso in suis bonis omnibus à cunctis perpetuò diffidati, banniti, & infames, atque inhabiles ex Bulla Alexandri Sexti, quæ incipit *In eminenti* in Bullario Cherubini. De Clerico ordinato falsis dimissoriis est Bulla 33. Urbani VIII incipiens, *Secretis*, §. 4. Ac denique ex Bulla 72. Pii V. *Horrendum*, omnes Sacerdotes, & alii Clerici seculares, vel Regulares cujuscunque gradus, & dignitatis sodomiam, hoc est, dirum nefas exercentes ipso facto sunt privati omni privilegio clericali, omnique officio, & dignitate, ac beneficio ecclesiastico, & per Judicem Ecclesiasticum degradati tradendi sunt Curiæ seculari puniendi.

15 Prædictas autem pœnas depositionis verbalis latæ sententiæ ex ipso jure incursas non ligare in foro conscientiæ ante declaratoriam cum communi, ac probabiliori sententia docent Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 1. *in comm. lit. F. & lib.* 13. *cap.* 56. *nu.* 2. Avil. *p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. §. *Circa quam*, Suar. *de censur. disp.* 31. *sect.* 4 *n.* 22. Graffius, Rodericus, Ugolinus, Toletus, & Ledesma apud Garz. *de ben f. p* 11. *cap* 10. *n.* 197. quamvis idem Garzias ibi contrarium teneat cum Navarro. Adde, quod neque pro foro externo degradatio illa ipso jure lata, & incursa vim habet ante declaratoriam Judicis Ecclesiastici. Undè non poterit Judex secularis interim procedere contra Clericum ipso jure degradatum, seu privatum omni privilegio Clericali secundùm veriorem sententiam, & in praxi receptam, quam tradit etiam Sayr. *de censur. lib.* 5. *c.* 20. *n.* 16. *in fin.* Neque hujusmodi degradatio incursa in casu occulto per se reddit degradatum irregularem, nisi ulterius à jure illi sit imposita talis pœna, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 6. *litt. M.* Navar. *cap.* 27. *n.* 248. Avil. *de censur. loc. cit.* & alii apud Garz. *ubi supra*; quamvis contra, quod reus in tali casu fiat irregularis in foro conscientiæ, teneant Garz. *ibid.* & Sanchez *in decalog. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 7.

6 Notandumque, quod Episcopus super pœna depositionis, & degradationis latæ sententiæ à solo officio, & beneficio ex ipso jure canonico incursa, quando scilicet non est perventum ad actualem degradationem, si hæc pœna sit lata ob delictum gravius adulterio, non potest dispensare. Si autem sit lata ob delictum non gravius adulterio, poterit ex causa rationabili dispensare per textum *in cap. At si Clerici, §. de adulteriis*, ibique Canonistas communiter *de judic.* Alter. *tr.* 2. *de suspens. disp.* 2. *cap.* 9. *col.* 7. Bellet. *tit. de favor. cler. person.* §. 10. *nu.* 9. Ricc. *resol.* 221. Super pœna verò degradationis, scilicet privationis omnis privilegii clericalis, non potest dispensare, quia æquivalet degradationi actuali, super qua Episcopus non potest dispensare, seu restituere degradatum, *cap. si lapsis, c. si semel* 50. *d.* Sylvest. *v. degradatio n.* 10. ac Barbos. *alleg.* 110. *in fine* cum ibi allegatis. Et quia ex ipsa pœnæ hujus gravitate illud delictum gravius adulterio à jure æstimatur. Undè poterit dispensare in iis casibus super pœna infamiæ, vel irregularitatis, vel inhabilitatis, vel depositionis verbalis, non autem super privatione beneficii, vel officii, vel bonorum privatione post executionem factam Judicis ministerio ex *d.* §. *de adulteriis*, & ita tenet Abb. *ibi in 6.* Dec. *n.* 48. Anchar. *num.* 11. Hippol. *num.* 65. 68. Rodriq. *q. regul.* 24. *ar.* 17. *tom.* 1. qui plures alios adducit, & sequitur Suar. *de censur. disp.* 29. *sect.* 1. *n.* 21. ubi ait communem, Bonac. *de clausur. q.* 1. *pun.* 5. *n.* 5. Henriq. *lib.* 14. *c.* 19. *nu.* 2. Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 77. ubi appellat communem, & rationem assignat Rodriquez eo loco, quia cùm sint ea minora crimina frequentiora, consulendum fuit, ne tam frequenter necessarius esset recursus ad Sedem Apostolicam. Quam sententiam veriorem puto, quamvis Archid. *in cap. licet Canon. de elect. in 6.* & Felin. *in d.* §. *de adulteriis, n.* 4. contrarium teneant, nempè facultatem concessam Prælatis dispensandi super minoribus criminibus, non intelligitur quoad pœnas latæ sententiæ, seu ipso jure incursas. Hinc sequitur, quod Episcopus potest dispensare super adulterio, furto, sacrilegio, perjurio, falso testimonio, non autem super hæresi, simonia, homicidio, & similibus. Quia illa sunt minora crimina, hæc autem majora, Abb. *in cap. Cum te, de sent. & re judic.* Gemin. & Præpos. *in cap. Euphemium* 2. *q.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 62. §. *ult.* Sayr. *l.b.* 7. *de censur. c.* 11. *num.* 15. *&c.* 12. *nu.* 3. *in fin.* Judicantur autem hìc crimina gravia, non levia, non theologicè, id est à virtute, cui opponuntur, sed à pœnæ gravitate, qua puniuntur, Butr. *in d.* §. *de adulteriis*, ibique Abb. *n.* 7. Anan. *n.* 13. aliique Doctores communiter. Aliàs enim sacrilegium est gravius adulterio secundùm speciem, non tamen secundùm pœnam, ideò Episcopus in illo dispensat, *cap. fin. de furt.*

Dignumque observatione est, quod pœna depositionis 17
à beneficio est fortior, quàm simplex privatio. Quia depositio involvit perpetuam incapacitatem, seu inhabilitatem ad illud per novam provisionem obtinendum, nisi super ea dispensetur. Simplex autem privatio etiam pœnalis non facit inhabilem ad recuperandum per novam collationem, Suar. *de censur. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 6. Item quod depositus ab officio, si celebret, non fit ex hoc irregularis. Undè apparet, depositionem differre à perpetua suspensione, Sayr. *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 26. *& lib.* 7. *c.* 9. *n.* 20.

CONSULTATIO XCII.

Quot, quasve pœnas incurrat Religiosus laicus professus Latinus, qui dimittens habitum regularem ab Episcopo græco schismatico se facit græco ritu ordinari? Et reversus ad Religionem, quomodo sit tractandus?

PRincipio tenendum est tanquam certum, schismati- 1
cum Sacramenta Ecclesiæ verè, atque integrè conferre, dummodò ea conferat in forma Ecclesiæ. Ita ex *cap. ostenditur, de consecr. d.* 4. *cap. præter*, §. *verum*, & §. *ad hoc* 22. *d.* ibique Glos. *in v. formam, cap* 1. *de schism.* in quo licèt dicatur ordinationes factas ab Episcopo schismatico esse irritas, id tamen intelligendum est, non quoad substantiam, sed quoad usum ordinum, ut notant ibi Doctores communiter cum Glossa, præsertim Innoc. Host. Butr. Abb. & Boich. traditque Suarez *de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 61. clarissimè ex *cap.* 2. *eodem tit.* ac docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *ar.* 3. August. Triumph. *de potest. Pap. quæst.* 25. *art.* 3. Turrecrem. *de Eccles. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 7. Sot. *lib.* 4. *sent. dist.* 13. *ar.* 7. ac Theologi omnes.

Et quidem duplex est potestas. Altera sacramentalis. 2
Altera jurisdictionalis. Sacramentalis est, quæ per aliquam consecrationem acquiritur, ut puta potestas characteris, quæ consistit in conficiendo corpore Christi, in Sacros Ordines, ac cætera Sacramenta conferendo, Glossa, Abbas, & alii *in d. cap.* 1. *de schism.* Jurisdictionalis est, quæ confertur per simplicem hominis injunctionem, ut puta potestas communicandi, absolvendi, & indul-

Indulgentias concedendi. Inter has duas potestates illa est differentia, quod potestas Sacramentalis confertur per characterem indebiliter à Deo, *cap. 1. qui Cler. vel vov.* Host. Butr. Abb. Anan. & reliqui *in d. cap. 1. de schism.* ille cohæret, velut nota quædam, & signum corporale, *cap. quidem 1. quæst. 1.* ideòque remanet semper immobilis sive homo labatur in schisma, sive in hæresim, D. Thom. *loc. citat.* & Triumph. *d. q. 25. ar. 3.* subdens, quod Ecclesia non potest hanc potestatem ab homine auferre, id quod etiam affirmant Archid. *in cap. 2. n. 3. de pœn. in 6.* Franch. *ibidem num. 4.* & Doctores *in cap. 2.* præcipuè Anchar. *n. 4. de Cler. excommun.* Potestas verò jurisdictionis potest aliquando revocari.

3 Hic schismaticus in Sacramentis ministrandis non consideratur, ut instrumentum Ecclesiæ, sed tanquam instrumentum Dei, ut inquit D. Thomas loco allegato, nec potest ab Ecclesia impediri. Tum quia hic est effectus characteris impressi per ipsum Deum. Tum etiam quia talis effectus non potest impediri per quamcunque culpam conferentis, *cap. vestra de cohab. Cler. & mul.* D. Thom. *ibid.* Butr. *in d. cap. 1. sub n. 8. de schism.* & Abb. etiam ibi *col. 2. circa fin.* Undè quando Sacramenta administrantur à schismatico secundùm formam Ecclesiæ, eo quia intendit facere, quod facit Ecclesia, tunc Sacramenta, quæ ultra gratiam non expectant aliam executionem, cujusmodi sunt confectio corporis Christi, Baptismus, & Unctio Sacra, valida sunt, quamvis recipientes ab eis peccent mortaliter, nisi in casibus à jure permissis, de quibus 34. *d.* §. *Verum*, Abb. *in d. cap. 1. col. fin. vers. secundo casu*, Soccin. *n. 6. de schism.* Sacramenta verò, quæ ultra gratiam desiderant executionem, prout est Sacramentum Ordinis, licèt respectu characteris valeat, quia cùm ille sit impressus in animam, etiam à Schismaticis confertur, Glos. *in d. c. 1. v. irritas*, ibique Abb. *col. fin. in princ.* respectu tamen executionis non confertur, nisi Sacramentum fuerit receptum ex ignorantia probabili, Innoc Butr. Anan. & Abb. in sæpè alleg *cap. 1. de Schism.* Hæc tamen ignorantia, quandiù durat probabilitas, postquam autem res patefiet, requiritur dispensatio, Host. Butr. Abb. & Soccin. *in d. cap. 1.*

4 Non obstat, quod verè Sacramenta non nisi in Ecclesia reperiantur. Schismatici autem omninò extra Ecclesiam sunt, ut probant unanimiter Patres relati à Bellarmino *lib. 3. de Eccles. cap. 5.* quibus adde Jacobac. *de Concil. lib. 7. ar. 1. ad 3. dub.* Port. Imol. *cons. 164. num. 17.* Decian. *tr. crim. lib. 5. cap. 67. nu. 20.* & Farinac. *de hæres. q. 174. §. 2. n. 45.* Nam id multipliciter potest intelligi. Primò ut extra Ecclesiam non sint Sacramenta, nempè extra formam Ecclesiæ, sicuti interpretatur Glossa *in cap. Extra Ecclesiam 1. q. 1.* Quæ enim extra formam Ecclesiæ conficiuntur, nullatenus sunt Sacramenta adeò, ut per ea ne character quidem imprimatur, *cap. 1.* cum ibi notatis, *de baptism. c. detrahi 1. q. 1.* Glos. *in d. c. 1. v. irritas de schism.* passimque omnes supracitati. Secundò extra Ecclesiam non dantur Sacramenta quoad hoc, ut propitia sint Deo, quia Schismatici, & cæteri similes quanquam verè conficiant Sacramenta, illa tamen & Deo displicent, & non afferunt propitiationem, & sic non sunt Sacramenta quoad virtutis effectum, *d. cap. præter, §. cæterum 32. d. cap. quod quidam §. quamvis possit*, & §. *Sciendum 1. quæst. 1.* Triumphus *loc. cit.* & Sot. *in 4. dist. 13. ar. 8.* Tertiò extra Ecclesiam non dantur Sacramenta vera, intellige de veracitate respectu usus legitimi, quem neque hæretici, neque Schismatici habent, non autem respectu ipsorum Sacramentorum, D. Thom. *2. 2. quæst. 39. art. 3. in fin.* Sicque intelligenda sunt jura, quæ dicunt extra unitatem Ecclesiæ non accipi Spiritum Sanctũ, ut *cap. loquitur 8. 24. quæst. 1.* Illos catere potestate ligandi, atque solvendi, qui unitatẽ Ecclesiæ catholicæ non tenent, *cap. omnibus 20. 24. quæst. 1.* Non consecrare, nec consecrari in schismate constituum, *cap. pudenda 33. q. 1.*

Episcopus igitur Schismaticus etiam denunciatus, licèt validè non absolvat, neque alia præstet, quæ à potestate jurisdictionis pendent; nihilominùs validè agit ea, quæ pendent tantùm à potestate Ordinis, unde validè conficit Sacramentum Eucharistiæ, & Ordinis Sacramentum confert. Quia hæc duo requirunt tantùm potestatem Ordinis, quæ inamissibilis est, fundata in charactere impresso indelebiliter in anima.

His prænotatis, suspensionem primò incurrit à divi- 6
nis Religiosus, qui in statu Apostasiæ à Religione ordines suscipit Sacros. Nam ex *c. fin. de apost.* est perpetuò suspensus, etiam reversus ab exercitio Ordinum taliter susceptorum, nisi à Papa dispensetur, ibi Glossa notat, *v. dispensatione*, Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 8. n. 24.* & Suar. *tom. 4. de relig. lib. 3. c. 1. n. 29.* Qua in re notandum, quod ista non est propriè suspensio, sed quoddam Canonicum impedimentum, & species irregularitatis; undè in ea celebrans, habitu retento, non fiet irregularis, Bonac. *de Clausur. q. 2. pun. 11. §. 4. n. 10. & seq.* & est irregularitas partialis, ideſt quoad ordinum sic malè susceptorum exercitium, non autem quoad alios benè susceptos, Sanch. *n. 24.*

Secundò suspensionem aliam incurrit, etiam hodie 7
Apostata, si ordines recipiat in Apostasia, quatenus ordinatur sine commendatitiis sui Prælati, & absolutio reservatur arbitrio Ordinarii ipsius ex Trid. *sess. 23. c. 8.*

Tertiò irregularis efficitur Apostata, si celebret in Or- 8
dinibus Sacris, habitu dimisso, scilicet in excommunicatione, vel in suspensione incursa ob ordines susceptos sine commendatitiis sui Prælati, aliàs non erit irregularis, ut per Suar. *d. tom. 4. de relig. lib. 3. c. 1. nu. 28. & de censur. disp. 31. sect. 5. n. 5.* Filliucius autem *tr. 20. nu. 250.* & Maiol. *lib. 2. cap. 1. n. 15. §. Apostasia*, inquiunt esse irregularem, quandiù manet in eo statu, & probatur *c. fin. 50. d. & cap. Cum illorum, de sent. excommun.* Sed non est propriè irregularitas, cùm tollatur sine dispensatione, ut per Garz. *de benef. p. 7. c 8. n. 65.* Est tamen Canonicum impedimentum inhabilitans, sicut irregularitas, quandiù durat, & impediens ordinum omnium exercitium, ut per Maiol. & filiuc. *locis citatis.*

Quartò cùm sit ordinatus ab Episcopo græco ritu græ- 9
co, non recipit Ordinis executionem, ut colligitur ex *c. Quod translationem de temp. ordinat.* videlicet est ipso facto suspensus, ut alibi dixi.

Quintò cùm recipiat Ordines ab Episcopo schismatico 10
vitando, seu non tolerato ab Ecclesia est eo ipso suspensus ab executione Ordinis sic suscepti *per c. Daiberium 1. quæst. 6. cap. 2. de ordinat. ab Episc. qui renunc. d. cap. 1. & 2. de schism.* Suar. *d. dis. 31. sect. 1. num. 61. & 64.* cum *seq.* Coninch. *disp. 35. dub. 6.* Filiuc. *tr. 17. nu. 80.* Sayr. *lib. 4. de censur. c. 14. nu. 1.* qui plurimos allegat. Quod si promotus ignoraverit totaliter vitium ordinantis, tunc non est propriè suspensus, neque irregularis, sed impropriè, quatenus ante dispensationem peccat ministrando in susceptis, Suar. *n. 62.* Coninch. *n. 34.* Si autem mala fide scienter, potest cum eo dispensare Prælatus regularis. Si non sit Religiosus professus, solus Papa cum eo dispensare potest. Si verò ex ignorantia crassa, vel supina, poterit ejus Episcopus dispensare ex *d. cap. 2. de ordin. ab Episc. & cap. 2. de schism.* Tolet. *lib. 1. cap. 68. n. 5.* Sayr. *n. 2.* Diaz. *in pr. cap. 28. in fin.* Sanch. *opusc. lib. 2. c. 3. dub. 104. n. 44. & 45.* & declaravit S. Congregatio Inquisitionis 16 Novembris 1607. inquiens ordinatos ab Episcopo schismatico non posse in ordinibus susceptis ministrare, nisi obtenta dispensatione Apostolica, & 3. Aprilis 1614. declaravit cum Græcis ordinatis ad Ordines Sacros ab Episcopo Schismatico posse dispensari super irregularitate, prævia fidei professione. Et 29. Augusti 1624. declaravit, Græcos ordinatos ab Episcopo schismatico celebrantes esse suspensos, & irregulares, & dispensationem esse Sedi Apostolicæ reservatam. Et 7. Februarii 1613. Græcus ordinatus ab Episcopo schismatico fuit habilitatus ad executionem suorum

ordinum in ritu græco tantùm. Et 7. Decembris 1622. Græci catholici, qui susceperunt Ordines ab Episcopis Schismaticis, ignorantes esse schismaticos, fuerunt expediti cum professione fidei.

11 Sextò ex Bulla Clementis VIII. 63. *Cùm ad regularem* §. 34. confirmata decreto Urbani VIII. de quo in Bullario *Constit.* 26. ejusdem, qui ab initio admittuntur ad habitum, & Novitiatum pro laicis, non possunt postea, etiam durante Novitiatu, ad statum Clericorum transferri, sed solùm ad laicorum professionem admitti possunt. Undè apparet, eos esse irregulares ratione obligationis ad statum laicorum, seu ratione assumptionis status incompossibilis cum statu, & ordine clericali, & facit *c. infames* 6. *q.* 1. ubi qui Curiæ serviunt, tali scilicet servituti addicti non possunt promoveri, *c.* 1. & 2. *d.* 54. & sicut miles ratione juramenti præstiti, & assumpti muneris non potest promoveri, ita neque laicus Religiosus ratione status illius assumpti. Neque potest Superior, seu Prælatus dispensare, sed solus Summus Pontifex. Undè laici sine licentia Papæ promoti, sunt deiiciendi à statu clericali, & in ordinem laicorum redigendi, ut patet ex Bulla Leonis X. de qua Sorbus in *comp. v. laici fratres* §. 4. Roderic. *q. regul.* 42. *ar.* 19. *tom.* 1. Promoti autem, etiam usque ad Sacerdotium absque tali licentia, omni honore clericali privandi sunt, nec permittendi Canonicum officium Clericorum persolvere, sed ad merum statum laicalem omninò reducendi sunt, preces laicorum religiosorum ex eorum Regula recitantes, Roderic. *d. ar.* 19. *& in addit. sum. cap.* 194. *v.* 13. Suar. *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 17. *nu.* 7. Villa. Iob. *tr.* 24. *diff.* 9. *n.* 11. alter Roder. *in comp. resol.* 24. *n.* 21. ac Portel *in dubio Regular. v. Horæ Canonicæ n.* 4.

CONSULTATIO XCIII.

JUdæus supponens dedisse libellum repudii in Judaismo uxori hebrææ, cum qua matrimonium non consummaverat, Christianus factus, & continere non valens vult contrahere matrimonium cum Christiana, vivente adhuc uxore hebræa. Quæritur.

Primò. An ex dicto libello repudii fuerit dissolutum dictum matrimonium non consummatum?

Secundò. Quid requiratur ad effectum dissolvendi dictum matrimonium, ex quo dictus hebræus christianam fidem amplexus est, & transire cupit ad secunda vota cum muliere christiana.

Tertiò. Maximè verò degente in remotissimis partibus ejus uxore hebræa? Ubi multa de libello repudii.

1 AD primum. Multi putant, non fuisse licitum Judæis dimittere, seu repudiare suas uxores, sed solum permissum, ut impunè id facerent ad majus malum evitandum. Ita Magister *in* 4. *d.* 33. D. Bonaventura, & Richardus *ibidem*, ac nonnulli alii. Et juxta hanc sententiam peccabant Judæi dimittendo suas uxores, nec matrimonii vinculum dissolvebatur, ac proindè, si uxores acciperent novos maritos, non erat novum matrimonium, sed adulterium.

2 Probatur primò, quia *Deuteron.* 24. dicitur mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri *pollutam, & abominabilem coram Deo*; quia scilicet nubendo alteri, committit adulterium. Quod etiam repetitur *Jerem.* 3. *v.* 1. his verbis: *vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

3 Secundò quia repudium fuit Judæis permissum propter duritiam cordis eorum, *Matth.* 19 *v.* 8. Ergo fuit permissum tanquam minus malum ad evitandum majus malum, ne scilicet Judæi suas uxores occiderent, si non permitterentur eas dimittere. Nam minus malum erat dimittere illas, quàm occidere.

Alii rectiùs docent, permissum fuisse Judæis dimittere uxores non solùm impunè, sed etiam licitè, ita ut non peccarent dimittendo. Sic docent D. Thomas, Scotus, Durandus, & Paludanus *in* 4. *d.* 33. Bellarm. *de matrim. cap.* 17. *ad object.* 14. Maldonat. *in cap.* 19. *Matth.* Abulensis *ibid.* 49. & 50. Joan. Andr. *in cap. de infidelibus n.* 5. *de consangu. & affin.* ibique Card. *n.* 4. Anchar. *n* 4. Butr. *n.* 9. Abb. *n.* 6. Alexand. de Neu. *nu.* 10. Præpos. *n.* 5. Bald. *cons.* 428. *per tot. lib.* 5. Alexand. *cons* 71. *n.* 2. *lib.* 2. Sot. *in* 4. *d.* 33. *q.* 2. *ar.* 2. *concl.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 5. *disp.* 14. *n.* 1. & 2. Tiraquel. *de primogen. q.* 66. *sub num.* 25 Adeò quod valeat matrimonium contractum inter Judæos pacto expresso, ut liceat dare libellum repudii, nec tale pactum inter eos vitiat matrimonium, ut contrà Glossam tenet Abbas *in d. cap. de infidelibus, n.* 6. Et juxta hanc sententiam, quando quis dato libello repudii dimittebat uxorem, verè dissolvebatur matrimonium, & uterque tam vir, quàm fœmina poterat cum altero contrahere, ut per Baldum *loc. cit.* Marquard. *de Judæis p.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. Natta *cons.* 621. *n.* 8. Tiraquel. *d. q.* 66. *n.* 25. 4

Probatur primò ex *d. cap.* 24 *Deuteron. v.* 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* 5

Secundò. Quia si matrimonium non fuisset solutum per libellum repudii, deteriori conditione fuissent fœminæ, quàm viri. Nam viri poterant alias uxores ducere, cùm eo tempore licita esset polygamia, ut *Deuteron.* 21. *v.* 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerit que substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum.* Ubi sermo est de veris uxoribus; nam in textu vocantur uxores, & filii illarum poterant esse hæredes patris, ac dividere substantiam illius, quod non licuisset, si altera fuisset uxor, & altera tantùm concubina; nam filii concubinæ non potuissent esse hæredes. Fœminæ verò non potuissent alios viros accipere, quia nunquam licuit uni fœminæ habere plures simul viros. Itaque vel debuissent fieri adulteræ, vel perpetuam continentiam servare. Non est autem verisimile, coactas fuisse ad perpetuam continentiam, cùm id in veteri testamento esset planè inusitatum. 6

Tertiò, quando mulier à suo viro repudiata nubebat alteri viro, poterat impunè cum altero manere usque ad mortem illius, *Deuteron.* 24. Ergo manens cum illo non erat adultera, sed legitima uxor. Si enim fuisset adultera, debuisset secundùm legem Mosaicam lapidari, Joan. 8. *n.* 4. & Levit. 20. *v.* 10. 7

Quartò. Quando nupserat alteri viro, poterat etiam ipse dare illi libellum repudii, sicut prior maritus, *Deuteron.* 24. *v.* 4. Ergo non erat ipsius uxor, quàm antea fuerat prioris mariti. Nam libellus repudii non fuit concessus viro, nisi ratione suæ uxoris. 8

Quintò. Lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti, rediret ad priorem maritum, *Deuteron.* 24. *v.* 4. At si per repudium non fuisset solutum vinculum matrimonii, non erat prohibendum, sed potius optandum, ut uxor rediret ad suum legitimum maritum. 9

Sextò. Neque Moyses, neque alii Prophetæ unquam reprehenderunt matrimonia cum repudiatis. At si ejusmodi matrimonia fuissent adulterina, sine dubio debuissent illa palam reprehendere, sicut reprehendebant alia vitia. 10

Septimò. Lex vetabat Sacerdotibus, ne ducerent viduam, aut repudiatam, aut meretricem, sed tantùm virginem, *Levit.* 21. *v.* 13. Ergo aliis, qui non erant Sacerdotes, 11

dotes, licebat ducere repudiatas, sicut licebat viduas, & meretrices.

12 Ad contraria argumenta respondetur. Ad primum mulier repudiata vocabatur polluta, & abominabilis coram Deo, non ideò, quod alteri viro nupsisset, sed quia à priori viro publica infamia erat notata, hoc ipso, quod publicè esset repudiata. Ac proinde non decebat, ut ab illo iterum reciperetur, ut per Bellarminum loco citato. Nec aliud colligi potest ex loco Jeremiæ, ubi Deus sic argumentatur: Si vir non recipit repudiatam, quæ nupsit alteri, multò minus ego deberem recipere, quæ non nupsisti alteri, sed cum multis amatoribus fornicata es.

13 Ad secundum. Verum est, Deum permisisse Judæis repudium propter duritiam cordis eorum, ne scilicet suas uxores, quas repudiare non possent, occiderent. Sed inde non sequitur, eos peccasse, repudiando suas uxores ex divina permissione. Potuit enim Deus hoc illis permittere, ut non peccarent, quia potuit dissolvere matrimonium inter ipsos contractum, & dare potestatem, ut viri acciperent alias uxores, & repudiatæ nuberent aliis viris. Nec illa permissio carebat mysterio; nam Deus per illam volebat significare, se repudiaturum Synagogam Judæorum, & in locum illius desponsaturum sibi Ecclesiam ex gentibus colligendam.

14 Qua in re notandum, quod cum ista repudiatio sit de concernentibus ritus, meritò fieri debet coram Sacerdote Judæorum, non autem coram Episcopo, ut probat Bald. *d. cons.* 428. *n.* 4. *lib.* 5. ubi ita explicat dicta per Innoc. *in cap. Gaudemus in Glos. de divort.*

15 Si interroges, an sicuti viri poterant repudiare uxores, ita vicissim uxores potuerint repudiare viros? Respondeo non poterant. Nam solis maritis concessum fuit jus repudii; nusquam in lege Mosaica invenies uxoribus concessum esse. Quod etiam fatetur Josephus *lib.* 15. *cap.* 11. ubi refert, Salome sororem Herodis præter legem Mosaicam fecisse, quod maritum suum Costobarum repudiaverit. Lex enim nostra, inquit, solis maritis jus repudii permittit, mulieribus autem, ne dimissis quidem, fas est nubere, nisi prioris viri permissu. Quæ posterior pars non habetur expresse ex lege Mosaica. Videtur tamen colligi ex formula libelli repudii, in qua vir dimittens uxorem sic ait: *Abeat, quocunque velit.* Quibus verbis concedit illi potestatem nubendi alteri marito. Et clariùs ex decima cæremonia inferiùs recensenda.

16 An ergo mulieres nullo modo poterant dimittere suos viros? Respondeo. Aliud est repudium, aliud divortium. Non poterant illos dimittere per repudium, poterant tamen eos deserere per divortium, vel propter adulterium, vel propter alias legitimas causas. Hoc enim & Christianis, & gentilibus mulieribus jure naturali permissum est. Et nota. In divortio fit tantùm separatio cohabitationis, & thori, manente vinculo matrimonii. In repudio etiam hoc vinculum dissolvitur, ut patet ex Auctoribus allegatis.

17 Quibus autem de causis licuerit uxores dimittere, seu repudiare, non satis constat. Tametsi enim Scri[illegible]a dicat, licuisse eas dimittere propter [illegible]quam fœditatem, disputant tamen Interpretes [illegible] quid per illam fœditatem intelligendum sit. T[illegible]ullianus *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 54. intelligit solùm adulterium, seu fornicationem; quod alii Authores refellunt. Primò, quia mulier adultera secundùm legem Mosaicam non dimittebatur, sed vel lapidabatur, si constaret adulteram esse, vel per aquas zelotypiæ examinabatur si suspecta esset de adulterio. Secundò, quia Pharisæi interrogabant Christum, an quacunque ex causa liceret uxorem dimittere? *Matth.* 19 *n.* 3. Ergo supponebant, varias esse causas, sed cupiebant intelligere, an Christus omnes approbaret.

18 Quæ autem fuerint istæ causæ in particulari, non omnes eodem modo explicant. Lyranus putat fuisse quamcunque rem turpem, matrimonio supervenientem, quæ possit bonum prolis impedire, sive in corpore, ut est sterilitas, lepra, morbus caducus; sive in anima, ut si uxor esset pravis moribus prædita. Consentit Cornelius à Lapide, qui assignat has causas, lepram, & sterilitatem, veneficium, rixas perpetuas, ebriositatem, & alios pravos mores incorrigibiles. Adulterium autem videntur excludere.

Pro quo notandum est, dimissionem uxoris potuisse 19
fieri dupliciter, vel palam, vel occultè. Prior dimissio fiebat per libellum repudii. De posteriori intelligendum est illud *Matth.* 19. *Joseph. autem vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam*, nempè Mariam, *sibi desponsatam*, eo quod *videret illam antequam convenirent, gravidam esse*. Quomodò occultè id facere voluerit, variæ sunt sententiæ apud Maldonatum, quæ non faciunt ad nostrum propositum. Itaque prior dimissio per libellum repudii, vel nunquam, vel raro fiebat propter adulterium. Nam tribus modis possumus loqui de muliere adultera. Primò, si in adulterio esset deprehensa: sic jubebatur lapidari. Secundò, si solùm esset suspecta de adulterio: sic debebat examinari per aquas zelotypiæ. Tertiò, si quidem constaret adulteram esse, sed nec publicè constaret, nec in adulterio esset deprehensa, sed maritus aliundè id sciret: sic fortassè poterat occultè dimitti. Si tamen maritus voluisset illam publicè accusare, & dato libello repudii solemniter dimittere, non video, cur id fieri non potuerit.

Quæ verò cæremoniæ, & cautiones, quibus libel- 20
lus repudii solebat dari, recitantur decem ab Hebræis, ut notat Maldonatus. Primò, ut uxor non discederet, nisi volente marito. Secundò, ut libellus in manu uxoris traderetur. Tertiò, ut scriberentur, ut minimum, nomina duorum testium. Quartò, ut exprimerentur tres generationes viri, & tres mulieris, ut ex libelli formula intelligetur. Quintò, ut scriberetur libellus literis rotundis, distinctis, atque perspicuis ita ut una aliam non attingeret, ne aliquod scripturæ vitium irreperet. Sextò, ut si inter scribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, libellus auctoritatem non haberet, sed alius de novo scriberetur. Septimò, ut in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne posset esse suspectus de vitio. Octavò, ut charta longior esset, quàm latior. Nonò, ut omnes testes, qui aderant, suum quisque sigillum adhiberet. Decimò, ut maritus diceret: *Accipe libellum repudii, & esto à me abjecta, & cuicunque viro permissa.*

Formula libelli repudii secundum Hebræos erat hæc; 21
Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filii Rabbi David, filii Rabbi Salomonis die prima mensis secundi anno 5296. *à creatione mundi, hic & in hac civitate ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiavi Rachel, filiam Rabbi Mosis, filii Rabbi Joseph, filii Rabbi Jacob, & dedi illi libellum repudii in manu, schidam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocunque velit, & nemo possit* [illegible] *prohibere juxta Constitutiones Moysis, &* [illegible] Ita referunt Vatablus, Oleaster, [illegible] c. 24. *Deuteron.* & Maldonatus *in cap.* 19. Corneli[illegible] *Matthæi.*

Quæres, an libellus repudii datus fuerit publicè co- 22
ram Judice, & in forma judiciaria? Respondeo. Id verisimile est. Primò quia datus fuit coram testibus, ut ex dictis patet. Secundò, quia repudium apud Romanos fiebat coram Judice, ut patet ex jure civili *tit. de divort.* Ubi etiam describitur hæc formula apud Romanos usitata: *Res tuas curato, res tuas tibi habeto.* An etiam alii præter Judæos, & Romanos usi fuerint repudio? Respondeo: etiam Medi, & Persæ usi sunt, ut patet exemplo Assueri Regis, qui uxorem suam Vasthi repudiavit, *Esth.* 1. *v.* 19.

At nihilominùs tenendum est. Apud Hebræos ante 23
Evangelium repudium, quoad vinculum, vel licuit ex dispensatione Dei, *Deuteron. c.* 24. vel certè permissum fuit tanquam minus malum ad vitanda majora ex *Matth.* 19. Apud Gentiles autem permissum fuit quidem legibus ipsorum, non tamen fuit licitum, quia pro iis Deus non legitur unquam dispensasse. Post legem verò Evangelicam nulli

nulli licet, nec etiam Judæis, quia Christus *Matth.* 19. illud reprobavit, & *Matth.* 5. illis verbis: *Ego autem dico vobis, &c.* Cùm autem sit contra jus naturale, omnes obligat, nisi Dei dispensatio intercedat, ideòque Judæi, & Gentiles repudiantes uxores peccant mortaliter, ut qui ex infidelibus convertuntur, tenentur ad illas uxores redire, quibus dedissent libellum repudii. Atque adeò matrimonium hujusmodi non fuisse dissolutum certa res est apud omnes, præsertim Sanchez *de matrim. lib.* 10. *c.* 1. *n.* 9. & 10. Poncium *eod. tr. lib.* 7. *c.* 50. *n.* 3. & declaravit Innocentius III. *in cap. Gaudemus* §. *Qui autem, de divort.*

24 Ad 2. & 3. Requiritur id, quod disponit d. Innocentius *in cit. cap. Gaudemus*, ibi: *Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius, illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. In quo casu restitutionem petenti quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur, quia secundùm Apostolum frater, aut soror non est hujusmodi subjectus servituti.* Quibus in verbis comprehendi etiam matrimonium non consummatum, certum est. Sed quia Doctores, qui ex communi sententia volunt apud Poncium *loc. cit. lib.* 9. *c.* 2. *n.* 8. matrimonium infidelium consummatum non posse dissolvi auctoritate Pontificis, consequenter admittunt posse dissolvi non consummatum, præsertim in favore fidei christianæ. Si autem fuerit consummatum requirenda, est uxor conversi, an illa converti velit, vel saltem cohabitare sine injuria Creatoris, ut alibi diximus. Quis enim scit, an convertatur, & vivat? De quo videndus Sanchez *de matrim. lib.* 7. *tot. dis.* 74. & Pontius *eod. tr. lib.* 7. *tot. cap.* 48. referens *n.* 23. diploma dispensationis Gregorii XIII. tenoris sequentis: *Gregorius &c. Quoniam sæpè contingit multos utriusque sexus infideles post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola, Æthiopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus ab hostibus captos à propriis finibus, & propriis conjugibus remotissimas regiones exterminari adeò, ut ipsi captivi, qui in patria remanent, si posteà ad fidem convertantur, conjuges infideles tam longo intervallo disjunctos, an sine contumelia Creatoris secum habitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles, & barbaras provincias, ne nunciis quidem accessus pateat, vel quia ignorant prorsus, in quas regiones fuerint transacti, vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem. Idcircò nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeò rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, singulis dictorum* [illegible] *Ordinariis, & Parochis, & Presbyteris Societatis Jesu ad confessiones audiendas ab ipsius Societatis Superioribus approbatis, & ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christi fidelibus incolis dictarum regionum, & serius ad fidem conversis, qui ante baptismum matrimonia contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite conjuge infideli, & ejus consensu minimè requisito responso non expectato, matrimonium cum quovis fideli, aliàs tamen ritè contrahere, & in eis posteà carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licitè valeant, dummodò constet etiam summariè, & extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitimè non posse, aut monitam intra tempus eadem monitione præfixum, suam voluntatem non significasse. Quæ quidem matrimonia, etiamsi posteà innotuerit, conjuges priores infideles suam voluntatem justè impeditos declarare non potuisse, & ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida, & firma esse, &c.*

25 Ex quibus evincuntur Doctores, præsertim Sanchez *loc. cit.* qui aliter hac in re censuerunt.

CONSULTATIO XCIV.

An Patentati exempti, sive Privilegiati S. Officii, hoc est Officiales, qui gaudent privilegio fori activè, & passivè, quales sunt Vicarius, Notarius, Fiscalis, Baroncellus, Custos Carcerum, & similes Ministri necessarii S. Officio, gaudeant, quoad onera communitativa exemptione Ecclesiasticorum, vel eorum Colonorum, vel militum, vel familiæ armatæ Episcoporum?

VIdetur hujusmodi Officiales gaudere exemptione militum, vel familliæ armatæ Episcoporum, scilicet quoad munia, sive onera personalia. Ita quoad milites *in l. Et qui* 3. §. 1. *ff. de muneribus, & l.* 12. *C. de re milit.* his, qui in castris operam per militiam dant, nullum municipale munus injungi potest, nisi forsan in fraudem munerum quis militiæ nomen dederit *l.* 4. §. *fin. ff. de muner.* Item & angariarum præstatio, & recipiendi hospitis necessitas, & militi inter cætera remissa sunt, *l. ab his* 10. §. *angariarum, ff. de vac. muner.* Veteranis quoque onerum, & munerum personalium vacatio conceditur post vigesimum annum militiæ, quam in legione, vel vexillatione, non si in cohorte militaverint, vel si honestam, vel causariam, non etiam si ignominiosam missionem consecuti esse ostenduntur, *l. veteranis* 13. *C. de his qui non implet. stipend. l. veteranis* 9. *C. quando provoc. non est necess. l. à muneribus* 7. *ff. de vac. muner. & in l.* 1. *C. de veter.* explicantur, quæ sunt illa munera, à quibus immunes sunt. Patrimoniorum tamen munera omnes subire coguntur, *l. à muneribus* 7. *ff. de vac. mun. l.* 2. *&* 4. *ff. de veter.* Et quoad Colonos bonorum Ecclesiasticorum, eos gaudere omni immunitate Clericis, & Ecclesiæ concessa, docui *tom.* 2. *consul.* 50. per totam, ubi *n.* 18. dixi ex S. Congregatione Immunitatis, quod isti eximuntur ab oneribus, & contractibus Communitatis, *nu.* 23. ex S. Congregatione super Episcop. quod sunt immunes à collectis tam ordinariis, quàm extraordinariis. Et quoad familiam armatam Episcopi, quod scilicèt gaudeat præter privilegium fori immunitate ab oneribus personalibus, est declaratio S. Congregationis Immunitatis 11. Decembris 1624. Id, quod videtur ex mente Alexandri IV. & Innocentii IV. qui suis Constitutionibus apud Pegnam ad Eymericum jubent Magistratibus secularibus, ne ad nullum aliud ullo modo officium, vel exercitium Officiales S. Inquisitionis compellant, ex quo eorum officium impediatur, vel impediri possit. 1

Nihilominùs puto, gaudere posse instar exemptione Ecclesiasticorum. Nam licèt regulariter personæ Ecclesiasticæ sint illæ, quæ ordinibus Ecclesiasticis initiatæ sunt, vel Dei obsequio specialiter mancipatæ in Religione, ut per Alter. *tom.* 1. *de censur. lib.* 5. *disp.* 16. *cap.* 1. impropriè tamen isti Officiales dici possunt personæ Ecclesiasticæ; quia sunt addicti servitio S. Romanæ Ecclesiæ, sic quoque famulos Ecclesiasticorum dici posse personas Ecclesiasticas, probat Jo. Andreas apud Sperell. *decis.* 129. *n.* [illegible] Et tamen certum est, majus servitium præstari ab hisce Officialibus, qui inserviunt Sedi Apostolicæ, quàm à Clericorum famulis, qui solis Clericis inserviunt, ut propterea non absque dici etiam possit, quod gaudeant tanquam familiares Summi Pontificis, nisi in rebus ad Sedem Apostolicam spectantibus inserviunt. 2

Nec mirum videri debet, quod cùm non sint personæ Ecclesiasticæ gaudere possint privilegiis Ecclesiasticorum. Nam licèt idem non sit, gaudere quempiam privilegiis Ecclesiasticis, & esse personam Ecclesiasticam, potest tamen esse, quod privilegium exemptionis fori, atque etiam Canonis, Ecclesiasticis de jure competens, speciali privilegio, vel alia de causa alicui communicetur, qui tamen ob id non sit propriè dicendus persona Ecclesiastica. 3

Præsertim cùm hi Officiales gaudeant privilegio fori tam activè, quàm passivè. Regulariter enim sub privilegio fori comprehenditur etiam privilegium Immunitatis 4

ab

ab omnibus oneribus instar Ecclesiasticorum, ita ut qui dicitur gaudere, vel non, privilegio fori, ille etiam censendus sit gaudere, vel non, privilegio Immunitatis, nisi aliter specialiter disponatur.

Et hoc videtur conformius declarationibus S. Congregationis S. Officii. Nam de Notario S. Officii sub die 12. Julii 1600. declaravit, illum esse exemptum à collectis etiam extraordinariis. Et 29. Augusti ejusdem anni esse exemptum à solutione onerum etiam extraordinariorum. Et sub die 10. Januarii 1591. fuit scriptum Inquisitori Melitæ, Officiales, & Ministros S. Officii esse exemptos ab oneribus, & impositionibus, ac 16. Januarii 1631. fuit ex ordine Summi Pontificis notificatum per Eminentissimos, Commissario Cameræ Apostolicæ, & Gabellariis, quod non solùm S. Officium, sed etiam ejus Officiales, ac ministri sunt exempti à solutione datiorum, & Gabellarum.

6 Cæterùm considerandum est, an expediat declarare speciatim, quod gaudeant instar Ecclesiasticorum, vel militum, vel familiæ armatæ Episcoporum. Satis enim esset generaliter respondere, quod gaudeant exemptione ab oneribus personalibus, & gabellarum, durante servitio, vel officio; aut quod standum sit communi consuetudini, ne Principes conquerantur.

CONSULTATI XCV.

1 *An edictum Inquisitionis, publicatum in ejus ingressu ad Inquisitionem sub nomine proprio, & dignitatis, obliget post deputationem novi inquisitoris, qui hujusmodi edictum non renovavit præter consuetudinem Inquisitorum antecessorum, qui dictum edictum in officii ingressu renovare solent?*

2 *An necessarium sit novum Edictum publicare, vel magis expediat illud differre ad opportuniorem commoditatem, ne ex intempestiva publicatione Edicti scandalum oriatur in populo, vel etiam impedimentum à Principe laico, è quo verisimiliter timeri potest?*

3 *An potiùs expediat novum edictum publicare hic Romæ à generali Inquisitione, quod afficiat omnes Inquisitores præfatum edictum, vel ex aliqua causa, vel etiam ex oblivione, aut negligentia publicare omittentes?*

1 AD primum affirmativè. Quoniam edicta Inquisitorum, cùm ferantur authoritate Apostolica, non habent minorem vim, quàm leges Canonicæ. Atqui leges sunt perpetuæ, nisi expresè revocentur, *l. cum eorum, C. de sent. & interloc. l. Ariani, C. de hæret.* Felin. *in cap. Licèt n. 1. de offic. deleg.* Et quamvis videantur esse præcepta ab homine; tamen quia Tribunal, à quo procedunt, est perpetuum, ideò per modum legis perpetuò durant, scilicet usque ad promulgationem aliorum edictorum, sicuti de Bulla Cœnæ Domini dici solet, Suarez *de fid. disp. 20. sect. 4. nu. 11.* Fagundez *de præcept. Eccles. p. 2. lib. 4. cap. 3. n. 31.* Avil. *de censur. p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 5. concl. 3.* Joan. Sancius *in select. disp. 11. n. 62.* passimque alii. Unde casu, quo Inquisitores aliquando forent negligentes in edictis promulgandis, adhuc fieri debere denunciationem ex vi priorum edictorum, tradunt Doctores communiter, quos sequitur Diana *p. 4. tract. 5. resol. 27.* Tum quia cùm hujusmodi edictum non sit actus hominis, & privatæ voluntatis, sed provisio publica ordinata ad publicam utilitatem animarum, & commodum Ecclesiæ, sitque finis publicus, actus quoque provenit ab auctoritate, & potestate publica, & ideò de sui natura est perpetuus, sicut est perpetua publica potestas per textum *in cap. Si gratiosè, de rescript. in 6.* tum quia causa edicti, nimirùm ut fides catholica conservetur pura ab hæresibus, est perpetua, ergo & remedium edicti. Tum quia hujusmodi edictum formaliter solet esse collectio Ecclesiasticarum Constitutionum contra hæreticam pravitatem. Sed istæ sunt perpetuæ. Ergo & edicta Inquisitorum. Tandem quia edicta, & Constitutiones in re, & perpetuitate non differunt, sed solùm in materia, & personis. Nam Constitutio universalis est, & supremi legislatoris; edictum verò est inferiotis & materiæ particularis, ut per scribentes *in tit. de constit. sub init. & in C. de edict. D. Adrian. toll.* Nec vis facienda est in verbo *edictum*, quia confunditur cum constitutionibus, & statutis, *arg. cap. Ne aliqui de hæret. in 6.* Caren. *p. 2. tit. 9. n. 34.* ubi alii.

Neque obstat contraria consuetudo; quia est irrationabilis, cùm tendat contra publicam utilitatem animarum, & fidei Catholicæ. Et ideò non potest prævalere, *cap. fin. de consuet.* ubi Doctores. 2

Ad 2. Non esse necessarium novum Edictum publicare; Tum ex dictis. Tum quia licèt Inquisitores particulares ex negligentia, vel alio capite non publicarent edictum, adhuc adesset obligatio de hæreticis, seu de hæresi suspectis S. Officio propalandis vigore generalis præcepti à Sac. Congregatione Supremæ Inquisitionis emanati sub die 3. Januarii 1623. quod refert Peyrinus *tom. 2. ad Constit. 9. Pauli V. n. 27.* & ex eo Trimar. *disp. 4. de solicit. n. 23.* ac Diana *loc. cit. resol. 41.* docentes, illud esse perpetuum. Sed quia Bordonus *de S. Tribunal. cap. 30. n. 2.* contèdit fuisse præceptum transitorium ex urgenti occasione, tunc illis Patribus nota promulgatum, tanquam quoddam monitorium, cui censetur satisfactum pro eo tempore, ideò an sit in hac specie novum edictum publicandum, pendet ex circumstantiis loci, temporis, ac personarum, prudenti judicio pensitandis. 3

Ad 3. Videtur expedire. Tum ex superiùs relato præcepto generali Supremæ Inquisitionis. Tum ab exemplo. Nam Urbanus VIII. ad præservanda jura Sedis Apostolicæ & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum à quibuscumque præjudicialibus, edidit gravissimam Constitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex* sub 5. Junii 1641. Atque ita occurreretur Inquisitorum negligentiis, Principum expostulationibus, animarum periculis, & Sacris Tribunalis præjudiciis. 4

CONSULTATIO XCVI.

An præventus à solo dicto socii criminis, in quo obiit, absque tamen purgatione maculæ, gaudeat privilegio sponte comparentium in causa spectante ad S. Officium, non tamen in materia fidei?

1 VIdetur respondendum cum distinctione. Vel enim iste scivit, vel suspicatus est, se præventum, & sic metu probationum in S. Officio comparuit, & confessus est, & in hoc casu pro sponte comparente non habetur, licèt mitiùs sit tractandus, *cap. Estote misericordes, de regul. jur.* Locat. post *judicial. Inquis. inter. casus decisos cas. 7.* Farinac. *de hæres. q. 193. n. 28. 36. & 37.* & Sousa *lib. 4. aphorism. cap. 9. n. 4.* Vel constet indiciorum eum conscium non fuisse, & in tali casu gaudet beneficio sponte comparentium, Farinac. *loc. cit.* Sous. *d. cap. 9. n. 2.* & Caren. *tit. 17. §. 1. n. 2.* quia sponte, non coactum comparuisse, ac confessum esse videtur. An autem conscius fuerit, vel ignoraverit se præventum arbitrio Inquisitorum, perpensis omnibus circumstantiis judicandum relinquitur.

At nihilominùs censeo non gaudere; quia privilegium sponte comparentium conceditur tantùm in materia fidei, ut ex Constitutione Julii Tertii de revocatione hæreticorum ad Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium, edita sub anno 1550. apud Pegnam, & ex Concilio Bitterense *cap. 2.* his verbis: *Ac deinde mandetis, ut omnes, qui se vel alios sciverint in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareant coram vobis, veritatem dicturi, &c. habeantque impunitatem &c.* Hic autem non agitur de materia fidei, atque adeò non potest ad eam extendi privilegium sponte comparentium. Præsertim, quia is dicitur sponte confiteri, qui venit non vocatus, aut qui vocatus nulla præcedente interrogatione confitetur, ut per Farinac. *q. 81. c. 5. usque ad n. 180.* 2

Quare cùm hic comparens fuerit præventus ex socii criminis depositione, quæ in exceptis sufficit ad inquirendum, ut per Clar. *q. 21. n. 5.* & Farinac. *q. 43. n. 130.* 4

Et

Et inquisitus, atque interrogatus, confessus fuerit delictum, debet puniri pœna de jure illi debita; quia tamen agitur de delicto proveniente ex causa fidei licèt præventus, nondumque forsan vocatus spontè comparuerit, & fassus est, ideò poterit mitiùs haberi, & condemnari ad pœnam extraordinariam arbitrio Inquisitorum. Mitiùs enim agendum est cum spontè confessis, quàm cum convictis, *cap. Presbyterum* 50. *dist.* Glossa communiter recepta *in cap. De hoc verbo, extr. de simon.* ubi Host. & ibi Panorm. *n.* 6.

CONSULTATIO XCVII.

An carceratis in S. Officio ob crimen hæresis concedi debeat Confessarius?

1 Distinguo. Aut sunt sani, aut infirmi. Si sunt sani. Prima sententia est affirmativa, idque etiamsi antea confessi non fuerint in judicio, dummodò tamen priùs absolvantur ab excommunicatione ob hæresim contracta, & Ecclesiæ reconcilientur, estque valdè probabilis; quia reorum saluti expedit, ut Deo reconcilientur, quæ reconciliatio præterea erit remedium ad reconciliationem cum Ecclesia. Et quia poterit interim Confessarius exhortari reos, ut fateantur judicialiter suos errores, ac integram veritatem tam de se, quàm de aliis, utque tædio carceris, vel spe celerioris liberationis, vel metu tormentorum sibi, vel aliis falsum crimen non imponant. Hanc sequuntur Zanardus *in director. theolog. p.* 3. *cap.* 86. Pegna, qui id benignius vocat *in direct. Inquis. p.* 2. *com.* 25. *litt. C. §. Ac primum*, ubi ex Thoma Zobbio, olim S. Inquisitionis Romanæ generalis Commissario, & *lit. item C. §. Diximus hucusque*, Sous. *in aphorism. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 15. & Diana *p.* 4. *tr.* 5. *resol.* 6.

2 Secunda sententia est negativa, eaque tenenda, scilicet non esse iis concedendum Confessarium, nisi post eorum confessionem judicialem. Hanc tradunt Simanch. *de cathol. Instit. tit.* 16. *n.* 30. ac Doctores, quos sequitur Piasec. *in prax. Episcop. p.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *n.* 7. & Instructio Toletana sub anno 1561. *cap.* 71. quia, cùm pendente inquisitione reputentur hæretici, videntur indigni tanta benignitate, & consolatione. Et hanc juxta stylum amplexa est S. Congregatio S. Officii, quæ sæpè censuit, carceratos in S. Officio, pendente eorum causa, non posse percipere Sacramenta, ut sub die 23. Decembris 1619. & sub die 12. Martii 1556. censuit, carceratos, quando sunt in confessis, posse confiteri, & absolvi in foro conscientiæ, ac sumere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Concessit nihilominùs aliquando Sanctissimus, ut Confessarii possint hujusmodi carceratos absolvere in foro conscientiæ, ut sub 21. Decembris 1601. Fuit tamen denegata hæc facultas absolvēdi eos ab hæresi 23. Novembris 1616.

3 Si verò ita sint infirmi, ut versentur in mortis periculo debet eis concedi Confessarius etiam ante eorum judicialem confessionem; quia cùm per tempus non liceat eos judicialiter examinare, & reconciliare, si verè contriti, ac parati sunt obedire mandatis Ecclesiæ, erunt sacramentaliter absolvendi, ut per Concil. Arausican. 1. *cap.* 2. his verbis: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si deest Episcopus, à presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placet.* In tali enim casu nullam esse reservationem, omnesque Sacerdotes posse quoscumque pœnitentes absolvere à quibusvis peccatis, & censuris, decernit Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de cas. reserv.* docentque Doctores communiter, ac resolvit S. Congregatio S. Officii, ut ex subjectis resolutionibus.

4 Carceratis S. Officii, qui facta suorum criminum confessione, nondum tamen publicata sententia in mortis periculum incidunt, potest administrari Eucharistia, si illam petant per modum viatici, & ostendant signa pœnitentiæ 14. Decembris 1617.

5 Carcerati in S. Officio, stante eorum adversa valetudine conceditur Confessarius, qui eos absolvat in foro conscientiæ 23. Februarii 1627.

CONSULTATIO XCVIII.

1 *An Bulla B. Pii V. si de protegendis habeat locum in iis, qui sine fractura carceris S. Officii, sed clavibus adulterinis, non odio fidei, sed pretio eduxerunt è carcere de hæresi vehementer suspectum, non tamen confessum, neque convictum.*

2 *Sin minùs, qua pœna sint puniendi tam extrahentes, ut supra, quàm mandantes, claves adulterinas conficientes scienter, earumque confectioni scienter cooperantes, contra quos proceditur in contumacia?*

3 *Qua pœna sit puniendus supradictus hæreticus judaizans, qui ut suprà fugit è carcere, & adhuc est contumax, & fugitivus?*

4 *Qua pœna sit puniendus, qui nedum mandavit dictam extractionem, sed etiam occidi proditoriè dictum extrahentem, contra quem proceditur in contumacia?*

5 *Qua pœna sint puniendi mandatarii prædicti homicidii, qui illud perpetrarunt, nedum proditoriè, sed etiam mediante pecunia, & sunt in fortiis S. Officii?*

1 Ad primum. Negativè videtur respondendum. Tum quia dicta Bulla requirit, quod id fiat in contemptum, & odium S. Officii. Tum quia non constat de hæresi, & ideò non possunt dici fautores ad tradita per Anchar. *in c. Quicumque de hær. in* 6. ubi docet, quod quando proceditur contra aliquem, ex eo quod præstitit opem, vel aliquod auxilium ad aliquod malefi.ium, oportet, quod priùs constet in processu, qui fit, contra auxiliantem mihi. Licèt enim principalis sit contumax, vel alio modo de maleficio constet contra eum, tamen hoc non nocet auxilianti, *l. denunciasse*, §. *qui in jure*, *ff. de adult.* Bartol. *in l. is, qui*, *ff. de furt.* quare in processu faciendo contra fautores, auxiliatores &c. oportet facere fidem, quod ille, cui favisse dicuntur, sit hæreticus, ut concludat inquisitio, vel processus fiat contra tales; quia auxilium non dicitur præstitum, quando non est, vel deficit maleficium, Bald. *in l.* 1. *col.* 2. *C. de ser. fug.*

2 At nihilominùs censeo habere locum. Tum quia hi frangunt carcerem S Officii, sub quibus etiam intelligitur aperiens clavibus adulterinis, aut subreptis Custodi, vel alteri, ut per Bordon. *de S. Tribun. cap.* 29. *num.* 21. Tum quia ex d. Bulla satis est, quod id fiat in causa fidei; quod respicit non solùm crimen hæresis formalis, sed etiam inducens suspicionem hæresis, vel quodcumque aliud spectans ad alterutrum, cùm non solùm hæresis, sed suspicio, & quodcumque aliud contrarium opponatur sanctæ fidei, ex quo dicitur tractari causa fidei, ut ex Zanardo tradit Caten. *p.* 2. *tit.* 13. *n.* 67. Tum denique quia sic in simili declaravit Sac. Congregatio S. Officii, in qua proposito dubio, an incidat in pœnas Bullæ *si de protegendis*, qui è manibus birruariorum arripuit carceratum ob pecuniam, die 10. Novembris 1644. decrevit coram Sanctissimo, quod inciderit, sed tamen ex benignitate Sanctissimi fuit damnatus ad triremes. Eo enim ipso, quod id fit ex pecunia, inducitur contemptus, ac dolus. Præsertim quia cùm eadem Bulla lata fuerit ob publicam utilitatem, latè interpretanda sit, ut per Doctores, quos sequitur Ricc. *to.* 1. *dec.* 74. *n.* 4. quoniam verò verba d. Bullæ videntur esse conspicua, ibi: *Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere, vel prætendere possit, quin tantùm nefas in contemptum, & odium S. Inquisitionis Officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse*, ideò pœnas in ea contentas non possunt Inquisitores inferre in quoscumque, sed solùm in eos, qui, quæ continentur in illa, commiserint ex odio, & contemptu S. Inquisitionis, secùs si ex alia causa, verbi gratia ex precibus, precio, consanguinitate, animicitia, &c. & ex ea causa se id fecisse per claras probationes demonstrent, ut per Farinac. *de hæres. qu.* 182.

qu. 182. n. 80. Sous. *in aphor. lib. 1. cap. 28. n. 9.* & Scort. *in Bull. Pontif. Epit. 106. theor. 278.* Ideò puniri possunt pœnis extraordinariis, nimirùm pecuniariis, carceris, triremium, exilio, ac similibus juxta gravitatem delicti, & conditionem personarum.

3 Ad 2. Si id commiserint in contemptum, & odium S. Inquisitionis, puniendi sunt pœnis contentis in d. Bulla, aliàs pœna arbitraria.

4 Ad 3. Videtur puniendus pœna apostatæ à fide, scilicet excommunicatione, infamia, irregularitate, privatione omnium bonorum, & jurium, & aliis pœnis contra hæreticos statutis, ut de communi testatur Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 7. num. 18.* & tradunt Canonistæ *in cap. 1. de Apost.* Et facit decretum Pauli IV. sub die ultima Aprilis 1556. Et quæ circa hanc materiam discussa fuere 26. Augusti 1627. Sed quia carceres ipse non fregerat, & in eis detinebatur propter solam suspicionem hæresis, ideò non habetur pro convicto, sed excommunicatur, si in termino sibi assignato ad ipsos carceres non redierit, & si per annum excommunicationem sustinuerit, tanquam hæreticus punietur, *cap. Contumacia de hæret. in 6.* Si autem erat convictus, dato quod fugerit, ostio aperto, citari debet ad sententiam audiendam, & si non comparuerit, condemnabitur, ut pertinax, & impœnitens.

5 Ad 4. & 5. Si hoc fecerint in offensam S. Officii, sunt puniendi, si secùs tradendi simpliciter brachio seculari, vel damnandi ad triremes in perpetuum.

CONSULTATIO XCIX.

An, & quatenus Græci schismatici possint fieri captivi, ac suis bonis expoliari à Christianis, præsertim à triremibus Religionis Hierosolymitanæ.

1 REspondeo negativè. Ratio autem est, quia sunt Christiani, atque adeò proteguntur à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. relato *in cap. Excommunicationi, de raptoribus*, quo solis Christianis expresè prospicitur; quod etiam in antiquioribus Bullis Cœnæ Domini *cap. 3.* servabatur. Quare nisi fuerint hostes nominis Christiani, non possunt fieri captivi, neque suis bonis expoliari. Et ita declarasse videtur S. Congreg. S. Officii tum aliàs, tum præcipuè sub die 12. Aprilis 1612. & 10. ac 17. Novemb. 1611. pro inquisitore Melitensi his verbis: *Inquisitor curet dimitti descendentes à Christianis novis, captos à triremibus Religionis Hierosolymitanæ, quia si christianè vivunt, & non fuerunt capti pugnantes contra Christianos, vel pyraticam exercentes, non possunt retineri tanquam servi.*

CONSULTATIO. C.

An dos, ejusque augmentum restitui debeat à viro Judæo ad fidem Christianam converso uxori in Judaismo permanenti.

1 SUppositò tanquam certum, quod inter conversum, & non conversam adhuc perseveret vinculum matrimonii antea consummati, ut præter Doctores alibi adductos, ait D. Paulus 1. *ad Corinth. cap. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Item supposito, quod restitutio dotis, ac donatio, sive augmentum dotale non debeantur, constante matrimonio, sed eo soluto nedum ex dispositione juris communis, sed etiam ex pacto, quo conceditur mulieri restitutio dotis, deficiente viro, quod importat solutionem matrimonii, sequi planè videtur, quod cùm non sit solutum vinculum matrimonii, neque sit purificata conditio pacti in instrumento dotali interpositi, non debeat conversus ad fidem constringi ad restitutionem dotis, ejusque augmenti.

Verùm quoniam dos data est ad supportandum onera matrimonii, & illius fructus sunt uxori loco alimentorum, justum sanè videtur, quod, ne mulier alimentorum privatione cogatur contra jus divinum, & humanum ad suscipiendam fidem Christianam, dos illi restituenda sit, non autem augmentum dotis; quia in isto non militat ratio alimentorum, quemadmodum in dote, & quia in isto mulier agit de lucro captando, non de damno vitando, ac permitteretur, quod mulier persistendo in Judaismo perciperet ex sua perfidia præmium, & vir pateretur pœnam immeritam pro præmio ex eo, quod conversus sit ad fidem.

Quod etiam dicendum puto etiam in casu, quo ad fidem conversus transiret ad secunda vota, sicut transire poterit ex D. Paulo *in cit. loc. Si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater in hujusmodi.* 2
Neque obstaret pactum in instrumento dotali fortè appositum, quod scilicèt si vir prævaricaretur, & uxorem duceret, sit obligatus, antequam eam ducat, restituere *chedubà*, ideſt, dotem, & ejus augmentum. Nam vel non intelligitur de casu conversionis ad fidem, quia id non est prævaricari, vel si de illo intelligeretur, non obligat in præjudicium animæ, ac Religionis. Præterea mulier Judæa sibi imputare debet, ac suæ perfidiæ, dum nolit sine contumelia Creatoris perseverare in matrimonio cum suo viro ad fidem converso, vel ipsam fidem suscipere.

CONSULTATIO CI.

An familiaris conversatio, ac litium extinctio sint causæ sufficientes ad dispensandum in primo, & secundo affinitatis gradu etiam in non Magnatibus?

1 VIdentur proculdubiò sufficientes; quia licèt Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 5. de matr.* statuat in secundo gradu non esse dispensandum, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam, attamen praxis obtinuit, ut temperetur rigor hujus juris, & dispensari soleat in favorem quorumcumque nobilium, & ob publicum commodum, ut observat Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 19. n. 14.* & frequentibus exemplis ostendit Praxis Datariæ.

2 Præsertim quia non agitur de impedimento consanguinitatis, sed affinitatis, pro cujus dispensatione minùs urgens causa desideratur, ut notat Galleg. *de cognat. spirit. c. 23. n. 1.* Rodrig. *tit. 1. Sum. cap. 238. n. 4.* Vega *tit. 2. Sum. cap. 34. cas. 167.*

3 Familiaris igitur conversatio etiam in itinere, quæ occasionem præbuit suspicandi de copula, sufficiens videtur, ut observat Sanch. *d. disp. 15. n. 10.* & admittitur de consuetudine Datariæ. Hæc enim causa operatur, ut lex ponens hoc impedimentum non sit conveniens his personis, & proindè ponit istam causam dispensandi in lege, ut tradit D. Thom. *2. 2. q. 97. art. 4. in corp.*

4 Altera quoque causa, quod matrimonium conducet ad sedandas lites, sufficere etiam videtur, præsertim si Oratores morentur in loco, ubi civiles lites facilè vertuntur in discordias personales, & proindè dispensatio conducet ad pacem, quæ est sufficiens causa pro dispensationibus matrimonialibus, ut tradit D. Thom. *2. 2. q. 67. art. 2. ad 2.* & esse justam causam dispensandi conveniunt communiter Doctores, præcipuè Palud. *in 4. dist. 40. q. un. art. 3. dub. 3.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 14. §. ult. in fin.* Rodrig. *tit. 1. Sum. cap. 237. nu. 2.* Graff. *p. 1. dec. lib. 2. cap. 81. in fin.* Abb. *in cap. Quia circan. 2. de consanguin.* Præpos. *n. 1.* Mandos. *de signat. grat. tit. dispensationes matrimoniales, v. justa causa dispensandi*, quos sequitur Sanchez *cit. disp. 19. nu. 8.* & Praxis hujusmodi causam admittit.

CONSULTATIO CII.

In quadam diœcesi plerique rustici, & mechanici sunt tenuioris fortunæ, & tamen ad gravium onerum solutionem compelluntur. Hinc est, ut media inquirant oneribus istis, & victui opportuna, multa millia utriusque sexus quotannis in partes hæreticorum proficiscuntur, & operam suam elocant talibus etiam dominis, qui diebus jejunii, Veneris, & Sabbati solummodò veritos

cibos

cibos apponi sinunt, iisque operati Catholici in defectu aliorum passim vescuntur.

1 Quæritur, *an liceat*? Idem Catholici Dominum subinde non reperiunt, nisi se obligent ad exercitium operum servilium pro diebus etiam festis.

2 Quæritur, *an propter suam paupertatem se ad illud obligare possint.*

1 AD primum respondeo, affirmativè. Et ita docent Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 18. *q.* 7. *in fin.* & Trullench. *lib.* 3. *in decal. cap.* 2. *dub.* 7. *nu.* 22. Nam, ut plurimùm est impossibile, quod servent talia præcepta, aut saltem non possunt servare absque gravi incommodo; quia servando saltem incurrerent in odium dominorum, quod ipsis notabile damnum causaret, quod subire non tenentur, ut servent ejusmodi præcepta. Nec potest intervenire scandalum, si non servent, nisi sit scandalum passivum. Nam cùm sint in aliena potestate, tenetur quisque sibi persuadere, quod necessitate compulsi non servent præcepta, & ideò excusari, ac proinde non tribuere occasionem peccati proximo. Necessitatis enim, ut dixit quidam, amarissimæ sunt leges, & truculenta imperia.

2 Est tamen primò advertendum, quod teneantur hæc præcepta observare, quando commodè possunt, nec ullum periculum adest; quia tunc non adest causa, à qua possint excusari, & ideò urgent præcepta Ecclesiæ, quæ ubique obligant.

3 Secundò est etiam advertendum, quod si cogerentur in contemptum fidei comedere cibos vetitos, aut non jejunare, tenerentur potiùs mortem subire, quàm violare præcepta. Nam violatio esset tacita quædam abjuratio fidei, & non negare Christum, est præceptum negativum, quod semper & ubique obligat.

4 Ad secundum respondeo, non posse obligari, si cogantur exercere opera servilia in diebus festis in contemptum fidei, & Religionis, docent communiter Doctores, nominatim citandi; quia potiùs deberent mortem subire, quàm facere aliquid in contemptum Religionis.

5 At posse obligari, quando, si non obligarentur, incurrerent in aliquod damnum, docent Navar. *in sum. cap.* 13. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *cap.* 27. *qu.* 4. Sayr. *in clau. reg. lib.* 7. *c.* 2. *nu.* 8. Tabien. *v. Feria n.* 28. Angel. *eod. v. nu.* 9. Caiet. *v. Festum vers. Tertiò ex necessitate*, Philiarch. *p.* 2. *de offic. Sacerd. lib.* 3. *c.* 23. Archid. *in c. Sacris, de his, quæ vi. met. caus.* Jo. Benedict. *in Sum. de peccat, lib.* 1. *c.* 10. *nu.* 3. Lopez *lib.* 1. *instr. c.* 52. Margar. *præc.* 3. D. Anton. 2. *p. tit.* 9. *c.* 7. §. *ult.* Filiuc. *tr.* 27. *c.* 11. *n.* 211. Tolet. *in Sum. lib.* 4. *c.* 25. *n.* 3. Sanch. *lib.* 5. *opusc. c.* 2. *dub.* 18. *n.* 16. & 17. Suar. *to.* 1. *de relig. lib.* 2. *c.* 33. *n.* 4. Fagund. *lib.* 1. *in præcept. Eccles. c.* 14. *n.* 7. Castropal. *p.* 2. *tr. de fest. obser. disp. un. pun.* 10. *n.* 3. *in* 7. *c. Necessitatis*, Bonac. *disp.* 5. *de* 3. *præcept. decal.* 9. *un. pun.* 3. *n.* 17. Sà *v. Festum*, Fernandez *p.* 1. *exam. theol. c.* 7. §. 1. *n.* 7. Quia generalis ratio vitandi damnum excusat etiam in hoc casu. In præsenti autem incurrerent grave damnum, quale esset, si non invenirent alios dominos in alia civitate, vel fame premerentur.

6 Hinc Catholicus inter hæreticos versans debet cibos vetitos respuere, si potest sine periculo, prætexendo aliam causam à Religione. Non tamen ad id tenetur, si nequeat respuere, quin generet suspicionem se Religionis causa respuere, indeque sibi grave periculum in vita, vel in bonis immineat. Siquidem esus talis cibi non est signum institutum ad professionem falsæ fidei, adeòque eo utens non censetur, per se loquendo, falsam fidem profiteri, sed tantùm fidem suam occultare, quod interdum licet. Dixi, per se loquendo. Nam si ad ejusmodi esum sive ab auctoritate publica, sive à privata provoceris in protestationem falsæ Religionis, vel in contemptum Ecclesiæ, aut ex ea comestione scandalum generetur in catholicis, eo quod videntes illum sine causa rationabili cibis vetitis uti suspicantur illum fidem abjecisse, ipsi ad eandem defectionem ejus exemplo provocantur, peccat mortaliter non abstinendo à cibis prohibitis.

Quinimò interdum est peccatum inter hæreticos abstinere à carnibus quando scilicèt non occurrunt circumstantiæ obligantes ad confitendam fidem, & alioqui si Catholicus abstineat, periculum est concitandi animos hæreticorum in ipsum, aliosque Catholicos, neque alius inde fructus speratur. 7

CONSULTATIO CIII.

1 *Ministri hæretici prolem fasciis involutam baptizaturi, aquam è suggestu ita communiter effundunt, ut illa fascias tantùm, rarò autem ullum infantis membrum contingat, quo casu baptismus est nullus. Quæritur proindè, an sint monendi ministri Catholici, ut sub conditione semper baptizent ab hæreticis baptizatos?*

Item, qui plerisque in locis militant pro hæreticis, quive officio aliquo funguntur, sæpe nequeunt sua obtinere stipendia, nisi probent à se subinde frequentatas conciones hæreticas, & ideò eis aliquando interesse sine scandalo, ut aiunt, cùm satis, superque constet tam orthodoxis, quàm hæterodoxis se esse Catholicos, & solummodò pro forma sese in concionibus ostendant, ac insuper sine erroris, aut hæresis periculo, cùm vel non attendant ad verba concionantis, vel aures gossypio obturent.

2 *Quæritur, an tales dum ad Sacramentum pœnitentiæ accedunt, & conciones vitare non proponunt, valeant absolvi?*

AD primum respondeo, hujusmodi pueros esse baptizandos à Catholicis sub conditione. Quando enim dubitatur, an baptismus sit malè collatus, reiteratur sub conditione, ut declaravit S. Congregatio S. Officii 25. Januarii 1607. Hinc *in cap. De quibus, de baptism.* præcipitur baptizari eos sub conditione, de quibus dubium est, an sint baptizati; quia conditio tollit, quod non iteretur Sacramentum, atque adeò excluditur irreverentia, quæ committeretur ex reiteratione. Id, quod Ecclesia approbare visa est in Rituali Romano, & Theologi communiter amplexi sunt. In hoc autem casu valdè dubitatur de vera ablutione, quæ formaliter consistit, quod aqua tangat corpus, & fluat per ipsum. 1

2 Ad secundum. Non licet ingredi templa hæreticorum, Principe talem ingressum præcipiente, ex contemptu fidei Catholicæ, vel animo pervertendi Catholicos, aut hæreticos in falsa religione confirmandi, ut in Anglia fieri solet. Tum enim viget præceptū confitendæ fidei ad defensionē honoris divini, etiam cum periculo vitæ. 2

3 Neque etiam licet adire templa hæreticorum ex intentione in cultu falsæ religionis cum illis communicandi, cùm talis cultus sit illicitus, ut patet ex dictis. Unde ille peccaret mortaliter, qui in templo Calvinistarum cœnam sumeret, aut cum iis preces funderet. Quia tamen Calvinistæ verum habent baptismum, non esset peccatum in extrema necessitate baptismum ab iis accipere, saltem cessante scandalo, & subversionis periculo. Excusantur tamen famuli, qui dominum hæreticum in Templum comitantur, ut patet exemplo Naaman, qui Domino suo ministrabat in Templo Remmon. Non tamen debent se immiscere ritibus hæreticorum, ne videantur eos approbare. 3

Et quamquam ingressus in templum hæreticorum non sit per se loquendo illicitus, si fiat animo audiendi eorum concionem, ut ipsorum doctrina melius percepta fundamenta, quibus innititur, accuratiùs convellantur; secùs tamen si ille ingressus conjunctus est cum scandalo, ut plerumque contingit, aut cum periculo propriæ subversionis. Ideò in hac specie respondeo negativè; quia versantur in statu reprobo, nimirum peccati mortalis. Idque etiamsi protestentur, se id facere, ut suo Principi obediant, & non ut falsam hæreticorum sectam profiteantur, Suarez *in defens. fid. cathol. lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 16. 4

*num.*16. Azor. *tom.*3. *lib.*1. *c.*7. *q.*2. dum inquit, Catholicis non licere hæreticorum Ecclesias adire, preces, conciones, &c. subdens jam esse usu receptum, quod hæreticorum rituum frequentatio propè ab omnibus habeatur pro signo distinctivo, quo hæretici à Catholicis discernuntur, ac Sanchez *lib.*2. *moral. c.*4. *num.*27 ubi asserit, id nullatenus licere, sed potiùs mortem subeundam; quod communi consensu multi viri doctissimi à Catholicis consulti subscripserunt, & Paulus V. in quodam suo diplomate declaravit, non licere Catholicis hæretieorum Templa adire, monens, atq; obtestans Catholicos, ne ullo modo eorum conciones audiant, aut cum eis in ritibus communicent, ne Dei iram incurrant, neque licere id facere sine detrimento divini cultus, & salutis æternæ. Quibus verbis satis apertè Summus Pontifex declarat, quod tales actus sunt mali, deformes, & illiciti, ideòque prohibeantur, & Catholici si aliter fecerint, mortaliter peccabunt. Ut ita tandem declaravit etiam S. Congregatio S. Officii, & Catholico Scoto officiali petenti, concedi facultatem, ut à suo Confessario absolvatur, quatenus ratione Officii sibi contingeret hæreticorum conciones, & Ecclesias adire, nihil concessit 22. Januarii 1609. Quinimò aliàs scripsit Nunciis Apostolicis Galliæ, Germaniæ, ac Poloniæ, quod facultate concedendi licentiam Missionariis, ut interfint concionibus hæreticorum, parcissimè utantur, & plenè observatis conditionibus in literis scriptis 27. Januarii 1624. præsertim illa, quod in continenti confutare debeant hæreses, qui hæreticorum conciones audiunt intelligi debeat in latitudine ejusdem diei tantùm, ut sub die 15. Maii 1625.

5 Ratio autem est. Tum quia exponerent se gravi, ac probabili periculo recedendi à fide catholica; quod in compluribus experientia sæpè docuit. Tum etiam quia in hujusmodi regionibus Catholici ab hæreticis discernuntur in hoc, quod Catholici hæreticotum Templa, & conciones non adeunt.

CONSULTATIO CIV.

MUlti hæretici convertuntur ad fidem, inter quos non pauci sunt conjugati, altero conjuge perseverante in hæresi, conjugati, inquam, ritu tantùm hæretico, ideòque invalido, cùm in illis partibus publicatum sit decretum S. Concilii Tridentini. Pars conversa cupit matrimonium renovare secundùm formam ejusdem decreti Tridentini, at compartem hæreticam, à qua separari moraliter impossibile est, nullatenus potest inducere, ut coram Parocho compareat.

Quæritur quid Pastores catholici cum tali agere debeant, & speciatim, an conjugem bonæ voluntatis ad usum Sacramentorum possint admittere?

1 REspondeo, si in dictis locis non fuerit publicatum decretum Concilii Trident. *de reform. matr. c.*1. matrimonium, & ritu hæretico celebratum, validum est, ut declaravit Sac Congregatio Concilii in Bisuntina 26. Junii 1598. ac proinde Pastores Catholici poterint admittere ad Sacramenta alterum conjugem conversum ad fidem, dummodò vivat in matrimonio sine contumelia Creatoris.

2 Si verò in iis locis fuerit publicatum, & ejus forma non fuerit in ejusmodi matrimoniis observata, matrimonia sunt nulla. Nam hæretici quoque, ubi decretum dicti *c.*1. est publicatum, tenentur talem formam observare, & propterea etiam ipsorum matrimonia absq; forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita sunt juxta declarationem S. Congreg. Concilii transmissam Episcopo Tricaric. Nuncio Apostolico apud inferiorem Germaniam, quam refert præter alios Zypæus *in annal. jur. Pontif. lib.*4. *tit. de spons. n.*16. & nos alibi. Quare in hoc casu conjux conversus non potest admitti ad Sacramenta, nisi priùs separetur, cùm vivat in assiduo concubinatu.

CONSULTATIO CV.

An concedenda sit facultas dispensandi in matrimonio rato, & non consummato ad hoc, ut primi conjuges possint ad secunda transire vota, si periculosa, & impacata prævideatur cohabitatio futura, seu lapsus in hæresim?

REspondeo. Potest ejusmodi facultas concedi; quia 1
in matrimoniis ratis, & non consummatis potest Pontifex ex causa authoritate ordinaria dispensare, ut cum Canonistis, ac Theologis ostendi *tom.*1. Hîc autem videtur adesse causa concernens bonum publicum, nempè pax catholicorum, & sinceritas fidei catholicæ in illis partibus.

At nihilominus S. Congregatio S. Officii 1635. respon- 2
dit, matrimonium ratum non consummatum cum hæretico, & hæretica esse validum, & idcircò non esse concedendam mulieri dispensationem alteri nubendi. Ergo multò minus concedenda est in matrimoniis ratis, non consummatis Catholicorũ Quare consulendam esse censeo Sedem Apostolicam in casibus particularibus, quæ examinando causas dispensationis ejusmodi, ac illas approbando, non nisi rarò in iis dispensabit, cùm non expediat, ut Ecclesia in hac materia relaxet habenas, ut monet Boich. *in c. fin. de spons. duor* & Jo. Andr *in c. Ex publico de conv. conjug.*

CONSULTATIO CVI.

An concedi possit, ac debeat dispensatio conjunctis in primo gradu affinitatis, in secundo consanguinitatis, & in tertio pariter consanguinitatis cum compaternitate?

CAusæ sunt copula inter eos sequuta, & scandalum 1
imminens honoris, & periculum vitæ nisi utrumque reparetur matrimonio, nobilitas, & paupertas mulieris, quæ nullum alium inveniet maritum, periculum incontinentiæ, & fornicationis cum ambo sint juvenes, & maximo amore inter se conjuncti. Et exinde timor, quod transeant ad partes hæreticorum, qui sunt contermini eorum patriæ, ut ibidem cum honore, & quiete contrahant matrimonium. Prætereà vir, qui est vir insignis, & militat contra hæreticos, offert eleemosynam scutorum pro obtinenda dispensatione præfata.

Censeo respondendum affirmativè, scilicet causas præ- 2
fatas esse sufficientes, atque adeò committendum Nuncio sive Ordinario, ut veris existentibus narratis, præsertim quod mulier virum sibi parem reperire non possit, cum hujusmodi conjunctis super præfatis impedimentis dispenset. Ratio autem est, quia licèt, ut alibi dixi, Concilium Trid. *sess.*24 *cap.*5 *de ref. matr.* decernat in secundo gradu non esse dispensandum, nisi inter Magnos Principes & ob publicam causam, attamen praxis obtinuit, ut temperetur rigor hujus juris, & dispensari soleat in favorem quorumcumque nobilium, & ob privatum commodum, ut observat Sanchez *de matr. lib.*8. *disp.*19. *nu.*4. & frequentibus exemplis ostendit praxis Datariæ. Præsertim quia non agitur de impedimento primi gradus consanguinitatis, sed affinitatis, pro cujus dispensatione minus urgens causa desideratur, ut notant Galleg *de cognat. spirit. c.*23. *n.*1. alii apud Sanchez *loc. alleg. n.*7.

Evitationem igitur scandalorum ex copula sequuta esse 3
sufficientem causam dispensationis docet cum Navarro, & aliis Sanch. *ubi sup. n.*4. & 9. ubi esse hanc justam dispensandi causam etiam ante matrimonii contractum. Ad quam causam reducit cum D. Thoma evitationem alicujus magni delicti, ut in hoc casu, in quo timetur transitus ad partes hæreticorum. Item esse nobilitatem *ibid. nu.*6. ac paupertatem mulieris eo loco *à n.*16. *ibid.*

Quod quidem confirmatur à S. Congregatione S Of- 4
ficii, quæ licèt aliquando hujusmodi dispensationes denegaverit, sæpius tamen eas concessit, ut ex subjectis exemplis. Quidam in Germania dispensatur, ut matri-

monium cum sorore uterinâ primæ ejus uxoris defunctæ contrahere possit 8. Augusti 1607.

4 Nobilis Cameracensis petens dispensari ad matrimonium contrahendum cum sorore germana uxoris suæ præfunctæ, adducens copulam carnalem, & prolem ex ea suscepram, periculum inimicitiarum inter consanguineos utriusque partis, læsionem existimationis ipsius fœminæ, periculum, ne ipsa ad hæreticos divertaret, hæreticoque nuberet. Quo casu, si fratres ipsius in bello contra Regem Daniæ obierint, diversa feuda ad hæreticos devolverentur. His omnibus coram Nuncio Poloniæ probatis, Sanctissimus mandavit, committi Nuncio Coloniæ, qui cum Oratoribus dispenset, ut matrimonium inter se contrahere possint, non obstante impedimento primi gradus affinitatis prolemque susceptam, & suscipiendam legitimam declaret, mandavitque expediri Breve, in quo dictæ causæ exprimantur 20. Junii 1628.

5 Quod si præfatis causis adderetur alia, nempè pro indotata, ob quam in Dataria in primo & secundo gradu cum absolutione concedi solet dispensatio, ita tamen, ut integrè mulier competenter dotetur, faciliùs poterit cum ejusmodi conjunctis dispensari, ut constat ex praxi Datariæ.

CONSULTATIO CVII.

Supposito privilegio, quod pro maleficiis non confiscentur bona deliquentium, nisi pro delictis læsa majestatis divinæ, vel humanæ. Quæritur,

1 *An fautoribus, qui ex Constitutione B. Pii V. Si de protegendis, declarantur rei læsæ majestatis in primo capite possint confiscari bona?* Difficultas exinde est, quod hujusmodi pœna non provenit ex jure communi, sed ex Constitutione speciali. Et in hujusmodi difficultate Vermigl. *cons.* 1. consuluit pro negativa.

2 *An dicti fautores declarati excommunicati, si per annum insorduerint in excommunicatione, efficiantur hæretici, itaut eorum bona confiscari valeant?*

3 *Et, an, pendente anno excommunicationis, possit Fiscus describere bona dictorum fautorum, ut, elapso termino insordescentiæ, eorum bona confiscare valeat?*

1 AD primum. Negativam tuentur plures, quos sequitur Farinac. *de hæres. q.* 190. *nu.* 26. & Sousa *in aphor. lib.* 3. *c.* 9. *num.* 10. Moventur ex eo quod nullo jure hujusmodi pœna contra prædictos reperitur expressa. Et proinde non sunt illa afficiendi, maxime cum locum non habeat, nisi in casibus à jure expressis ut per Clar. *q.* 78. *n.* 5 & Farinac. *q* 193. *n.* 120.

2 Contrarium deferunt Gloss. *in c. si adversus, v. auxilium de hæret.* ibique Hostiensis *n.* 1. & alii, quos sequitur Decianus *tr. cr. lib.* 5. *c.* 51. *n.* 79. Et habetur ex Constitutione Friderici Imperatoris, quæ incipit, *Patarenorum*, apud Pegnam *ad Eymeric.* inter literas Apostolicas pagina *mihi* 15. ibi: *Patarenorum receptatores, & complices, & quocunque modo fautores, qui, ut à pœna alios possint eximere, de se velut improvidi, non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus.* Hinc aliqui, quos sequitur Cantara *in quæst. crim. rubr. de hæres.* 1. *nu.* 55. aiunt, quod non sint ipso jure publicata, sed sint solùm publicanda. Quod novissimè tenet Delben. *de offic. S. Inquisitionis p.* 1. *dub.* 26 *corol.* 2. *n.* 13.

3 An nihilominùs in terminis Constitutionis Pii V. *Si de protegendis* affirmativè respondendum censeo. Ita enim ibi luculenter habetur: *sive aliàs auxilium, consilium, aut favorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit &c. Sit læsæ majestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, aut quocunque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso privatus, secularis Judicis arbitrio, relinquatur, qui de eo illas pœnas exigit, quæ damnatis primo capite dictæ legis per Constitutiones legitimas irrogantur. Bonis, rebusque omnibus Fisci juribus applicatis, uti etiam est de damnatis hæreticis per Sanctiones Canonicas constitutum.* Quæ verba ita sunt perspicua, ut nullam dubitationem admittant.

Oportet tamen, quod hæc Constitutio fuerit publicata; nam ubi non est publicata, non ita afficit, quoad omnes pœnas in ea contentas, ut declaravit S. Congregatio S. Officii sub diebus 8. & 12. Aprilis 1604. & 12. Maii ejusdem anni. Quandoquidem certum est, & de fide, Summum Pontificem habere potestatem immediatè à Christo condendi leges obligantes omnes, ut est definitum in pluribus Conciliis, præcipuè *in Trid. sess.* 6. *c.* 20. *& sess.* 14. *cap* 7. In Lugdunensi relato *in cap. Ut periculum de elect.* & in Florentino in literis unionis. Aliàs non posset Ecclesia dirigi in suum finem per congrua media. Unde Bordon. *de Sacr. Trid. c.* 29. *n* 1 *in fin.* advertit, hanc Pii Constitutionem semper fuisse, ac modò esse in viridi observantia quoad censuras & pœnas læsæ Majestatis, quando excessus sunt graves, & magni momenti, in aliis verò pœnæ mitigantur, attentis circumstantiis delicti, ac personarum. Et quidam fautores cujusdam hæretici pertinacis fuerunt puniti pœna triremium per decennium, quia in loco commissi delicti non erat publicata Constitutio *Si de protegendis* ut ex declaratione 8. April. 1604. Quinq; finita causa fuerunt remissi Curiæ seculari, à qua fuerunt habiti 12. Aprilis ejusdem anni. 4

Ad 2 Etiam affirmativè. Debent enim ipso jure haberi tanquam hæretici per textum *in cap Ut Inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in* 6. Et per *auth Gazaros, C. de hæret.* Gloss. *in c. Excommunicamus* 1. *eod. tit. v. Condemnetur*, ubi Host. *n.* 7. & 8. Abb. *n.* 11. Soc. *n.* 14 Butr. *n.* 4. Jo. Andr. *n.* 4. Anchar. *nu. item* 4. & Anan. *nu.* 6. idem Host. *in sum. de hær. §. qu. liter deprehendantur n.* 1. Directorium Inquisit. *p.* 2. *q.* 47. *n.* 3. *& q.* 53. *n.* 1. & Repertor. *v Excommunicare v. Item fautores*, ac disponitur in citata Constitutione Pii V. verbis illis: *Bonis, rebusque omnibus Fisci juribus applicatis, u. i etiam est de damnatis hæreticis per Sanctiones canonicas constitutum.* Requiritur tamen ad hunc effectum sententia declaratoria, prævia citatione ad se purgandum de vehementi Pegn. *in Direct. p.* 3. *tit. de* 13. *modo termin proces.* & Gonzal *gloss.* 15. *n.* 101. 5

Ad 3. Pariter affirmativè. Fit enim hæc descriptio, ut notitia rerum habeatur, atque adeò fieri potest, lite pendente, ut inquit Angel. *in l. si quis, C. de bon. præscr.* Chassan. *super Consuet. Burgund. rubr.* 2. *de confiscat. num.* 12. & Guazzin. *de confiscat. oncl.* 5 *nu.* 1. *& seq.* Item ne in detrimentum fisci bona aliqua occultentur, aut surripiantur, ut per Gomez *ad l.* 76. *Tauri n.* 7. *& de delict. c.* 9. *n.* 2. ac per Clar. *§. fin q.* 44. *nu.* 2. *& seqq* & ideò fieri potest in omnibus iis casibus, in quibus confiscatio locum habitura est ut per Sousam *in aphor. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 2. 6

CONSULTATIO CVIII.

An casus sententiæ, quæ tantùm declarat, Inquisitionem S. Officii non esse Judicem competentem, comprehendantur in Constitutione 22. S. M. Pii V. quæ incipit, inter multiplices?

PRo recto sensu hujus Constitutionis assequendo, sciendum est, quod in causis criminalibus reus potest absolvi vel cum sententia diffinitiva tanquam innocens, vel cum sententia interlocutoria tanquam non repertus culpabilis ex hactenus deductis, ut per Jas. *in l. ne quidquam, §. ubi decretum ff. de offic. Proconsul.* 1

In priori casu. Si fiscus non appellat, sententia transit in judicatum, adeò ut supervenientibus novis indiciis, ac novis probationibus, nequit iterùm causa cognosci, etiamsi prima sententia modis illicitis, ac falsis testibus fuisset obtenta, sicuti videre est apud Farinac. *tot. q.* 4. *de inquisit.* 2

In posteriori autem casu, causa iterùm cognosci non potest, nisi supervenerint novæ probationes. Ideòque, ne aut- 3

ne au feratur Judici potestas procedendi, supervenientibus novis probationibus, in more nunc positum est ut Rei non amplius absolvantur tanquam innocentes, sed solùm ex hactenus deductis, testante Farinacio *loco citato*.

4 Verùm quia dubitari poterat, utrum in causis hæresis hæc locum haberent; cumq; hac super re variæ Doctorum essent opiniones, ut constat ex Farinac *q* 185.§ 13.*n*. 197. ideò B. Pius V. ut dirimeret controversias, omnemve Jurisperitorum dubietatem, & altercationem tolleret, hanc publicavit Constitutionem in qua primùm decrevit, sententias prolatas in causa hæresis non transire in judicatum. Deinde sancivit, easdem sententias posse recognosci tum antiquarum tum novarum probationum vigore, quæ adducentur, uti si dictæ sententiæ non emanassent; præcipuè si nova supervenerint indicia in eadem specie, vel alterius hæresis aut si constiterit, sententias malis artibus extortas fuisse.

5 Itaque plures, ac varii casus considerandi sunt. Primus, an vigore hujus Constitutionis possit cum solis antiquis probationibus iterum sententia cognosci, absque novis indiciis, & probationibus. Quo in casu omnes ferè Doctores, qui in hanc rem scripserunt etiam post præfatam Constitutionem, tenent requiri necessariò nova indicia. Ita Pegna *in direct. p* 3. *Comm*. 37. cujus hæc sunt verba: *Atque ex his penitùs refellitur opinio Corradi Bruni lib*. 4. *de hæret. c*. 8. *in fin. asserentis, hæretico prodesse exceptionem rei judicatæ. Nullis ergo diffinitivarum absolutoriarum sententiarum exceptionibus obstantibus, quoties novæ probationes, aut indicia accesserint, de eodē crimine inquisitio, & condemnatio fieri potest*. Farin. *d*. *q* 185. *n*. 197. inquiens: *Verius tamen videtur in eodem hæresis crimine sententiam absolutoriam ad favorem rei inquisiti, etiam ut innocentis latam, & sic diffinitivam, nunquam transire in judicatum, & propterea sic absolutum posse iterùm de eadem hæresi inquiri, & molestari novis supervenientibus indiciis*. Eadem planè habent Simancha, Sousa, Masinus, Zanardus, Scaccia, Castropalaus, relati à Carena *p*. 3. *tit*. 11 §. 5. qui rectè notant, quod omnes concludunt, absolutum in hoc crimine, superveniente plena probatione, non posse se tueri exceptione rei judicatæ. Quibus subscribit Bordon. *de Sacr. Trib. c* 37. *nu* 13. esseque praxim Inquisitionis Hispanicæ, testatur Diana *p* 4. *tract*. 8. *resol*. 10 referens verba Instructionum Hispalensis, & Toletanæ.

6 Secundus casus est, an accedentibus novis probationibus possint cum ipsis cumulari antiquæ, ex quibus reus fuit absolutus. Et sanè Doctores in hoc conveniunt, dicuntque ablato privilegio rei judicatæ remanere integras probationes antiquas, & cum novis cumulari, ut Pegna *d*. *p*. *comm*. 92. *vers*. *Quod si fortassis*, Farinac *cit*. *q*. 185. §. 12. *n*. 200. Sous. *in aphor. lib*. 2 *c*. 36. *nu* 31. Castropal. *disp*. 8. *punct*. 11. *n*. 10. Diana *ea resol*. 10 Caren. *alleg*. §. 5. qui tamen id limitat, quando priores probationes fuissent purgatæ per torturam.

7 Tertius casus est, de quo agimus. Et non comprehendi in prædicta Constitutione asserendum videtur. Quia non sumus in sententia absolutoria, sive condemnatoria Rei, sed in sententia, quæ declarat Inquisitionem non esse Judicem competentem in causa. Tum etiam quia Constitutio loquitur tantùm de sententiis absolutoriis, etiam ex capite innocentiæ, nec non de declaratoriis ad favorem Rei, quibus præcessit canonica purgatio. Atque adeò decidendus est hic casus juxta dispositionem juris communis. Jus autem commune disponit, quod, quando Judex declaratus est incompetens, non potest amplius reassumere suam jurisdictionem in eadem causa, si Judex est delegatus, sicuti tradunt Doctores *in l. quod invit. ff. de re jud. & in c. Cum cessante de appell*.

8 Neque obstat, quod si exigerentur novæ probationes ad iterùm recognoscendum causas hæresis, nullo ipsæ fruerentur privilegio, & Constitutio Pii esset inanis. Nam primò Constitutio nimis profectò operatur, cùm abstulerit è medio privilegium rei judicatæ, cujus virtute, quando quis absolvitur, tanquam innocens, nequit amplius molestari, etiam novis supervenientibus indiciis, *leg. res, ff. de reg. jur*. Quia facit jus irretractabile inter partes, *l. eleganter*, §. *si quis ff. de condit. indeb*. Craver. *cons*. 10. *nu*. 7 Paris. *cons*. 23 *nu*. 218. Secundò operatur, quia tribuit facultatem coacervandi antiquas novis probationibus. Quod videtur ratione planè contrarium; quando enim Constitutio aliquem sortitur effectum, dici non potest inanis.

CONSULTATIO CIX.

An juramentum præstari solitum ab Alumnis Collegii de propaganda fide, scilicet non assumendi statutum religiosum, donec in ipso Collegio maneant, nec postquam ab eo exierint ante elapsum triennium sine Sedis Apostolicæ licentia, sit licitum, validumque? Ubi de munere Clericorum & Regularium haud pauca.

1 Esse illicitum, ac invalidum suaderi potest. Primò, quia videtur, quod juramentum istud sit melioris boni impeditivum. Secundò, quia finis hujusmodi juramenti, nimirum propagatio fidei per Alumnos facienda facilè haberi potest per eosdem, si religionem ingrediantur, atque adeò neque licitum, neque rationabile censendum est. Non enim licitè, & rationabiliter absque necessaria causa aliquis impediendus est à consecutione majoris profectus spiritualis, cujusmodi est cooperatio ad conversionem animatum, unà cum observatione consiliorum Evangelicorum. Institutum enim religiosum non opponitur instituto Sacrarum missionum.

2 Ut verò perfectiùs difficultas enodetur, supponendum est, non esse præstandum aliquod juramentum, præsertim solemne, cujusmodi est præsens, absque rationabili, & discreta causa, ut cum D. Thoma 2. 2. *quæst*. 89. *artic*. 3. docent Theologi ex illo Hieremiæ 4. *Jurabis, vivit Dominus in judicio discretionis*. Hæc autem causa desumenda est à fine, ob quem institutum fuit Collegium, qui non potest esse alius, quàm propagatio fidei in universo Orbe terrarum per ejus Alumnos facienda. Quare advertimus, hîc non dubitari præcisè, num Alumni juramentum hoc præstantes teneantur ad executionem eorum, quæ promittunt, præsertim cùm videatur intercedere pactum inter ipsos, & S. Congregationem de propaganda fide, sed num ipsa S. Congregatio justè, ac rationabiliter possit illos adstringere ad hoc juramentum præstandum.

3 Hoc itaque sic constituto, resolvendum est juramentum hujusmodi licitum esse, ac validum ex mente Navarri, Azorii, Fagundez, Laymani, & aliorum, quos sequitur Lezan *consulto* 19 quod edidit de hac re, quibus suffragatur *c. Commissum, de sponsal*. Nam si accipiatur in vim voti facti Deo, est de meliori bono. Melius enim est toti Ecclesiæ servire, prædicando Evangelium infidelibus, & in eo munere exponendo vitam periculo martyrii, quàm profiteri quamcumque Religionem. Si verò accipiatur in vim juramenti præ iti, est de opere honesto, & per modum contractus, seu pacti oneroſi de alendis dictis Alumnis in suis studiis. Tale enim juramentum semper obligat, nec potest arbitrio jurantis in aliud opus, quamquam meliùs, commutari juxta *c. Quamvis pactum, de pact. in 6. & cap. Cum contingat, de jurejur*. ac communem Doctorum sententiam.

4 Ex his principiis evincitur, falsum esse, quod hoc juramentum sit melioris boni impeditivum. Exploratum enim est, quod promissio facta Deo pro conversione infidelium, ac hæreticorum ad fidem catholicam, multò præstantior sit, quàm votum Religionis, quodque opus hoc cum discrimine vitæ ac probabili sanguinis effusione pro Christo, bonoque multorum perfectius sit, quàm tota austeritas religiosa pro merito particularis personæ, contineatque actum perfectæ charitatis, ac sit operum divinorum divinissimum ex D. Dionysio *de divin. nomin.*

nomin. Quis enim alius fuit finis omnium laborum Christi? Quis alius profusi pretiosissimi sanguinis scopus? Quis Crucis, ac mortis ejus fructus, nisi salus animarum? Quam præclara verò res est adimplere ea, quæ desunt passionibus Christi in carne sua pro corpore ejus, quod est Ecclesia, & in tam præcellenti opere Dei cooperatores existere, quo nihil in terris nobilius cogitari potest, neque gratius Deo Sacrificium offerre.

5 Quo item modo eliditur, quod addebatur de æquali consecutione finis ab ingressuris Religionem. Non enim inficior, aliquando expedire, ut Missus sit alicujus Ordinis; sed neque etiam negandum est, quin possit etiam esse valdè necessarium quod idem aliquoties debeat esse secularis ita, ut juxta disparitatem locorum requiratur diversitas personarum. In hoc enim eventu cum discretione pro majori utilitate Missionis, & ipsiusmet Missi dabitur, vel negabitur licentia apposita. Quare licet verum sit, quod cæteris paribus, simpliciter loquendo, status Religionis est melior statu seculari, in hoc tamen casu secùs censendum est, cùm non semper expediat, Missum esse Religiosum; nec finis à S. Congregatione intentus possit ita facilè haberi per Alumnos, si Religiosi fiant. Nam non adeò expediti essent sub ejus immediato dominio, & potestate, nec ita facilè possent ad aliqua loca hæreticorum mitti, in quibus necessaria maximè videtur Evangelii prædicatio ab ipsis facienda absque impedimento, quod emergere posset ex assumptione status regularis. Etenim nemo sanæ mentis dubitat, Regularem ob varias Ordinis distractiones sæpè inermem, ac imparatum esse ad exequendum, quod in juramento promisit, eo vel maximè, quia potestati sui Superioris sit perpetuò subjectus per obedientiæ votum. Quam ob rem non erit in voluntate subditi pergere ad Missionem, nec in S. Congregationis facultate illum ad eandem destinare, cùm prompta id requireret occasio: quo tempore forsitan artibus sui Superioris mora, ac impedimentum prætexeretur, ut cuilibet opportunitati exeundi obex ponatur, quod experientia fortè comprobatum est.

6 Atque idcircò præstatur id juramentum cum limitatione non ingrediendi Religionem absque licentia Sedis Apostolicæ, cujus arbitrio discutiendum, ac resolvendum relinquitur, cui, & quando expediat eam concedere; quando verò non expediat, aut oporteat eam denegare, dependet prorsus ex inspectione cujuslibet casus particularis, attenta qualitate, & habilitate Alumni, qui eam petit; conditione, & commoditate Regionis, ad quam mittitur; utilitate, & ubertate fructus, qui speratur ex tali Alumno in statu seculari, vel regulari, & indigentia, aut opportunitate ipsius Sanctæ Sedis, sive S. Congregationis in eo destinando ad unum, vel alium locum, & prout istiusmodi aliæ circumstantiæ requirunt.

7 Et sanè quamvis nullus omninò, qui talentum aliquod à Domino accepit, à procuranda salute proximi excludatur; unicuique enim Deus mandavit de proximo suo non solùm in corporali necessitate, sed vel maximè in spirituali juvando; attamen nemini dubium esse potest, quin cura adducendi oves ad ovile Christi, easq; pascendi, & dirigendi in primis ex officio conveniat Summo Pontifici, qui utpotè Vicarius Christi, & Successor D. Petri, Universalis omnium Pastor est. Huic namque in Petro dictum à Christo: *Si diligis me, pasce oves meas, pasce agnos meos.* Id est non solùm ovium, hoc est Pastorum, & Episcoporum, qui alios mihi gignunt, & lucrantur, sed etiam agnorum, idest quorumcumq; aliorum fidelium, qui nec dum alios lucrifacere norunt, curam habe. In eis colligendis, adducendis ad ovile, revocandis, sanandis, pascendis, curandis, & dirigendis, quod me verè ames, declarabis. Similiter Petro ostenso linteo quatuor initiis cœlitùs demisso, in quo erant omnia quadrupeda, & serpentia Terræ, & volatilia Cœli *Act.* 10. dictum est: *Surge, occide, & manduca.* Spiritualiter interfice in his immundis gentilibus per quatuor Orbis partes dispersis vitam præteritam, & fac, ut transeant in corpus Ecclesiæ, in quo novam vitam sortiantur. Tu tanquam caput Ecclesiæ infideles converte, ex non ovibus oves fac, & Ecclesiæ membra effice; quod in Concilio, ejusque familia statim fieri, cœptum est. Soli quoque Petro, & ejus Successoribus competit ducere in altum, mittere Prædicatores per Universum Mundum, aliisq; cooperatoribus simul cum Petro mandatur, ut laxent retia in capturam. Quibus & ante dictum fuerat: *venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc Petri officium omnes Sancti Patres agnoverunt. Hoc sibi propriè competere Petri successores quovis tempore declararunt cùm Episcopos, & Pastores quaquaversum miserunt, & de gentium conversione soliciti per omnes Orbis partes prædicatores destinarunt, qui in difficultatibus ad Successorem Petri recursum habuerunt, adeòut etiam legamus D. Paulum, qui à Deo non per hominem vocatus erat Apostolus, voluisse ascendere Hierosolymam, ut videret Petrum, & conferret cum eo Evangelium, quod prædicabat in Gentibus, ne fortè in vanum curreret, aut cucurrisset, *ad Gal.* 1. & 2.

8 Ad Episcopos quoq; à Petri successore legitimè constitutos vel missos, curam convertendi animas, & propagandæ fidei ex officio spectare manifestum est. Sunt enim Successores Apostolorum, quos Christus Dominus piscatores hominum constituit, & sunt à Principe Pastorum in partem solicitudinis vocati, mandatumq; habent attendere sibi, *& universo gregi, in quo Spiritus Sanctus ipsos constituit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ad Tit.* 1. Ipsorum est ordinare, & constituere per Civitates Presbyteros, & animarum Curatores, qui secundùm gratiam sibi per impositionem manuum datam collaborent Sancto Evangelio, errantes adducant, vel reducant stantes conservent, gregem sibi commissum curent.

9 His subserviunt in suo Ordine Diaconi, Subdiaconi, aliiq; inferioris Ordinis ministri, in quibus appareat Ordo Ecclesiæ hierarchicus, & pulcherrima politia, ratione cujus Ecclesia dici potest, ut Castrorum acies ordinata. Hunc Ordinem clarè commendat D. Paulus ad *Ephes.* 4. dicens: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, ad ædificationem Corporis Christi.*

10 Hierarchicum hunc Ordinem in Ecclesia à Christo & Apostolis institutum ostendit, & commendat S. Ignatius, Antiochenus Episcopus, scribens Philadelphis, Magnesiis, Smirnensibus, Philippensibus, ac præcipuè Ephesiis, ac Trallianis, ad quos ita ait: *Enitimini, charissimi, subjecti esse Episcopo, & Presbyteris, & Diaconis. Qui enim his obedit, obedit Christo qui hos constituit. Qui his reluctatur, reluctatur Christo Jesu. Episcopo enim subjecti estis, velut Domino, sed & Presbyteris subjecti estis, ut Christi Apostolis &c.* Et infrà in Parochorum dignitatem hæc habet: *Quid verò Sacerdotium est aliud, quàm sacer cœtus, consiliarii, & assessores Episcoporum? Qui his igitur non obedit, atheus & impurus est, & Christum contemnit, & Constitutionem ejus imminuit.* Et ad Smirnenses: *Non licet,* inquit, *sine Episcopo baptizare, vel offerre, neque sacrificium immolare. Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.* Similia legere est apud S. Dionysium Areopagitam *de Eccles. hierarc.* & alios Sanctos Patres.

11 Neque ulli veterum in Ordine hoc hierarchico alios agnoverunt, quam Clericos, per quos à tempore Apostolorum, & multò post Ecclesia Dei aucta, conservata, & directa est, itaut etiam Monachi sub directione Episcoporum, & Presbyterorum fuerint. Assumpti tamen sunt posteà aliqui ex Monachis ad Clericalem Ordinem, quorum vita, & excellens doctrina id merebatur. Unde Hieronymus ad Rusticum *Ep.* 4 sic inquit: *Vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.* Et infrà: *Multo tempore disce, qua postmodum doceas; quod si populus, vel Episcopus*

scopus te in Clericum elegerit, age ea, quæ Clerici sunt. Ex quibus constat, Monachis ex primævo instituto, & ut Monachi sunt, onus curæ animarum, vel propagandæ fidei ex officio non convenire. Quamvis teneantur communi omnibus Christianis obligatione pro suo modulo promovere negotium salutis animarum, orando, pietatis exempla præbendo, &, cùm occasio se offert, monita salutis proximis dando. Sicut etiam in suo Ordine Reges, & Principes Domino servire tenentur ad propagationem fidei authoritate sua, potentia, & mediis temporalibus Ecclesiæ cooperando, & impedire volentes compescendo. Ex officio nihilominus id incumbit Episcopis, Pastoribus, aliisque Clericis, qui ab iis ad hoc munus ordinantur, & destinantur. Hi enim sunt successores Apostolorum, & septuaginta duo Discipulorum, quibus Dominus dixit: *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Et: *Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hi sunt, de quibus Dominus apud Prophetam *Jerem. 6.* ait: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos. Et post hoc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.*

12 Et quidem trecentis plus, minusve annis à Christo nato fides propagata est, & animarum cura habita per solos Clericos usque dum in Oriente S. Basilius, in Occidente Eusebius Vercellensis Episcopus, S. Martinus in Gallia, & B. Ambrosius Mediolani, S. Augustinus in Africa quosdam ex Clericis suis monasticis exercitiis simul imbuerent, iisque probè excitatis, ac ad Diaconatum, vel Sacerdotium, aut etiam Episcopatum promotis, curam animarum committerent. Idq; collabescente jam in Clericis Apostolicæ vitæ rigore; nam primis temporibus vix ulla fuit inter modum videndi regularium Sacerdotum, & secularium differentia, ut patet ex Concilio Aquisgranensi sub Stephano Papa V. & 12. *q.* 1. *cap. Clericus cum cc. seqq* Sed crescente numero fidelium, cum Clerici minus oneribus sufficerent, Monachi quidam ad Clericalem Ordinem, & Sacerdotium promoti, & tanquam coadjutores sunt assumpti, cùm nimirùm laborantibus Clericis in remigando, & piscando rumpebatur rete propter exorientes hæreses, & schismata circa tempora Constantini Magni, & propter multitudinem piscium copiosam, tunc enim annuerunt Clerici Religiosis sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. compatiendo animarum periculis.

13 Multò magis verò aucta tempestate novissimis temporibus ex multiplicatione peccatorum, numerositate rudium populorum, hæreticorum seductione, raritate bonorum, difficultate regendi, insufficientia Prælatorum, perplexitate casuum emergentium, ac aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis eventibus, Sedes Apostolica, ad obviandum præfatis periculis remedium animabus administrando, Religiosos quosdam Ordines approbavit, qui officio prædicationis, & confessionis sibi commisso, subveniant indigentiæ populorum, ac Clericorum insufficientiæ, obsistantque versutiis hæreticorum, & hoc in solatium, & sublevamen oneris, non in præjudicium Parochorum, ut rectè scribit D. Bovaventura in *tract. Quare Fratres Minores prædicent*, monens Rectores Ecclesiæ, ut imitentur Deum, qui, etsi omnia per se possit, dignatur tamen in quibusdam operibus suis habere coadjutores, & Vicarios. Verissimè etiam docet D. Thomas *opusc. 19. c. 4. & 2. 2. qu. 187. art. 1.* stultam esse opinionem dicentium, quod status Religionis impedimentum adferat prædicandi ac confessiones audiendi. Quinimò fatendum est, quod quò sanctiores, & magis mortificati Religiosi fuerint, eò erunt ad prædicta munia aptiores, si nimirùm sufficienti doctrina sint instructi, & nihil nisi Dei gloriam, & animarum salutem quærant, sintque castitatis humilitatis, & obedientiæ tenacissimi. Ad munia dico prædicandi, & confessiones audiendi, catechizandi, ægros visitandi, & similia. Nam ab iis, quæ propriè pastoralia sunt, ut baptizare, extremam unctionem dare, matrimonia solemnizare, jure ipso sub strictis pœnis prohibentur in locis, ubi sunt Parochi, vel alii Sacerdotes ad hoc deputati.

Nec mirum, quia non est illa propria eorum functio, 14
sed Parochorum. Quamvis gratiosè aliquando ad pastoralia exercenda Religiosi admittantur, modò agnoscant, se assumptos, ut Coadjutores Episcoporum, & Parochorum, & ubi necessitas non est, se non ingerant, jurisdictionem Ordinariam non perturbent, & imò & privilegiis suis modestè, & discretè utantur, imitando S. Franciscum Xaverium, qui cùm potestate Legati Apostolici ad Indias missus, nihil tamen in locis, Episcopis subjectis, sine consensu illorum facere voluit, ut constat ex ejus vita apud Tursellinum.

Porrò absolutè asserere, quod post Episcopos Religio- 15
sis maximè ex officio conveniat cura animas juvandi, vel trahendi ad fidem, non videtur veritati consentaneum. Certum est enim principalibus magis illud onus incumbere, quàm in adjutorium assumptis. Maximè cùm etiam Religiosi, non tam ut Religiosi, quàm ut Clerici, & Sacerdotes in subsidium assumantur in concionando, & confessiones audiendo Unde in Concilio Trident. *sess 23. c 15. de reform.* decernitur, ut nullus presbyter, etiam regularis, possit confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad hoc idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videatur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem obtineat; & qui ex illis curam animarum exerceant, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi diœcesani. Imò statuit idem Concilium *sess. 5. c. 10. & sess. 24. c. 4. de reform.* ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modò prædicare possint sine Episcopi licentia. Contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant. Quam S. Concilii constitutionem Gregorius Papa XV. fel. record. speciali constitutione stabilivit, & auxit Episcoporum in Religiosos in prædictis delinquentes auctoritatem. Undè satis constat curam animarum non propriè ad Religiosos, sed ad Seculares, ut vocant, Sacerdotes pertinere, quamvis aliquando Religiosis ex privilegio eam exercere permittatur, vel etiam, premente necessitate, aut utilitate Ecclesiæ ad Episcopatus, & Pastoratus officium iidem assumantur.

Hæc autem assumptio Regularium ad concionandum 16
præcipuè, vel confessiones audiendas facta est, ut diximus, Prælatis, & Parochis, vel sub onere deficientibus, vel prædicationis munus Episcoporum proprium, & populo summè necessarium negligenter exercentibus, quam negligentiam in eis emendatam voluit Concilium Tridentinum *sess. 15. c. 2* mandans Episcopis, ut quandoquidem proprium eorum officium sit populo prædicare verbum Dei, ut si fieri possit per se; alioqui, si legitimè impediantur, per alios idoneos verbum Dei prædicent. Et similiter mandat Parochis, ut plebem sibi commissam pro sua, & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est, saltem diebus dominicis, & festis solemnibus concionando. Ad infideles autem convertendos missi sunt Religiosi, ut prædicatione verbi Dei eos ad Ecclesiam adducere niterentur, adductos autem Episcopis, & Parochis Ecclesiarum Rectoribus relinquerent ulteriùs dirigendos, nisi fortè aliqui ex ipsis ad ordinem Episcoporum, vel Parochorum sint assumpti. Quo casu à multis Religioni suæ propriis officiis eximuntur, ut utiliùs Ecclesiæ deserviant.

17 Nec diffitendum est, quin per Religiosos plurimæ gentes, & Provinciæ olim sint conversæ, & multa animarum millia ad Christum adducta. Sic in Anglia egregiè laboravit Augustinus cum sex Monachis à S. Gregorio Papa eo missus. De Vvillibrordo etiam, ac duodecim sociis, item de Bonifacio, Ludgero, aliisque de familia S. Benedicti clarum est, quod Germaniam, Belgium, Frisiam, Vvestphaliam Evangelio repleverint. Item de pluribus ex eodem Ordine, & ex Ordine Mendicantium, ac Societatis Jesu, quod ad Indos, Japones, Chinenses, Americos, Persas, & alia loca missi sint. Sed mirum non est, crescente messe, & spe messis, plures operarios assumptos in subsidium Cleri, qui non sufficiebat deservire tot Episcopatibus, & Parochiis, & simul in fidelium conversioni vacare. Quamquam non defuerint etiam quovis tempore Clerici seculares, qui se istis missionibus strenue impenderunt. Et præcipui quique Monachorum, qui fructum in conversione animarum fecerunt, ut utiliùs id facerent, ad Episcopatus sunt promoti, ut de S. Vvillibrordo, Bonifacio, Ludgero, Plechelmo, aliisque certum est, qui cùm sociis suis Presbyteris, & Diaconis vitam regularem quidem, sed non multum dissimilem illi, quæ in primitivo Clero in usu erat, duxerunt.

18 Jam semel ordine hierarchico in locis per prædicationem ad Ecclesiam adductis constituto, semper penes Episcopos, Parochos, aliosque seculares presbyteros fuit directio & cura animarum, & regimen Ecclesiæ, adeòut etiam in locis, ubi nullæ sunt Ecclesiæ Cathedrales, sed tantùm Collegiatæ, aut Parochiales, semper dignior in conventibus publicis, & processionibus seculari Clero fuerit attributus, nec licuerit etiam Religiosis, qui Episcopi, vel Parochi non erant, baptizare, Eucharistiam moribundis, vel in Paschate administrare, extremam unctionem infirmis dare, vel matrimonio fideles jungere, nisi de licentia Episcopi, vel proprii Parochi; quod autem ex privilegio multa præstent, præsertim in missionibus ad infideles, non est mirum; quia Princeps Pastorum Summus Pontifex, & Ordinariorum Ordinarius, attenta personarum, & locorum necessitate, meritò sic disponere potuit, ac debuit, ut optimè propagandæ fidei, & saluti animarum esset provisum. Illis tamen privilegiis non perindè uti possunt Religiosi in locis Episcopos, vel Parochos habentibus, sed eatenus tantùm, in quantum non contrariantur decretis Concilii Tridentini, adeòut Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 23. concluſ. 5.* rectè dicat, & probet, Religiosos non habere facultatem administrandi pastoralia in locis, ubi Pastor aliquis designatus est, licet absit, excepto tamen casu necessitatis.

19 Verùm pro habendis brevi tempore multis idoneis operariis, primùm delectus esset faciendus circa Clericos tam seculares, quàm regulares (nec enim omnes Missionibus conveniunt) singulorum conditio, corporis habitudo, vires, desideria, accuratè à Superioribus essent investiganda, doctrina examinanda, mores perspiciendi, ut qui in Scriptura Sacra, & Patrum doctrina optimè essent versati, Zelo Dei, & animarum præ cæteris ferventes, benè mortificati, obedientes, humiles, contemptores honorum, divitiarum, & voluptatum, non sua, sed quæ Jesu Christi sunt quærentes, parati, & apti ad labores, molestias, inedias, contemptus, & contumelias, & durissima quæque pro Christo toleranda, illi Missionibus destinentur. Diligentissimè quoque vocatio consideranda, an cœlestis sit, an verò ex apprehensione fortuita, vel desiderio excutiendi jugum Superiorum, aut religiosæ disciplinæ, an amore libertatis, aut ut opes accumulent, aut libidini liberiùs vacent. Hinc Clerum secularem ad normam primitivi Cleri reformatum maximè idoneum prudentiores judicant ad Missiones pro propaganda fide; Tum quia plus deferret Episcopis, nec exemptiones ab iis novisset, vel expeteret. Tum etiam quia convenientior esset ipsorum conversatio, & modus vivendi non solùm lucrandis animabus, sed etiam iisdem jam ad fidem adductis cura pastorali fovendis, ac dirigendis.

In terminis itaque hujus juramenti licitè id exigi potest ab Alumnis ad tempus, quando Clerici omnes, aut aliqui sint, vel reddi possint in seculo aptiores, quàm in Religione ad exercitium Missionum, aut quando timeri possit, quod eo tempore humanis rationibus, aut modis importunis inducendi sint ad Religionem, pro quorum omnium exploratione addita hac particula, *sine licentia Sedis Apostolicæ*, planè juramentum honestatur, non quidem si addatur, tanquam sit apta reservari jus Sedi Apostolicæ, ut iis omnibus exploratis, & constito Religionem esse reformatam, & ingressum in ea non opponi fini Missionum, Alumnum verò debitis modis, & prævia sufficienti deliberatione determinasse Religionem ingredi, possit ob finem Missionum licentiam denegare. Sicque hujusmodi Alumni non possunt recipi in aliqua Religione sine licentia Sedis Apostolicæ, cujus servitio pro Missionibus sunt addicti, possuntque dici ad ratiocinia obligati juxta sequens decretum: *Præterea de mandato similiter speciali Sanctiss. D. N. S. Congregatio statuit, & decrevit, neminem deinceps prædictorum Alumnorum contra infrascriptam juramenti formam in aliqua Religione, Societate, vel Congregatione regulari à Superioribus recipi, nec ad professionem admitti posse, vel debere; alioquin receptio, & professio nullæ sint, ac nullius roboris, & firmitatis, & qui ex antedictis Superioribus Alumnos hujusmodi contra subjectam juramenti formam receperit, vel ad professionem admiserit, activa, & passiva voce præsentis decreti auctoritate careat. Non obstantibus Collegiorum fundationibus &c 24. Novembris* 1625. Eadem die pro Alumnis Collegii Græci fuit excepta Religio S. Basilii, non quidem Congregationis Italicæ, seu Occidentis, sed Græciæ, sive Orientis, ut declaravit Sac. Congregatio 1642. Solet tamen aliquando dicta S. Congregatio dispensare, facto verbo cum Sanctissimo; sed regulariter cum juramento eundi ad missionem in patriam, seu Regnum, unde est oriundus, si Alumnus sit ex locis Missionum, ut patet ex formula ab Alexandro VII. approbata ejus Constitutione edita 20. Julii 1660. quæ incipit, *Cum circa juramenti vinculum*, & multa dubia, quæ ex illa emerserunt, declaravit Sac. Congregatio de propaganda fide sub die 8 Aprilis 1661.

CONSULTATIO CX.

1 *An testes singulares in tempore, & loco tantùm, concordantes tamen in specie, & in secta hæresis, sufficienter probent? Sive an sufficiant testes, si non sint singulares quoad substantiam hæresis, sed solùm singulares in iis, quæ per se non faciunt ad substantiam hæresis?* Quod est quærere.

2 *An Christiani novi possint condemnari de Judaismo in pœnam ordinariam ex solis depositionibus testium singularium de loco, & tempore, qui deponant de diversis actibus tendentibus ad eumdem finem Judaismi, veluti si unus testis singularis deponat de confessione extrajudiciali, quod Christianus novus fassus fuerit se profiteri legem Moysis. Alius dicat de esu carnium, quibus utuntur Judæi. Alius de nobiliori vestitu in Sabbato, vel cessatione à labore. Alius de accessu ad Synagogam in diversis festis Judæorum. Alius de jejunio magno solito servari à Judæis. Quæritur inquam, an ex hujusmodi testibus singularibus possit damnari ad pœnam ordinariam Christianus novus, qui sit negativus, nec aliis gravetur indiciis? Ubi quid de testibus singularibus quoad ipsam hæresis substantiam?*

1 ILlustris est hæc controversia inter Doctores; quod autem non sufficiant testes singulares etiamsi concordent in specie hæresis, tradunt Flores de Mena *lib. 3. variar. qu. 22. num.* 45. Acugna *de confeſ. sollic. qu. 22. num.* 25. qui etiam alios citat, Freyra *in addit. ad tract. de confeſ.*

sect. sollic. ibid. Scacc. *de judic. lib. 2. c. 9. dub. 10. n. 527.* Layman. *lib. 3. theol. moral. sect 5. tr. 6. c. 4. n 5.* Castropal *tr. 4. disp. 10. punct. 15. §. 4. n. 16.* Farinac. *q. 46. de testib. n. 217.* Dian. *p. 4. resol. mor. tr. 7. resol. 31. & tr. 8. resol. 57* aliique plures.

2 Probant primò authoritate textus *in c. De parente 2. 5. qu. 6. & in c. Nihilominus 3. qu. 9.* ibi: *Ne eorum voces tanquam plurium admittantur, quos temporum quidem diversitas simul interfuisse prohibuit*, & notant ibi cum Glossa communiter Canonistæ, & alii, quos sequitur Farinac. *d. q. 64. n 72.* Secundò ex rationibus, præcipuè verò ex ista; quia hæresis non pertinet ad forum externum, nisi ut manifestata per actus exteriores, & ideò, ut talis ad ipsum deducitur. & processum debet solùm articulari de ipsa, ut manifestata. Unde testes non possunt esse contestes, nisi etiam concordent in manifestatione externa hæresis, & in eo, sub quo hæresis deducitur ad forum externum.

3 Dissentiunt alii, qui docent, quod quando plures testes deponunt de eadem specie Apostasiæ à fide, sive Judaismi, aut hæresis contra aliquem, quamvis sint singulares in loco, tempore, & etiam in facto seu propositione hæretica, dummodò tamen facta, & propositiones pertineant ad eandem speciem hæresis non esse singulare, sed omninò contestes, & ideò sufficienter probare in ordine ad condemnationem pœnæ ordinariæ.

4 Ratio autem est. Primò quia testes, quamvis singulares in loco, tempore, facto, & propositione hæreticali deponunt de una, & eadem hæresi omninò, quia deponunt de eodem sensu interno, & opinione falsa circa fidem. Atque adeò sunt omninò contestes circa id, super quo articulatur processus, quia articulatur super ipsa hæresi, non autem super manifestatione; quia articulatur processus super eo, de quo est puniendus reus. Punitur autem ratione falsæ opinionis circa fidem.

5 Secundò quia, quod tempus, locus & etiam factum, & propositio sint diversa, non tollit quin sit eadem hæresis, quia habet esse habituale permanens; unde per diversos actus exteriores potest manifestari; atque adeò neque etiam tollit, quin testes sint contestes, cùm permaneat unum & idem id, de quo deponunt. Sic si articularetur processus, an Petrus sit mortuus? si quis deponeret esse mortuum, quia vidit illum expirare. Rursus alius, quia vidit illum è domo in feretro deferri. Ac denique alius deponeret, quia post aliquod tempus vidit sepeliri, essent omninò contestes, quia omninò convenirent in id, quod Petrus esset mortuus, quod est id, de quo articulatur processus.

6 Ex quibus constat, quod certitudo hujus probationis, si sit per plures testes, quàm duos, non solùm non excediturà certitudine probationis per duos testes contestes, sed etiam ipsa excedit; quia adest concordia inter plures, & proindè valet, quod probabilius sit, posse duos conspirare contra aliquem, & concordare circa circumstantias quoque temporis, & loci, quàm plures concordando in solo delicto habituali, & permanenti, ut est hæresis. Et ideò quum multiplicantur testes circa eandem speciem hæresis quamvis singulares in loco, & tempore, & etiam manifestatione hæresis, crescit certitudo probationis, quæ longè excedere potest certitudinem ex duobus testibus contestibus

7 Item fit, quod singularitas hujusmodi isthoc casu non tollat fidem testibus, ut docent Præpos. post Archid. in *c. nihilominus num. 4. v. Quod intellige, & num. 12. v. Aut principaliter 2 quæst. 9.* Lanfr. *de testib. num. 90.* Cacciallup *in l. admonendi num. 66. ff. de jurejurand.* Petra *de fideicommiss. q. 12. num. 499. & seqq.* ac Farinac. *de testib. q. 64. nu. 96* quia tempus, & locus, & alia hujusmodi non sunt de substantia illius, de quo articulatur processus, atque adeò non tollit, aut minuit contestationem per se requisitam.

8 Denique diversitas in loco, & tempore tunc solùm facit, quod testes censeantur singulares, quando tempus, & locus sunt de substantia illius, super quo testes deponunt, ut docent Doctores apud Farinac. *d. q. 64. num. 321.* Tempus autem, & locus non sunt de substantia hæresis, quia consistit præcisè in opinione interna, & solùm requiruntur externæ manifestationes, quæ inserviant testibus, ut rationes sui dicti. Etenim ubi ad unum totum concludendum partes, seu actus speciei exiguntur, non est necesse, testes esse contestes in ipso toto, sed sufficit, eos esse contestes in partibus, ex quibus totum concluditur, sicut per textum in *c. Qualiter, & quando 2. de accus.* inquiunt Innocent. *num. 2.* Butr *in c. Licèt in quadam 47. num. 10. de testib.* & Felin. *num. 2.* inquiens, quod ubi probandum est aliquid, quod habet multiplicationem actuum, sive sit totum unum, sive habeat actus, & partes distinctas, & separatas, singularitas testium non nocet, adeòut si respectu ejusdem finis concordent, licèt in tempore, & in actibus discordent, sufficit; quia veritas temporis, & actuum non diversificat id, de quo substantialiter quæritur.

Atque hanc sententiam docent Salyc. *in Titium num. 16. C. de testib.* Albertin. *in c. 1. q 16. num. 81. & sequentibus de hæret. in 6.* Brun. *tract. de hæret. lib. 4. cap. 9.* propè finem. Simanch. *de cath. Instit. tit. 64. num. 75. & seq.* Petr. *de fideicommiss. q. 12. numer. 700.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 30. dub. 4. num. 33.* Alderet. *de relig. discipl. lib. 2. cap. 3. numer. 29.* Sanctarel. *de hæres. cap 39. dub. 1. num. 6.* Villalob. *in Summ. tom. 2. tract. 17 diff 3. numero 6.* Miranda. *de ordin. judic. tom. 1. qu 17 art. 8. conclus. 5.* Sous. *in aphorism. Inquis. quæst. unic. append sect 1 num. 11.* Anton. Gomez *lib. 3. variar. cap. 22. numero 12.* Coment. *in lucern. Inquis. v. Testes, & numer. 19. v. dic, quod si generaliter,* & favet huic opinioni doctrina D. Thomæ *2. 2. qu. 70. art. 2. ad 2.*

9 Neque obstat ratio contrariæ opinioni; nam aliud est id, quod deducitur in judicium, & aliud conditio, sine qua non deduceretur. Id, quòd deducitur, est sola hæresis, quæ non consistit in actu aliquo externo sed tantùm in interna opinione Manifestario autem est conditio, sine qua non. Hinc non requiritur, ut probetur conditio, sed hæresis, & ideò sufficit, quod testes concordent in ipsa hæresi, nec est necesse, quod concordent in manifestatione, quia sine hac possunt concordare in hæresi. Et sicut ad crimen hæresis parum refert, quod per hæc, vel illa signa manifestetur, ita etiam parum refert ad ipsam probandam, quod probetur cum his, vel illis signis, sed sufficit, quod secundùm se probetur, supposita manifestatione per hæc vel illa signa. Minus obstant jura allegata, quia procedunt in casu, quo testes sunt singulares quoad substantiam hæresis, qui non est casus noster, ac de quo inferiùs.

10

11 Hanc secundam sententiam in hac specie veram judico, ubi illa est praxi recepta. Undè reperio, Lusitaniæ in S. Officio receptam esse opinionem affirmativam, quod per testes singulares probetur, aliquem esse hæreticum, & possit imponi pœna ordinaria, & ita observatur, quando reus habet contra se multos testes, qui concordant in substantia Judaismi, quamvis deponant de differentibus actibus, & in tempore, & in loco, & quando testes sint fide digni de qua praxi testatur etiam Sousa *loc. cit.* Undè Paulus III. rejecit Judæorum querelas contra Inquisitores Lusitaniæ admittentes hujusmodi testes singulares ad probandam hæresim. Hæc enim consuetudo operatur, ac si esset lex. Lex autem non solùm firmatur superiorum decreto, sed etiam consuetudine, ut docent Doctores communiter *in c. Cum dilecti de consuet. & l. minimè, & leg. Si de interpretatione, ff. de legib.* cum aliis apud Mascard *de prob. tom. 3 concl 1415. num. 1.* At, seclusa consuetudine, si quæ alibi existat, non potest hujusmodi reus condemnari in pœnam ordinariam, nisi cum testibus singularibus concurrant præsumptiones, indicia, & alia adminicula, ex quibus delictum probetur arbitrio

bitrio Inquisitorum. Quod comprobo ex Constit. Gregorii XV contra sollicitantes, in qua Pontifex non intendit, quod sufficiant in eo crimine præcisè testes singulares, sed vult, quod in ipso procedatur sicut in iis, quæ sunt difficilis probationis, uti est hæresis, ac proinde quod possit infligi pœna, concurrentibus cum testibus singularibus indiciis, præsumptionibus, & adminiculis. Ejus verba sunt: *Dantes etiam facultatem Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi.* Ex quibus patet, velle tantùm, ut arbitrio suo, rationabili tamen, possint judicare, crimen probatum esse. Quod sanè non possunt, rationabiliter præstare, nisi ea concurrant, quibus moveantur ad credendum, ita esse. His igitur non concurrentibus, imponendam puto pœnam extraordinariam, ad quam omnes ferè conveniunt, ceu testatur Bordon. *de Sacr. Tribun. c.33. num.47. in fine, & resol.101. q.32.* cum hujusmodi testes nonnisi pluspuam semiplenè probent, ut ait Delben. *de offic. Inquis. par.1. dubit.184. petit.6. n.31.* adeò, ut reus subjici possit quæstionibus, & condemnari ad pœnam extraordinariam, ac ipsi indici purgatio, ut per Calder. *de hæret. rubr. de sent. Inquis. n.1.* Paris. *lib.4. cens 2. n.93.* Menoch. *lib.1. cons.82. n.166.* Mascard. *de probat. lib.2. concluf.856. num.12. & seqq.* Pegnam *comm.121 circa finem*, quos sequitur Farinac. *d. qu.64. num.218. & hæres. qu.188. num.163.* Delbene *loc. cit. par.2. dub.198 sect.14. num.10 & sect.16. num.2. cum pluribus seqq.*

12 Hinc in Inquisitione Hispana hæreticus nunquam condemnatur ad pœnam ordinariam ex ejusmodi testibus singularibus; secus autem in Inquisitione Lusitana, teste Fernand. *in exam. Theol. par.1. c.19. §.10 n.19.* quatenus ait, quod crimen hæresis, Judaismi, Lutheranismi, &c. sufficienter probetur per plures actus singulares, tendentes ad eumdem finem, ideòque testes de his criminibus singulariter testificati verè habeantur concordes, sicque probet praxis Inquisitionis Lusitanæ, eo quod aliter non satis esset provisum bono communi. Posset enim unus hæreticus cum singulis successivè inficere totam Urbem, & Judæus cum singulis successive judaizare modo, quo non posset convinci; quamvis contrarium servet Inquisitio Hispana ex eo, quod juxta ea, quæ in prima sententia dicebatur, nulla species perfectè probatur, nisi in aliquo singulari individuo. Ac idem, quod servat Inquisitio Hispana, servat etiam Inquisitio Sicula, & Inquisitio Romana, ut per Farinac *d. q.64. n.218.* & Freit. *in tract. de confes. solic q.22. nu.24. & 64.* subdens, quod omnis alia Inquisitio sequi debeat stylum, seu praxim Inquisitionis Romanæ, non condemnando scilicet reum ad pœnam ordinariam ex testibus singularibus.

Secus autem dicendum est, si testes sint singulares
15 quoad substantiam hæresis, sive non concordent in specie, ac secta hæresis. Quo in casu, licet per testes singulares sufficienter hæresim probari dixerint Butrig. *in leg. Arriani, C. de hæret.* Salicet. *in l. Quicunque, C. eod.* Caccialup. *in leg. admonendi num.48. ff. de jurejur.* Bald. *in l. Actor. n.3. C. de probat. & in c. Cum omnes nu.28. de constitut.* Berous *in cap. Licèt causam n.40. de probat.* Anan. *in c.1. num.7. de hæret.* Alex. *cons.141. num.2. lib.1. & cons. 92. num.19. lib.5. & cons.147. nu.20. lib. etiam 5.* Paris. *cons. 2 num.89. lib.4.* Riminald. *cons.7. num. 27. & seq. lib.1. & cons.28. crimin. divers. nu.7. & 8. ac 27 lib.1.* Calcan. *cons. 19.* Vivius *in comm. opin. v. Testes singulares*, Gomez *de delict. tom.3. rubr. de probat. delict. num.12.* Clar. *in pr. qu. 53.* Gigas *de crimin. laes. majest. lib.2 tit. quomodo, & per quos q.18. n.3.* Petra *de fide ic. q.12. nu.543. 592. 598. ac seqq.* Locat. *in oper. judic. v. Testis n.19.* Zanchin. *de hæret. cap. 16. n.6.* ac alii benè multi apud ipsos, qui præsertim his rationibus fundantur.

Primò, quia perfecta probatio in eo consistit, quod 16
animus Judicis ducatur ad perfectè credendum, verum esse, quod proponitur, ut per *leg. quingenta, ff. de probat.* Farinac. *de testib. quæst.64. numero 87.* Quando autem concurrunt plures testes qualificati, testificantes de hæresi alicujus, non potest Judex prudenter dubitare de veritate.

Secundò. Indubitata indicia in criminibus occultis, 17
ac difficilis probationis plenè probant per *l. fin. C. de probat.* Ubi Bart. *in 2. oppos.* ac *numer.2.* Mascardus, & alii apud eum *lib.3. de probat. concluf.1221. numer.34.* Illa autem sunt indicia indubitata, quæ faciunt Judicem non dubitare, licet credat, potuisse aliter contingere. Quia hæc credulitas est dubitatio non practica, sed speculativa. Atqui crimen hæresis est occultum, ac difficilis probationis, & magnus numerus testium deponentium de hæresi, licèt singulares, faciunt indicium vehementissimum, atque indubitatum.

Tertiò, quia hæc sententia est in favorem fidei. 18

Quartò, quia testes singulares plenè probant in crimi- 19
ne læsæ Majestatis, ut docet Farin *q.64. de testib. nu 220. & seqq.* ac alii penes ipsum. Item crimen solicitationis ad actus inhonestos in Sacramenti confessione, ut sancivit Gregor. XV. Constitutione sua, quæ incipit *Universi.* Ergo etiam in crimine hæresis, cùm sit perniciosius quocunque alio.

Quam sententiam cum hac tamen limitatione, quod 20
scilicet duo testes singulares non probent hæresim, tres tamen, aut plures, qui non sint singulares singularitate obstativa, illam probent, sequuti sunt Albertin. in *c.1. q. 16. nu.53. & 62. & seqq. de hæret. in 6.* Simanch. *de hæret. tit.64. n.77* ac Pegna *in direct. p.2. comm.121. vers. Et qua hactenus*, ac nonnulli alii, quos adducit Mascard. *lib.2. de prob. concl 856. n.15.*

Nihilominus tamen tenendum est tanquam certum, 21
testes singulares non sufficere ad probandum crimen hæresis, eamque in nullo unquam casu sufficienter probare, nec posse aliquem ex vi testificationis ipsorum justè condemnari ad pœnam ordinariam. Hanc sententiam docent Jas. *in l. admonendi num.256 ff. de jurejur.* Jacob. *in l. ob carmen §. fin. num.18 de testib.* Joan. Andr. *in cap. officium §.1. de hæret. in 6.* Marsil. *cons.960. numero septimo*, Nellus *de testib. num.213.* Alexand *cons.19. numero 22. lib.4* Bertaz. *cons.93. num.5.* Moncad. *in addit. ad Cro. de testib. num.319. lit. T.* Palat. *rubr. in allegat. hæres. § 12.* Brun *de hæret. lib.4. cap.19.* Royas *de hæret. par. 2. alleg. 6. num.135 usque ad 139. & numer.1, 8.* Eymer. *in direct. par.3. quæst.72. num.1.* ibique Pegna *comm. 121. vers. Primum est, & vers. his ita constitutis, ac vers. eandem sententiam, & vers. Cæterùm omissa, & vers. Postremò, ac seqq.* Mascard. *lib 2. de probat. concluf.286. num.10* Syar *lib 12. Clavis reg cap 21. num.16.* Cantera *in quæst. crim. cap 2. de ver. confes. num.17.* Morla *in empor jur par.1. tit.11. in prælud. num.51.* Arragon 2 2. *q.70. art.2.* Zanard. *in direct. confes. p.3. c.111 num.11.* Azor. *tom.3. lib.13. c.27. qu.7.* Menoch. *vol.2 cons.149. n.17. & 44.* Mirand. *de ordin jud. qu. 23. art.4. concl. unic. in fin.* Sanctarell *de hæres. c.39. dub.1. n.4.* Scacc *de jud. lib.2. c.9. dub.10 num 527.* Acugna *de confes. solic. q.22. nu.25.* Freyt. *in addit. ad tract. de confes. solic.* Flores de Mena *lib.3. var. q.22.* Farinac. *q.64. de testib. n.217.* & alii communiter.

Probatur primò ex regula generali juris communis, 22
à quo testes singulares repelluntur, ut in *cap. licet causam, de probat. in cap. Cùm Ecclesia Sutrina, §. nos igitur, de caus. post. in c. Nihilominus 3. q.9. in c. de parentela 25. qu 6. in cap. cum dilectus, de elect. in cap. licet universis de de testib.* ubi decernitur, quod nulla est causa, quæ unius testimonio legitimè terminatur. Quare supponit contestationem requiri universaliter, nam hanc propositionem deducit ex illo, *Matth.18. In ore duorum, vel trium stat omne verbum*, ubi nota verbum illud *omne*. Ergo

etiam

etiam crimen hæresis. Quod etiam habetur in *c. Tam litteris eod. tit. & in Deuter.* 17. & 19. & 35. Ex quibus constat, quod damnare aliquem ex vi testium singularium, nedum sit contra jus humanum, sed etiam divinum. Unde immeritò Sousa *in disp. append. ad aphor. inquis. sect.* 3. *ad* 1. hos textus interpretari conatur contra eorum mentem, ac communem sensum Doctorum, dicens, ex iis non fundari regulam universalem. Quia quod in aliis casibus non faciant sufficientem probationem, non provenit ex eo, quod agatur de tali, vel tali crimine, sed quia ratione singularitatis non sufficienter movent animum Judicis ad sibi potiùs credendum, quam reo neganti, quod ipsi opponitur, & in ordine ad modum probationis, quod sit tale, vel tale crimen, materialiter se habet, nec auget, vel minuit certitudinem probationis, & idcirco eadem ratio militare debet in crimine hæresis. Imò potiori jure quia in eo cum magna cautela procedendum est, ne innocens damnetur per textum *in c. Ut officium*, §. *Verum, de hæret. in* 6. & *in c. Ubi periculum, de elect. in* 6. Præsertim, quod in hoc crimine conceduntur reo defensiones valdè diminutæ, unde adest periculum, ne innocens damnetur. Et ideò licèt ratione difficilis probationis admittantur aliqua, quæ non ita certò probant, non potest tamen admitti probatio ex genere suo insufficiens, quia hæc nunquam sit sufficiens, cum nunquam sit in illo genere certitudinis, quæ possibilis est circa hujusmodi crimina, præsertim quod hæresis non subjacet foro externo, nisi ut manifestata per signa externa, & ut talis non est delictum difficilioris probationis magis quàm furtum, ac simonia, pro quibus non sufficiunt testes singulares.

21 Deinde probatur, quia testes singulares se habent ac si omninò essent unus tantùm, ut docent Doctores communiter, quos sequitur Farinac. *d. qu* 64. *de testib. nn.* 34. Quia cùm non conveniant in eo, quod deponunt, revera unus est tantùm, qui deponit. Testis autem unicus non computatur, sed se habet, ac si non esset in ordine ad sententiam, quia illi contraponitur negatio rei, *cap. In omni negotio, & c. veniens ad nos, de testib. & l jurisjurandi, C. de jurejur.* ac Doctores apud Farinac. *q.* 63. *de testib. numer.* 1. & 7. Id, quod potiori jure locum habere debet in crimine hæresis, in quo debent probationes esse luce meridiana clariores, *c. Sciant cuncti 2. qu. ultim.* Simanch. *de cath. institut. tit.* 50. *num.* 21. & *tit.* 51. *num.* 2. Farinac. *in princ. q.* 86. *de re confes. num.* 6. ubi alii. Quoniam agitur de maximo præjudicio rei, & ideò non debet condemnari, nisi certò constet de crimine. Probatio autem per testes singulares non est talis generis, quia non est plena probatio; idque etiamsi dictum unius adjuvet dictum alterius. Quia vel unus adjuvat alterum, ut contestis, & tunc non sunt amplius testes singulares; vel adjuvat tantùm, ut adminiculans, & tunc cùm remaneant singulares singularitate adminiculativa, quamvis probatio crescat, non tamen fit plena, & sufficiens, ut notat Farinac. cum communi *d. q.* 64. *n.* 113.

22 Postremò probatur, quia unus testis non sufficit ad condemnandum aliquem de hæresi, sicut nec de quolibet alio crimine, quia non facit plenam probationem. Ergo nec multi testes singulares, quia singuli faciunt imperfectam probationem. Ex probationibus autem pluribus imperfectis non fit una perfecta, quando non possunt conjungi in contestationem juxta regulam juris, quæ non prosunt singula, nec multa juvant, *l. Sancimus*, §. *Si quis autem, C. de donat. & l. usuræ C. de Usur. & l. si tres tutelas, C. qui numero & l. si idem, ff. de jurisd. omn. Jud.*, ac notat Farinac. cum aliis *in pr. q.* 86. *n.* 72. *& seqq. & q.* 187. *de hæres.* §. 1. *n.* 7. Siquidem plena conjunctio testium in unam probationem habetur ratione contestationis, & ideò sunt contestes, atque adeò plenè conjunguntur, quia unum, & idem testificantur; unde convenientia in re testificata facit testes conjungi. Ergo, quando non conveniunt in re testificata, non possunt conjungi in unam probationem. Testes autem singulares non conveniunt in re testificata, alioquin non essent singulares.

Atque ex his non obstant rationes contrariæ. Ad primam enim respondetur, nunquam animum Judicis induci ad perfectè credendum, aliquem esse hæreticum, si testes sint singulares quoad ipsam hæresim. Quia cùm sciat, unicum testem quantumvis qualificatum non convincere de aliquo delicto, prudenter infert, quod neque plures singulares convincant de pluribus delictis; quia semper unus est tantùm de uno. Et ideò cum ex parte criminis, & attestationis desit credibilitas, non potest perfectè credere. Solùm potest induci ad credendum, aliquem esse in fide perfidum; quia manifestaverit plures falsas opiniones circa fidem, aut esse seminatorem falsæ doctrinæ ex eo, quod plures testes singulares deponunt de pluribus hæresibus disseminatis. Et in hoc casu si articuletur processus, tunc testes non erunt singulares, sed contestes, quia de uno, & eodem deponunt, concordantes in eo, quod sit corruptio fidei, & utentur hæresibus disseminatis, tanquam rationibus sui dicti. 23

Ad secundam. Falsum est, quod magnus numerus testium singularium faciat Judicem non dubitare, atque adeò judicium indubitatum, si sint omninò singulares. Quia sicuti hoc non præstat unicus testis, ita nec plures singulares; quia, cùm de singulis rebus deponant, se habent, ut unicus testis. Si autem in aliquo sunt contestes, & super ipso articuletur processus, faciunt plenam probationem quoad ipsum. 24

Ad tertiam. Non possunt esse in favorem fidei, quæ injusta sunt. Est autem injustum, quod acceptetur tanquam convincens probatio, quæ revera non est convincens. Sic neque etiam esset in favorem fidei, quod statim damnarentur, qui denunciantur, ut hæretici absque ulla probatione. Deinde ratione favoris in fidem eæ tantùm probationes ampliandæ sunt, quæ ex genere suo sunt probationes sufficientes, ita ut probatio sufficiens in favorem fidei complectatur eas, quæ patiuntur aliquos defectus, non autem quod illa, quæ ex genere suo non est sufficiens, evadat sufficiens. 25

Ad quartam. Testes illi, qui dicuntur probate sufficienter in crimine læsæ majestatis, sunt contestes circa id, super quo deponunt. Quia quando admittuntur in hoc crimine testes singulares in loco, tempore, & actu, supponitur, quod fuerint exerciti plures actus de quibus singulis singuli testes deponant, atque adeò supponitur etiam crimen habituale, & permanens, quod per plures actus manifestetur. Unde est eadem ratio, ac de eadem specie hæresis manifestata per diversos actus, & proinde testes deponunt de ipso crimine permanente, & utuntur illis actibus particularibus, tanquam ratione sui dicti. Hinc si agatur de probando hoc crimine ex unico actu, tunc singularitas in testibus tollit fidem, ut notant Foller. *in prax. crim. v. Item quod commisit crimen læsæ majestatis nu.* 3. Gsasch. *dec.* 79. *nu.* 39. Petr. *de fideic. q.* 12. *nu.* 722. & Farinac. *d. q.* 64. *de testib. num.* 222. Et quoad crimen solicitationis in sacramenti confessione respondetur, quod Pontifex in illa constitutione non intendit, quod sufficiant in eo crimine præcisè testes singulares, sed vult, quod in ipso procedatur sicut in iis, quæ sunt difficilis probationis, & proinde quod possit infligi pœna, concurrentibus cum testibus singularibus indiciis, præsumptionibus, & adminiculis, delictumque sit probatum arbitrio Inquisitorum, rationabili quidem, quod sanè non possunt rationabiliter præstare, nisi ea concurrant, quibus moveantur ad credendum perfectè, ita esse. In hoc autem casu intervenit perfecta probatio per *l. quingenta, ff. de probat* ubi Doctores. 26

Itaque statuere, quod sufficiant pro pœna ordinaria testes singulares quoad substantiam hæresis, vel alterius delicti, est contra leges Civiles, Canonicas, & Divinas. Statuere verò, quod pro pœna ordinaria, ubi praxi receptum est, sufficiant testes singulares, in tempore, & loco dumtaxat, concordantes tamen, sive contestes in speciale 27

hæresis,

hæresis, est juxtà praxim, ac consuetudinem Lusitanam approbatam à Paulo III. & à Sacr. Congregatione S. Officii. Ubi verò non extat talis consuetudo, est procedendum ad pœnam exttaordinariam arbitrio Inquisitorum.

CONSULTATIO CXI.

Cujus sit in matrimonii impedimentis dispensare?

1 IN omnibus impedimentis matrimonii, Ecclesiastico jure, vel Christiani populi more constitutis, solus Romanus Pontifex dispensare potest, ad cujus tribunal, & judicium matrimoniales causæ pertinent, puta de Sacramenti partibus, de sacerdotali benedictione, de cognationis gradibus, de divortiis, de impedimentis contractus. Nam hæc omnia ad res conscientiæ, ac spirituales spectant, non enim apud Christianos contractus legitimus matrimonii à Sacramento matrimonii separatur.

2 De Sacramentis autem, rebusque conscientiæ, quæ ex legibus divinis pendent, judicare Pastorum Ecclesiæ est, quorum Summus est Romanus Pontifex, Vicarius Christi, qui divortii, & repudii causam non ad politicum Magistratum remisit, sed ipse judicavit *Matth.* 15. & 19. Similiter & Apostolus 1. *Cor.* 7 de conjugiis leges tulit, semperque usu in Ecclesia recepto de causis matrimonialibus non Reges, non Principes, sed Pontifices consulti sunt, ut meritò Concilio Tridentino anathema dictum sit eis, qui asseruerint, causas matrimoniales ad Judices Ecclesiasticos minimè pertinere *sess.* 24. *can.* 12.

3 Attamen causæ matrimoniales mere politicæ quales sunt de dotibus, de successione, de hæreditatibus, politico Magistratui subsunt; mixtæ verò eidem quoque subsunt, cum subordinatione tamen ad Ecclesiasticum Judicem ita, ut si lex civilis Ecclesiasticæ adversetur, eidem cedere debeat, prout in Justiniani lege consobrinorum permittente conjugia evenisse conspicimus, quam D. Gregorius *in Epist. ad Augustinum* Anglorum Episcopum, relata in *c. quædam lex* 24. *qu.* 3. rejecit, universa comprobante Ecclesia.

CONSULTATIO CXII.

An officiales, qui gaudent privilegio fori S. Officii, sint exempti à Tribunali R. Fabricæ S. Petri pro executione legatorum piorum; vel saltem recurrendum sit ad Inquisitorem, ut subscribat primam citationem dumtaxat, quemadmodum in Tribunali d. S. Officii cum aliis exemptis observatur.

1 ADducitur pro Fabrica ejusque facultatis Breve Leonis X. sub 1. Octob. 1527 confirmatum à Paulo III. *const.* 31. §. 15. & Constitutio 3. Clementis VII. Breve Julii III. in quo confirmatur aliud Breve Pauli III. sub 20. Julii 1552. quod est facultativum avocandi omnes causas piorum legatorum à quocunque Judice.

2 Asserit Maranta *tom.* 1. *resp.* 20. *n.* 78. & *tom.* 3 *resp.* 68. *nu.* 10. & 11. Ubi in specie loquitur de authoritate, quam in dictis casibus habet R. Fabrica contra Inquisitores, & allegatur decretum S. Congregationis S. Officii sub Urbano VIII. 28. Augusti 1639. pro Melitensibus, quod est hujusmodi. *Commissarius Fabricæ S. Petri prætendit cognoscere causas familiarium illius S. Officii ad fabricam spectantium, Sanctissimus decrevit, Officiales, Ministros, & familiares S. Officii non gaudere privilegio fori in causis dictæ Fabricæ, sed eos obligatos esse respondere coram eodem Commissario Fabricæ, à quo si senserint se gravatos, recurrant ad Inquisitorem uti judicem delegatum appellationum.* Quippè Inquisitor Melitæ est delegatus Judex appellationum ab ipsa Fabrica. Tandem adduci potest aliud decretum ejusdem S. Congr. in Neapolitana pro Consultore S. Officii, qui erat obligatus pro legato pio, antequam esset Consultor. *Die* 22. *Augusti* 1674. *pro D. Josepho Spera Consultore S. Officii Neapolis proposita instantia, an causa civilis contra ipsum agitanda in Tribunali R. Fabricæ sit cognoscenda in S. Officio, vel in dicto Tribunali. Eminentissimi auditis votis decreverunt, Josephum Speram in casu, de quo agitur, non gaudere. & Episcopus Gravinæ non impediat.*

Censeo nihilominus, hujusmodi officiales esse exemptos à Tribunali R. Fabricæ S. Petri. Ratio autem est, quia licèt Pontifices præcipuè Clemens VII. concedant dicto Tribunali amplissimas facultates, ipsum tamen non potest illas extendere ultra concessa præsertim quoad exemptos; id enim non solùm vergeret in præjudicium Romanæ Sedis cujus interest quod nemo manus apponat in sibi immediatè subjectos, *c. Cùm tempore, de arbit. & cap. Cum olim. § nos igitur de privil.* verùm etiam in præjudicium fidei catholicæ; quia quodammodo saltem indirectè officiales retardari possent per alienos Judices ab officii exercitio contra intentionem Summorum Pontificum. Quare, nisi Summus Pontifex declaret, se velle quod etiam officiales S. Officii subjiciantur quoad legata pia Tribunali R. Fabricæ, ii censendi sunt exempti. Et ita declaratum fuit à S. Congregatione S. Officii sub anno 1639. scilicet. *Inquisitor Bononiæ reddat computa Commissario Fabricæ hæreditatis N. cùm non possit ipse uti privilegio S. Officii, dum simpliciter, uti administrator, & non uti Inquisitor cogitur à dicto Commissario.* Quo in loco notanda est distinctio illa, uti simplicis administratoris, vel uti Inquisitoris, vel Officialis. Qua distinctione respondetur decreto Melitensi, quod in contrarium adducitur, cùm ex eo non constet, an uti Officiales, an verò uti simplices administratores requirebantur ad reddendum rationes Commissario R. Fabricæ. In omnem tamen eventum manuteneri debet S. Officium in possessione subscribendi per Inquisitorem primam citationem, de qua possessione constat ex sequenti decreto S. Tribunalis die 2. Septembris 1672. *In causis civilibus introducendis contra patentatos S. Officii Inquisitor subscribat primam citationem tantùm, vel Tribunal Fabricæ petat licentiam à Sac. Congregatione S. Officii citandi ejus Officiales, & obtenta registretur in actis causæ.*

Neque obstant facultates R. Fabricæ; quia non sufficiunt ad procedendum contra exemptos, multòque minus contra S. Officium. Decretum vero Urbani ultra jam dicta est particulare pro Insula Melitensi. Et aliud emanavit in casu, quo Consultor erat debitor legati pii, antequam esset Consultor S. Officii. Qua de re dubium est inter Doctores exemplo Clerici debitoris, vel delinquentis, antequam assumeretur ad Clericatum, an scilicet gaudeat privilegio fori, de quo nos suo loco. 4

CONSULTATIO CXIII.

An in Brevi Gregorii XIII. pro S. Officio Inquisitionis Taurinensis, in quo omnia, & singula spolia per regulares quascumque personas extra monasteria degentes in toto dominio tam Sabaudiæ, quàm Pedemontii ad Cameram Apostolicam pertinentia, in necessitates perpetuas ejusdem S. Officii donantur, & applicantur, sint comprehensi Regulares, qui degunt, uti Parochi in Ecclesiis unitis suis monasteriis, extra tamen claustra positis, ibique, vel alibi prævia licentia suorum Superiorum è dicta Ecclesia parochiali causæ infirmitatis discedentes occumbunt?

PRo affirmativa, adduco Constitutionem 44. ejusdem Gregor. XIII. incipiente *Officii nostri partes*, ubi expressis verbis comprehenduntur Regulares professi intra claustra suorum regularium locorum, etiam de licentia suorum Superiorum degentes, ut in illius proœmio, quod denotat causam finalem, *l. fin. ff. de hared. instit.* & Jas. in *l. si pacto quo pœnam n.* 14. *C. de pact.* 1

Pro negativa verò profero *c.* 3. *sess.* 6. S. Concilii Trid. quod loquitur de Regulari degente extra claustra, idest, 2

ut notant

ut notant Doctores, vivente, seu habitante, seu commorante extra Monasterium, nempè quando non vivit conventualiter sub suo Superiore cum regulari observantia; sufficit tamen, ut dicatur degens intra monasterium, seu claustrum, si vivat in aliqua Grangia, seu membro, seu residentia Monasterii, ut per Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 105. *n.* 14. Ricc. *dec* 81. *num.* 4. *p.* 4. Ut proinde S. Congreg. Concilii sub die 6. Novembris 1621 censuerit Priorem jussu suorum Superiorum in prioratu suæ Religionis residentem, licet solum, & unicum minimè censeri degere extra claustra atque adeò non posse ab Episcopo puniri in vim *d. c.* 3. *sess.* 6. Et in hac specie Parochum regularem degentem extra claustra in parochiali unita suæ Religioni, si deliquerit, non puniri ab Episcopo ex *d. c.* 3. *sess.* 6. declaravit eadem S. Congregat. 10. Februarii 1601. Quia non dicitur degere extra claustra, qui vivit sub obedientia sui Superioris, & de ejus licentia incumbit curæ animarum, sed reputandus est, tanquam religiosus vivens intra claustra, atque adeò non videtur comprehendi in dicto Brevi Gregorii XIII. pro S. Officio Inquisitionis Taurinensis, cui non obstat supradicta Constitutio ejusdem Gregorii, quia loquitur de apostatis, & fugitivis.

2 At nihilominùs esse comprehensos jam declaravit observatio. Nam spolia Regularium decedentium Taurini extra claustra per Breve Gregor. XIII. S. Officio dictæ Civitatis fuerunt sæpiùs applicata, & licèt quandoque dictum fuerit debere applicari pro expensis missionum Capucinorum Sabaudiæ, & Vallis Tunonis, tamen perceptis necessitatibus S. Officii, denuò fuerunt illi applicata. Unde spolium Curati Ordinis Cistercienſis fuit applicatum eidem S. Officio. Ex quibus apparet observatio dictæ Constitutionis 5. Gregorii XIII quæ videtur loqui de Regularibus extra claustra degentibus, etiam de licentia suorum Superiorum, & observatio Brevis ejusdem Pontificis pro Sacr Officio Taurinensi, in quo comprehenduntur quæcunque personæ extra monasteria degentes, ac decedentes extra ipsa monasteria, atque adeò hujusmodi Parochi, qui verè degunt extra claustra, & extra illa moriuntur, idque favore S. Officii, hoc est fidei, & ut superiorum Regularium fraudes evitentur, qui possent confingere licentias permanendi suos subditos regulares extra claustra atque eludere præfatas constitutiones.

CONSULTATIO CXIV.

1 *An præseferat cultum aliquem, atque adeò sit contra decreta Urbani VIII. de cultu non exhibendo non beatificatis, neque canonizatis, foramen sepulchrorum, in quibus conduntur corpora Servorum Dei, coopertum tabula, ut terra sepulchralis sumi posset à fidelibus, eam devotionis ergo perquirentibus?*

2 *Anve etiam præseferat cultum aliquem sepulchrum circundatum crate lignea, vel ferrea balaustriorum? Ubi exhibetur forma ritè, ac rectè construendi processum super non cultu ad præscriptum decretorum Urbani VIII.*

1 REspondeo. Utrumque videtur adversus decreta Urbani VIII. quatenus specificationem tabellarum, Imaginum, lampadum, luminum, aliarumque rerum testificantium beneficia accepta generaliter prohibuit apud sepulchra defunctorum cum opinione sanctitatis ante beatificationem, vel canonizationem apponi, vel retineri quodcunque aliud venerationem, & cultum præseferens, atque indicans, ut legitur eorundem libello *pag.* 33. *in princ. & pag.* 8. *vers. quodcunque*, & apud Contilor. *de canon. Sanctor. cap.* 22. *num.* 19. Trullench. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 26. *cum seqq.* Laur. de Franch. *de controv. inter Episcop. & Regular. pag.* 242. Peyrin. *ad constitut.* 3. *Leonis X.* Joan. Anton. *in summ. Bullar. parte* 2. *tit. de Sanctor. non canoniz. pag.* 530. *col.* 1. Lezan. *consult.* 1. *n.* 22. Borbon. *in tribun. Judic. in caus. fideic. cap.* 15. *nu.* 5. ubi alios refert.

Illa enim dictio universalis *quodcumque* magis lata, 1
quam dictio generalis *omne*, ut Tiraquellus ait *de retract. lignag.* §. 1. *glos.* 7. *nu.* 26. vi sua etiam prædicta comprehendit, cum omnia includat, & nihil prorsus excludat, ex latè congestis à Barbosa *d. usu frequent.* 317. *n.* 1. etiam impropriissima. Rota coram Coccino *dec.* 56. *num.* 4. & 5. *par.* 5. *recent.* Et quæ aliàs non comprehenderentur, Seraph. *dec.* 325 *num.* 7 quæve ex propria significatione non venirent, & specialem mentionem requirerent, Intrigliol. *dec.* 3. *n.* 13. cum aliis per Barbos *supra nu.* 5. & 9. adeòut comprehendat omnia omissa in enumeratione, qualiacunque sint, secundum Gloss. *in auth. ex testamento, v. quodcunque*, ibique scribentes, *C. de collat.* Corn *cons.* 62. *n.* 8. *vol.* 1. Rota *d. dec.* 36 *nu.* 11. *p.* 5. *rec.* quamvis juncta sit dictioni *aliud*, importanti similitudinem. Quia nec tunc propter efficaciam suam vim comprehensivam universorum restrictionem pati dixerant Gozad. *cons.* 1. *num.* 19. & Rot *d. decis.* 36. *num.* 10. Quare Socin sen. *consil.* 32. *numer.* 11. *volum.* 1. respondit clausulam, *vel alio quocunque modo* comprehendere omnem vacandi modum, præter expressum.

Præsertim quia subsequentia participia *præseferens*, 3
indicans docent non solum vetitum fuisse id, quod per se, nempe suaptè natura cultum, & venerationem fert, sed quidquid etiam illum simpliciter demonstrat cum Rebuffus *in princ. l. judicasse* 97 *ff. de verb. signif.* dixerit *ex l. solent. ff. de præscript. verb.* idem esse judicare, quod demonstrare, idemque ait Budæus *in l. testium ff. de testib.* judicare esse simpliciter enunciare.

Non enim ambigi potest, quin foramen consulto di- 4
missum sit in Ecclesia prope sepulchrum defuncti cum opinione Sanctitatis, ut fideles inde devotionis causa sumere possent terram sepulchralem, & crates balaustriorum ipsum sepulchrum circundans, sint indicia, nempè demonstrationes cultus, ac venerationis exhibendæ eo loco ob personam ibi sepultam. Qua ratione Contilor. *d. c.* 22. *nu.* 2. inter prohibita recensuit extruere sepulchra cum aliquo signo, & visitantibus tradere quædam signa plumbea.

Nec prohibitio cultus, quem Scacch. *de not. & signif.* 5
Sanct sect 10. *cap.* 1. *litt. B* sumit pro religiosa veneratione tendente in aliquam creaturam respectivè tamen ad Deum, qui est Religionis objectum, restringi debet ad publicum, qui nomine Ecclesiæ præstatur à persona publica, puta Sacerdote, vel alio ejus ministro, sed intelligenda est de cultu quomodolibet præstito per quemcunque de populo in loco publico, qualis est Ecclesia, ut rectè probant Contilor. *d. cap.* 22. *nu.* 7. & 9. & Scacch *sub litt. B.*

Nec tale commissum excusandum est prætextu igno- 6
rantiæ supradicti decreti, cum in fine Brevis *pag.* 16. adsit clausula: *ut autem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam deducantur. & ne aliquis de his ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quod eadem præsentes &c. ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur &c. quæ sic publicatæ & affixæ post duos menses à die publicationis computandos omnes & singulos, quos concernunt perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.* Cujus clausulæ virtus, stante affixione, & publicatione facta in singulis locis superiùs expressis, ut legitur *d. pag.* 16. in fine super notitia inducit præsumptionem juris, ac de jure adeò, ut nullam probationem in contrarium admittat, sicut post Gulielm. docet Imol. *in Clement.* 1. *num.* 15. *post med. de judic.* Quare etiam Cardinal. Zabarel *ibi num.* 18. in fine dixit ex mente Pauli de Eleazar, quod dum Papa vult citationem per edictum habere vim citationis personalis, non auditur

ditur volens probare, ad se non perveniſſe.

7 At præmiſſis nihil obſtantibus, cenſeo neutrum ex his, quæ olim penes ſepulchrum conſpiciebantur, importare ſignum publicæ venerationis, & cultus. In primis enim foramen, ex quo terra ſumebatur, non legitur prohibitum in decretis Urbani, literaliter ſolùm prohibentibus *pag. 2. & ſeqq.* propè ſepulturas defunctorum cum fama ſanctitatis retineri tabellas votivas, imagines, lampades, aliave lumina, reſque alias ad beneficia accepta teſtificanda, & imagines non apponi in altaribus, nec pingi cum diademate, laureolis aut radiis, ſeu ſplendoribus vel alio quocumque modo cultum indicante, quorum nullum reperiri debet, nec penes ſepulchrum, nec penes imagines ad amuſſim eſt oſtendendum.

8 Nec pariter alienum eſt à diſpoſitis in Conſtit. B. Pii V. ſolummodò jubentis in § 6. corpora defunctorum in tumbis profundis intra terram collocari; nec in Concilio Triburienſi mandante, quod corpora ſepulta in Eccleſia condantur ſub pavimento, nullo tumulorum veſtigio apparente, quod ex viſitatione ſepulchri, & dictis teſtium exactiſſimè legi debet eſſe obſervatum, cùm ſepulturæ dictorum Servorum Dei eſſe debeant in tumba profunda ſub pavimento coæquali, nullo tumuli veſtigio eminente.

9 Ac multò minus crates, ſeu balauſtria aliàs ſepulchro ſuperimpoſita; quia neque id legitur retineri vetitum in ſupradictis decretis, & ſanctionibus. Eòque magis, ſi ſimiles crates decentiæ cauſa conſueviſſe paſſim apponi ad ſepulturas particulares privatorum, & virorum illuſtrium, licèt non defunctorum cum fama Sanctitatis, ut unanimiter adſtruere debent teſtes, tanquam periti ſuper ſepulchri recognitione examinandi. Nec propterea cultui Sanctis dumtaxat debito videtur adſcribendum id, quod particularibus virorum illuſtrium, ac in dignitate conſtitutorum ſepulturis decentiæ cauſa ſolet adhiberi. At hæc ſpeculativè dumtaxat dicta intelligantur, in praxi ſtandum eſt ordinationibus, ac decretis Sacr. Congregat. Rituum ad quam jure ſpectat Urbani decreta interpretari.

10 Eſto igitur ſine veritatis præjudicio, quod prædicta aliquam ſpeciem cultus redolere potuiſſent, tamen pro ſufficienti decretorum paritione ſatis foret, quod ſtatim habita illorum notitia, utrumque fuerit remotum, ut apparere debet ex viſitatione ſepulchri, ſicut aliàs Sacr. Rituum Congregatio cenſuit, non obeſſe progreſſui ad ulteriora non paritionem ab initio, & noviſſimè in cauſis Gebennenſis Servi Dei Franciſci de Sales, & Servi Dei Joannes de Cruce, non admiſſa interpretatione dictionum *ſtatim, omninò, ac nullatenus*, quæ in dictis decretis leguntur, ut ex ſubjecta materia intelligendarum, habita nempè notitia ipſorum decretorum.

10 Quin amplius quatenus diceretur *ſtatim* poſt editionem decretorum paritum non fuiſſe, adhuc tamen locus eſſet progreſſui ad ulteriora, docui *tom. 1. conſul. 55.* ubi objectionibus reſpondetur.

11 Et quoniam in condendo proceſſu ſuper non cultu Servorum Dei ſummè aliquando laborant Ordinarii in partibus, operæ pretium eſſe duxi, ſi illis hanc formam exhiberem, quæ fuit obſervata in beatificatione, & canonizatione Servi Dei Franciſci Saleſii, Epiſcopi Gebennenſis, quæque eſt hujuſmodi.

21 Federicus Epiſcopus Albanenſis S.R.E. Card. Cornelius S. Rit. Congreg. Præfectus, Tibi Reveren. D. Epiſcopo Bellicen. ad introſcripta peragenda ſpecialiter deputato, ſalutem in Domino & in Commiſſis obedientiam, & noſtris hujuſmodi, imò veriùs Sanctæ Sedis Apoſtolicæ firmiter obedire mandatis. Noverit Amplitudo tua, quod aliàs Sanctiſſ. D. N. ſub 9. Januarii 1648. per ſpecialem commiſſionem, huic S. Congregationi directam, cauſam proſequutionis beatificationis, & canonizationis Servi Dei Franciſci de Sales, dum vixit Epiſcopi Gebennenſis, commiſit tenoris infraſcripti videlicet: Beatiſſime Pater, adeò hactenus aucta eſt in dies, magiſque augetur fama Servi Dei Franciſci de Sales, dum vixit Epiſcopi Gebennenſis, qui natus die 21. Auguſti 1567. in Caſtro Saleſiano in Sabaudia, obiit Lugduni in Gallia die 28. Decemb 1622. delato poſtmodum illius corpore Anniſſium unà cum miraculis, quæ Omnipotens Deus ejus meritis, & interceſſione concedere dignatur, ut concepta in diverſis Mundi partibus, maximè verò in Regnis Galliarum, & Ducatu Sabaudiæ erga illum devotione, à pleriſq; in eorum neceſſitatibus invocetur, & plurimorum etiam gravium Virorum exiſtimatione, beatificationis & canonizationis honore dignus, ſi accedat infallibile Sanctitatis Veſtræ judicium, reputetur; ex quibus moti, piaque intentione, ac particulari devotione erga dictum Servum Dei Franciſcum de Sales ducta Sereniſſima Franciæ, & Navarræ Regina Chriſtianiſſima, ac Duciſſa Sabaudiæ, totus Clerus Franciæ in Aſſemblea generali congregatus, & ſinguli ferè Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii ejuſdem Cleri particulares; Necnon Archiepiſcopi & Epiſcopi Ducatus, ac tota Ser. Domus Sabaudiæ Principum Pedemontium, ac totus Clerus d. Geben. Civitatis Anniſſienſis unà cum pluſquam centum Monaſterii Monialium, à præfato Servo Dei fundatis inſtanter petierunt à Sede Apoſtolica, & S.V. ut ad eamdem Servi Dei beatificationem, & canonizationem procedere dignaretur; propterea exhibitis in Congregatione S. Rit. proceſſibus auctoritate ordinaria confectis in pluribus locis ſuper Sanctitate vitæ, & miraculis dicti Servi Dei; eiſdemque ab illa viſis, & diſcuſſis ad relationem Sereniſſimi Principis Mauritii, tunc unius ex d. Congregationis Cardinalibus vigore commiſſionis fel. record. Urbani VIII. S.V. Prædeceſſoris, habentis clauſulam abſque alia proceſſuum in genere confectione decretæ, & expeditæ fuerunt literæ remiſſoriales, & compulſoriales die 21. Junii 1626. In quorum exequutionem Apoſtolica auctoritate confecti ſunt proceſſus jam tranſmiſſi ad Sac. Congregationem, nondum aperti, ſed quia ſupervenerunt nova decreta, hujuſmodi cauſa ſiluit. Creſcente autem in dies magis fama Sanctitatis, & populorum devotione erga dictum Servum Dei; ideò repetitis inſtantiis penes S.V. ab Imperatrice, Duce Lotharingiæ, & Duciſſa, & Principibus Sabaudiæ, & nonnullis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis totius Cleri Galliarum, Pedemontium Præſulibus, & Gebennen. & Anneſſien. Capitulis, atque Monialibus prædictis pro parte devotorum S.V. Oratorum Chriſtophori Giardiæ Congregationis Sanct. Pauli Barnabitarum Sacerdotis, Gabrielis de Reſanſon Sanct. Theologiæ Doctoris, ac Joannis de Monteron à Capitulis Gebenn. & Aniſſien ac Monialibus prædictis capitulariter congregatis inſolidum Procuratorum in hac cauſa ſpecialiter conſtitutorum, humiliter S.V. ſupplicatur, quatenus dignetur cauſam, & cauſas beatificationis & canonizationis, necnon cognitionem virtutum, morumque ac miraculorum, & publicæ famæ Sanctitatis dicti Servi Dei Franciſci, populorumque erga ipſum devotionis cum ſuis, & illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis eidem Congregationi Sacr. Rituum in Statu, & terminis, in quibus requiritur, citra tamen probationem hactenus geſtorum, & quavis auctoritate, ſeu facultate peractorum, committere, & mandare cum facultate. In primis & ante omnia aliquem ex RR. DD. Cardinalibus ejuſdem S. Congregationis in cauſæ Relatorem deputandi, & proceſſus ſuper obſervatione decretorum editorum ſuper non cultu à fel. rec. Urbano VIII. S. V. Prædeceſſore in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis, ſi aderunt probationes, confectionem in Curia, R.D. Cardinali S.V. Vicario, ſi verò extra curiam alicui Epiſcopo juxta eorundem decretorum tenorem committendi, factaque per eamdem S. Congregationem declaratione, ſupradictis decretis ſufficienter patitum eſſe, eaque poſt relationem S. V. faciendam ab eadem S.V. approbata, dictos proceſſus remiſſo-

remissoriales auctoritate Apostolica confectos, servatis servandis aperiendi, & videndi, an per æquipollens sint sufficienter instructi, & ad hujusmodi effectum formandi, & discutiendi coram S.V. dubium, an procedendum sit ad ulteriora, & quatenus S. V. videatur posse ulteriùs procedi, discutiendi de sola validitate dictorum processuum Apostolica auctoritate, ut supra, confectorum; quia à die obitus prædicti Servi Dei nondum lapsi sunt anni quinquaginta, & hujusmodi articulo validitatis definito, illi per Secretarium Congregationis claudantur, & obsignentur sigillo S. Congregationis, non aperiendi, donec veniat plenitudo temporis dictorum annorum quinquaginta juxta formam novorum decretorum cum facultate etiam, si opus fuerit alias literas remissoriales super præmissis, citato fidei Promotore, ad quascunque Mundi partes decernendi, & relaxandi, ac etiam in Curia, jura, & monumenta recipiendi, & si opus fuerit, testes per Reverendiss. D. Cardinalem Vicarium, seu Episcopum ab eo deputandum, examinari faciendum, prævia citatione, & cum interventu dicti Promotoris, vel ejus Subpromotoris super articulis, & interrogatoriis aliàs in actis datis, vel additionaliter, & aliis novis in actis exhibendis sub censuris, & pœnis &c. & aliis facultatibus opportunis, & discutiendis de illarum validitate duntaxat postea claudendis, & sigillo Congr. obsignandis, ut supra, aliaque omnia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, servata tamen in omnibus, & singulis forma, & tenore novorum decretorum, non obstantibus Constitutionibus etiam universalibus, Synodalibus Conciliis editis, & aliis ordinationibus Apostolicis, regulis Cancellariæ, cæterisque contrariis quibuscunque, statutis &c. pro plenè & sufficienter expressis habendis &c. quodq; post supradictæ commissionis præsentationem in vim ejusdem fuit aliàs per eandem Sac. Congregationem deputatus in Relatorem hujus causæ Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Franciottus cum omnibus facultatibus in eadem commissione contentis, & postea in hujusmodi causa fuerunt decretæ, & relaxatæ literæ remissoriales, etiam compulsoriales, directæ Reverendiss. Episcopo Gebennensi ad effectum, ut coram eo construeretur processus super paritione decretis ab Urbano VIII. in Congregat. Sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis, etiam coram eo facto dicto processu, illoque S. Rit. Congreg. præsentato, & deinde aperto, & discusso, Procurator causæ, visis oppositionibus R. P. D. Promotoris fidei super illius invaliditate, hujusmodi deputationi renunciavit, & in Congregat. habita coram Sanctissimo institit pro nova remissoria, & Sanctissimus eam concedi mandavit, prout in decreto sub his verbis, videlicet: Compilato auctoritate Apostolica particulari processu super non cultu, non adhibito Servo Dei Francisco de Sales, Episcopo Gebennensi in vim decretorum à fel. rec Urbano VIII. in Sanctissima Inquisitione editorum cum pronunciatione Episcopi Gebennensis, eoque die 11. Novembris 1648. in Congregatione Sac. Rit. proposito, præsentato, & aperto processu, procurator causæ, visis oppositionibus R. P. D. fidei Promotoris super illius invaliditate, renunciando hujusmodi deputationi, supplex institit in Congregatione coram Sanctissimo D. N. pro nova Remissoria ad effectum construendi novum processum super cultu eidem Servo Dei non adhibito, & Sanctissimus D. N. de consilio Eminentissimorum Patrum petitam Remissoriam concedi mandavit alteri Ordinario dirigendam die 6. Febr. 1652. A. Cardinalis Capponius loco ✠ sigilli, Hieronymus Archiepiscopus Bononien. Secretarius, ac insuper in executione supra inserti decreti à S. Congreg. Ordinaria emanavit decretum super deputatione Amplitudinis tuæ sub tenore infrascripto videlicet. Concessa in Congregatione coram Sanctissimo D. N. habita die 6. Februarii proximi præteriti, nova remissoria pro construendo processu super cultu non adhibito Servo Dei Francisco de Sales Episcopo Gebennensi ad formam decretorum fel. rec. Urbani VIII. in Sanctissima Inquisitione editorum, procurator ejusdem causæ supplex institit in Congregatione S. Rit. præposita pro declaratione Judicis, cui hujusmodi remissoria dirigi possit, & Eminentissimis Patribus, citato R. P. D. fidei Promotore, ad relationem Eminentissimi D. Cardinalis Franciotti visum fuit, prædictam remissoriam posse dirigi Episcopo Bellicensi cum facultatibus necessariis, & opportunis, si Sanctissimo D. placuerit die 2. Martii 1652. de qua S. Congregationis sententia habita per Eminentiss. Cardinalem Capponium Præfectum relatione, Sanctitas sua annuit die 4. ejusdem. Federicus Episcopus Albanensis Cardinalis Cornelius loco ✠ sigilli. Roccius Sac. Rit. Congregationis Secretarius, ac demum citato prius coram eodem Eminentissimo D. Cardinali Franciotto R. P. D. Petro Francisco de Rubeis, Sanctæ Fidei Promotore, per Camillum Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem, ad dicendum, & excipiendum contra articulos facto in actis infrascripti Notarii datos, videndum, & audiendum illos, ad probandum admitti in Curia, & extra, ac decerni literas remissoriales ad partes dirigendas. Amplitudini tuæ Judici ab eadem S. Congregatione deputato, cum facultatibus, ut coram te fieri, & construi possit processus super paritione decretis Sanctissimæ Inquisitionis ab Urbano VIII. super non cultu editis, & aliis necessariis, & opportunis concordandi de re, loco, loco loci, & portitore, nec non constituendi, & deputandi aliquem Subpromotorem fidei apud acta infrascripti Notarii, qui hujusmodi processui interfit, & commodè citari possit, aliàs videndum mandari fieri processum per affixionem ad valvas majoris Ecclesiæ loci, seu locorum deputandum, necnon ad dandum Interrogatoria in dictis literis includenda aliàs videndum illas mandari, expediri, claudi, & examinari sine illis, & quodcunque decretum necessarium, & opportunum in præmissis, & circa præmissa videndum fieri, & interponi ad diem infrascriptam: qua adveniente comparuit legitimè coram Eminentissimo D. Cardinali Franciotto D. Honoratus Ginus hujus causæ procurator, & facto produxit articulos, & institit, ac obtinuit dictos articulos ad probandum admitti, ac dictas literas remissoriales, & compulsoriales decerni, & relaxari, ac Amplitudini tuæ dirigi ad effectum, ut coram te fieri, & construi possit dictus processus, ut infra, & post dictum decretum eadem die dictus D. Honoratus Procurator dictas literas cum facultatibus, ut supra decretas, & relaxatas, per nos expediri petiit, & institit. Et ideò Nos Federicus Cardinalis Cornelius dictæ Sac. Congregationis Præfectus volentes ea, quæ à Sanctissimo D. N. Papa committuntur, & quæ in ipsa Sacra Congregatione statuta sunt, debitæ executioni, ut par est demandare, & considerantes etiam æquum, & justum esse, Dei gloriam, quæ in servis suis resplendet, manifestam fieri, easdem literas nos etiam relaxamus, & expedimus, necnon amplitudinem tuam, de cujus fide, integritate, & religionis zelo, & perpetua, ac debita erga hanc Sanctam Sedem Apostolicam obedientia plurimùm in Domino Sacra Congregatio confidit, & nos confidimus, in illarum executorem nominamus, & constituimus, tibique authoritate ordinaria hujus Sacræ Congregationis, & respectivè Apostolica, qua fungimur in hac parte, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vice nostra in singulis actibus procedendo omnes & singulos testes, literas, scripturas, instrumenta, monumenta, & alia quævis probationum genera, qui, seu quæ coram te Judice produci, & compulsari contigerit, à personis legitima

mandata procuræ habentibus recipias, & teſtes primo juxta interrogatoria à R. P. D. Promotore fidei hìc in Curia data, ac in præſentibus literis convoluta, & ſigillata tam in Civitatibus Anneſſii, ac Bellicenſis, quàm in aliis locis, ubi opus fuerit in Eccleſiis, Oratoriis, piiſque locis exprimendo ſemper locum loci; reſpectu verò infirmorum, quibus cum aliis locis per te eligendis, & deputandis pro Tribunali ſedente admittas, receptoque priùs in manibus tuis ab ipſis teſtibus cujuſcumque gradus, ſtatus, ſexus, ſeu conditionis, etiam Sacerdotibus, ſi exiſtant (exceptis Epiſcopis) juramento, tactis Sacroſanctis Evangeliis coram Amplitudine tua poſitis, & non aliàs, aliter, nec alio modo de veritate dicenda ſuper iis, ſuper quibus examinabuntur. Primò juxta dicta interrogatoria, & deinde ſuper articulis in fine præſentium literarum regiſtratis per extenſum coram te, & coram fide digno Notario publico Apoſtolico, ſive Eccleſiaſtico ab Amplitudine tua ſimiliter deputando, & in tuis manibus tactis Sacroſanctis Evangeliis de fideliter exercendo officium ſuum jurato diligenter juxta formam ſuperius expreſſam, examines, hoc expreſsè ſervato, quod Teſtes in Eccleſiis, Oratoriis, piiſque locis, & in locis locorum in iiſdem deputatis omninò interrogentur, eorumque dicta excipiantur: animadvertendo, ut iidem Teſtes quæcumque habent explanatè, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes aliàs redditas, neque eis recitentur, quæ aliàs ipſi depoſuerunt. Et ulterius eidem Amplitudini Tuæ prædicta auctoritate committimus, & mandamus, quatenus ex dictis depoſitionibus teſtium coram te receptis, & aliis juribus, rationibus, & monumentis quibuſcunq; productis, & compulſatis, debeas, & poſſis, ſi tamen de jure tibi hoc viſum fuerit, fieri poſſe per decretum ſeu ſententiam diffinitivam pronunciare, nullum cultum prædicto Servo Dei Franciſco, neque illius ſepulchro, reliquiis, & imaginibus adhiberi, & propterea decretis ab Urbano VIII. in Congregatione Sanctiſſ. Inquiſitionis editis, ſufficienter, paritum eſſe. Ut autem prædicta omnia liberiùs exequi valeas, eadem authoritate tibi committimus, & mandamus, ut Nuncium, ſeu Nuncios, prævio juramento ab eis recepto de fideliter exercendo officium ſuum, deputare poſſis pro citationibus faciendis, & aliis mandatis, & decretis ſuis exequendis, & ut teſtes prædictos ſe ſe examini ſubjicere nolentes, vel recuſantes exhibere Scripturas ad cauſam facientes ſub cenſuris, & pœnis Canonicis, omni, & quacunque appellatione poſtpoſita omnibus juris, & facti remediis opportunis cogere, & compellere valeas, & completo dicto proceſſu, & pronunciato, prout ſupra, ac facta illius extractione, & auſcultatione cum alio Notario per te nominando, & in tuis manibus de fidelitate jurato, illum clauſum, & ſigillatum fidei nuncio, ſeu portitori, prævio juramento, ad nos deferendum eadem Amplitudo tua conſignet, citato tamen in omnibus actis Subpromotore fidei per R. P. D. Promotorem hìc in Curia nominato, vel alio in partibus per te nominandò in vim literarum ejuſdem R. P. D Promotoris ad partem relaxatarum, & omnia acta hujus proceſſus in loco ſolitæ audientiæ conficiantur, & non aliàs, aliter, nec alio modo, decernentes irritum, & inane quicquid contra formam præſentium literarum ſcienter vel ignoranter fuerit exequutum, pro quibus omnibus exequendis tuam diligentiam, & curam, & qualem ſperamus, fidem adhibere, in præmiſſis, ita Amplitudo tua ſe gerere ſtudeat, ut & gratiam ab hac Sacra Congregatione, & retributionem laboris ab Altiſſimo pro ſervis ſuis conſequi poſſit; abſolutionem verò omnium, qui in prædictas pœnas, & cenſuras quomodolibet incurrerint, eidem Sacræ Congregationi, vel Summo Pontifici tantummodò reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium præſentes manu noſtra, nec non infraſcripti R. P. D. Protonotarii Apoſtolici de numero participantium ad acta Sac. Congregationis pro tempore deputati, & ejuſdem S. Congregationis R. P. D. Secretarii, noſtroque ſigillo munitas fieri, expediri, & relaxari mandavimus per acta infraſcripti Notarii ejuſdem Sacræ Congregationis. Datum Romæ in Palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti 1652. Indictione 5. die verò 6. Septembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ Decimi, anno ejus Octavo.

Chriſti nomine invocato pro Tribunali ſedentes per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de peritorum conſilio ferimus in his ſcriptis in cauſa, & cauſis Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Franciſci de Sales, olim dum vixit Epiſcopi Gebennenſis coram nobis à Sede Apoſtolica, & S. Rit. Congregatione, deputatis inter R. D. Gabrielem de Bezanſon Sacræ Theologiæ Doctorem, Priorem SS Petri, & Urſi, Canonicum Theologalem Auguſtenſem, & devotarum Monialium primi Monaſterii Viſitationis B. Mariæ Anneſſienſis Principalium, Procuratorem ſpecialiter conſtitutum ex una, & R. D. Franciſcum Durand Presbyterum, Promotorem fiſcalem noſtrum, & ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Petro Franciſco de Rubeis Sanctæ fidei Promotore, ſeu à nobis in vim literarum ipſius Subpromotorem deputatum, de, & ſuper non cultu, & obſervantia decretorum Urbani VIII. in Sanctiſſima Inquiſitione editorum, partibus ex altera, viſis literis noſtræ deputationis ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cornelio Sacræ Congregationis Præfecto ſub die 6. Septembris anni 1652. unà cum commiſſione manu Sanctiſſimi ſignata, & decretis ejuſdem Sac. Congregationis, ac Eminentiſſimi D. Cardinalis Franciotti, cauſæ Ponentis, in eiſdem literis inſertis, viſis depoſitionibus Teſtium coram nobis legitimè inductorum, juratorum, & examinatorum, viſis ſcripturis, & juribus productis, ac præſentatis, viſis conſtitutione, & deputatione Procuratoris, & reſpectivè Subpromotoris, viſis literis prorogationis, & Eminentiſſ. D. Cardinali Epiſcopo Medices, Sac. Collegii Decano. Sac. Rit. Congreg. Præfecto ſub die 8. Auguſti anni 1653. Viſo toto proceſſu, & viſis videndis, & examinatis examinandis, Chriſti nomine repetito, dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, ac diffinitivè ſententiamus circa ſepulchrum, imaginem, & reliquias dicti Servi Dei Franciſci de Sales maximè ab annis 1643. & 1648. & 1652. reſpectivè nihil reperiri, quod cultum, & venerationem præſeferat, aut ſit quoquomodo contra formam dictorum decretorum, ſed ab illis annis omnia reſpectivè cultum, & venerationem præſeferentia fuiſſe amota, & ſublata, ac proinde à dicto tempore uſque ad præſens dicta decreta, tam in præſenti Civitate Anneſſienſi, quàm in Civitate Lugdunenſi, & ubique locorum obſervata fuiſſe, & obſervari, & illis nequaquam contraventum fuiſſe, nec contraveniri, illiſq; ſufficienter paritum eſſe, & ita dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, ac diffinitivè ſententiamus, non ſolùm prædicto, ſed omni alio meliori modo. Ita pronunciavi ſic ſignatum. Ego Joannes Epiſcopus Bellicenſis Judex Apoſtolicus Deputatus.

Lata, & lecta fuit præſens ſententia per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Joannem Epiſcopum Bellicenſem, Judicem Apoſtolicum, ſupradictum deputatum, ſedentem pro Tribunali in Eccleſia Monialium B. Mariæ Annuntiatæ, iſtius Civitatis Anneſſienſis Diœceſis Gebennenſis, & per me infraſcriptum Notarium Apoſtolicum, & Scribam hujus cauſæ deputatum promulgata, præſente, ac intelligente R. D. Franciſco Durand, fidei Subpromotore, conſtituto anno à

Nativitate

Nativitate D. Nostri Jesu Christi 1653. Indictione 6. Pontificatus autem Sanctissimi D.N.D. Innocentii Divina providentia Papæ X. anno ejus 10. die verò 11. præsentis mensis Octobris, qui non erat feriatus, nec aliquo festo impeditus, sed juridicus, & unus ex deputatis, præsentibus Venerabilibus, & RR.DD. Nicolao Baytaz, Presbytero Decano Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ istius Civitatis Anessiensis, Jacobo Gentili Presbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, & Canonico Ecclesiæ Gebennensis, Joanne Baptista Gard, Presbytero Canonico, & Sacristiæ Præfecto, necnon Archiepiscopo Machabæorum dictæ Ecclesiæ Collegiatæ, Claudio Charuet, nobili Petro Roland Presbyteris, & Canonicis Ecclesiæ collegiatæ prædictæ, Petro Brunier, Presbytero Honorario dictæ Ecclesiæ, & multis aliis gravibus viris tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, qui signaverunt cum DD. Subpromotoribus: Et Ego Guillelmus Patra Notarius Apostolicus, in hac causa deputatus, me subscripsi, & pro fide meum consuetum signum propria manu apposui, sic signatum Franciscus Durand, Subpromotor Constitutus. Ego Claudius de Macher Consubpromotor Notarius. Ego Nicolaus Baytaz præsens, Gentil testis præsens. Joannes Baptista Gard testis præsens. Ego Petrus præsens. Ego Petrus Brunier præsens, Patra Notarius Apostolicus deputatus.

N. 3. Tabella Testium	Nomen & Ætas	Inductio	Citatio.	Juramentum	Examen
Primus Testis	R.D.Franciscus De Lalè Annorum 48.	Die 15. Maii 1653. fol. 74. à ter.	15. Maii 1653. fol. 85. à ter.	16. Maii 1653. fol. 128. à ter.	20. Maii 1653. fol 140.
Secundus Testis	R.D.Petrus Franciscus Annorum 47.	15. Maii 1653. fol. 74. à ter.	15. Maii 1653. fol. 129.	16. Maii 1653. fol. 129.	20. Maii 1653. fol. 160.
Tertius Testis	D. Joannes Paulus Trivitat Annorum 47.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 91.	16. Maii 1653. fol. 129.	21. Maii 1653. fol. 180.
Quartus Testis	D. Joannes Faber Annorum 52.	15. Maii 1653. fol. 79. à ter.	15. Maii 1953. fol. 94.	16. Maii 1653. fol. 129.	21. Maii 1653. fol. 201. à ter. & seqq.
Quintus Testis	D. Joannes Orsat Annorum 41.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 97.	16. Maii 1653. fol. 129. à ter.	23. Maii 1653. fol. 217. à ter. & seqq.
Sextus Testis	D. Franciscus Allegret Annorum 34.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 99. à ter.	16. Maii 1653. fol. 130.	24. Maii 1653. fol. 233.
Septimus Testis	D. Paulus Berard annorum 58.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 102.	16. Maii 1653. fol. 130. à ter.	24. Maii 1653. fol. 251.
Octavus Testis	D. Jacobus Philippus Trivitat annorum 56.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 105.	16. Maii 1653. fol. 130. à ter.	24. Maii 1653. fol. 267. à ter.
Nonus Testis	D. Joannes Baptista Tripies annorum 45.	15. Maii 1653. fol. 73.	15. Maii 1653. fol. 107.	16. Maii 1653. fol. 131.	26. Maii 1653. fol. 298.
Decimus Testis	D. Petrus Girolet annorum 30.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 110.	16. Maii 1653. fol. 131.	26. Maii 1653. fol. 298.
Undecimus Testis	D. Franciscus Fautè annorum 80.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 112.	16. Maii 1653. fol. 129. à ter.	27. Maii 1653. fol. 314.
Duodecimus Testis	Soror Franciſca Magdal. de Chaugii annorum 43.	15. Maii 1653. fol. 75.	15. Maii 1653. fol. 115.	16. Maii 1653. fol. 133.	27. Maii 1653. fol. 333.

Nos Carolus, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Medices, Sac. Collegii Decanus, Sac. Rituum Congregationis Præfectus, Tibi Reverendissimo D. Episcopo Bellicensi, Judici ab eadem Sac. Congreg. in literis remissorialibus, aliàs in causa beatificationis, & canonizationis Servi Dei Francisci de Sales, dum vixit Episcopi Gebennensis sub die 6. Septembris anno 1652. decretis, & relaxatis, & hîc in Curia Romana sub die 9. ejusdem, seu &c. consignatis, deputato salutem in Domino: & in commissis obedientiam, & nostros hujusmodi, imò Sanctæ Sedis Apostolicæ firmiter obedire mandatis. Noveris, quod ultimo loco, instante & petente Procuratore hujus causæ, in eadem Sac. Congregatione emanavit decretum prorogationis, seu concessionis novi termini earundem literarum tenoris subsequentis videlicet, Gebennen. beatificationis & canonizationis Servi Dei Francisci de Sales Episcopi Gebennen. concessa remissoria ad conficiendum processum particularem in Civitate Annessien. super partitione decretorum ab Urbano VIII. editorum, eaque directa Episcopo Bellicen. nondum tamen debitæ executioni demandata, procurator causæ ad cautelam humiliter institit pro prorogatione, seu concessione novi termini, & Sac. Rituum Congregatio, citato & audito R.D. fidei Promotore, terminum prorogavit, seu novum concessit ad sex menses, si Sanctissimo D.N. placuerit die 10. Maii 1653. Et facta relatione per Eminentissimum & Reverendissimum D. Cardinalem

Sacchettum, Sanctitas sua annuit die 21. Julii ejusdem anni, C. Episcopus Hostiensis Cardinalis Medices loco ✠ sigilli, B. Roccius Sac. Rituum Congregationis Secretarius. Post cujus quidem decreti in actis productionem fuit legitimè citatus coram Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Franciotto Relatore, aliàs in hujusmodi causa per eandem Sac. Congregationem deputato per Camillum S. D. N. Papæ Cursorem R. P. D. Petrus Franciscus Promotor fidei, à Sanctissimo D. N. Papa specialiter deputatus, ad videndum, & audiendum prorogari, seu novum terminum concedi ad alios sex menses dictarum literarum remissorialium in hujusmodi causa, aliàs ad partes relaxatarum juxta formam supra inserti decreti S. Congregationis cum omnibus facultatibus in eisdem literis concessis, & decretum necessarium, & opportunum fieri, & interponi ad diem infrascriptam, qua adveniente, comparuit in judicio legitimè coram eodem Eminentissimo D. Cardinali Franciotto D. Honoratus Ginus Commendatarius SS. Mauritii, & Lazari, hujus causæ Procurator, & petiit, ac per eundem Eminentissimum D. Cardinalem obtinuit, dictum terminum prorogari, seu novum concedi ad alios sex menses earundem literarum ab infrascripta die incipien. cum omnibus facultatibus in eisdem literis concessis, & postea idem D. Procurator prædictus eadem die infrascripta Instrumentum hujusmodi decreti per dictum Eminentissimum D. Cardinalem Franciottum facti per nos expediri petiit, & institit, & ideò nos Carolus Cardinalis Medices, dictæ S. Congregationis Præfectus, volentes ea, quæ in ipsa Sac. Congregatione statuta sunt, debitæ exequutioni (ut par est) demandare, supradictum Instrumentum decreti expedimus, ac exequi volumus, & mandamus per præsentes, ac illud Amplitudini tuæ insinuamus, intimamus, & notificamus, ac ad tui notitiam deducimus, ac deduci volumus, & mandamus per easdem præsentes, in quorum omnium, & singulorum testimonium præsentes manu nostra, nec non infrascriptis R. P. D. Protonotarii Apostolici de numero participantium ad acta Sacræ Congregationis pro tempore deputati, & ejusdem Sac. Congregationis R. P. D. Secretarii subscriptas, nostroque sigillo munitas, fidei, expediri, & relaxari mandavimus per actai nfrascripti Notarii ejusdem S. Congregationis. Datum Romæ in Palatio nostræ solitæ residentiæ anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1653. Indictione 6. die verò 8. Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ X. anno nono sic signatum, Carolus Episcopus Hostiensis, Cardinalis Medices. L. Anguissola Protonotarius Apostolicus. B. Roccius Sac. Rituum Congregationis Secretarius. Clearcus Buscus S. Congregationis Notarius loco ✠ sigilli.

16 Primus Testis juxta 13. Interrogatorium fol. 146. à tergo, Respondit in dicta Ecclesia Monialium Visitationis ad partem Meridionalem, scilicet à dexteris intrando, & in principali Capella cancellis ligneis clausa à cornu Epistolæ Majoris Altaris, Choro, & Sacrario contigua, juxta murum prædicti Servi Dei adest tumulus sub pavimento, Terræ æquali, lateritio rubro à cornu Altaris illius Capellæ in honorem Sanctorum Innocentium fundatæ, ubi desuper Pileus Pontificius ex fornice pensilis imminet, & in eodem loco credentia lignea extat pro commoditate eorum, qui missis inserviunt, super nempe imponunt urceolos, & alia ad altare necessaria, nec corpus Servi Dei potest esse ibi, quàm sub pavimento, quia ego propriis oculis vidi, circumspexi, & attentè consideravi dictam Capellam, & Sepulchrum juxta, & supra, nec aliter esse potest. Eam Anneffii, quando paucis diebus interfluxis post obitum dicti Servi Dei corpus ejus Anneff. Lugd. delatum est, vidiq; dum portaretur ad Eccl. Monialium Visitationis, illud comitante toto Clero, maximaque Civium, & populorum turba; ibi enim in medio ejusdem Ecclesiæ per testamentum suum statuerat velle sepeliri sub pavimento, ut ab omnibus pedibus conculcaretur, sed fossa facta ob nimiam aquam, quæ illam repleverat, non decuit corpus ibi inhumari. Unde in presbyterio à parte Epistolæ magni Altaris per modum depositi repositum est, donec commodius inhumari posset, prout ordinaverat, & ibi jacuit, donec de ordine Sanctæ Sedis Apostolicæ per Illustrissimos, & Reverendissimos D. Archiepiscopum Butiricen. & D. Episcopum Bellicien. Judices Apostolicos delegatos, relevatum fuit, & semper in depositio remansit, donec constructa Ecclesia nova de anno 1648. sub initio ejus in prædicta principali Capella, ubi olim erat locus medius prioris Ecclesiæ ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo Gebennensi inhumatum fuit sub pavimento terræ, & sepultum in præsentia totius populi istius Civitatis, ubi adhuc jacet; Capellam verò, & locum Sepulchri ego hodie de novo vidi, & circumspexi, sed nullum præter dictam credentiam, ex tabulis ligneis factam, tumulum erectum vidi, nullum ornamentum, nulla epitaphia, nullas tabellas, nihil denique, quod vel minimum cultus, aut venerationis signum præ se ferat; nam Capella est prorsus omnibus quibuscumque ornamentis denudata, Sepulchrum pariter denudatum; verùm dum per aliquod tempus abfuerim à Civitate post constructam novam Ecclesiam audivi, dictum Sepulchrum aliquibus columnis ligneis, depictis tabellis, & epitaphiis fuisse instructum, quæ omnia ornamenta à tempore, quo Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Episcopus Gebennen. tanquam Judex Apostolicus de anno 1648. processum super non cultu in hac causa fecit, & ab eo decreta Apostolica dictis Monialibus Visitationis fuerunt intimata, illa omnia ornamenta sepulchri fuerunt destructa, & denudata, ac per Moniales in loco secreto Monasterii recondita, & custodita ad obediendum dictis decretis Apostolicis, nec quicquam cultum indicans hodie reperitur in tota hac Ecclesia.

Secundus Testis juxta idem fol. 166. à tergo respon- 17
dit, Sepulchrum dicti Servi Dei est in eadem Ecclesia à parte dextera intrando in præcipua Capella in honorem Sanctorum Innocentium fundata, quæ clausa est cancellis ligneis, & contigua exteriori Sacrario à parte Orientali, juxta murum versus Sacrarium à cornu Evangelii altaris ejusdem Capellæ, & ibi jacet corpus dicti Servi Dei sub pavimento terræ lateritio rubro, ubi nihil extat, nisi quædam credentia lignea pro commoditate inservientium missæ, supra quam reponunt urceolos & paramenta, & ibi extat; quia non tam aptè ex alia parte potest existere, desuper ex fornice videtur pendere Pileus Pontificius chordulis, & floccis sericis ornatus, nec juxta dictum sepulchrum, & Capellam aliud quodcumque ornamentum, seu cultus, & venerationis signum reperitur: quia prædictum sepulchrum fuit penitus destructum, & Capella omninò denudata omnibus quibuscunque ornamentis, quæ ibidem aderant à tempore, quo factus fuit processius per Illustrissimum Episcopum Gebennensem super non cultu in hac causa de anno 1648. & omnia epitaphia, quæ aderant fuerunt etiam remota, & per Moniales in loco secreto, & separato recluſa: quod vidi propriis oculis adhuc hodie, scilicet sepulchrum destructum, amotionem ornamentorum, & Capellæ denudationem; locum verò secretum, ubi reponuntur, non vidi, quia non patet aditus ad Monasterium, sed hæc omnia facta, & exequuta fuerunt ad obediendum decretis Apostolicis, & de his est vox publica, fama communis, & notoria palam.

Tertius Testis juxta idem fol. 187. respondit, sepul- 18
chrum

chrum Servi Dei Francisci de Sales extat in eadem Ecclesia in præcipua Capella illius, contigua Sacrario à parte Epistolæ magni Altaris, & à cornu Evangelii Altaris illius Capellæ in honorem SS. Innocentium fundatæ juxta murum sub pavimento, terræ æquali, lateritio rubro ab anno 1648. ibi enim vidi quando post fabricatam novam Ecclesiam Illustriss. D.Episcop. Gebennen. præsente ibidem ferè omni Populo istius Civitatis, inhumavit corpus dicti Servi Dei, ubi jacet sub eodem pavimento æquali, ut jam dixi, nihilque hodie reperitur præter quandam credentiam ligneam nudam, nulla adest peculiaris tumba, nullumque prorsus ornamentum; verùm aliàs fuit locus dicti Sepulchri instructus, & ornatus quibusdam epitaphiis, ac etiam imagine dicti Servi Dei inter duas columnas ligneas violaceo colore depictas; in illa imagine repræsentabatur Servus Dei ad vivum, & longum in habitu Episcopali ordinario cum Rocchetto, & Mozzetta, capite discooperto, & quasi concionabundus Constitutiones Ordinis Visitationis aliquot Monialibus ante ipsum genuflexis porrigens, sed omnia ista ornamenta prædicta sepulchri fuerunt destructa ex ordine Illustrissimi, ac Reverendissimi Episcopi Gebennen. per Ministros Ecclesiæ Monialium, & in loco secreto, scilicet in Sacrario interiori à parte Monialium ad obediendum Sanctæ Sedi Apostolicæ post intimationem decretorum per dictas Moniales amota, & recondita fuerunt, quem locum ego ipse vidi, & fui præsens, quando hæc omnia ibidem reposita fuerunt. Vidi quoque prædictum locum, quando judicialiter Illustrissimus D. Judex visitavit, & descripsit donaria votiva, quæ ibi recluduntur, & asservantur in secreto, & hoc est publicum, & notorium palam.

19 Quartus Testis juxta idem fol. 205. à tergo respondit, Sepulchrum Servi Dei Francisci de Sales extat in dicta Ecclesia Visitationis à parte dextera intrando in principali Capella, quæ est juxta Sacrarium, & à cornu Epistolæ Magni Altaris cancellis ligneis clausa juxta murum ad partem Evangelii altaris Capellæ SS. Innocentium, & ibi jacet sub pavimento terræ, & desuper quædam credentia extat lignea; olim verò in loco, in quo dicta credentia extat, videbatur esse velut quidam tumulus muralis, ac desuper duæ columnæ erant cum epistylio violaceo colore depictæ, inter quas etiam erat imago dicti Servi Dei ad longum, & vivum in habitu Episcopali ordinario, porrigentis constitutionum librum aliquem Monialibus Visitationis ad illius pedes genuflexis, & circumcirca appositа ad illius pedes genuflexis, & circumcirca appositа erant varia epitaphia Virorum gravissimorum, ac etiam desuper ex fornice pendebat, & adhuc pendet Pileus Pontificius, sed illa omnia post decreta Apostolica intimata Monialibus fuerunt penitùs destructa, & amota, & hodie sicut vidi Capella illa est omninò denudata, & sepulchrum pariter omninò denudatum, quod factum est per Moniales, seu per Ministros ad obediendum dictis decretis.

20 Et sic reliqui Testes juxta dictum 13. Interrogatorium.

21 In nomine Domini Amen. Anno à nativitate Domini 1653. die verò 15 Mensis Maii, qui non erat feriatus, vel festivus, sed juridicus, hora ante meridiem septima Indictione 6. Pontificatus autem Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ X. anno nono, per hoc præsens publicum Instrumentum notum sit universis, & cunctis pateat evidenter, qualiter Illustrissimus & Reverendiss. D. Joannes de Passelaigue, Episcopus, & D. Bellicen. S. Romani Imperii Princeps, Judex Apostolicus à S. Rituum Congreg. deputatus pro formando processu super non cultu in causa beatificationis, & canonizationis Servi Dei Francisci de Sales, dum vixit Episcopi Gebennen. unà cum R. D. Francisco Durando Sacræ Theologiæ Baccalaureo, Promotore fiscali Curiæ Episcopalis Bellicen. & Subpromotore deputato in hac causa, meque Notario Apostolico, & Testibus infrascriptis, & subsignatis in executionem sui decreti de die 12. hujus mensis pro visitatione, inspectione, & descriptione Sepulchri, Reliquiarum, imaginum, votorum, donariorum, anathematum, Epitaphiorum, & aliorum quorumcunque ad dictum Servum Dei, & ejus Sepulchrum pertinentium, & spectantium de domo pro habitatione sua electa in hac Civitate Anessien. diœcesis Gebennen. se transtulit ad Ecclesiam Monialium Visitationis B. Mariæ in prædicta Civit. Anessien. fundatam, ubi Sanctæ Missæ sacrificio peracto vocari mandavit discretum Petrum Girollet, Clericum Parochiæ de Pernay, hujus diœcesis Gebennen. Custodem Sacrarii, seu Sacristiæ exterioris Ecclesiæ dicti Monasterii, nec non Testes infrascriptos, à quibus statim comparentibus petiit, an scirent, ubinam esset Sepulchrum Venerabilis Servi Dei Francisci de Sales, dum vixit Episcopi Gebennen. ac illud ostendere deberent, qui dictus Petrus Girollet, & DD. Testes respondentes, se optimè scire ubi esset, duxerunt prædictum Illustrissimum, & Reverendiss. D. Judicem Apostolicum ad murum lateralem Chori, seu Sanctuarii ipsius Ecclesiæ ad meridiem, & ad cornu Epistolæ Magni Altaris, & contiguum ipsi muro Sanctuarii, & sacrario propè aliud altare minus in honorem SS. Innocentium dicatum, ubi est velut Tabella, seu credentia ad paramenta, urceolos, & alia necessaria pro commoditate inservientium Missæ sacrificiis reponenda, ex tabulis ligneis compacta, & ibi tam dictus Petrus Girollet, quàm DD. Testes asseruerunt esse Sepulchrum dicti Venerabilis Servi Dei, ut etiam parere dixerunt ex imaginibus, votis, donariis, & epitaphiis olim ibi appensis. Successivè igitur, & incontinenti dictus Illustrissimus, & Reverendissimus D. Judex, unà cum D. Francisco Durando Subpromotore per Illustrissimum D. Promotorem fidei constituto, meque Notario Apostolico infrascripto, ac testibus infrà nominatis, & signatis diligenter inspexit ante, desuper, intus, à dexteris, & à sinistris ipsius Capellæ, & credentiæ, ac manifestè deprehendit corpus Servi Dei super terram non posse ibi existere, cùm undequaque inspexisset, circumspexisset, & introspexisset, sed verissimè sub pavimento Terræ esse deprehendit. Unde pro veritate sepulchrum dicti Servi Dei descripsit prout sequitur, videlicet. In Civitate Anessiensi, ubi semper fuit, & est Sedes Episcopalis à tempore, quo Civitas Gebennen. à vera fide recessit, adest templum, seu Ecclesia Monialium Visitationis B. Mariæ primi Monasterii in honorem Sancti Josephi dicata, & fundata à parte Septentrionali, dicto Monasterio contigua, ab Orientali & Meridionali aquis lacus Anessien. & fluminis Titii circumcincta paucis intermediis spatiis exceptis, ab Occidentali verò satis amplæ existit platea; in ipsa autem Ecclesia præter Altare majus ex alia extant hinc, & inde minora altaria, seu Capellæ, inter quæ adest locus Capellæ principalis in honorem SS. Innocentium erecta, cancellis ligneis nuceis tornatilibus circumclusa, ubi desuper Pileus Pontificius niger, bombycino viridi circum textus pensilis ex fornice imminet, qui chordulis, & floccis sericis pariter viridibus suffultus est, ibi nullæ imagines Servi Dei, nullæ Tabellæ, nulla omninò vota, nullæ anathemata, non Cerei, non Candelabra, nulla lampas, aliudve lumen, nulla prorsus donaria extant, nec quicquam aliud, quod Beatitudinis, aut Sanctitatis cultum præseferat, aut Venerationem inducat appositum reperitur, sed Capella omnibus quibuscunque ornamentis denudata, asserente D. Petro Girollet, quod omnia, quæ antea prædictum Sepulchrum ornabant, & decorabant ad obediendum decretis Apostolicis, & Sanctæ Sedi Apostolicæ destructa fuerunt, & per dictas Moniales in loco secreto reposita in Monasterio, seu postquam intimata sunt illis hujusmodi

decreta Apostolica per Illustrissimum, & Reverendissimum D. Episcopum Gebennen. Tandem tam ipse Petrus, quàm R.D. Joannes Orsat asseruerunt, corpus Servi Dei ibi esse sub pavimento, Terræ æquali, lateritio rubro ejusdem Capellæ, quia non tantùm audiverunt, sed & ipsi viderunt, imò adjutorium præbuerunt, quando de principio anni 1648. collapsa prima ejusdem Monasterii Ecclesia, novum istud templum ædificatum est, ac illa prima ædicula magnificè, ut constat, per hanc novam structuram ampliata fuit; tunc enim propter murorum dictæ novæ fabricæ fundamenta capsa, ubi requiescit corpus dicti Servi Dei, fuit amota, & iterum ibidem de novo inhumata, quod ipsi sciunt, quia viderunt, & ipsi audiverunt; alii verò duo DD. Testes subsignati cum prima populi Turba, quæ confluxerat, dixerunt etiam, se hoc scire, quia semper sic viderunt, & audiverunt, & quia à multis annis semper stabiles in hac Civitate Annessien. habitaverunt, & sæpè sæpiùs ad dictam Ecclesiam Sanctum Missæ Sacrificium veniunt celebratum: & quia de hoc est publica vox, & fama, & quod aliter esse non potest; quia non dicitur, quod sit alibi, & si aliter esset, ipsi probè scirent propter ipsorum practicam, tam in Civitate, quàm in Ecclesia: Prædictis inspectis igitur per Illustriss. D. Judicem, & R. D. Subpromotorem prædicti Servi Dei Sepulchro, & Sacello circumquaque, & nihil prorsus invento, quod vel minimam cultus, aut venerationis notam præ se ferat, successivè & incontinenti Illustrissimus, & Reverendissimus Judex unà cum R. D. Subpromotore fidei, meque Notario Apostolico, & testibus infra subsignatis per totam Ecclesiam deambulans circuitum fecit attentè, ac diligenter hinc & inde vidit, & circumspexit, nec non omni parte observavit Altare majus, sed nullas reliquias Servi Dei expositas, nulla donaria, nullas imagines ipsius vidit, nec quicquam in eo, quod venerationem, & cultum inducat; inde successivè, & incontinenti una semper cum dicto D. Subpromotore, meque Notario Apostolico, & testibus ad Sacrarium, seu exteriorem illius Ecclesiam Monialium Sacristiam se transtulit, vocarique mandavit devotam Sororem Franciscam Emanuelem de Novans, Sacrarii Præfectam, à quibus statim comparentibus petiit, ubinam reposuissent vota, donaria, anathemata, epitaphia, imagines, & alia ad dictum Servum Dei spectantia, & ad ejus sepulchrum hactenus oblata, & olim ibi appensa, quæ responderunt illa omnia per Ministros suæ Ecclesiæ amota, & per ipsas recluſa, & recondita fuisse in loco separato, & secreto in Monasterio suo ad obediendum plenè, & integrè satisfaciendum decretis Apostolicis, postquam intimata illis fuerunt, & de eis plenam habuerunt notitiam. Tunc Illustrissimus D. Judex in virtute Sanctæ obedientiæ præcepit illis, ut prædictum locum secretum, & separatum ostenderent, & aperirent fenestram ad Angulum Sacrarii à parte orientali in muro existentem, Sacrarium solummodò respicientem, non autem Ecclesiam à parte exteriori ferrea crate munitam, & ita clausam, & nulli etiam Sacrarium ingredienti pateat introspectio earum rerum, quæ intus sunt, nisi clavibus per Moniales aperiatur, jussitque ab illis sigillatim sibi ostendi donaria illa, & anathemata, ut unà cum D. Subpromotore inspiciat, & describat, viditque in illo Sacrario secreto à parte Monialium sito, & intra clausuram, ubi omnia hujusmodi donaria custodiuntur, & asservantur prout sequitur, *&c.*

22 Tertius Testis juxta 18. Interrogatorium fol. 190. à tergo respondit. Ego vidi circumcirca Sepulchrum dicti Servi Dei varia Epitaphia appensa à variis personis dignis, variisque linguis composita, varia quoq; dona, & anathemata in maxima copia, alia ex auro, alia ex argento, alia ex ære, marmore, cera, tela, charta, quæ omnia ad obediendum decretis fuerunt amota, & in loco secreto reposita per Moniales, quod est publicum, & notorium palam.

Idem juxta 19. fol. 191. respondit. Ego vidi, & pro- 23
pè Sepulchrum Servi Dei delata, oblata, affixa, & apposita fuisse multa vota donaria, tabellas votivas, & anathemata in maximo numero, & ex variis materiis, uti dixi superiùs, quæ fuerunt oblata à Christi fidelibus ob gratias à Deo acceptas per intercessionem dicti Servi Dei, nescio qua auctoritate, licentia, vel permissione, nisi quod ex devotione eorum id factum est, sed vidi etiam illa omnia fuisse, & esse oblata omninò, & in supradicto secreto Sacrario, quod ego vidi reposita, & abscondita per Moniales fuisse ad obediendum Sanctæ Sedi Apostolicæ; scio quoque quia video ferè quotidie hujusmodi donaria, & anathemata ad dictum Sepulchrum deferri, & offerri, sed statim per Ministros Ecclesiæ ad Moniales deferuntur, ut in eodem loco secreto reponantur, maxima pars illorum donariorum jam fuit ablata, & recondita ab anno 1643. nec ab eo tempore fuerunt reposita; alia verò pars scilicet imago Servi Dei, & Epitaphia aliqua, quæ ornabant Sepulchrum, omninò amota fuit post intimationem dictorum decretorum Apostolicorum, quod est publicum, & notorium palam.

Et juxta 20. dictum fol. 191. à tergo respondit. Ego 24
vidi appensas fuisse olim 12. magnas lampades argenteas magni ponderis, & valoris à variis Principibus, & Magnatibus ad dictum sepulchrum oblatas, sed nunquam vidi accensas: vidi etiam circa dictum Sepulchrum multos Cereos, multasque faces, & candelas pariter non accensas, quæ omnia fuerunt oblata ex devotione fidelium, & ob gratias acceptas, sed jam de anno 1643. fuerunt ablata per Moniales, & in loco secreto reposita, nec amplius inde visa sunt; quæ verò ab illo anno singulis diebus oblata fuerunt etiam ablata, & remota per Ministros Ecclesiæ, & ad Moniales delata, nec non in loco reposita ad obediendum decretis Apostolicis, quod ego vidi oculariter, quia ut dixi, quotidie hanc Ecclesiam frequenter, & de hoc est vox publica, & fama communis, & notoria palam, *&c.*

Quartus Testis juxta 18. fol. 207. à tergo respondit. 25
Nulla inscriptio, nulla Epitaphia extant juxta Sepulchrum dicti Servi Dei, quia quicquid hujusmodi ibi post intimationem decretorum Apostolicorum fuit oblatum, per Moniales in loco secreto fuit repositum ad obediendum Sanctæ Sedi Apostolicæ, nec amplius inde fuerunt reposita.

Idem juxta 19. fol. 208. respondit. Vidi quampluri 26
ma anathemata, & donaria votiva ad dictum Sepulchrum, & circumcirca Capellam oblata, affixa, & appensa, veluti chorda aurea, & argentea, Cruces varii generis, Statuas argenteas, puerorum icones, & laminas argenteas virorum, & mulierum, diversas tabellas diversimodè pictas, in quibus repræsentabantur multi fideles, qui gratias acceperunt per intercessionem dicti Servi Dei: vidi multa membra humana, facta ex auro, & argento, & cera, multos baculos, & fulcra claudorum, & paralyticorum in tanto numero, ut ferè totam Ecclesiam circumdarent, si per lineas extensionis remansissent, sed fuerunt amota, & in loco secreto reposita per Moniales ad obediendum Sedi Apostolicæ jam de anno 1643. nec inde fuerunt reposita.

Et juxta 20. fol. 208. respondit. Ante annum præ- 27
dictum 1643. vidi multas pulchras lampades argenteas, quas audivi datas à fidelibus in gratiarum actionem pro gratiis acceptis à Deo; inter alia una fuit data à Potentissima D. Anna Lotharingia Ducissa Nemurtii magni ponderis, & pretii; nunquam tamen vidi accensas, vidi etiam multos cereos, faces, & candelas pariter non accensas, quæ

omnia

omnia fuerunt amota ab illo anno, nec amplius appensa vidi.

28 Quintus Testis juxta 18. fol. 226. respondit. Hodie circa Sepulchrum dicti Servi Dei nullæ prorsus reperiuntur inscriptiones, anathemata, aut epitaphia, seu imagines, Servum Dei repræsentantes, quia, ut dixi, major pars illorum jam fuit ablata ab anno 1643. & residuum statim post intimationem decretorum Apostolicorum, & in secreto asservantur.

29 Et juxta 20. fol. 226. respondit. Jam dixi, me vidisse offerre, & appendere circa dictum Sepulchrum multa, & varia dona votiva, anathemata, seu lampades, cereos, inscriptiones, & epitaphia, illaque anathemata ficta ex variis materiis, & metallis, sed ut etiam ablata, & in secreto loco recondita per Moniales, prout jam latiùs descripsi, & hoc est publicum, commune, & notorium palam.

30 Sextus Testis juxta 18. fol. 242. respondit. Vidi olim circa Sepulchrum dicti Servi Dei varias inscriptiones, anathemata, & epitaphia, quæ posuerant potissimùm multi viri graves, tam Ecclesiastici, quàm seculares, quos novi, illaque legi, erantque scripta variis characteribus, & vario idiomate, sed ad obediendum decretis Apostolicis post intimationem illorum fuerunt omninò ablata, & recondita, ut suprà.

31 Idem juxta 19. fol. 242. respondit. Vidi quoque olim ad dictum Sepulchrum delata, oblata, affixa, & appensa fuisse varia donaria, tabellas votivas, & anathemata ex auro, argento, ære, ligno, marmore, ebore, & cera ficta, & composita, multosque Cereos, & candelas, sed jam de anno 1643. fuerunt ablata, & in secreto loco posita quoad maximam partem; reliqua verò à tempore, quo Illustrissimus D. Episcopus Gebennen. fecit processum super non cultu anno 1648. & signanter adhuc post notitiam decretorum Apostolicorum habitam, quæ ego scio, quia vidi juxta sepulchrum, & etiam vidi in loco separato, in Sacrario scilicet interiori, à parte Monialium optime clauso, & adhuc nuperrimè, quando Illustrissimus D. Judex dictum locum visitavit, descripsit, & per fenestram illi apertam crate ferrea munitam inspexit, præsentibus ibidem multis istius Civitatis Annessiensis.

32 Et juxta 20. fol. 243. respondit. Vidi etiam olim multas lampades argenteas magnas & magni pretii ad sepulchrum dicti Servi Dei per varios Principes, & Magnates oblatas, & appensas, nunquam tamen accensas: vidi multas candelas, faces, cereos non accensos, quæ omnia per Moniales ablata ab anno 1643. etiam vidi recondita in dicto loco secreto, nec à tempore amotionis fuerunt posita ad obedientiam Sanctæ Sedi Apostolicæ, quod publicum est, commune, & notorium, palam.

33 Et sic alii juxta eadem interrogatoria, & super tertio, & sequentibus articulis.

34 Primus Testis juxta 17. Interrogatorium fol. 150. à tergo respondit. Olim vidi unam imaginem dicti venerabilis Servi Dei juxta Sepulchrum appensam pigmento oleario super tela cannabina expressam, quæ repræsentabat Servum Dei Franciscum de Sales ad vivum, stantem in habitu Episcopali ordinario, scilicet Rocchetto, & Mozzetta, porrigente aliquot Monialibus sui Ordinis Visitationis ad pedes illius genuflexis Constitutiones ejusdem ordinis, sed in illa nulli radii, aut splendores, nullæ laureolæ, aut diadema aderant, quam imaginem posuerant Moniales, & ad obediendum decretis Apostolicis eam removerunt, & in loco secreto, & separato recluserunt, quem locum describere non possum, cùm non pateat aditus ad Monasterium, sed hoc est publicum, commune, & notorium, palam.

35 Secundus Testis juxta idem fol. 170. à tergo respondit. Olim vidi ad Sepulchrum dicti Servi Dei imaginem inter duas columnas murales, positam super tumulum, quæ oleario pigmento super tela cannabina Servum Dei ad vivum, & longum repræsentabat, velut prædicantem sex, vel octo Monialibus Visitationis genuflexis, eisque Constitutiones sui ordinis porrigentem, sed in ea nulli radii erant, nulli splendores, diadema nullum, quam Moniales posuerant, & post intimationem decretorum Apostolicorum ipsis factam amoverunt, & intra Monasterium suum in loco secreto recondiderunt, quod publicum fuit, & est commune, & notorium palam.

Quartus Testis juxta idem fol. 207. respondit. Ad 36
Sepulchrum dicti Servi Dei vidi appositam illam imaginem illius, quam superiùs descripsi, sed sine radiis, splendoribus, laureola, aut diademate, quæ post intimationem decretorum Apostolicorum ablata fuit per Moniales, & in loco secreto reposita.

Quintus juxta idem fol. 226. respondit. Vidi ad Se 37
pulchrum Servi Dei ante intimationem decretorum Apostolicorum imaginem Servi Dei ad longum, & vivum depicti, prout superius descripsi, sed nullâ aliam, nisi aliquas repræsentationes illius in Tabellis votivis, quæ fuerunt oblatæ à fidelibus pro gratiis acceptis, sed nunquam fuerunt depicti in illis radii, splendores, aut diadémata, nec quicquam, quod cultum, aut venerationem præseferat; illæ verò, quæ antea existebant, per Moniales ablatæ fuerunt, & in loco secreto repositæ ad obediendum decretis Apostolicis, nec inde fuerunt repositæ: quod scio quia vidi, & hoc est publicum, commune, & notorium palam, & sic reliqui juxta dictum Interrogatorium.

Successivè, & in continenti hora quinta, Illustrissi- 38
mus, & Reverendissimus D. Judex unà cum R.D. Subpromotore, & testibus infrascriptis, meque Notario Apostolico, se transtulit, & rediit ad Ecclesiam Monialium primi Monasterii Visitationis B. Mariæ, & vocata ad Sacrarii cratem devota Sorore Francisca Magdalena de Chaugy, ejusdem Monasterii Præfecta, petiit ab ea sibi ostendi aliquam imaginem, & effigiem dicti Servi Dei, prout communiter depingi solet, cum nullam potuerit invenire in aliis Ecclesiis, & locis visitatis, & inspectis ad hunc finem, quæ quidem Præfecta ex interiori Sacrario per crates attulit, & ostendit unam tabellam, seu effigiem oleario pigmento in tela cannabina duos pedes latam, & duos & semicirciter altam, in qua repræsentatur ad vivum usque ad pectus dictus Servus Dei Franciscus de Sales in habitu Episcopali cum Rocchetto, & Mozzetta violacea,

Successivè, & incontinenti hora circiter nona ante 39
meridiem, eodem die absolutis omnibus, quæ ad Ecclesiam ipsarum Monialium, & Sepulchrum dicti Servi Dei videnda, & describenda pertinebant, volens Illustrissimus, & Reverendissimus D. Judex ad visionem aliarum Ecclesiarum hujus Civitatis Annessiensis procedere ad videndum, an sint in iis aliquæ Reliquiæ, seu imagines dicti Servi Dei expositæ, unà cum D. R. D. Subpromotore, & testibus infra subsignatis, de prædicta Ecclesia Visitationis B. Mariæ primi Monasterii se transtulit ad Ecclesiam B. Mariæ Annuntiatæ pro audientiis deputatam, & vocata Sorore Ludovica Stephana Antoinegerre, Præfecta Monasterii, ac Sorore Maria Agatha Jolin, Subpriorissa Monasterii ejusdem ad crates in Ecclesia ab ipsis petiit, an in dicta Ecclesia adessent Reliquiæ aliquæ, vel Imagines dicti Servi Dei Francisci de Sales, dum vixit Episcopi Gebennen. quæ responderunt, nullas adesse expositas Reliquias, nullasque eas habere, nisi forsan penès se, & privatim, nullasque adesse dicti Servi Dei imagines. Unde Illustrissimus & Reverendissimus D. Judex unà cum D. Subpromotore, meque Notario Apostolico, & testibus perambulavit per totam illam Ecclesiam, & illius Sacristiam exteriorem, nullumque prorsus vidit, aut deprehendit, quod venerationem, aut cultum Servi Dei inducat. Successivè, & incontinenti eadem die, &

hora unà cum R. D. Subpromotore, meque Notario Apoſtolico, & Teſtibus de prædicta Eccleſia ſe tranſtulit ad Eccleſiam ſecundi Monaſterii Viſitationis B. Mariæ, ubi vocata ad crates devota Sorore Maria Franciſca Humbert, Præfecta, & Sorore Maria Magdalena Tibert, Sacrarii Præſecta, petiit ab eis, an in ipſarum Eccleſia, ſeu Monaſterio aliquæ reliquiæ, ſeu imagines ipſius Servi Dei eſſent: quæ dixerunt, quod ſic, ſed privatim, non tamen in Eccleſia, nec tali modo, quod cultus, aut veneratio inducatur, undè vidit Illuſtriſſimus D. Judex cum dicto D. Subpromotore per totam Eccleſiam, & Capellam ei annexam, ac Sacriſtiam exteriorem, & nullæ repertæ ſunt imagines dicti Servi Dei, nec Reliquiæ, viditque ex ipſis cratibus Chorum, ubi cantant officium, nullumque vidit ſignum venerationis, aut cultus; quia dixerunt prædictæ Moniales, omnes imagines Servi Dei recondiſſe, poſtquam inſtructæ fuerunt de obſervantia decretorum Apoſtolicorum poſt ultimum proceſſum auctoritate Apoſtolica per Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum D. Epiſcopum Gebennen. factum. Succeſſivè, & incontinenti hora circiter decima dictus Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Judex unà ſemper cum D. Subpromotore, meque Notario, & teſtibus infraſcriptis ſe tranſtulit ad Eccleſiam Fratrum Minorum Cappucinorum, ubi vocatis Patre Vincentio à Camberio Guardiano, & Patre Bonifacio Deburant petiit ab eodem Guardiano, an eſſent in ipſo Conventu, aut Eccleſia aliquæ Reliquiæ, aut imagines dicti Servi Dei Franciſci de Sales, qui reſpondit, quod non; & dictus Guardianus conduxit Illuſtriſſimum D. Judicem cum D. Subpromotore, meque Notario, & teſtibus per totam Eccleſiam, & Capellam ei annexam, ubi nullæ prorſus inventæ ſunt Reliquiæ, nec imagines dicti Servi Dei, neque in Sacrario, aut clauſtris viſis circumſpectis diligenter. *Succeſſivè* & incontinenti eadem die, hora ſeſquiſecunda poſt meridiem unà cum D. Subpromotore meque Notario, & Teſtibus infra nominatis Illuſtriſſimus D. Judex viſionem Eccleſiarum continuando de loco ſuæ habitationis ſe tranſtulit ad Eccleſiam Parochialem Sancti Mauritii, & vocato Jacobo Violet, illius Eccleſiæ Clerico, petiit ab eo, an in dicta Eccleſia eſſent Reliquiæ, aut imagines Servi Dei Franciſci de Sales, dixit, quod non, & D. Judex vidit, & inſpexit per totam Eccleſiam, Capellas ei annexas, & Sacriſtiam cum D. Subpromotore nullaſque vidit imagines, aut Reliquias, nec aliud ſignum venerationis, aut cultus erga dictum Servum Dei. *Succeſſivè*, *& incontinenti*, hora poſt meridiem tertia dictus Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Judex unà cum D. Subpromotore, meque Notario, & teſtibus infraſcriptis, ſe tranſtulit de dicta Eccleſia Sancti Mauritii ad Eccleſiam Sancti Sepulchri Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ubi, vocato R. D. Stephano Carden Subpriore ejuſdem Eccleſiæ, petiit ab eo, an in dicta Eccleſia eſſent aliquæ Reliquiæ, aut imagines Servi Dei Franciſci de Sales, qui dixit, non eſſe, ad obediendum Apoſtolicis mandatis, vidit Illuſtriſſimus D. Judex per totam Eccleſiam, Capellas, & Sacrarium, nec ullæ Reliquiæ, aut imagines hujuſmodi repertæ ſunt, aut ullum venerationis, aut cultus ſignum. *Succeſſivè*, *& incontinenti* hora quaſi ſeſquitertia Illuſtriſſimus D. Judex prædictus cum R. D. Subpromotore, meque Notario Apoſtolico, & teſtibus infra nominatis ſe tranſtulit de dicta Eccleſia ad Eccleſiam Monialium Sanctæ Claræ, ubi vocata Reverenda Matre Georgia des Cleſz. Abbatiſſa ad crates Chori illius Eccleſiæ, petiit ab ea, an in Monaſterio, vel Eccleſia eſſent aliquæ Reliquiæ, vel imagines Servi Dei Franciſci de Sales quæ dixit, nullas prorſus adeſſe, niſi privatim, ſed non in Eccleſia, ſeu loco, undè poſſit veneratio, aut cultus induci, viditque per totam Eccleſiam, & Sacrarium, & nullas invenit imagines, aut Reliquias, vel aliquod aliud cultus, aut venerationis ſignum. *Succeſſivè, & incontinenti*, eadem hora Illuſtriſs. ac Reverendiſſimus D Judex cum R D. Subpromotore, meque Notario, &c. de prædicta Eccleſia ſe tranſtulit ad Eccleſiam Sancti Franciſci, quæ eſt RR. PP. Minorum de Obſervantia, in qua reſidet Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Gebennen. à quo tempore Geneva à vera fide aberravit, & vocato R.P. Franciſco Daquin, Guardiano ejuſdem Conventus petiit ab eo, an in dicta Eccleſia, Conventu, & Sacrario eſſent aliquæ Reliquiæ, & imagines Servi Dei, qui reſpondit, quod non; undè dictus Illuſtriſs. D. Judex diligenter inſpexit per totam Eccleſiam, & omnes Capellas ibi exiſtentes, ac etiam per duplex Sacrarium, & nulla hujuſmodi imago, aut Requiar ſiperta eſt. *Succeſſivè incontinenti* hora quarta, unà ſemper cum R.D. Subpromotore, meque Notario, &c. dictus Illuſtriſſimus D. de dicta Eccleſia S. Franciſci in Eccleſiam Collegiatam B. Mariæ latæ ſe tranſtulit, ubi, vocato R. D. Joanne Faber, Canonico, & Præcentore dictæ Eccleſiæ, petiit ab eo, an in dicta Eccleſia adeſſent aliquæ Reliquiæ, & imagines dicti Servi Dei, qui dixit, quod non, propter obſervantiam, & reverentiam decretorum Apoſtolicorum; deinde vidit Illuſtriſs. D. Judex per totam Eccleſiam, & Capellas ei annexas, & nullum prorſus venerationis, aut cultus ſignum invenit. *Succeſſivè, & incontinenti* unà cum R.D. Subpromotore teſtibus infraſcriptis, meque Notario Apoſtolico de prædicta Eccleſia Collegiata Illuſtriſs. D. Judex prædictus ſe tranſtulit ad Eccleſiam, ſeù Oratorium S. Joannis, ubi, vocato R. D. Petro Antonio de Four, S. Theologiæ Doctore, ejuſdem Eccleſiæ curam habente, petiit ab eo ſibi oſtendi totam Eccleſiam prædictam quam diligenter inſpexit, & nullas invenit Reliquias, aut imagines, ſeu aliquod aliud venerationis ſignum. *Succeſſivè, & incontinenti* de' prædicta Eccleſia ſe tranſtulit ad Eccleſiam Monialium Abbatiæ de Bolieù Ordinis Ciſtercienſis, & vocata reverenda Sorore Thereſia de Maſette, & Abbatiſſa petiit ab ea an in prædicto Conventu, aut Eccleſia eſſent aliquæ Reliquiæ aut imagines dicti Servi Mei, quæ dixit, quod non; deinde inſpexit per totam Eccleſiam, & Sacrarium, & nullum venerationis ſignum invenit. *Succeſſivè, & incontinenti* hora ſeſquiquarta dictus Illuſtriſſimus D. Judex de dicta Eccleſia ſe tranſtulit ad Eccleſiam Monialium Bernardinarum, ubi ad crates vocata devota Sorore Maria Baptiſta Taſſerando, Monaſterii Præfecta, petiit ab ea, an eſſent in illa Eccleſia, ſeù Conventu aliquæ Reliquiæ, aut imagines dicti Servi Dei, quæ reſpondit, non, & diligenter inſpecta Eccleſia, & Sacrario per dictum D. Judicem, & Subpromotorem nulla inventa eſt Reliquia, aut imago dicti Servi Dei *Succeſſivè & incontinenti*, hora quinta dictus Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Epiſcopus, ac Judex unà cum R. D. Subpromotore, & teſtibus infraſcriptis de dicta Eccleſia Bernardinarum ad Eccleſiam RR.PP. Clericorum S. Pauli, ſeu Barnabitarum, ubi, vocato R.P. Dominico Coindet Vicario, petiit, oſtendi ſibi ipſorum Eccleſiam ad videndum, an ibi eſſent Reliquiæ, & imagines Servi Dei Franciſci de Sales, qui quidem R.P. conduxit Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum D. Judicem per totam Eccleſiam, nec ullæ repertæ ſunt imagines, aut Reliquiæ ipſius Servi Dei. *Succeſſivè, & incontinenti*, dictus Illuſtriſſimus D. Judex cum R D. Subpromotore, & teſtibus de dicta Eccleſia ſe tranſtulit ad Eccleſiam RR.PP. Prædicatorum Ordinis S. Dominici, ubi, vocato R. P. Michaele Marvin Subpriore, petiit ab eo oſtendi ſibi Eccleſiam, & Capellas in ea exiſten. qui ſtatim conduxit illum per totam Eccleſiam, Chorum, & Capellas, vidit, & inſpexit undèquaque, & nullas invenit Reliquias, aut imagines Servi Dei.

Primus Teſtis juxta 27. fol. 153. à tergo reſpondit. Nullam aliam vidi imaginem ad Sepulchrum dicti Servi Dei

vi Dei appositam præter illam, quam antea descripsi, per Moniales amotam, vidi tamen in multis locis privatis imagines, & effigies Servi Dei ordinarias super tela cannabina oleario pigmento expressas usque ad pectus, sed in illis nunquam vidi radios, splendores, laureolas aut diadema, nec vidi juxta illas lampades, aut candelas accensas, vel aliquod aliud signum cultus, aut venerationis, quod est publicum, commune & notorium palam, &c.

41 Secundus Testis juxta idem fol. 173. respondit. Nullam vidi imaginem ad Sepulchrum Servi Dei præter illam, quam jam descripsi superiùs, quæ fuit amota per Moniales, & recondita; vidi tamen in locis privatis quàm plurimas effigies ordinarias dicti Servi Dei oleario pigmento usque ad pectus, sed in illis nunquam fuerunt appositi radii, splendores, laureolæ, aut diadema, tamen nulla hodie extant in Ecclesia visitationis Primi Monasterii, nec in illis Ecclesiis, seù Oratoriis publicis in hac Civitate Annessienſi, & toto statu Sabaudiæ, ubi sum practicus, & non vidi illas, nec alibi esse possunt cum hujusmodi signis venerationis; quia hoc scirem, & juxta illas, quas dixi in locis privatis existere, nulla unquam fuerunt appensa donaria, aut lumina accensa, sed tantùm privatim asservatæ fuerunt ob devotionem, & memoriam tanti Servi Dei, quod publicum est, commune, & notorium palam.

42 Tertius juxta idem fol. 194. respondit. Quamplurimas imagines vidi ordinarias, dictum Servum Dei repræsentantes usque ad pectus, quia ob magnam famam sanctitatis ejus existimationem omnium omnes ferè nobiles, & alicujus notæ homines in Sabaudia, & in Gallia, etiam apud Helveticos, curant habere dictam imaginem ob memoriam tanti viri, & in domibus, & cubiculis privatim asservant, tamen nulli unquam fuerunt appositi radii, splendores, laureolæ, aut diadema, nec circa illas imagines fuerunt oblata, & appensa aliqua vota donaria, anathemata, inscriptiones, & epitaphia, nullæque accensæ fuerunt lampades, cerei, candelæ, & faces, aut aliud lumen, quod scio certissimè, quia ego vidi in pluribus locis jam prædictis, & hoc est publicum commune, & notorium palam.

43 Sextus juxta idem fol. 245. respondit præter imaginem, quam dixi vidisse appositam ad Sepulchrum dicti Servi Dei, & inde remotam: vidi quoque aliquando in aliis Ecclesiis, seu earum Sacristiis aliquas imagines, & effigies dicti Servi, illum repræsentantes ad vivum usque ad pectus oleario pigmento sine radiis, splendoribus, aut diademate, sed illæ omnes fuerunt amotæ à tempore, quo Illustrissimus D. Episcopus Gebennen. anno 1648. fecit processum super non cultu; multas etiam ejusmodi vidi in domibus privatis, quia ferè omnes volunt illam habere ob memoriam tanti Viri, & existimationis, sed semper sine radiis, splendoribus, diademate, aut laureolis; nullæ etiam ad illas fuerunt appensæ tabellæ, donaria, anathemata, inscriptiones, epitaphia, aut lampades, cerei, faces, seu aliud lumen, quod publicum, commune & notorium fuit, & est palam. Et sic reliqui juxta idem interrogatorium, & super quarto articulo.

44 Primus juxta 29. Interrogatorium fol. 154. respondit. prædicta signa cultus, & venerationis non possunt omninò esse in Ecclesia, & Capella, ubi est Sepulchrum Servi Dei, quia ego vidissem nec in aliis Ecclesiis hujus Civitatis, sive aliis in locis hujus status, aut alibi, quia vidissem, aut ab aliquibus audivissem; nihil tamen de eo dicitur, licèt reputatio dicti Servi Dei talis sit, ut ubique ferè de eo fiat mentio, ac de his ad ipsum pertinentibus, maximè his temporibus, in quibus speratur ab omnibus quàm brevissimè ejus canonizatio. Prætereà Moniales Visitationis cùm sint valdè observantes, & Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientes, ac ardentissimè istam canonizationem desiderantes, & prosequentes, scientes cultum esse ad hoc reale impedimentum, non permitterent hujusmodi cultum, aut venerationem publicam illi adhiberi, & ita concludo non posse esse aliter, quàm dixi.

Et super 4. articulo fol. 157. respondit. Nullæ omninò sunt in dicta Ecclesia, & Capellis, & juxta Sepulchrum imagines, tabellæ, lampades, cerei, faces, aut candelæ, accensæ, aliunde lumen, Reliquiæ non sunt omnino expositæ venerationi, aut cultui tam Annessii, quàm alibi, nullumque signum venerationis, aut cultus reperitur circa corpus, sepulchum, vel imagines dicti Servi Dei, quod ego scio; quia vidi, & de his, quæ non vidi, audivi à viris probis, gravibus, & eruditis, & prudentibus, nec non fide dignissimis, & aliter esse non potest; quia est vox communis, fama publica, & notoria, palam, & secus si esset, vel vidissem, vel audivissem. 45

Secundus juxta 29. fol. 174. respondit. Circa imagines cum radiis ad Sepulchrum, vel alibi, donaria, anathemata, lampades, cereos, faces, inscriptiones, epitaphia, omniaque, cultum, & venerationem indicantia, dico, non posse esse, vel extare tam circa sepulchrum, quod vidi adhuc hodie, quàm in aliis Ecclesiis, & locis hujus Civitatis Annessienſis, vel alibi; quia nihil unquam de eo visum, dictum vel auditum fuit. Ideò hoc non potest esse, quia esset contra famam publicam, communem, & notoriam palam. 46

Et super 4. Articulo fol. 177. à tergo, respondit. Ad Sepulchrum Servi Dei nullæ imagines reperiuntur, nulla lampas accensa, nulli cerei, nullæ candelæ, nullumque aliud lumen ad imagines ejus privatim asservatas, nulli sunt appositi radii, nulli splendores, aut diadema illius, Reliquiæ non sunt cultui, aut venerationi ullo modo expositæ, circa ejus Sepulchrum, Corpus, Reliquias, & imagines tam Annessii, quàm alibi nihil quidquam reperitur, quod cultum aliquem, aut venerationem sapiat, quod ego scio; quia vidi in multis locis, & de his, quæ non vidi, sum optimè informatus, nec potest esse aliter; quia si secus esset, vel vidissem, vel audivissem, & pro confirmatione veritatis eorum, quæ dixi, accedit vox publica, quæ fuit, & est communis, & notoria palam. 47

Tertius juxta 29. fol. 195. respondit. Nulli unquam radii ad imagines Servi Dei fuerunt appositi, nulli splendores, nullæ laureolæ, diademata nulla, nullumque signum venerationis, & cultus quoad donaria votiva, anathemata, tabellas, & epitaphia potest extare circa prædictum Sepulchrum Servi Dei, nec alibi; quia si hoc esset tam propter practicam meam hic Annessii, per totum statum Sabaudiæ, per varias Galliæ Provincias, per Burgundiam, & Helvetiam, in quibus locis varia extant Monasteria Visitationis, & maxima viget Sanctitatis opinio, & fama prædicti Servi Dei, hoc probè scirem; quia vel vidissem, vel ab aliquibus audivissem; ideò dico, hoc non potuisse esse, vel adesse tam Annessii, quàm alibi aliter quàm dixi. 48

Et super 4. fol. 199. respondit. Nullæ unquam lampades, aut candelæ accensæ fuerunt appositæ ad Sepulchrum dicti Servi Dei, aut alia lumina, neque ad illius imagines, & Reliquias, nec ad ipsas imagines unquam appositi radii, aut diadema, neque illius Reliquiæ fuerunt venerationi expositæ, nec aliud quidquam reperitur circa Sepulchrum, Corpus, Reliquias, & imagines ibi, aut alibi, quod cultum aliquem, aut venerationem præseferat; quod scio, vidi & audivi, & non potest esse aliter; quia, si secus esset, ego scirem, & vidissem, & de his, quæ dixi, fuit, & est vox publica, & fama, publicum & notorium palam. 49

Quartus juxta 29. fol. 210 respondit. Illa omnia signa venerationis, & cultus de quibus interrogatus hactenus fui, non sunt, nec possunt esse in Ecclesia Monialium Visitationis, nec in aliis Ecclesiis istius Civitatis 50

tatis Anneſſien. nec juxta Sepulchrum Servi Dei, quia ego ipſe vidi adhuc hodie, nec etiam alibi eſſe poſſunt, quia cùm ſit maximum impedimentum ad canonizationem Servi Dei, & pluſquam centum, & viginti Monaſteria Ordinis Viſitationis in variis Provinciis, Regnis, & Civitatibus jam fundata ſint, illæ Moniales, quæ tam ardenti deſiderio flagrant, ut illam canonizationem à Sancta Sede obtineant, non ubique permitterent hujuſmodi cultum, & venerationem, & ſi eſſet ita, vel aliquis vidiſſet, vel audiviſſet, ſed cùm nemo hoc ſciat, aut dicat, dico, non poſſe extitiſſe, vel extare.

51 Et ſuper 4. fol. 214. à tergo reſpondit. Ego adhuc hodie ocularitèr vidi Sepulchum dicti Servi Dei, ſed nihil ibidem reperitur, quod cultum, & venerationem præſeferat, nulla lampas, aut candela, aut alia Lumina, ſeu tabellæ, aut anathemata, quia quidquid olim appoſitum fuerat, ad obediendum decretis Apoſtolicis, remotum penitùs, & reconditum fuit in loco ſecreto; ad imagines ejus nulli unquam depicti fuerunt radii, ſplendores, & diadema, nec aliter eſſe poteſt, quàm dixi; quia ſi aliter eſſet impoſſibile eſt, me neſcire propter practicam, & viſionem meam, non ſolùm dico, non poſſe eſſe juxta Sepulchrum, & in hac Civitate Anneſſienſi, ſed nec etiam alibi, quod ſciam, licèt omnes prædictum Servum Dei exiſtiment Beatum, & Sanctum, & de hoc eſt, & fuit vox publica, fama communis, & notoria palam.

52 Et ſic reliqui Teſtes juxta idem Interrogatorium & ſuper 4. articulo.

53 Primus ſuper 7. Articulo fol. 158. reſpondit. De omomnibus ſuper quibus reſpondi, teſtificatus ſum, & depoſui, tam eſt, ac fuit publica vox, & fama, communis opinio, & reputatio apud omnes ut nihil ſit magis publicum, & notorium, neque modò apud partem aliquam Populi, ſed apud totum populum, & apud viros graviſſimos Illuſtriſs. & Sapientiſſimos, quod ſatis eſt evidens ex inſcriptionibus, epitaphiis, & elogiis, quæ in infinitis libris editis continentur, fuitque, & eſt hujuſmodi fama conſtans perpetua, & perſeverans, contra quam nihil unquam fuit dictum, vel auditum in contrarium, nec modò viget in hac Civitate ſed ubique locorum quod verè ſcio, & ignorare non poſſum propter rationes adductas.

54 Secundus ſuper eodem fol. 178. à tergo reſpondit. Illa omnia præfata, quæ depoſui, & teſtificatus ſum, ſunt veriſſima, & luce clariora, & adeò publica, & notoria, ut de illis omnibus, & ſingulis fuit, & eſt publica vox, & fama, communis opinio, & reputatio apud omnes, non tantùm apud majorem partem ſed apud totum populum, & apud Viros probos, graves, doctos, peritos, & fide digniſſimos, nec aliter eſſe poſſunt ob rationes à me deductas in reſponſionibus meis, & ſi ſecus eſſet, ego ſcirem, tam ob practicam meam in pluribus, & diverſis locis, quàm ex devotione, quæ me impellit ad exquirendum de his, quæ pertinent ad d. Servum Dei, cujus canonizationem omnes fideles ardentiſſimè exoptant, & de quo ſatis loquutum fuiſſe nunquam exiſtimant.

55 Tertius ſuper eodem fol. 200. reſpondit. Omnia prædicta, quæ depoſui, & teſtificatus ſum, ſunt tam vera, publica, & notoria, ut ipſo Sole ſint clariora, & de illis fuit, & eſt publica vox, & fama, ac communis opinio, & reputatio apud omnes, & majorem partem populi, & apud Viros graviſſimos, & hæc omnia aliter eſſe non poſſunt propter rationes quas ſuperiùs adduxi.

56 Quartus ſuper eodem fol. 216. reſpondit. Illa omnia quæcumque depoſui, & teſtificatus ſum, tam vera ſunt, & publica, ſeu notoria palam, ut de illis ſit ac fuerit ſemper opinio, fama, reputatio, & vox communis, & univerſalis apud totum populum, necnon apud Magnates, & Viros prudentiſſimos, & doctiſſimos, qui omnes publicè exiſtimant, & profitentur præfatum Servum Dei omninò dignum beatificationis, & canonizationis honore, quod patet Sole clarius ex hiſtoriis vitæ ejus à graviſſimis viris ſcriptis, ac etiam ex variis elogiis, & libris in lucem editis, & ea vox, & fama tam conſtans eſt, & fuit perpetua, ac perſeverans, ut nihil unquam fuit dictum, vel auditum in contrarium, vigetque verò non tantùm in hac Civitate Anneſſi, ſed ubique locorum, atque de novo affirmo, meam depoſitionem eſſe veriſſimam, nec aliter eſſe poſſe propter rationes ſuperiùs adductas.

In nomine Domini Amen, Per hoc præſens publi- 57
cum inſtrumentum notum ſit omnibus, & cunctis pateat evidenter, qualiter anno ejuſdem D.N.I. Chriſti 1653. Indictione 6. Pontificatus autem Sanctiſſimi D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ X. anno nono die verò 4. Menſis Septembris, qui non erat feriatus, nec feſto impeditus, ſed juridicus, & unus ex deputatis in Civitate Lugdunenſi Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Joannes de Paſſelaigue Epiſcopus Bellicenſis, & Judex Apoſtolicus à Sac. Rit. Congregatione delegatus pro formando proceſſu ſuper non cultu in cauſa beatificationis, & canonizationis Servi Dei Franciſci de Sales, dum vixit Epiſcopi Gebennen. unà cum R. D. Franciſco Durand, Subpromotore fidei conſtituto, debitè citato, meque Notario Apoſtolico in hac cauſa deputato, & teſtibus infraſignatis hora prima poſt meridiem ad executionem ſui decreti de die 29. Menſis Auguſti procedendo, ſe tranſtulit de hoſpitio vulgò de Chaſſe Maree nuncupato ad Eccleſiam primi Monaſterii Viſitationis B. Mariæ ejuſdem Civitatis Lugdunen. quæ fundata eſt juxta Monaſterium prædictum à parte Septentrionali ejuſdem, ubi adorato Sanctiſſimo Sacramento vocari mandavit diſcretum Chriſtophorum Iſolin, Diœceſis Lugdunenſis Clericum, ejuſdem Eccleſiæ Monialium Cuſtodem, è quo petiit, an in eadem Eccleſia Monialium adeſſent aliquæ Reliquiæ, & imagines dicti Servi Dei Franciſci de Sales, qui reſpondit, nullas adeſſe imagines, aut Reliquias, ſaltem publicè expoſitas, & de facto circumduxit prædictum Illuſtriſſimum D. Judicem per eamdem Eccleſiam, & illius Sacriſtiam, qui undequaque cum dicto D. Subpromotore diligenter inſpexit, nullamque vidit imaginem, aut Reliquiam dicti Servi Dei, vel aliud venerationis cultus publici ſignum erga dictum Servum Dei: perventus ad Sacriſtiam retrò Altare majus dictæ Eccleſiæ vocari juſſit dictus Illuſtriſſimus D. Judex devotam Sororem Martham Seraphicam de Ponſein, Superioriſſam, & Mariam Angelicam Deleſtan, Sacrarii Præfectam, à quibus petiit, num in dicto Monaſterio, ſeu Eccleſia haberent Cor Servi Dei Franciſci de Sales, & in quo loco illud aſſervarent; quæ reſponderunt, illud ſe habere, & aſſervare privatim, & in ſecreto loco, ſcilicet in Sacrario interiori è parte Monialium, & dictus Illuſtriſſimus D. Judex juſſit, prædictum Cor dicti Servi Dei ſibi afferri per dictas Moniales, quæ ſtatim illud attulerunt, & aperta feneſtra, quæ erat optimè clauſa, & ferrea crate munita, illud oſtenderunt, quod ut melius videret D. Judex, præcepit ſibi tranſmitti, quod ſtatim dictæ Moniales per turnum tranſmiſerunt, eratque prædictum Cor incluſum intra magnum cor ex auro, unum pedem in diametrum latum, & altum ſuper baſi aurea, quaſi pedem unum, & ſemi alta, ſuffultum à parte anteriori, porta cryſtalina clauſum, & circumcirca vario opere emblematico ſculptum, & dictus D. Judex prædictum Cor vidit, ac inſpexit, præſente ſemper, & vidente D. Subpromotore prædicto, videbaturque eſſe integrum, & molle, ac ſi recenter à paucis diebus ex corpore extractum fuiſſet, atque quemdam liquorem veluti balſamum deſudare; unde fragantiſſimum odorem ſpargebat, illoque viſo, & inſpecto dictus D. Judex juſſit, ut per Moniales in

ſecreto

secreto loco, ubi antea erat reponeretur, & asservaretur, donec per Sanctam Sedem Apostolicam aliter ordinetur, petiitque ab ipsis Illustrissimus D. Judex, num aliquando prædictum Cor venerationi, & cultui fuerit expositum, & dictæ Moniales, præstito juramento in manibus dicti Illustrissimi D. Judicis, tactis Sacrosanctis Evangeliis ante ipsum positis, dixerunt, & affirmaverunt prædictum Cor Servi Dei nunquam expositum fuisse venerationi, aut cultui, sed semper ab obitu dicti Servi Dei reclusum, & asservatum fuisse privatim & in secreto absque ullo lumine, aut alio, vel minimo venerationis signo.

58 Alphonsus Ludovicus Du Plessis de Richelieu S.R.E. Presbyter Cardinalis Archiepiscopus, & Comes Lugdunen. Galliarum Primas. Magnus Franciæ Eleemosynarius omnibus, & singulis ubilibet, vel in ipsa Curia Romana, si quibus intererit, notum fit, ac certum in Monasterio Monialium Visitationis B. Mariæ Virginis hujus Lugdunen. Civitatis Cor venerabilis Viri Francisci de Sales, Gebennen. quondam Episcopi, à die obitus ejus, qui propè dictum Monasterium contigit, integrum veneranter asservari, nullum ei cultum exterius adhiberi, nec in Ecclesia unquam exponi, licèt id quàm cupidè, studiosèque à populo expectetur, eoque vehementius, quod plurimi adhuc sunt superstites, qui ejus vitæ integritatem, & sanctitatem, dum viveret, ad mirati ejus pium è vita decessum conspicantur, cui accedit constans fama plurium, quæ eo intercedente à Deo obtineri narrantur, gratiarum, mirabilem Deum in Sanctis suis prædicantes, de ejus Apotheosi minimè dubitandum autumant; in quorum fidem, & testimonium præsentes manu nostra propria signatas, per Secretarium nostrum fieri, & subsignari, sigilloque nostro Archiepiscopali muniri jussimus. Datum Lugduni in Palatio nostro Archiepiscopali die 13. Mensis Decembris anno Domini 1652. sic signatum Alphonsus Ludovicus S. R. E. Cardinalis Lugduni per eminentissimum D. meum D. Cardinalem Archiepiscopum Basset Secretarius. Loco ✠ sigilli.

59 Secundus juxta 28. Interrogatorium fol. 174. respondit. Cùm studebam Lugduni, sæpè frequentavi Ecclesiam Monialium, primi Monasterii Visitationis illius Civitatis devotionis causa; quia sciebam Cor Servi Dei præfati ibi asservari, & aliquoties vidi cum ingenti consolatione mea spirituali ob suavissimum odorem ex eo proficiscentem, vidi tamen illud in loco secreto, scilicet in Sacrario superiori, & inferiori à parte Monialium asservatum esse, nec ullum venerationis, & cultus signum ibi extare, quod publicum, commune, & notorium fuit, & est palàm.

60 Tertius juxta idem f. 194. à tergo respondit. Ob mea negotia privata, & aliquando ab amicis commissa, sæpissimè ivi Lugdunum & quotiescumq; ivi, visitavi Ecclesiam primi Monasterii Visitationis ejusdem Civitatis, quæ est constructa ex lapidibus quadris, satis ampla dicto Monasterio contigua à parte occidentali, & in qua unicum tantùm extat altare, ivique devotionis ergo; quia scio ibi asservari Cor prædicti Servi Dei, quod pluries vidi maxima cum spirituali consolatione, & ultima vice mihi contingit die Cinerum istius anni; prædictum Cor est intus in magno corde aureo à Christianissimo Rege Ludovico XIII. oblato, & asservatur in loco secreto in Sacrario superiori, & interiori à parte Monialium, nec ullum unquam obtulerunt illi cultum publicum, aut venerationem in prædicta Ecclesia, nulla extant votiva donaria, seu anathemata, nullæ tabulæ votivæ, nullæ imagines Servi Dei, nullæ lampades accensæ, candelæ, cerei, faces, seu aliud lumen præter lampadem, quæ extat ante Sanctissimum Sacramentum Altaris, & candelas super dicto Altari positas, dum celebrantur Missæ, & Officium; quod scio, quia vidi pluries, & quia publicum, commune fuit, & est notorium palàm.

Quartus juxta idem fol. 210. respondit. Ego com- 61
moratus sum Lugduni quinquennium, ubi studebam, & quia sciebam Cor dicti Servi Dei asservari in Ecclesia Monialium Visitationis primi Monasterii ejusdem Civitatis, ideò illam Ecclesiam persæpè visitabam devotionis ergo, sed nunquam vidi illud Cor publicè expositum venerationi, sed asservatum in Sacrario interiori à parte Monialium, nec vidi in illa Ecclesia inscriptiones, epitaphia, seu donaria votiva, ibi appensa, nec lampades, seu alia lumina accensa præter illa, quæ sunt ante, & juxta Sanctissimum Sacramentum, & hoc verissimum esse dico, quia egomet vidi Cor Servi Dei, & Ecclesiam.

Septimus juxta idem fol. 261. à tergo respondit. Io 62
sono stato spesso dentro la Chiesa del primo Monasterio della Visitatione di Leone, e sò per voce publica, che il Cuore del detto Servo di Dio è in quella conservato, è nascosto dentro la Sacristia interiore del Monasterio, e mai non l'hò visto in publico, nè udito dire, che sia stato esposto, &c.

CONSULTATIO CXV.

An, & quatenus in quacumque Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia sacris Ordinibus nondum initiati, vocem in Capitulo habere nequeant: quid præstare teneantur ad eas promoti? Quive deinceps promovendi?

PRæter alibi dicta in *tom.* 1. extat hac de re decre- 1
tum S. Concilii Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. *de reform.* in quo innovatur & ampliatur constitutio Concilii Viennensis in Clem. *ut ii de æt. & qual.* ut non modò decernat de dignitatibus, sed etiam de quibusvis beneficiatis. Ratio autem hujus dispositionis est, ut propensiùs inducantur beneficiati ad suscipiendos sacros Ordines. Sed causa finalis, de qua Glos. *in d. Clem.* ne mancipati, hoc est deputati divinis Officiis retrocedant, cùm is, qui mittit manum suam ad aratrum, non debeat retrò respicere. Tum etiam quia illicitum est, eos, qui non sunt in sacris Ordinibus Ecclesiasticis immiscere tractatibus, *c. satis evidenter d. 96. cap. cum ex eo de elect. in 6.*

Idque etiam si dignitatibus, Canonicatibus, aliisque 2
Officiis Divinis Ordo sacer annexus non esset, cùm aliàs ob utilitatem, ac necessitatem Ecclesiæ possunt compelli Clerici sacros Ordines suscipere suis beneficiis non annexos, *cap. quaris, de æt. & qual.* Ex quibus infertur, Canonicatum de jure communi non habere sacrum Ordinem annexum, sed Canonicos debere promoveri ad Ordines sacros secundùm utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ indigentis sub, pœna privationis, quando nen ex legitima causa renuerint, Glos. *in d. Clem. v. in posterum*, & Glos. *antepen. in cap. licet Canon. de elect. in 6. & in d. cap. quaris de æt. & qual.*

Undè ex S. Congregatione ne quidem vocem con- 3
sultivam, neque assistentiam, neque sedem in Capitulo habere possunt. Quod habet locum non modò in omnibus actibus expediendis, & communibus contractibus, qui capitulariter expediuntur, sed etiam in electionibus. Quia talis amittens vocem in capitulo, amittere censetur omnia alia, quæ proveniant ex voce. Quæ verò ex voce non dependent, sicuti quilibet alius Canonicus censetur, ut notat Glos. *in d. Clem.*

Sed an Archidiaconus, ad quem ex consuetudine 4
Ecclesiæ, absente Decano, pertinet convocare Capitulum, & in eo proponere, ac resolutiones accipere, id exequi possit, si non sit in sacris constitutus? S. Congregatio Concilii censuit, posse. Item hoc decreto Concilii Tridentini non esse sublatam immemorabilem consuetudinem, neque fundationem, stante eodem decreto in fine, ubi disponitur, quod non fiat

provisio de beneficiis, nisi iis, qui habent ætatem ad Ordinem, quem beneficium requirit.

5 In secunda parte dicti decreti præcipitur, ut intra annum quis tales Ordines suscipiat, quibus susceptis per seipsum valeat obire onera beneficio injuncta, seu annexa. Censuitque S. Congregatio omnia alia beneficia, quæ Ordinem requirunt in dicto Decreto comprehendi, non modò Dignitates, personatus, & officia, de quibus *in d. Clem. ut ii.* Unde tollitur difficultas, an Prælatura in Ecclesiis inferioribus, quæ de jure communi Ordinem requirit, ut *in cap. 1. de æt. & qual.* veluti Archipresbyter, comprehendatur in dispositione dicti decreti, ut notat Glos. *in d. clem. ut ii*, quæ tenet non excludi, cùm non dicatur propriè dignitas. Idemque dicendum, si essent annexi hujusmodi, vel aliis beneficiis alii Ordines non sacri, sicut tenet Glos. *in d. Clem.* ponderans verbum *certi*.

6 Justo tamen impedimento cessante, scilicet non ipse dedit causam, vel per ipsum non stetit, ne pacificam possessionem haberet. An autem is, cui dignitas fuit collata, & illius nunquam pacificam possessionem habuit, diù super eam litigans dicatur legitimè impeditus; adeò ut non in sacris constitutus distributiones quotidianas, & vocem in capitulo habere possit? Respondit S. Congregatio, non teneri ad sacros Ordines promoveri, nisi post adeptam pacificam possessionem juxta notata per Doctores in *d. Clem.* sed non posse habere vocem in Capitulo.

7 Super quibus Sac. Concilium in d. Decreto innovat Constitutionem Concilii Viennensis in *d. Clem. Ut ii.* Quare primò Episcopum contra dispositionem *d. Clem.* non posse dispensare, notat Glos. *ibi*: Deinde pœna, quæ est elapso anno dimidia pars distributionum, quæ datur interessentibus certis horis, & voce in capitulo. Quod ita intelligendum est, ut Glossa ibidem declarat, videlicet si esset Subdiaconus, post annum si non evaderet Diaconus, non habeat vocem in Capitulo. Nam, ut unusquisque habeat vocem in Capitulo primo anno elapso, ut diximus, si non est Diaconus, non habebit vocem & sic dicendum de Presbyteratu.

8 Nec non aliis gravioribus pœnis cogi ad id possunt, videlicet *cap. licet canon. de æt. & qual.* monitione tamen præmissa, quæ est privationis, *cap. Cum in cunctis de elect. & d. cap. quæris de æt. & qual.*

9 Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur. Aliter irrita sit provisio. Id tamen limitatur juxta dispositionem *Clem. ne in agro, §. Cæterum de stat. Regul. & d. cap. licet canon de elect. in 6.* Et cùm hoc decretum locum habeat in beneficiis juris patronatus laicorum, Capellania de jure patronatus laicorum non poterit ei conferri, qui non est ejus ætatis, ut intra annum ad Ordines promoveri possit, si ei injunctum sit onus dicendi Missas personaliter, vel Evangelium, vel Epistolam decantandi, vel in fundatione dictum fuit, ut obtinens esset Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus. Capellania verò habens onus duarum Missarum qualibet hebdomada non expressè, quod Capallanus per se ipsum celebret, non erit Sacerdotalis. Obtinens tamen beneficia quæcumque Ordinem habentia annexum, intra annum tales Ordines tenetur suscipere. Vide alia in *tom. 9.*

CONSULTATIO CXVI.

An reus, qui secum per vim ad Ecclesiam trahit Ministros Curiæ secularis, gaudeat Ecclesiæ, immunitate?

1 REspondeo negativè. Fundatur in illa inconcussa ratione quod nemo sibi potest retinere rem alienam, sed tenetur restituere Domino. Quod præsertim verum est, si Dominus contradicat tali retentioni. Nec ulla lex sive divina, sive naturalis, sive humana potest oppositum statuere, alioquin non esset lex, sed iniquitas, quia statueret injustum.

In hoc autem casu Curia secularis injustè spoliatur 2 reo quia privatur suo jure, ac dominio, quod ex captura ac retentione, actuali in eum acquisiverat. Unde, non obstante, quod per vim se receperat ad Ecclesiam, retinet jus, & dominium supra reum per actualem, ac continuam retentionem in ipsa Ecclesia, & proindè potest ipsum repetere, apud quemcunque sit. 3

Nec suffragatur privilegium Ecclesiæ de immunitate; quia hoc consistit tantùm in eo, quod possit protegere reos, non autem, quod possit protegere injustitiam. Unde tunc Ecclesia potest protegere reum, quando non est sub jure, & dominio Curiæ laicalis & confugit liber ad ipsius protectionem.

Hinc valet argumentum Novarii *in sum. Bullar. tit.* 4 *de Immun. n. 14.* Ecclesia injustè spoliata reo est restituenda. Ergo etiam Curia secularis; quia militat ex parte utriusque eadem ratio, & stante injusta spoliatione non cessat jus ipsius supra reum.

Pariter nec obstat, quod opponunt Diana, & alii 5 relati à Delbene *de Immun. cap. 16 dub. 10. sect. 7.* nimirùm, quod reus confugiens ad Ecclesiam gaudeat immunitate; quia hoc verum est, quando est in statu, quo possit protegi ab Ecclesia; ut autem sit in tali statu, debet esse liber, & sui juris, non alieni, alioquin non potest protegi; nam protectio non esset actio pietatis, sed actio injustitiæ; quando autem reus trahit secum ad Ecclesiam Ministros Curiæ secularis, non est liber, & ideò remanet adhuc sub jure, & dominio ipsius, quo Ecclesia non potest privare Curiam invitam.

Unde hoc locum habet, quando reus se eripit à 6 manibus Curiæ. Nam qui se eripit, utitur jure suo, quod habet ad fugiendum, & proinde, si fugit, cessat actuale dominium, & jus Curiæ supra ipsum; secus autem in hoc casu, in quo reus non eripitur, sed adhuc est sub dominio, & jure Curiæ secularis.

Neque etiam obstat, quod iidem dicunt loco alle- 7 gato, quod ubi lex nempè Constitutio Gregoriana de Immunitate non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nam ex hoc solùm deducitur, quod talis reus, si non cómisit delictum ex exceptis, non esset tradendus Curiæ seculari ratione delicti, non autem quod non sit tradendus ratione juris, & dominii, quod Curia secularis retinet supra ipsum, tanquam injustè spoliata. Non enim Constitutio Pontificia prohibet, nec prohibere potest ne alicui jus suum reddatur, solùmque agit de reis, qui possunt confugere ad Ecclesiam, & quos potest Ecclesia protegere, si confugiant liberi, ne fiat actio ab Ecclesia injusta. Atque ita docent Peguera, Gama, Ambrosinus, Novarius, & quamplures alii citati à Delbene loco superiùs adducto, & *dub. 19. sect. 2. & dub. 33.* ac alibi. Unde ipse Diana, & Fagundez de præceptis Ecclesiæ *præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 57.* hanc opinionem dicunt esse in rigore juris probabiliorem.

Atque ita etiam declaravit S. Congregatio Immu- 8 nitatis, si rectè memini in Neocastrensi anno 1663. in casu, in quo ministri Curiæ secularis ducebant reum ligatum, ac vi se recipientem ad Ecclesiam; quia tamen erat adhuc ligatus, & funibus retinebatur à dictis Ministris, S. Congregatio censuit, non gaudere. Quibus hæc subjicio. Capto à Curia seculari, si dum ducitur ad carceres ponat alterum pedem super gradu ostii Ecclesiæ, absque eo, quod unquam à lictoribus relinquatur, non suffragatur immunitas in Sarzanensi 1. Septembris 1671.

Qui manibus & corpore adhæret muro Campanilis 9 Ecclesiæ gaudet immunitate in Montis Falisci 24. Maii 1672.

Captus super sedili marmoreo conjuncto muro Ec- 10 clesiæ, gaudet immunitate, in Montisalti 8. Februarii 1662. Il Vescovo di Girau rappresentò, che conducendosi dalla Corte secolare carcerata Elisabetta, andando

andando libera, vicino ad una Chiesa si pose in fuga, mà prima d'arrivare fù ripigliata da' Ministri della medesima Corte, restando meza dentro, e meza fuori. S. Congreg. die 17. Sept. 1651. respondit, *non gaudere*.

CONSULTATIO CXVII.

An Monialis possit facere renunciationem legati sibi relicti reservata sibi parte illius, sua vita durante, & sub conditione, quod nihil Monasterio acquiratur.

1 Respondeo negativè. Primò, quia cùm hujusmodi conditiones repugnent paupertati religiosæ tanquam turpes, habentur pro non appositis, atque adeò hujusmodi reservationes, & legata acquiruntur Monasterio; quia conditiones turpes adjectæ reservationibus, ac legatis non vitiant reservationes, & legata, sed ipsæ vitiantur, *l. 1. l. si quis ita, l. quæ sub conditione, l. conditiones* cum aliis, *ff. de condit. instit.* & tradunt Imola *in l. si alienum num. 3. ff. de hæred. instit.* Angel. *in l quidam, §. illo num. 2. C. de necess. serv. hæred. instit.* & Jas. *in auth. Ingressi n. 37. & 39. C. de Sacros. Eccl. aliique.*

2 Secundò, quia continent impossibilitatem, & repugnantiam ex Bartol. *in auth. excipitur, C. de bon. quæ lib.* Nam Monialis non potest habere aliquid, sed totum est Monasterii *can. nolo, & can. non dicatis 12. qu. 1. & d. auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Unde pugnat cum solemni paupertatis voto, si Monialis peculium habeat, cùm per professionem se omni rerum dominio, & proprietate abdicaverit.

3 Tertiò, quia renunciatio legatorum est renunciatio jurium, quæ sibi competunt, vel competere possunt tanquam tali personæ, existenti de tali familia, & quæ sunt propria, & personalia, & quorum tunc habet dominium, vel habere potest, non autem jurium sibi competentium, tanquam Moniali, sive quæ de novo acquirit, tanquam Monialis. Quia cùm hæc non sint sub dominio ipsius, sed transeant ad Monasterium, non potest ipsis renunciare, cùm non possit defectu dominii de iis disponere. Tale autem est jus ad legatum sibi relictum, quia est relictum tanquam Moniali, & jus omninò de novo supervenit, & omninò ex voluntate alterius. Unde, non obstante quacumque conditione, hæc monialis est incapax legati, ac donationis; nam jus ad rem donatam non incipit, neque in potentia quidem, donec fiat donatio; quando autem fit, & acceptatur, statim jus transit in Monasterium, cui monialis acquirit, quicquid acquirit; tali autem juri non renunciatur à Novitia, cùm non possit ipsi renunciari.

4 Quartò tandem, quia hujusmodi conditiones sunt contra sacros canones *in cap. Monachi, & in cap. cum ad Monasterium de stat. Monach.* contra decreta Apostolica, præsertim Clementis VIII. *pro reformat. Regul.* ac præcipuè contra S. Concilium Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 1.* ubi præcipitur observantia vori paupertatis, necnon communis vita, victus, & vestitus; item *cap. 2.* ubi proprietas regularibus utriusque sexus prohibetur, ita quidem, ut nec liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Redditus autem, ac census annui inter bona stabilia numerantur, ut colligitur ex *Clem. Exivi, §. Cumque annui reddituus de verb. signif.* Unde cùm dictæ conditiones sint directè contra Sacros Canones, bonum renunciantis, & contra ea, quæ concernunt commodum animæ ipsius, ut irrationabiles rejiciuntur, tanquam impeditivæ majoris boni, & eorum, quæ concernunt salutem animæ.

5 Neque huic resolutioni adversantur decisiones Sac. Rotæ Romanæ 405. *nn. 5. & 410. nu. 11. & seqq. par. 10. recent.* Nam solùm admittunt cum eodem Bartolo verba illa, quod nihil Monasterio acquiratur, esse intelligenda quoad usum, non quoad dominium, sive, ut ait Bartolus, respectu utilitatis, non autem respectu juris, quem sequutus est Abb. *cons. 44. num. 1. lib. 2. & cons. 63. n. 7. in fin. eod. lib.* quam tamen opinionem etiam quoad usum post Concilium Tridentinum, & decreta Clementis VIII. non posse sustineri, probat Fagnan. *in d. cap. Monachi, nu. 47.* ubi etiam adducit declarationes S. Congregationis Concilii. Quia Tridentinum nedum prohibuit Regularibus rerum dominium, sed etiam usum, & præcepit, quod omnia consignentur Superioribus, & confundantur pro communibus necessitatibus. Quod etiam annotavit ante Fagnanum Azorius *lib. 12. instit. moral. cap. 9. qu. 2.* Ubi docet hujusmodi usum jure antiquo nequaquam esse prohibitum; at verò jure novo Concilii Trid. id esse interdictum, & propterea annui census, vel redditus, & alia bona immobilia tradi Superiori debent, ut is Religiosis singulis necessaria provideat. Et hoc idem post Trident. scribens sensit contra Navarrum, quem alii postea recentiores secuti sunt Corduba *in sum. quæst. 54.*

Quare hujusmodi conditiones, vel abolendæ sunt, 6
tanquam scandalosæ, vel declarandum, quod habeantur pro non adjectis juxta ea, quæ notant Glos. & Doctores *in cap. de condit. appos.* Quod ultimum tenet idem Bartol *in l. Lucius, §. tres hæredes, ff. ad Trebel.*

Ac etiam providendum decreto aliquo Apostolico, ut deinceps renunciationes hujusmodi fiant cum licentia, nedum Episcopi, sive ejus Vicarii, ut præcipit Trid. *d. sess. 25. cap. 16.* sed etiam cum illius præsentia; hoc enim modo non solùm occurretur huic malo, sed etiam prospiceretur indemnitati Monasteriorum, & libertati puellarum, quæ sæpè ad renunciandum vi, metuve coguntur. 7

CONSULTATIO CXVIII.

1 *An Sacerdotibus, qui Latinam, & Illyricam linguam callent, permittendum sit, ut Missam utraque lingua prout ipsis placuerit, celebrare possint?*

2 *An iis Sacerdotibus, qui ad Presbyteratum promoti fuerunt, tanquam periti in lingua Latina, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebrarunt, permittendum sit, ut lingua etiam Illyrica celebrare possint.*

3 *An iis Sacerdotibus, qui ad Presbyteratum promoti fuerunt, tanquam periti in lingua Illyrica, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebrarunt, permittendum sit, ut lingua etiam Latina, nempe nobiliori, Missam celebrare possint, si cæteroquin in ea periti reperiantur?*

Respondeo generatim, quod licèt Missa non possit 1
recitari vulgari lingua, ut decernit S. Concilium Trid. *sess. 22. cap. 8.* ubi & *can. 9.* damnat anathemate dicentes, vulgari tantùm lingua esse celebrandam, & notant Bellarm. *lib. 1. de Miss. cap. 2.* Petr. Sot. *lect. 15. de Cærem. Miss.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 26. q. 6.* & alii. Quia Sacrificium Missæ non peragitur ad instructionem populi, ut hoc nomine necesse sit, omnia vulgari lingua dici, ut ab eo intelligi possent, sed tendit ad colendum Deum, ut probat Bellarminus *lib. 2. de Miss. cap. 16.* tamen apud Sclavos celebratur etiam hodie Missa idiomate Illyrico, ex concessione Joannis VIII. in gratiam Sfetumpulchri Sclavi, Moraviæ Principis, cùm onere tamen, quod Evangelium latinè recitaretur, ut refert Baronius *tom. 10. annal. sub an. 880.* Neque desunt, qui dicant ab ipsis introductum esse; quia ii, qui apud ipsos Christi Evangelium promulgarunt, videlicet Cyrillus, & Methodius ante septies centenos annos à Rom. Pontifice impetrarunt, ut eis rem divinam facientibus lingua, & sermone Sclavorum uti liceret, quod ea gens, ipsis auctoribus in Christum Dominum credere cœpisset, ut refert Æneas Sylvius

in hist. Bohem. cap. 13. & Cromerus *lib.* 3. *de reb. Polonor.* Imò, ut ait idem Sylvius, ferunt Cyrillum, cùm Romæ ageret, Romano Pontifici supplicasse, ut Sclavorum lingua, ejus gentis hominibus, quam baptizaverat, rem divinam faciens, uti posset; de qua re dum in Sacro Senatu disputaretur, essentque non pauci contradictores, auditam vocem, tanquam de Cœlo in hæc verba missam: *Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*, indeque datum Cyrillo indultum. Et Joannes Aventinus *annal. Boior. lib.* 4. Sacerdotes Liburniæ, quæ Archiduci Noritorum nostro ævo paret, adhuc ignari Romanæ linguæ, Sacrificia patrio more, nempè Sclavorum procurant. Et Jo. Baptista Palat. *de rat. scrib.* de Illyricis, sive Sclavis ait: *Sciendum est quod vulgaris ipsorum sermo idem ille est, quo continuè utuntur in officiis divinis, & universus populus intelligit, haud secus atque nos intelligimus vulgarem sermonem nostrum, & ex commentariis rerum Moscovit.* Sigismundi liberi Baronis; Cæterùm totum sacrum, seu Missa gentili, ac vernacula lingua apud illos peragi solet.

2 An autem hi possint celebrare Latino idiomate? Respondeo, posse quidem illorum Ecclesias recipere Latinum ritum juxta concessionem Pii V. in Bulla præfixa Missali Romano; privatas tamen personas non posse celebrare ritu Latino, dum sunt in propria Ecclesia, quia tenentur se conformare ritui proprio. Verùm idem Joannes VIII. concessit in eisdem literis eidem Principi Moraviæ, ut si vellet, posset facere coram se celebrare Missam Latinam, quàm concessionem extendit etiam ad ipsius Judices. Ex qua concessione deducitur, quod ita indulsit Missam in idiomate Illyrico, ut sine speciali licentia non possint in alio idiomate celebrare; modò tamen, ut dictum est, possunt ex concessione Pii V. in dicta Bulla illæ Ecclesiæ complecti ritum Latinum.

3 Ex quibus ad primum respondetur negativè; quia tanquam privatæ personæ debent se conformare ritui proprio, dum sunt in propria Ecclesia.

4 Ad 2. Affirmativè; quia hoc modo se conformarent proprio ritui.

5 Ad 3. Negativè; quia, ut dixi, id permittitur illorum Ecclesiis, ut recipiant Latinum ritum ex Pio V. *loco alleg.* non autem privatis personis, quæ non possunt celebrare ritu Latino, dum sunt in propria Ecclesia, quia tenentur se conformare ritui proprio, ut superiùs præmisi.

CONSULTATIO CXIX.

1 *An testes, qui admittuntur ex cap. In fidei favorem, de hæret. in* 6. *probent pro pœna ordinaria contra reos negativos?*

2 *Et quatenus negativè, quem gradum probationis faciant? Et*

3 *An in dicto cap. comprehendantur etiam suspecti de hæresi?*

1 DE primo, ac secundo tractant Doctores passim, præ cæteris verò Jo. Royas *tot singul.* 188 *incip. Testis criminosus*, Farinac. *de hæret. qu* 188. *nu.* 83. Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 123. & Carena *de offic. S. Inquis. p.* 3. *tit.* 5. §. 12. *præcipuè nu.* 77. ubi id totum relinquit arbitrio Judicis, considerando numerum testium, & personarum qualitatem. Quod ex textu *in d. cap. In fidei favorem* manifestè colligitur.

2 Tota igitur difficultas versatur circa tertium dubium, de quo Auctores allegati, ac alii ne verbum quidem faciunt. Ego autem puto, comprehendi *in d. cap.* etiam suspectos de hæresi ex ratione expressa *in d. textu* scilicet in fidei favorem. Ratio enim in lege expressa est causa finalis, & non impulsiva ipsius legis per Glos. *singul. in l. cum tale*, §. *falsam*, *ff. de cond. & demonstr.* quam ibi notabilem ait Baldus. In fidei autem favorem non solùm inquiritur contra hæreticos, sed etiam contra suspectos de hæresi, cùm eorum delictum ob suspicionem hæresis, quam generat, contrariatur fidei, ac perinde spectat ad jurisdictionem concessam Inquisitoribus *ex cap. accusatus* § *sanè de hæret. in* 6. atque adeò subintrat textus, in quo conceditur, ut in negotio Inquisitionis hæreticæ pravitatis testes alioquin inhabiles admittantur. Cùm enim dicat *in negotio Inquisitionis* aliquid commune dicit sive contra hæreticos, sive contra suspectos de hæresi proceditur; quia contra suspectos de hæresi Inquisitor procedens hæreticam pravitatem inquirit, & in negotio inquisitionis versatur.

Quod sic confirmo. In citato textu Pontifex concedit, ut testes inhabiles admittantur, præsertim in defectum aliarum probationum contra hæreticos, &c. dictio autem *Præsertim* est ampliativa, & denotat hujusmodi testes in omni negotio Inquisitionis hæreticæ esse admittendos, atque adeò etiam contra suspectos de hæresi, sed *præsertim*, & maximè contra hæreticos. 3

Neque obstat, quod hic textus est exorbitans, & juri communi contrarius. Nam quando lex, vel Constitutio ex una parte continet favorem, & ex altera odium, attenditur id, propter quod præcipuè facta fuit. Constitutio autem *in d. cap. in fidei favorem*, facta fuit in favorem fidei, & in odium hæresis, ac proindè potiùs consideratur favor, quàm odium per Glos. *in l.* 2. *C. de in jus voc.* ubi Bald. & Jas. *num.* 3. & 4. & per Abb. *in cap. non dubium nu.* 3. *de sent. excom.* 4

CONSULTATIO CXX.

1 *An in electionibus Abbatissarum in Monasteriis Regularibus subjectis, unà cum Vicario generali interesse possit etiam Notarius Episcopalis?*

2 *An electio facta absque interessentia Vicarii, & Notarii sit contra Constitutionem Gregorii XV. ac propterea nulla?*

AD 1. censeo negativè. Quia ex Constitutione 18. S. M. Gregorii XV. §. 6. solùm permittitur Episcopo ut unà cum superioribus regularibus hujusmodi electionibus per se, vel per alium intereresse, ac præsidere possit, atque adeò nulla jurisdictio Episcopo tribuitur, sed solùm nuda præsidentia, ut per Palqualig. ad Laur. de Franch. *de controv. inter Episcop. & Regular. p.* 1. *num.* 652. ut scilicet solùm attendat, ne in electione aliquid, vel contra Canones, vel contra utilitatem monasterii fiat: velle autem uti proprio Notario est actus jurisdictionis; quia perceptio, & scriptio votorum est pars electionis, atque adeò jurisdictionis, quæ solùm competit superioribus Regularibus in Monasteriis Monialium sibi subjectis, tanquam illorum Ordinariis, ut per Passarin. *de elect. Abbatissar. cap.* 40. *n.* 13. ad quos solos, non autem ad Episcopum spectat electionem confirmare, ut ex *declaratione* 5. super d. Constitutione Gregorii. 1

Id quod confirmatur ex declaratione S. Congregationis Concilii in una Urbaniæ 10. Septembris 1639. relata à Peyrino *tom.* 3. *de privileg. Regular. decret.* 16. quæ censuit, Episcopum in electione Abbatissarum monasterii Monialium Regularibus subjectarum, non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, ac recipi debere à Superiori Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo. Ergo neque uti poterit opera sui proprii Notarii. Alioquin ipse exquireret, seu reciperet vota Monialium contra formam hujus decreti. 2

Non obstat consuetudo. Tum quia Regulares tanquam exempti à jurisdictione Ordinariorum non possunt induducere consuetudinem præjudicialem juribus Sedis Apost., cui sunt immediatè jubjecti juxta *c. Cum tempore de arbit.* & Canonistas *in c. cum accessisset de const.* ac Rot. in Januen. Privilegiorum 28. Junii 1649. 3

§. Tertiò

§. *Tertiò quia.* Unde non possunt absque Summi Pontificis licentia in alterius jurisdictionem consentire, Rot. in Gandavensi Monasterii 29. Aprilis 1641. coram Panzirolo. Tum etiam quia illa est sublata à Constitutione S.M. Urbani VIII. super præservatione jurium Sedis Apostolicæ cum decreto irritante.

4 Ad 2. In casu, de quo agitur, censeo pariter negativè. Tum quia sibi imputare debet Episcopus, sive ejus Vicarius, si noluerit vocatus, atque monitus de electione, illi præesse absque præjudicio jurisdictionis Superiorum Regularium, ac Sedis Apostolicæ; alioquin electio penderet omninò ab ejus voluntate. Tum etiam quia cùm in dicta Constitutione Gregorii non adsit decretum irritans, electio etiam in casu veræ contraventionis non est nulla, ut per Pasqualig. *loc. cit. n.* 33. Et licèt Nicolius *in flosculis, v. Abbatissa n.* 4. referat, quod electio Abbatissæ est nulla, si facta fuerit sine consensu Ordinarii ex S. Congr. super Episcopis, & Regular. in Baren. 2. Maii 1600. Etiam in Monasteriis Regularium gubernio subjectis, ex S. Congreg. Concilii. Id tamen procedere debet, quando Episcopus declaravit se velle uti facultate sibi in hac parte attributa per d. Constitutionem Gregorii, ut ex eadem declaratione Concilii, non autem si vellet ea abuti, ut in hoc casu. Item quando Episcopus esset omninò contemptus, & non monitus de electione, ut per eundem Pasqualigum, ubi supra. Atque ita quoad utrumque dubium censuit S. Congr. Concilii sub die 4. Maii 1675.

CONSULTATIO CXXI.

An Legati Sedis Apostolicæ possint in prima instantia in præjudicium Ordinariorum cognoscere causas, in quibus intrat obligatio Cameralis?

1 REspondeo negativè juxta formam declarationum Sacræ Congregationis Concilii, præsertim 3. Maii 1642. 4. Maii 1675. ubi declaratum, non posse vigore obligationis Cameralis, dissentiente Ordinario, causam in prima instantia cognosci coram Judice superiore, & in Pisaurensi 14. Martii 1674. his verbis: *Sacra &c. censuit Legatum de latere non posse in præjudicium Curiæ Episcopalis cognoscere causas in prima instantia, nisi habeat specialem, & expressam facultatem à Sede Apostolica.*

2 Declaratio autem hæc continet limitationem, dum in authographo regesto sequentibus verbis concepta reperitur. *An dispositio Sac. Concilii Tridentini c. 20. incipiente causæ omnes sess. 24. de reform. locum habeat in causis executivis. Sacra &c. respondit, locum habere, etiam in causis executivis, exceptis tamen causis obligationis Cameralis, & in quibus datur certus executor, & in aliis juxta præscriptum S. Concilii Tridentini d. cap* 20.

3 Hac potissimum ratione. Quia *dict. cap. 20. sess. 24. de reform.* non solùm inductum fuit in favorem partium, nec scilicet extra diœcesim traherentur ad litigandum, sed præcipuè in favorem Ordinariorum, ita ut iis tantùm requisitis, ac negligentibus, tunc Legati procedere possit, ut habetur ex eodem Concilii decreto, quod est desumptum ex *cap. 1. de for. comp.* ubi habetur, quod Clericus coram suo Episcopo conveniri debeat, vel certè consensu ejusdem apud alios, quos utraque pars voluerit, judicium obtinebit, & *ex cap. Significasti eodem tit.* in quo decernitur, quod licèt privatorum consensus eum, qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit Judicem constituere, Clerici tamen in Judicem non suum, nisi fortè sit persona ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat, consentire non possunt. Requiritur igitur consensus Ordinarii, atque adeò non possunt partes in præjudicium Ordinarii consentire in alium Judicem. Undè, licèt partes possint vigore obligationis Cameralis renunciare juri suo, adeundo quemcunque Judicem per *tex. in cap. de terra de privileg.* Quia tamen huic juri est immixtum, atq; implicatum jus proprii Ordinarii, non potest ipsi renunciari juxta *c. cum tempore de arbitris,* & tradunt Abb. *in dict. cap. 1. n. 4. de for. comp. & in cap. Cum accessissent n. 8. de Const.* Innoc. *in c. Accedentibus de priv.* Felin. *in cap. cum dilecta, de rescript.* & alii cum Rota *dec. 273. n. 3. p. 4. recent.* aliique communiter.

Præsertim cùm hoc jus Ordinariorum, & partium sit jus publicum, cui pactis privatorum derogari non potest per *cap. si diligenti de for. comp.* Et proinde non valet renunciatio privilegii, quod concernit utilitatem publicam; quia, quamvis contineat privatum commodum alicujus, interest tamen omnium, quod in privatis quoque servetur. Sic non potest Clericus renunciare privilegio fori, etiam in causa, quæ solùm concernat privatum commodum ipsius; quia ea, quæ constituta sunt in favorem publicæ utilitatis, non sunt sub dispositione personarum, & ideo deficit in ipsis potestas, quæ requiritur, ut teneat renunciatio privilegii juxta *cap. Cum super de Offic. delegat.* 4

Quare cùm privilegium adeundi in omnibus causis proprium Ordinarium sit ob publicam utilitatem, & in favorem illius, ne scilicet Episcopus unus in suis juribus ab alio præjudicium patiatur, non poterit ei validè à partibus renunciari, tanquam habenti implicitum jus tertii, & publicam utilitatem. 5

Non obstat, quod id non habet locum in Legatis per textum *in cap. 1. de offic. legat.* Quia dictum *cap. 1.* fuit revocatum à decreto Trident. *d. cap. 20.* ac proinde post Tridentinum jus Ordinariorum militat etiam contra Legatos. 6

Minùs obstat, quod sicuti potest procedere Auditor Cameræ, ita etiam Legatus. Nam Auditor Cameræ est per Sedem Apostolicam datus specialis executor in obligationibus Cameralibus, non autem Legatus, & proinde in Auditore Cameræ non habet locum dispositio Concilii quoad obligationes Camerales. Quandoquidem si non adesset obligatio Cameralis, causa spectaret ad Ordinarium, non autem ad Auditorem Cameræ, qui etiam *in d. cap. 20.* est comprehensus, ut per Ricc. *in prax. resol. 126. p. 2.* & Diaz. de Mena *var. quæst. lib. 1. quæst. 12. n. 8.* ac censuit sæpiùs eadem S. Congregatio Concilii. 7

Pariter non obstat limitatio in citata declaratione Sac. Congregationis contenta, quod scilicet dispositio *d. cap. 20.* locum habeat in causis executivis, exceptis tamen causis obligationis Cameralis, etiam in quibus datur certus executor, & in aliis juxta præscriptum S. Concilii *d. cap 20.* 8

Primò, quia dicta limitatio non videtur emanata in terminis Legati, de quibus nunc agitur, sed in aliis terminis, ut apparet ex dubio proposito; nam quærebatur, an dispositio S. Concilii Trident. *cap. 20.* locum habeat in executivis, Sacra, &c. respondit locum habere, exceptis tamen causis obligationis Cameralis, &c. Et ideò est id intelligendum quoad Auditorem Cameræ, qui pro ejusmodi obligationibus datus est certus executor, non autem quoad Legatos, de quibus nulla mentio facta est in proposito dubio. 9

Secundò, quia si aliàs diceretur, declaratio esset sibi ipsi contraria, & involveret contradictionem; quia si illa respondit, decretum Tridentini locum habere quoad Legatos, etiam in causis executivis, dum excipit causas obligationis Cameralis, sibi contradiceret; quia causæ obligationis Cameralis sunt causæ executivæ. Et ideò dicendum est solùm esse exceptas causas obligationis Cameralis quoad Auditorem Cameræ tantùm, quibus datus est certus executor, non autem quoad Legatos. 10

Denique non obstat, quod Legatus est Judex Ordinarius, concurritque cum Ordinariis, ut per Doctores *in cap. Legatos 2. de Offic. legat. in 6.* atque adeò sicuti potest Ordinarius cognoscere in prima instantia causas obligationis Cameralis, ita etiam poterit 11

ipse cognoscere, quia si hoc admitteretur, dicendum esset, quod etiam posset Legatus cognoscere omnes alias causas in prima instantia, quas Ordinarii cognoscunt. Quod est expresse contra dispositionem Tridentini *dict. cap. 20. vers. Legati quoque.* Et propterea dicendum est, Legatos esse quidem Ordinarios, & cum Ordinariis in iis tantùm, quæ sunt ipsis permissa; non est autem ipsis amplius permissum, quod cognoscant causas quascumq; in prima instantia, etiamsi essent executivæ; atque adeò etiamsi haberent obligationem Cameralem, sed tantùm veris, ac solis Ordinariis, & quoad obligationem Cameralem permissum Auditori Cameræ duntaxat per ejus speciales facultates. Excipe Legatos, qui hoc habent speciale in suis facultatibus, ut ex declaratione Sac. Congregationis Concilii 19. Maii 1675.

CONSULTATIO CXXII.

Quidam Tarentius, ubi domicilium cum suo Patre, qui etiam cum sua uxore Bituntina, & aliis filiis domum propriam, aliaque bona stabilia possidet, adhuc retinet, ab Archiepiscopo Tarentino prima tonsura, & minoribus ordinibus initiatus, atque servitio Ecclesiæ Tarentinæ adscriptus, mox ad Civitatem Neapolitanam patris sui patriam se contulit, ibique ab illius Civitatis Archiepiscoopo ad Subdiaconatus Ordinem se promoveri fecit.

Quæritur an sit licitè ordinatus in hoc casu ab Archiepiscopo originis sui patris?

1 UT hoc dubium absque æquivocationibus resolvatur, advertendum duxi, quod in ipso non agitur de variatione permissa, dummodò non in fraudem, in suscipiendis Ordinibus ab Episcopo originis, domicilii, & beneficii juxta declarationes S. Congregationis Concilii, ac decretalem Bonifacii VIII. *in cap. Cùm nullus de temp. ordin. in 6* cujus dispositionem non fuisse à Tridentino abrogatam, sæpius declaravit eadem S. Congregatio apud me *tom. 1. consult. 38. n. 1. & 7.* Neque de variatione Episcopi originis paterna cum Episcopo domicilii, vel beneficii, vel versa vice, quo in casu dubium est inter Doctores, ut apud Passarin. *ad d. cap. Cum nullus sub num.* 18. licet affirmativa prævalere videatur ex declarationibus in Abruptina 5. Februarii 1627. in Florentina 6. Augusti 1610. & in Regien. 14. Septembris 1621. apud Nicol. *tom. 2. lucubr. 1. tit. 11. limit. 3.* sed agitur de variatione Episcopi originis propriæ ordinati cum Episcopo originis sui patris, & sic de variatione ab una origine ad aliam originem, de quo in terminis nec Doctores, neque dictæ declarationes loquuntur.

2 Tenendum itaque censeo, non esse licitè ordinatum. Etenim absolutè, ac per se formaliter dicendum est, quod filius dicitur originarius, vel à loco, in quo ipse natus est, vel à loco, in quo natus est ejus pater, præcipuè quantum ad hoc, quod est subjici Episcopo diœcesis. Origo enim, atque nativitas res naturalis est, nec potest haberi in pluribus locis, unde nec plurium locorum potest quis esse originarius. Igitur cùm semel hic ordinatus ratione suæ originis factus fuerit subditus Archiepiscopo Tarentino, non potuit eligere Archiepiscopum Originis paternæ in præjudicium electi per propriam ordinationem.

3 Non obstat, quod sicuti quis potest in diversis diœcesibus habere diversa domicilia, & beneficia, ita etiam possit esse originarius duorum locorum, patriæ scilicet, in qua ipse natus est, & patriæ, in qua natus est suus pater.

4 Quoniam non est eadem ratio. Domicilia enim, & beneficia multa haberi possunt, quia possunt multiplicari: sed origo est de se indivisibilis, quia nativitas una est omnino, nec multiplicari potest, cùm homo semel tantùm nascatur, & sic non possunt esse originis suæ plura loca; ideoque nec plures Episcopi, atque adeò semel electo Episcopo propriæ, vel paternæ originis, non poterit variare modò in unum, modò in alium alterius originis, ut factum est à prædicto ordinato.

Minus obstat jus civile *in l. assumptio, §. 1. ff ad municip. & l. ut si proponis, C. de incolis*, in quibus videtur ostendi locum originis filii eum esse, in quo natus est pater, idque etiam quoad Spiritualia, ut per Boer. *decis. 13. num. 13. & 15.* Nam jus civile supponit domicilium filii in loco originis patris, quo supposito sufficit origo illa impropria, quæ ex origine patris deducitur, & sic civilis origo sumpta ex origine patris debet habere adjunctum domicilium filii in eodem loco, ut per Passar. *loco alleg. num. 76.* firmat Boer. *ubi supra num. 13.* ubi nedum requirit domicilium filii in loco originis paternæ, sed etiam quod ibi possideat aliqua bona per *l. fin. §. idem rescripserunt*, juncta Gloss. *ff. ad municip. & l. in filiis, C. de divor.* Unde cùm in casu nostro contrarium omninò evincatur, scilicet patrem habere domicilium, ac bona in loco originis filii, in quo & ipse filius habet illa, utique dicendum est, non solùm ratione originis propriæ, sed etiam domicilii esse subjectum Archiepiscopo Tarentino, atque adeò non potuisse licitè variando originem ab alieno Episcopo ad alios ordines promoveri. 5

At nihilominus respondendum est, licitè fuisse ordinatum. Probatur ex unica quidem, sed urgentissima ratione; quia scil. duplex est origo, naturalis altera, altera ex privilegio patris, & ideò potest quisque variare ab una ad aliam originem. Unde licet origo naturalis sit una, & nemo habere possit duas origines naturales, non repugnat tamen quod quis habeat duas origines, unam naturalem, & alteram ex privilegio. Et in hanc sententiam visa est inclinasse S. Congreg. Concilii in Bituntina 17. Septem. 1675. Licèt dictum fuerit *dilata.* Debet tamen sic ordinatus consulere conscientiæ suæ, an id sine fraude fecerit. Hanc tamen sententiam de ordinando, & ante factum non ita facilè ausim amplecti, sed prævalere dicerem originem naturalem origini ex privilegio patris. 6

CONSULTATIO CXXIII.

1 *An mandatarius delicti, non spectantis ad fidem, incursus in pœnas Bullæ: Si de protegendis, & ideò tradendus Curiæ seculari, mortuus, sit etiam igne comburendus?*

2 *An idem, antequam consignetur Curiæ seculari, debeat abjurare?*

3 *An mandatario ejusdem delicti, & cum supradicto socius, qui ob aliquas circumstantias damnatur ad triremes perpetuas, abjurare debeat?*

AD 1. Censeo, non esse mortuum igne comburendum. Desumitur ex verbis dictæ Bullæ, *Si de protegendis*, ubi habetur. Quod delinquens in eam secularis Judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur. Damnatis autem primo capite dictæ legis quoad genus mortis non irrogatur post mortem combustio, sed tantùm mors ipsa naturalis per textum expressum *in l. quisquis, C. ad l. Jul. Majest.* ibi: *gladio feriatur*, à qua lege dicta Bulla est desumpta. Unde cùm in dicta Bulla non caveatur, quod pro delictis in ea contentis sit reus igne comburendus, quo in casu usus obtinuit, ut prius capite plectatur, quàm comburatur, ut testatur Clar. *in pr. §. fi. q. 99. n. 7.* cum Covarruvia. Et observari etiam in relapsis verè pœnitentibus testis est Simanch. *de hæret. cap. 55 num. 13* Idque ut evitetur periculum, ne propter lentum, & atrox genus mortis condemnatus fortè in desperationem inducatur; quicquid sit de hæreticis impœnitentibus puniendis vivicomburio, ideò non videtur in hoc casu, quod delinquens in dictam Bullam, 1

post

post mortem naturalem, qua plectendus est, sic etiam igne comburendus ex Constitutione Friderici Imperatoris, quæ incipit *Inconsutilem*, estque apud Pegnam, & tradunt Host. *in summ. de hæret. §. qua pœna feriatur nu. 9.* Abb. *in cap. Excommunicamus 1. de hæret. in princ.* Socin. *ibid. num. 7.* Decian. *in tr. crim. lib. 5. cap. 42. num. 4.* Clar. *in pr. §. hæresis num. 7.* Martin del Rio *lib. 5. disq. mag. sect. 1.* Præsertim, quia cùm dicta Bulla, licèt sit in favorem fidei, nihilominus est odiosa, ut per Bordon. *de S. Trib. c. 29. num. 2.* & ideò est propriè, ac strictè intelligenda, ita ut sicuti in ea non est facienda extensio de persona ad personam, de delicto ad delictum, quæ in illa non exprimuntur, ita etiam neque de pœna ad pœnam.

2 Ad 2. negativè. Quia cùm in abjuratione debeat intervenire juramentum, cujus forma habetur *in c. quoties 1. qu. 7. & in c. Ego Berengarius de consecr. d. 2.* itaut pœnitens jurejurando promittere debeat se semper fidem Catholicam professurum, & nunquam etiam ad hæresim rediturum, ut per Doctores, quos sequitur Simanch. *de Cathol. instit. tit. 1. n. 4.* non habet locum in eo, qui traditur Curiæ seculari, cùm post mortem, mox executioni demandandam, nequeat ad hæresim redire, ac proinde esset juramentum inane. Hinc abjurationem non imponi iis, qui traduntur Curiæ seculari, declaravit S. Congregatio S. Officii 5. Junii 1603. & 5. Martii 1609. & 24. Februarii 1611.

3 Ad 3. censeo affirmativè. Tum quia in eo habet locum juramentum superiùs relatum. Tum quia rei supradictæ Bullæ sunt suspecti vehementer de hæresi, ut per Dianam *p. 4. tr. 7. resol. 13.* & Bordon. *de S. Trib. cap. 29. num. 34.* qui notat cum Pegna, & ex eo Farinacio, pro qualitate hujus suspicionis considerandas esse circumstantias personæ offendentis; quo fine, in odium ne S. Officii, an amore consanguineorum, & odio-speciali in personam offensam ex alio motivo, quàm quod est minister, vel officialis S. Inquisitionis. Juxta ergo qualitatem suspicionis cogendus est abjurare. Et de damnato ad perpetuas triremes jusso abjurare, extat exemplum in eo, qui filiam propriam cognovit, ei dicendo non esse peccatum, sed teneri exequi voluntatem patris. Quo in casu abjuravit de formali, & damnatus fuit ad triremes in perpetuum absque spe gratiæ 10. Januarii 1619.

CONSULTATIO CXXIV.

An Rectoribus navium magnarum navigantium ad Indias, vel alias longinquas Regiones concedenda sit facultas celebrandi Sacrum in eisdem navibus, saltem in festivitatibus de præcepto?

1 AFfirmant, existente mari tranquillo, Durandus *lib. 4. rat. div. offic. c. 1. num. 41.* Sà, Major, Granadus, Scortia, Layman, Facundez *præcept. 1. Eccles. lib. 1. c. 10. num. 15.* testans de praxi quoad eos, qui navigant ad Indos, Gaspar Hurtadus, Marchinus, Palaus, Caspensis, Aversa, Machada, Cardinalis de Lugo, & Franciscus de Lugo *lib. 5. de Sacram. c. 6. quæst. 1. num 9. & 14.* qui testatur, se in navigatione ad Indias in navi celebrasse, Leander, & alii. Et quod sit præparatus locus, in quo possit cum debita decentia, & reverentia sacrificium offerri concessisse Clementem VIII. & Paulum V. rediù, multumque perpensa testatur Facundez *loco cit.* Atque hoc fuisse antiquitus in usu testatur Baronius *tom. 4. annal. ann. 700. nu. 3.* Idem etiam de Vulfrano, Archiepiscopo Senonensi, ut referunt Jonas Abbas, & Surius in ejus vita Divus etiam Gregorius *lib. 3. dialog. cap. 36.* refert, omnes qui cum Maximiano erant in navi jam quassata, Corpus, & Sanguinem Christi accepisse, quod fieri non potuit, nisi ipse, aut alius celebrasset. Et quamvis hæc facta potius sint admiranda, attamen satis ostendunt, quod non est novum celebrare in mari, & quod sine periculo exerceri potest, ut constat, eos fecisse, ac proinde quod ratione talis circumstantiæ loci non est excludendum.

Ex quibus colligitur, quod in quacumq; longa navigatione celebrari potuit in navigiis magnis, in quibus adesse potest securitas, & locus opportunus celebrandi cum debita decentia. Nam militat eadem ratio necessitatis, quæ locum habet etiam stando in licentiis Clementis VIII. & Pauli V. nam licèt prodierint pro navigantibus ad Indos, habent tamen locum pro omnibus navigantibus. Siquidem cum petitæ fuerint ratione difficultatis, quod non liceret, stante periculo effusionis sanguinis, dum concessæ sunt, fuerunt potiùs quædam declarationes, quod liceat in mari celebrare, atque adeò quod non adsit periculum sanguinis effundendi. Nam si non adest periculum, fit licitum omnibus, quia aliàs adest necessitas sufficiens. Si verò adesset periculum, non potuissent Pontifices has licentias concedere. Et ideò semel concessæ habent vim declarationis, quæ se extendit ad navigantes ad quemcunque locum. 2

Præsertim in diebus festis, quando urget præceptum audiendi Missam. Nam tunc adesset causa necessitatis, imò ultra prædictos dies posse etiam cæteris diebus in mari celebrare, quando licuerit, tradit Francisc. de Lugo *d. num 14.* testans de praxi in navigationibus ad Indias, & asserens se celebrasse in dicta navigatione etiam diebus profestis, & consuevisse in eo navigio tres, aut quatuor Missas singulis diebus celebrari. 3

Negant tamen Paludanus, Sotus, Turrecremata *in c. Sicut de consecr. d. 1.* Joan. de Fribur. Tabiena, Sylvester, Armilla, D. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Majolus, Toletus, Azorius, Vasquez, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Coninch, Bartholomæus ab Angelo, Faustus, Zezara, Ledesma, Zanardus, Chamerota, Astensis, Joannes à Cruce, Pitigianus, Homobonus, Filiucius, Molfesius, Villalobus, Chellisonius, Præpositus, Graffius, Pax Jordanes, Tannerus, & alii. Quia licèt in necessitate celebrari possit extra locum consuetum, non licet tamen cum aliquo periculo. In mari autem semper adest periculum effusionis sanguinis; quia licèt sit tranquillum, potest de repentè ventis commoveri. Hanc sententiam sequuta est S. Congregatio S. Officii, quæ sæpè censuit, quod Missa non permittatur celebrari super navigiis in navigationibus Indiarum, ut 31. Julii 1607. & 2. Augusti ejusdem anni. Et negata fuit licentia Principi Philiberto, ut celebrari possit super triremibus 2. Sept. 1621. 4

Si tamen extent concessiones Clementis VIII. & Pauli V. eæ sunt exhibendæ, atque examinandæ, & juxta illarum tenorem, pensatis rerum circumstantiis, petita facultas concedenda erit. 5

CONSULTATIO CXXV.

EXtat in quadam Civitate Ecclesia, in cujus fundatione ex diplomate Pontificio leguntur hæc verba: *Ipseq; Præpositus, caput, & gubernator Capituli, & curam animarum personarum ipsius Ecclesiæ gerat, necnon excessus, & crimina, quæ per hujusmodi personas dictæ Ecclesiæ committentur, pro tempore possit, & debeat corrigere, & alias Episcopalem jurisdictionem in easdem personas exercere. Necnon quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quas, vel quos contra Ecclesiam sic fundatam, & ejus personas prædictas contra tenorem, & formam hujusmodi exemptionis nostræ promulgari, & haberi contigerit, irritos decernimus, & inanes.* Nihilominus modernus Episcopus delaravit excommunicatum Canonicum d. Collegiatæ ob vulnus inflictum in publica platea Subdiacono, & ulterius excommunicavit etiam Vicarium Præpositi, quia procedebat contra dictum Canonicum, tanquam si Episcopalem jurisdictionem turbaret. Ideò quæritur.

1 *An subsistineantur censuræ latæ contra dictum Canonicum percussorem?*

2 *An lata contra dictum Vicarium?*
3 *An Præpositus procedere possit ad ulteriora in causa?*

1 AD 1. quod attinet, affirmativè. Primò quia excommunicatio non est lata ab Episcopo, sed ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi *c.* 15. relata *in can. Si quis suadente diabolo* 17. *quæst.* 4. Episcopus autem dèclarat dumtaxat percussorem Clerici esse excommunicatum, ut ab aliis evitetur per textum *in Clem.* 1. *de privil.* ibi? *Quos etiam locorum Ordinarii excommunicatos denunciare faciant*, firmatque Joan. Andr. *in cap.* 1. *in fin. de privil. in* 6. ibique Gemin. & Canonistæ communiter, ac declaravit sæpiùs Sacra Congregatio Concilii etiam contra Regulares, qui sunt omninò exempti, præsertim in Limana die 22. Januarii 1633. in hæc verba: *Sacra, &c. respondit, Regulares quoquomodo exemptos, qui ob delictum in excommunicationem inciderunt posse ab Ordinariis denunciari excommunicatos adhoc, ut ab aliis evitentur.* Quod maximè locum habet in offensione commissa in Clericum publicè ad textum *in cap. pervenit. de appell.* & Genuens. *in prax. cap.* 23. *sub num.* 16.

2 Neque obstat, quod pro hujusmodi denunciatione requiratur aliqua citatio. Nam expressè contrarium disponitur *in cap. Pastoralis*, §. *Verum in fin. de appell. & in cap. Pia de except. in* 6. ac tenet Felin. *in cap.* 3. *num. item* 3. *de re jud.* ac censuit eadem Sacra Congregatio in supradicta Limana. Quod absque ulla difficultate videtur procedere in delicto publicè perpetrato, Sanch. *conf. moral. lib.* 6 *cap.* 9. *dub.* 1. *nu.* 29. rationem afferens; quia ubi pœna à jure infligitur, & delictum est notorium, non dicitur Episcopus cognoscere de delicto exempti, cùm in notoriis judicialis cognitio non requiratur, & judicavit Rota *dec.* 324. *num.* 15. *& 16. p.* 1. *rec.*

3 Secundò. Quia, vel hujusmodi Canonicus est exemptus ratione loci, & hoc casu habet locum dispositio *cap. Volentes* 1. *de privil. in* 6. ubi Innocentius III. ejusmodi exemptos ratione delicti extra locum exemptum commissi subjicit jurisdictioni Ordinarii. Quam dispositionem innovavit Trid. *c.* 14. *de ref. sess.* 7. privilegiis, ac exemptionibus adversus id nequaquam valituris, tametsi Abbas *in cap. ult. de for. comp. n.* 11. ibique Felin. *num.* 5. probare conentur, responsum Pontificis *in dict. cap. Volentes in princ.* esse generatim accipiendum, etiam ubi privilegium indefinitè, ac simpliciter aliquem eximeret à jurisdictione ordinaria. Nam ratione delicti hic exemptus puniri posset à Judice illius loci, ubi deliquit. Quamquam non placet Covarruviæ *pract. quæst.* 11. *num.* 5. dicentis, id esse, contra dictum *cap. Volentes.*

4 Vel ejusmodi exemptio concessa est juxta textum *in cap. Cum Capella de privil.* quod est ejusdem Innocentii III. ubi Capella Ducis Burgundiæ censetur exempta cum ejus ministris, qua ex parte ministerio Capellæ operam dederint, & ejus officii ministerio fuerint usi, non autem in universum Capellani erant exempti. Et sic restrictio facienda est secundùm subjectam materiam, & ipsius pronunciantis mentem, quemadmodum deducitur *ex d. c. Cum Capella*, in quo privilegii restrictio fit ad Capellam, & ejus ministros in his casibus, in quibus eo fungantur ministerio, quod ad Capellam pertineat, ut expendit Covarruvias loco allegato.

5 Vel denique est exemptio personalis, & hoc casu etiam puniri, ac corrigi valet ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ut per Trid. *cap.* 3. *sess.* 6. *de ref.* ubi quoad Clericos seculares revocat quodcumque privilegium personale exemptionis.

6 Ad 2. Videtur etiam affirmativè resolvendum. Ita in strictioribus terminis, nimirùm de Regularibus perturbantibus jurisdictionem Episcopi notant Innoc. *in cap. Dilectus in fin. de pœn.* Salzed. ad Diaz *cap.* 3. *litt. A.* §. *punire*, Aufrer. *de potest. secul. in Ecclesiast. person. num.* 23. Royas *de hæret. p.* 1. *num.* 15. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 33. *num.* 21. Themud. *p.* 1. *decis.* 62. *num.* 32. ac alii *in cap.* 1. *de pœn. in* 6. Et colligitur *ex cap. Cum & plantare de privileg.* Quia concessa jurisdictione conceduntur omnia, sine quibus non potest exerceri jurisdictio, *l.* 2. *ff. de jurisd. omn. Iud.* Qui autem sibi usurpat jura Episcopalia, perturbat jurisdictionem Episcopi, quia correctio, atque punitio dicti Canonici percussoris spectat ad Episcopum.

Et licèt dici possit, quod usurpatio jurium Episcopalium non sit perturbatio jurisdictionis Episcopi; 7
quia tunc solùm perturbatur jurisdictio alicujus, quando impeditur, ne exerceatur. Quando autem quis exercet jura Episcopalia, & sibi usurpat, non impedit, quin Episcopus quoque exerceat. Undè usurpatio jurium Episcopalium solùm tunc perturbat jurisdictionem, quando ex hoc sequitur, quod non possit ipse Episcopus ea exercere. Id tamen immeritò dicitur. Nam quid aliud facit usurpator jurium Episcopalium, quàm turbare jura Episcopalia? hoc est confundere, & permiscere sic, ut agnosci jam non possint, an ad solum Episcopum spectent *ad l.* 22. §. *si signa, ff. qui test. fac.* Turbat profectò Episcopi jurisdictionem, qui sibi ejus jura usurpat. Præterea textus *in dict. cap. Cum & plantare*, §. 1. *& in c. Pervenit.* 16. *qu.* 1. non aiunt, qui usurpant, sed qui contra Episcopalem auctoritatem multa præsumunt: qui contra Sanctorum Patrum decreta Episcopalia jura, & officia arroganter sibi vindicant, hoc est turbant. Semper namque dicitur quispiam turbare, quando de jure non agit, ut alibi etiam diximus.

Verùm quia adhoc, ut quis incurrat censuras comminatas in Bulla Cœnæ contra usurpantes jura Episcopalia requiritur, quod prætensus usurpator sit destitutus omni probabili credulitate, quod jus ad se non pertineat, & certò sciat jus esse proprium Episcopi, & nihilominus illud sibi appropriare velit, ut per Suarez, & alios, quos sequitur Pasqualig. ad Lauret. *p.* 2. *quæst.* 24. Quod in hac specie non contingit, cùm dictus Vicarius, nedum habebat probabilem credulitatem super crimine jam commisso à præfato Canonico, sed etiam penè jus certum ex privilegio, ac proindè dici nequeat, quod usurpaverit, ac usurpare præsumpserit Episcopi jurisdictionem, sed potius ex bona fide, aut ex imprudentia se gessit, procedendo contra dictum Canonicum, ideò dicendum puto, censuras latas ab Episcopo contra d. Vicarium in hoc casu non sustineri; quia defuit dolus malus, præsumptio, ac temeritas. 8

Ad 3. Negativè. Sequitur enim ex dictis; quia cùm 9
in hoc casu dictus Canonicus percussor subjaceat jurisdictioni Ordinarii, non potest ejus Præpositus in illum procedere ex defectu jurisdictionis.

Atque ita censuit S. Congregatio Concilii in una Iu- 10
venacen. pro Ecclesia S. Spiritus sub die 8. Junii 1675. scilicet ad primum sustineri. Ad secundùm non sustineri. Ad tertium non posse.

CONSULTATIO CXXVI.

Posito decreto Sacræ Congregationis super statu Regularium de Tertiariis, & hospitibus atque aliis non recipiendis, nec retinendis ad habitandum in Monasteriis, seu domibus Regularium ante ætatem præfinitam.

DUbitatur primò, *an decretum hujusmodi vendicet* 1
sibi locum extra Italiam, & Insulas adiacentes.

Cùm in Religione B. Joannis Dei non recipiantur 2
novitii Clerici, sed Conversi tantùm, & ex decreto ejusdem S. Congregationis statutum sit, ut in ea Religione nullus approbetur, nec ad habitum admittatur, qui saltem decimum octavum ætatis annum non attigerit,

attigerit, *an ex novo decreto sit huic Religioni ablata facultas recipiendi novitios in decimo octavo ætatis anno inchoato?*

3 *Et quatenus non sit oblata, an in reliquis Superiores dictæ Religionis teneantur ad observantiam decreti?*

4 Cùm in Religione Clericorum ministrantium infirmis, & in aliquibus aliis Religionibus fiant duo anni novitiatus, *an indutus habitu novitiorum ante completam ætatem annorum quindecim vigore decreti sit è monasterio ejiciendus?*

5 Et quatenus ei ex gratia Sedis apostolicæ permittatur, ut remanere possit, *an sic nulliter receptus ab initio, teneatur post completam ætatem annorum quindecim iterùm inchoare, & complere biennium suæ probationis, antequam profiteatur?*

6 Cùm in decretis ab eadem Sacra Congregatione editis pro recipiendis Novitiis in Religione fratrum Carmelitarum Discalceatorum nulla certa ætas explicitè sit præfinita, sed tantummodò sit cautum, ut quoad ætatem observentur Sacri Concilii Tridentini decreta, & Religionis Constitutiones, cùmque in iisdem Constitutionibus disponatur, ut novitii possint recipi ad habitum, etiam ante ætatem quindecim annorum, dummodò receptio fiat à Provinciali cum Diffinitorio, *an sic receptus ad habitum ante hujusmodi ætatem annorum quindecim vigore ultimi decreti sit remittendus ad sæculum?*

7 Et quatenus debeat in Monasterio retineri, veluti legitimè receptus, *an de cætero in dicta Religione novum decretum sit observandum tam quoad ætatem recipiendorum ad habitum probationis, quàm quoad alia in decreto contenta?*

8 *An in Religione Clericorum Societatis Iesu observandum sit novum decretum tam quoad ætatem Novitiorum, quàm quoad alia contenta in eodem decreto?*

9 *An in Grangiis Monasteriorum in quibus desunt Conversi pro agrorum cultura, detineri possint ad habitandum cum eis famuli, & servientes, non habentes ætatem in decreto præscriptam?*

10 *An receptus pro novitio Clerico ante completum annum ætatis decimumquintum sit expellendus à monasterio, si modo sit in legitima ætate constitutus?*

11 *Et quid si illi deficiant pauci tantùm aliquot dies ad complendum annum decimumquintum?*

12 Et quatenus sic recepto à Sede Apostolica indulgeatur, ut remanere possit in Monasterio usque ad complementum ætatis, *an talis, uti nulliter receptus, ab initio teneatur inchoare, & complere novum annum probationis antequam ad professionem admittatur?*

13 *An admissus ante annum ætatis vigesimum ad habitandum intra claustra non ut Novitius, sed ut Tertiarius, vel Commissus, aut famulus, expelli debeat, si modò annum vigesimum compleverit?*

14 *An receptus in Conventu pro hospite ante ætatem quindecim annorum post ætatem completam sit expellendus, si nondum susceperit habitum Novitiorum?*

15 *Et quid si servatis aliàs servandis hujusmodi habitum jam susceperit?*

16 *An comprehendantur in decreto adolescentes, qui morantur in Conventu, edentes ac bibentes in prandio, & cœna quotidie cum fratribus, aut seorsim in eorum cellis, si intra claustra non pernoctent?*

17 *Et quid si tantùm in prandio, vel cœna.*

18 *Et quid dicendum de illis, qui ex aliqua rationabili causa paucos tantùm dies morantur, & pernoctant in Conventu?*

19 *An itidem comprehendantur in decreto adolescentes nepotes, & consanguinei fratrum, qui propriis sumptibus, ac sine ulla impensa Conventus habitant intra illorum claustra?*

20 *Et an in eo comprehendantur adolescentes famuli, qui inserviunt Missis, vel in habitu laicali humiliora officia in Conventu exercent?*

Ubi obiter de aperitione hospitii pro Regularibus.

AD 1. Negativè. Constat tum ex proœmio dicti decreti, ibi: *Nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, & Insularum adiacentium &c.* Ergo extra Italiam, & Insulas Italiæ adiacentes non vindicant sibi locum. Ex narrativa enim proœmii exprimitur causa finalis, *l. fin. ff. de hæred. institut.* Illud tamen certum est, quod hic nomine Italiæ continentur etiam Insulæ adiacentes, ut Corsica, Sardinia, Sicilia, de Melita nos alibi, ex *l. Insulæ, ff. de Iudic.* & tradit. Gemin. in *cap. 1. num. 6. de temp. Ordin. in 6.* Tum quia si nomine Italiæ non continentur Regiones, quæ in mediis limitibus continentur inter Italiam, & Ultramontanas Regiones, ut per Barbos. in dictum *cap. 1. nu. 4.* cum multis allegatis, multò minùs continentur ipsæ Ultramontanæ Regiones. 1

Ad 2. Non esse ablatam. Cùm sit specialiter approbatum ab ipsamet S. Congregatione, cujus decreta non censentur ab ipsa revocata, nisi speciatim exprimatur. 2

Ad 3. Teneri, cùm non sit aliud per supradictum speciale decretum Sac. Congregationis illis concessum. 3

Ad 4. Affirmativè. Quia tempore receptionis non habet ætatem requisitam à decreto. Et duo anni Novitiatus fieri debent in ætate sufficienti ad Novitiatum. Qui enim non habet ætatem ad Novitiatum requisitam, non dicitur, neque potest esse Novitius, quia non habet ætatem sufficientem, atque adeò subintrat decretum S. Congregationis. 4

Ad 5. Teneri. Quia primus annus Novitiatus non fuit peractus in ætate completa quindecim annorum requisita pro Novitiatu. Cùmque alter annus sit superadditus favore Novitiatus, non esset in illius favorem, si primus annus perageretur ante ætatem legitimam ad Novitiatum prærequisitam, cùm ad illum annum nulliter fuerit receptus. 5

Ad 6. Affirmativè. Quia non sunt recepti ad habitum in legitima ætate à decreto præscripta. Et quia dictum decretum derogat quibuscumque Constitutionibus, & sic licèt ex præscripta Constitutione Religionis fuit legitimè receptus, non potest tamen legitimè retineri. 6

Ad 7. Quatenus verò retineri possit in Monasterio, de cætero tamen observandum est in omnibus decretum S. Congregationis, quod derogat dictis Constitutionibus, ut dictum est. 7

Ad 8. Affirmativè. Quia in ea militat eadem ratio, quæ in aliis Religionibus, licèt in decreto non sit comprehensa, cùm non sit nominatim expressa, ut requiritur ex Constitutionibus Apostolicis, & ideò exprimenda, & licèt Trid. *sess. 25. de regul. c. 16.* eorum institutum præservaverit. 8

Ad 9. Affirmativè. Tum quia isti non recipiuntur ad habitum probationis, quod prohibet decretum. Tum quia in his Grangiis non viget disciplina regularis, ob cujus finem emanavit hoc decretum, ut proindè subjaceant Ordinarii jurisdictioni, ac visitationi, ut ex declarationibus ejusdem Sacræ Congregationis sub die 27. Julii 1655. Tum etiam quia sicuti in eiisdem Grangiis permittitur habitatio regularium Laicorum, seu Conversorum pro fructibus colligendis, non autem Religiosorum, ita etiam permitti debent cum eis isti servientes, non habentes ætatem in decreto præscriptam. 9

Ad 10. Non esse expellendum. Nam excipiuntur ab eodem decreto, ibi: *iis tamen exceptis, qui in legitima ætate constituti in habitu Novitiorum annum probationis agunt.* Cùm enim sit constitutus in legitima ætate, jam agit annum probationis. 10

Ad 11. Pariter non esse expellendum, si non deficiant amplius quàm 15. dies, vel ad summum unus mensis. 11

sis. Nam tempus 15. dierum, vel unius mensis in hac re potest dici parva materia.

12 Ad 12. Non teneri, si cùm ipso dispensetur, ut remanere possit in Monasterio. Nam eo ipso, quod cum eo dispensatur, ut in illo permaneat, censetur dispensatum etiam huic decreto, atque non tenetur inchoare, & complere novum annum probationis, antequam ad professionem admittatur.

13 Ad 13. Affirmativè. Ut ex verbis dicti decreti ibi: *Ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel oblatis seu donatis, aut Commissis &c. quovis habitu indutis, vel induendis &c. recipiant, seu admittant ad habitandum intra claustra, nisi vigesimum ætatis suæ annum expleverit &c.*

14 Ad 14. Affirmativè. Nam solùm excipiuntur, qui in habitu Novitiorum annum probationis agunt. Hi autem sic recepti, licèt habeant ætatem legitimam ad peragendum Novitiatum, non agunt Novitiatum in habitu Novitiorum, atque adeò expellendi.

15 Ad 15. eo casu non esse expellendum tum ex dicto decreto, tum ex decreto, Tridentini *sess. 25. de regul. cap. 19.*

16 Ad 16. Ex verbis decreti videtur respondendum negativè; quia non dicuntur habitare intra claustra, ut requirit decretum. Ex mente tamen ejusdem decreti, quæ est, ut evitentur omninò scandala, videtur respondendum affirmativè.

17 Ad 17. Prout ad proximum.

18 Ad 18. Negativè, ut v.gr. confuge ad Ecclesiam, & Conventus.

19 Ad 19 Affirmativè ut ad 17.

20 Ad 20. Non comprehendi, si non recipiantur, & admittantur ad habitandum intra claustra, itaut videatur constitui regula in dicto decreto præscripta, quod scilicet ii tantùm excipiantur, qui in legitima ætate constituti in habitu Novitiorum annum probationis agunt. Cæteri verò, quicunque ii sint comprehendantur in decreto &c,

21 De aperitione Hospitii pro Regularibus, præter alia suo loco dicta hæc iis subjicio. Cùm apud Sac. Congregationem super Episcopis, & Regularibus Carmelitæ Discalceati institerint, ut sibi concederetur facultas aperiendi hospitium in Civitate Veliterna, S. Congregatio sub die 5. Decembris 1691. ita rescripsit: *Petita facultas Oratori benignè impertita est, ita tamen, ut in dicto hospitio nulla servetur forma regularis, non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum janua in publica via, sed tantùm Oratorium internum ad effectum inibi Missas, & Orationes privatas pro eorum spirituali usu dumtaxat; quòd in illo Sacramenta non administrentur, nec fiant publicæ conciones, nec præter missas privatas divina officia, aliæque functiones peragantur, nec tumulentur cadavera, nec retineatur campana, nec aliquod signum extrinsecum, quod verò Conventui adaptetur, & transcendat naturam, & conditionem meri, ac simplicis hospitii secularis, sublata Religiosis inibi degentibus facultate quæstuandi. Addendo insuper, quod Regulares ad illud se transferentes, non assumant titulum Præsidentis, vel alterius Officialitatis, subjiciendo eos in casu contraventionis ipso facto pœnis contra Religiosos degentes extra claustra, & quod super observantia præmissorum Provincialis, & Definitorum provinciale validè se obliget coram Eminentissimo Episcopo, qui instrumentum dictæ obligationis ad præfatam S. Congregationem transmittere, ac præsens decretum executioni demandare &c.*

Et in hunc modum concedi solet hospitium Regularibus. Quo in decreto video aliquam improprietatē ne dicam contradictionem verborum. Nam postquam dixerat; *ut non transcendat naturam, & conditionem meri, & simplicis hospitii secularis*, quæ verba non important, nisi hospitium, quò ex itinere aliquantisper commorandi causa divertimus, non habitandi, aut degendi. Unde illud Ciceronis ad Caton. *Ex ista vita sic discede tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit*, subdit: *sublata Religiosis inibi degentibus facultate quæstuandi.* Verbum autem *degentibus* nequit adaptari obiter, sive per transitum, sive ad Breve tempus inibi hospitantibus. Nam degere significat habitare, ut §. *penult. Instit. de us & habit.* ibique Doctores communiter. Quod est omninò contrarium naturæ, ac conditioni meri, ac simplicis hospitii secularis intenti à decreto.

Debebit autem Executor curare, ut hujusmodi decretum exactè observetur, ac speciatim advertere, ne in hospitio aliqua servetur forma regularis, neve transcendat naturam meri ac simplicis hospitii secularis. Quare poterit, ac debebit in illo deputare unum dumtaxat religiosum laicum ad custodiendum hospitium, & ad excipiendum hospites, & ad summum unum laicum, & unum Sacerdotem, & non plures. Nam alioquin servaretur aliqua forma regularis, & transcenderet naturam hospitii, ac degeneraret in Conventum, vel saltem in Collegium.

CONSULTATIO CXXVII.

An credendum sit Confessario Cardinalis, ac scriptori Codicilli ab ipso Cardinali facti, testanti, quod per dictum Codicillum, in quo expressè revocantur legata in pecunia, non intenderit Cardinalis revocare legata in pecuniam suæ familiæ relicta in testamento?

Affirmativè respondendum videtur ex regula, 1
quod in testamentis privatorum, quæ juris civilis solemnitatibus subjacent nimium deferendum sit attestationi, ac declarationi scriptoris: potissimùm verò ubi idem sit etiam Sacerdos, Religiosus, & Confessarius ex Relatis à Jo. Baptist. de Luca *lib. 9. de testam. discur. 46. nu. 4. & discur. 47. nu. 7.* cùm ibi allegatis auctoritatibus, ac decisionibus.

Et quamvis in contrarium adduci posset vera, & recepta distinctio, de qua *eodem discurs. 47. nu. 8.* inter declarationē, quæ fit super re dubia, & inter illam, quæ fit super re, quæ in verbis est clara, & sic quod dicta conclusio procedat in primo casu, non autem in posteriori, in quo non est declarare, sed corrigere, vel de novo disponere; ideòque requirantur septem vel quinque testes, tanquam in nova dispositione. 2

Dupliciter tamen id obstare non videtur. Primò, 3
quia verba dici possunt aliquo modo capacia interpretationis, utpotè referibilia ad alia legata, & si hæc responsio non videatur omninò tuta, cùm verba nimis urgeant. Secundò quoniam ista difficultas locum habere posset, quando ageretur de testamento viri privati subjecto solemnitatibus juris civilis; secus autem cùm agatur de testamento Cardinalis, qui Apostolico indulto non subjacet hujusmodi solemnitatibus, ut in puncto similis declarationis voluntatis Cardinalis per attestationem sui Secretarii, tradit Jacob. Gall. *conf. 60.* & advertitur *d. tit. de testam. discurs. 6. nu. 5. & discurs. 8. num. 8.*

Fortiùs verò ob multa in diem concurrentia, ex quibus videtur, quod huic unico testi deferendum sit. Primò nempè, quod esset scriptor testamenti. Secundò quia Sacerdos, & Confessarius. Tertiò, quia est persona valdè qualificata, tam in qualitate naturali nobilium natalium, quàm etiam in accidentali muneris ac virtutis. Quartò, quia nullum penitus habet commodum, sed agitur de commodo plurium personarum penè ignotarum; ideòque prorsus inverisimile est, quod cùm damnatione animæ propriæ hanc attestationem facere voluerit in præjudicium causæ adeò piæ per testatorem institutæ. Quintò ob communem consuetudinem Cardinalium, & Magnatum faciendi hujusmodi legatum familiæ. Et sextò ob qualitatem ipsius Cardinalis testatoris, Magnatum quoque habentis qualitatem, cum nimium generosa natura. 4

At

5 At nihilominùs tenendum est, unicum testem, quamvis natalibus, ac dignitate conspicuum, & omni personali exceptione majorem, non probare sufficienter voluntatem revocandi, seu redingrationem legati. Inspecto enim rigore judiciorum testis unicus, etiamsi esset Cardinalis, non facit sufficientem probationem, Farinac. de *testib. quæst. 63. num. 4. & seqq. & num. 65.* Rot. *dec. 33. de probat. in antiqu.* Cocein. *dec. 4. num. 3.* Rot. *dec. 171. num. 3. p. 4. recent.* cum aliis in Asculana emphyteusis 27. Maii 1672. *§. non obstat coram Priolo.*

6 Nec obstat, quod interdum credendum sit unico testi ob qualitatem circumstantiarum; quia vera est distinctio superiùs etiam admissa, quod ubi agitur de declaratione rei dubiæ, & ambiguæ, creditur testibus singularibus, vel etiam unico, secus verò quando agitur de nova dispositione, quæ consistat in additione, vel diminutione, vel aliquo modo alteret dispositionem jam apparentem, ut in casu nostro in quo clara revocatio codicillaris prætenditur extingui per depositionem testis. Tunc enim tot testes requiruntur, quot sunt necessarii in principali dispositione, & sic saltem duo testes requirebantur juxta formam indulti Cardinalibus concessi, Surd. *cons. 129. num. 29. & num. 43.* Magdalen. *de num. test. par. 1. cap. 30. n. 11. & seqq.* Castil. *contr. par. 4. cap. 19. num. 25. & seqq. & num. 29.* Rota in Romana, seu Vercellen. fideicommissi 5 Martii 1659. *§. penult.* coram Verospio, & in eadem 19. Junii 1669. *§. Ex quibus,* coram R.P.D. Taia, & sub hac distinctione loquuntur, & intelligendi sunt Doctores omnes in contrarium adducti, & signanter Jacob. Gall. *d. cons. 60.* & Bim. *cons. 204.* loquentes de testamento Cardinalis Cusani.

7 Atque huic non refragatur; quod dicta distinctio procedat in testamento viri privati subjecto solemnitatibus juris civilis, secus in testamento Cardinalis gaudentis indulto. Quia hoc operatur, ut in nova dispositione non requirantur septem, vel quinque testes, sed sufficiant duo juxta indultum, non unicus, ut etiam in specie firmat ipse Jacob. Gall. *d. cons. 60. nu. 32.*

8 Neque aliud suadent prætensa adminicula, quia ea, quæ adduntur ex qualitate personæ, quod nempè fuerit scriptor testamenti, & codicilli confessarius Cardinalis, item nobilis, & nullum habens commodum, non plus operantur, quàm si ageretur de depositione alterius personæ qualificatæ, imò etiam Cardinalis, quæ depositio, ut præfertur, non sufficit. Alia verò adminicula concernentia inverisimilitudinem cessant; quia ad id, quod sit inverisimile voluisse testem cum damnatione animæ propriæ in præjudicium causæ piæ hanc facere attestationem, respondetur, quod si hoc esset adminiculum depositionis, militaret in omnibus testibus, nec dico, quod depositio testis non possit esse vera sed quod non sufficit ad probationem.

9 Ad id verò, quod dicitur de communi consuetudine Cardinalium, & Magnatum, & de generosa natura Cardinalis, respondetur ex eisdem verbis claris Codicilli, in quo exprimitur ratio revocationis deducta ex tenuitate hæreditatis.

10 Videatur decisio Manticæ de fide præstanda unico testi, quæ est decisio 211. *n. 7. & 285. n. 6. & dec. 280. n. 7. & dec. 372. n. 9.*

CONSULTATIO CXXVIII.

An contraveniens edicto Episcopi in materia clausuræ Monialium, possit ab excommunicatione inflicta, & Episcopo edicenti reservata absolvi à Metropolitano, vel à quocumque alio Episcopo?

1 QUod ad utrunque negativè respondendum censeo. Et quidem quoad Metropolitanum, non potest ille ad suum arbitrium ab Episcopis suis suffraganeis, aut eorum Vicariis excommunicatos absolvere, nisi in casu, quo per appellationem causa excommunicationis ad eum delata fuerit. Tunc enim potest, vocatis tamen partibus, & cognito de appellatione, aliàs non valet absolutio per textum in *c. Romana, & in c. Venerabilibus de sentent. excommun. in 6.* Quia non est Judex aut Ordinarius suorum Suffraganeorum, ac proindè nec eos excommunicare, nec ab excommunicatione absolvere valet extra casum appellationis, ut in *d c. Romana, & d c. Venerabilibus, §. excommunicatos verò, & in c. ad reprimendam, de offic. Ordin. & cap. per tuas de sent. excommunicat.* traditque Host. *in sum. lib. 5. tit. de sent. excomm. num. 12.* Astensis, Paludanus, & alii, quos sequitur Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 20. num. 17.* quicquid dicat Sanchez *lib. 3. consil. mor. cap un. dub. 35. per tot.*

2 Et quod ad alios Episcopos id probatur ex regula generali, quam tradunt Doctores, quod scilicet qui excommunicationis, aut alterius censuræ sententiam tulit, solus ipse absolvat. Quod habetur *ex cap. prudentium, §. Sexta de offic. deleg. & ex c. pastoralis, §. præterea de offic. ordin.* Glos. *in c. cùm inferior, v. ligare,* ibique Felin. *num 5. de major. & obed.* Alioquin destrueretur disciplina Ecclesiastica, præsertim in materia clausuræ Monialium, peculiari curæ Ordinariorum à Tridentino *sess. 25. de regul. cap. 5.* summoperè commissæ. Atque ita declaravit quoad utrunque S. Congregatio Concilii in Bituntina die 13. Septembris 1675.

CONSULTATIO CXXIX.

1 *An privilegium, quod Inquisitores, & eorum Notarii habent ab Urbano IV. quod non possint excommunicari à quibusvis delegatis, & inferioribus Summo Pontifice, cujus privilegii meminit Eymer. in direct. p. 3. q. 21. ibique Pegn. comm. 70. extendi possit ad alios ministros, & officiales S. Officii, & præcipuè ad Consultores, nominatim Portugalliæ, qui habent officium perpetuum cum voto decisivo, & subscribunt sententiis, ut refert. Sousa in aphor. lib. 1. cap. 1. n. 14.*

2 *An sibi præjudicaverit d. Consultor consentiendo in jurisdictionem alicujus Tribunalis sivè Rotæ, sivè Auditoris Cameræ?*

3 *An Inquisitor potuerit sibi jus dicere, & revocare censuras promulgatas à Delegato Apostolico?*

4 *An Nuncius Apostolicus in gradu appellationis, seu recursus possit procedere in ejus causis?*

AD 1. Negativè respondendum videtur. Privilegium enim Urbani IV. non respicit, nisi inquisitores, & Notarios S. Officii, & cùm videatur contrarium juri communi, extendi non debet de una persona ad aliam, *l. quod verò contra ff. de leg. l. si verò, §. de viro, ff. solut. matrimon.* & faciunt notata per Bart. in *l. omnes populi* in materia interpretationis extensivè, *ff. de just. & jur.* Soc. *cons. 39. col. 2. nu. 6. vol. 4.* 1

Verùm affirmativè resolvendum aliqui censent authoritate Pegn. *d. com. 70.* & ut ipse notat, durante eorum officio, quod constanter etiam tenet Caren. *de offic. S. Inquis. p. 1. tit. 5. §. 13. nu. 91.* 2

Moventur. Tum quia favores ampliari debent, præcipuè favore fidei. Tum quoniam eadem etiam in his ministris ratio reperiri videtur, atque adeò idem statui oportet, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* 3

Non obstat in contrarium adductum. Quia eadem est ratio in dictis ministris, sive Consultoribus, præsertim habentibus votum decisivum, quæ in Inquisitoribus, ac in Notariis, scilicet ne Inquisitionis negotium contra damnatam hæresim prudentiæ vestræ commissam, impediri, quod absit, propter aliquorum astutiam, vel etiam retardari contingat. Quæ ratio, cùm respiciat publicam utilitatem, extenditur ad alios ministros, & officiales, præsertim necessarios per ea, quæ latè scribit Hippol. in *§. aggredior. num. 59. & pluribus* 4

seqq.

seqq. Quod maximè locum habet, ubi unica ratio est scripta, vel unica tantùm assignari potest, prout est in hoc casu, ea scilicet, ut inquit Pegna, ne causæ Religionis propter excommunicationem Inquisitorum, aut aliorum S.Officii Ministrorum deserantur, aut impediantur, & interim, impeditis Judicibus, hæretici impunè grassentur. Hisque adstipulatur textus in *l.* 2. §. *Si Mater, ff, ad Senat. Consult. Tert.* ubi constitutio, quæ tantùm de Prætore Romano loquebatur, ad Magistratus Provinciarum se extendit ex identitate rationis, ex quo textu dicit ibi Bartolus, quod licèt statutum loquatur in Potestate, tamen locum etiam habet in Capitaneo, si Capitaneus eandem habeat jurisdictionem circa idem, quem refert, ac sequitur Alex. *cons.* 106. *num.* 24. *vol.* 3. & *consil.* 20 *num.* 12. *vol.* 4. Rom. *singul.* 609. Soc. *cons.* 39 *col.* 2. *vol.* 4. & ad hoc alludit textus in *l. moris sub init ff. de pœn.* Inficiari autem nemo potest, Consultores præsertim habentes votum decisivum, & in sententiis se subscribentes, ut in Portugallia, teste Sousa *in aphor. cap.* 1. *num.* 14 *lib.* 1. in causis S. Inquisitionis eandem, imò majorem habere jurisdictionem, quàm simplices Notarii, & ideò privilegium loquens de prædictis Notariis, locum etiam habet in aliis Ministris, & officialibus necessariis.

5 Deinde respondetur, quod hujusmodi privilegium non est contra jus commune, sed potiùs jus ipsum commune distinguit, seu limitat, quo casu licita est extensio, præcipuè in causa favorabili, Bart. in *l. si constante q.* 9. *ff. sol. matr.* ubi Ripa *num.* 79. ponens regulam, quod in limitatoriis, sive exorbitantibus ex identitate rationis fit extensio, Rom. *cons.* 281. *in fine*.

6 At nihilominùs S. Congregatio S. Officii tam die 3. Februarii 1609. & 11. ejusdem censuit excommunicari posse inservientes S. Officio ob non solutionem pensionum non obstante dicta Bulla Urbani IV. incipien. *ne Inquisitionis negotium*, & ita significatum fuit Auditori Cameræ Apostolicæ. Idemque censuit sub die 13. Januarii 1676. ubi negativè respondit juxta primam opinionem, ea præsertim mota ratione, quia Consultores non sunt ministri necessarii adeò, ut sine ipsis officium S.Inquisitionis exerceri non possit; secus autem dicendum de Inquisitoribus, & Notariis, sine quibus dictum officium exerceri nequit, & ideò istorum tantùm, & non aliorum Ministrorum, qui non sunt adeò necessarii, consideratio habita fuit à Summis Pontificibus in dicto privilegio, quod proinde non est ad alios extendendum.

7 Ad 2. Negativè videtur respondendum per ea, quæ alibi dicebam, & per ea, quæ in hac specie docet Pegna *loc. cit. lit. D.* inquiens, quod cùm aliquod privilegium concessum est toti potius alicui ordini, quàm privatis personis ejus ordinis, tunc tali privilegio renunciari non potest, *cap. si diligenti extr. de for comp.* Quare cùm privilegium prædictum sit concessum toti Ordini, & Collegio Ministrorum, ac Officialium S. Inquisitionis, item propter publicam utilitatem, nempè ob fidei favorem, & ut hæreses extirpentur, consequitur planè, ut ei renunciari non possit, atque adeò nec renunciantem sibi præjudicare. At negativè respondit eadem S.Congregatio S.Officii d. die 3. Januarii 1676. idque consequenter ad primum dubium.

8 Ad 3. Affirmativè. Quia Inquisitores tantùm jurisdictionem habent in ordine ad causas tum criminales, tum civiles suorum Officialium privativè, & alii Judices non possunt se intromittere in illis judicandis, ut per Roy. *sing.* 181. Param. *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *qu.* 6. *num.* 26. Simanch. *de cath. Instit. tit.* 41. *rubr. de minist. num.* 19. & *seqq.* Farinac. *qu.* 186. *nu.* 38. Jo. de Hevia *in Cur. Philip. p.* 2. § 1. *n* 19. Narbon. *in recopil. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 20. *glos.* 1. & *seqq.* ac aliis communiter. Et ita etiam declaravit eadem S. Congregatio S. Officii d. die 13. Januarii 1676.

9 Ad 4. etiam negativè. Cùm non appareat inter privilegia Nuncii Apostolici, ut etiam contra Ministros, & Officiales S. Inquisitionis possit procedere, Quare favore fidei, ne in officio impediantur absque expressa Romani Pontificis facultate, faciente de hoc privilegio mentionem, ac illud revocante, nullus cujusvis auctoritatis, aut potestatis existat, potest in hujusmodi Ministros, & Officiales procedere, ut per Pegnam *d. comm.* 70. *litt. C.* In his tamen casibus causæ vertentes inter Inquisitores, sive Ministros, sive Officiales S. Officii, & alios avocantur per Sanctissimum ab aliis Tribunalibus, & committuntur alicui ex Eminentissimis Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, quemadmodum fuit avocata causa, vertens inter Inquisitores Portugalliæ, & Antonium Rodriquez per Sanctissimum à Rota, & commissa Eminentissimo Cardinali Verospio, uni ex Cardinalibus generalibus Inquisitoribus 31. Martii 1630. Videatur tamen quid declaraverit de hoc dubio eadem S. Congregatio dicta die 13. Januarii 1676.

CONSULTATIO CXXX.

Quomodo sit expediendus, qui se accusat non prævento ab aliquo indicio, usum fuisse sortilegiis qualificatis ad amorem, si interrogatus super intentione nolit respondere?

CArena *p.* 2. *tit.* 18. §. 3. videtur asserere, quod expediri debeat tortura, inquit enim *num* 16. solummodo circa hos est advertendum; quod si confiteantur, se verbi causa hæreticè sortilegio usos esse absque tamen hæretica intentione, nullo modo super hac intentione sunt torquendi, sed standum omninò est spontaneæ depositioni eorum, & cogendi sunt ad abjurandum pro modo suspicionis. Ergo si interrogati super intentione non confiteantur, sunt torquendi. 1

Poterit hoc probari ex eo, quod reus in tali casu potest torqueri, & compelli, quod respondeat affirmativè, vel negativè ad interrogata, ut ex Baldo in *l. accusationem post num.* 11. *C. qui accusar. non poss.* ubi ait, quod reo talis tortura non datur ad eruendam veritatem; quia ad hoc requireretur, quod præcederent indicia ad torturam sufficientia, sed datur ad eruendam responsionem, ut docent Clar. *lib.* 5. §. *fin. qu.* 45. *nu.* 6. Mascard. *de prob. lib.* 3. *concl.* 1385. *nu.* 15. Locat. *in prax. Inquis. v. Tortura* §. *& scias etiam*, Capycius *dec.* 145. Caravit. *rit.* 259. *num.* 14. Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2. *c.* 39. *n.* 48. Peguera *in prax. c.* 12. §. 5. *n.* 26. Chartar. *de interrog. reor. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 3. & alii. 2

Verùm hæc ratio, licèt aliàs sit vera, in hoc tamen casu non videtur habere locum. Nam procedit in reo ab aliquo indicio prævento, non autem in sponte comparente, & à nullo indicio prævento. 3

Mitiùs agit Thomas Delbene *de offic. S. Inquis. p.* 1. *dub.* 193. *sect.* 3. *n.* 4. ubi respondit, quod si spontè priusquam denunciatus sit, compareat, non ut hæreticus, sed solum ut de hæresi suspectus vehementer, & sic in pœnam extraordinariam, scilicet abjurationis de vehementi, & aliam pecuniariam condemnari debeat, si hujusmodi interrogatorio responderi noluerit. 4

Itaque censeo, vel esse torquendum, vel esse condemnandum ad aliquam pœnam extraordinariam, ex hac quidem ratione; quia tales comparentes, ut spontè comparentium beneficio gaudeant, debent plenè tam de se, quàm de aliis confiteri, aliàs habendi sunt tanquam diminuti confitentes, ut habetur ex Concilio Bitterense *cap.* 2. ibi: *Intra quem terminum venientes pœnitentes, & dicentes plenam de se, & de aliis veritatem, habeant impunitatem.* Quia autem nolit interrogatus respondere super intentione, plenam de se veritatem non dicit, atque adeò impunitatem habere non debet, cùm confessio sit dimidiata, non integra. 5

CON-

CONSULTATIO CXXXI.

1 QUidam ita confessus est: Quanquam ego essem in tali fide, quod Deus non esset; nihilominùs propter alios meos fines decrevi presbyteratus ordinem suscipere, cùm mihi videretur sub hoc prætextu id excusationi mihi esse quoad homines, ne vindictam sumerem de occisione mei patris. Et constans in supradicta atheismi credulitate, minores, ac majores omnes Ordines suscepi. Et quamvis interdum crederem, esse Deum, attamen cogitans res mundanas, earumque gubernationem, non satisfactus secundùm meam intelligentiam, perseverabam in mea solita credulitate, quod non esset Deus, quodque Ordines à me suscepti non essent Sacramentum, sed res fictitiæ, vel casu factæ, in nullo pretio illos habens. Et postquam Sacerdotium suscepi, celebravi, non credens conficere sacrificium, neque Sacramentum. Quæritur,

An in hoc casu fuerit impressus character, & sit iste validè ordinatus? cùm videatur non habuisse intentionem sacros Ordines suscipiendi?

2 REspondeo, hujusmodi Sacerdotem fuisse validè ordinatum, atque adeò characterem fuisse impressum. Primò, quia constat de ejus intentione ex illis verbis: *Nihilominùs propter aliquos meos fines decrevi presbyteratus ordinem suscipere.* Quæ intentio sufficit, si fuerit virtualis, non revocata, juxta Theologos in 4. *sent. & cap. majores de baptism.* Et super hoc, cùm fuerit actus ejus merè internus, poterit interrogari, & ipsi soli fides adhibenda est quoad hoc, & maximè, quia jurare potest, suam intentionem, & voluntatem ita fuisse, ut suis verbis superiùs allatis se explicat. Quod, si adhuc remaneret aliquod dubium, poterit Sacramentum Ordinis hujusmodi reiterari sub conditione, ut in casu simili censuit Sac. Congregatio Concilii sub die 26. Septembris 1665. apud me *tom.* 1. *consult.* 120. *num.* 9.

3 Secundò. quia certum est, ad valorem Sacramenti, nec fidem, nec bonam aliquam dispositionem in suscipiente requiri, ut ex communi Theologorum docet Suarez *ad* 3. *part. D. Thom. disput.* 24. *q.* 68. *sect.* 2. *& disp.* 14. *sect.* 2. Et colligitur ex *c. Majores de baptism. & c. de Judæis* 45. *dist.* Nam ut ait Suarez, non est necesse, quod voluntas suscipiendi paptismum, vel Sacros Ordines sit in se supernaturalis; potest enim ex aliquo motivo humano, vel naturali procedere, & ideò non est necesse, ut fundetur in fide supernaturali, sed in quadam humana credulitate, quam potest habere hæreticus. Unde interdum potest esse voluntas, quæ ad valorem baptismi, vel Ordinis sufficiat absque ulla credulitate baptismi, vel ordinis, solùm sub quadam ratione confusa faciendi, vel suspiciendi id, quod Christiani faciunt, vel suscipiunt, quicquid illud sit; quam voluntatem potest quis habere, etiamsi privata opinione credat, totum id uullius valoris, vel momenti esse; quia hæc veritas non pendet ex sola rei natura, sed ex institutione, à qua est totum esse Sacramenti. Constat autem ex usu, & traditione Ecclesiæ, hanc fuisse Christi institutionem. Sicque recta fides baptizati, vel ordinati non requiritur ex necessitate ad baptismum, vel ordinem, dummodò adsint cætera quæ sunt de necessitate Sacramenti. Non enim Sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis baptismum, vel ordinem, sed per virtutem Dei, ut docet expressè D. Thom. *d.* 3. *p. quæst.* 68. *art.* 8. Estque sententia Sanctorum Patrum apud Suar. *d. disp.* 14. *sect.* 2. nominatim D. Gregorii *lib.* 9. *regist. ep.* 62. ubi scribens Quirino Episcopo inquit: *ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad S. Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocantur.* Hoc autem non esset, ait D. Thomas *loc. allegat.* si recta fides ex necessitate requiritur ad susceptionem ordinis, ac proindè validè hic Sacerdos fuit ordinatus.

CONSULTATIO CXXXII.

Sacerdos Latinus factus Monachus ritus græci uniti petit dispensationem celebrandi, & recitandi Divinum Officium ritu græco, adducens pro causa, quod alias non poterit ministrare officia Religionis, & propterea ab illa recedere tenebitur. Quæritur, quid consulendum?

1 CEnseo consulendum obstare Constitutionem B. Pii V. incipientem *Providentia*, & causam adductam non videri sufficere. In Constitutione enim non solùm revocatæ fuerunt licentiæ Græcis Latino more, & Latinis græco ritu Missas, & alia Divina Officia celebrandi, sed illas appellat perversionem Divinorum Officiorum ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumq; Patrum decretis alienas & abusum ab Ecclesia Dei extirpandum, & submovendum. Quam Constitutionem religiosissimè semper curat observandam S. Congregatio S. Officii, præsertim sub die 4. Julii 1624. in qua certiores facti fuerunt Ordinarii, ut in hoc invigilent.

2 Et quoad causam non videtur illa sufficere, quia concernit dumtaxat bonum privatum, non publicum, sibique imputet, quod elegerit Religionem, in qua Sacerdotes ritus Latini nequeant officia ministrare; neque id tanti est, ut propterea teneatur ab illa recedere, cùm possit permanere absque officiis exercendis, sicuti permanent alii Religiosi, qui propter incapacitem, vel privationem vocis activæ, & passivæ officia, & dignitates in sua Religione ministrare, & obtinere non possunt.

3 Unde cùm non existat causa legitima dispensandi in re tam gravi, non poterit cum hoc Monacho dispensari juxta Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 5. ubi graviter prohibet dispensationes absque justa causa, quia inquit, dispensare sine justa causa est aperire aditũ ad transgrediendas leges. Quinimò, ut dispensatio hæc sit valida requiritur ex parte Summi Pontificis aliquod motivum, quod sufficiat, ut rationabiliter procedat; quia dispensatio non solùm dependet à voluntate Pontificis, sed etiam à potestate, & sic non est valida, nisi sit ex motivo rationabili. Nisi enim rationabiliter procedat non concurrit potestas ad actum; quia potestas est tantùm ad actus rationabiles, cum non se extendat ad operandum extra regulas rationis *cap. sunt quædam* 25. *q.* 1. *& l. penult. de furt.*

CONSULTATIO CXXXIII.

Supposita notorietate adulterii uxoris, quod tamen vir ob potentiam, & qualitatem adulteri non potest in judicium deducere, sed dedit litteras ad uxorem, ad adulterum, & cæteros Primates in quibus, & palam quoque declaravit, se velle ad Sacros ordines promoveri, atque vitam cœlibem ad mortem usque ducere, & in regione non habet ordinarium pro dimissoriis habendis. Quæritur,

1 *An vir propria auctoritate in casu posito possit, etiam nolente uxore, divortium celebrare? & quatenus affirmativè.*

2 *An dispensandus, ut possit Sacros ordines suscipere?*

3 *An Eminentissimus Protector possit ei ad hunc effectum dimissoriales concedere?*

AD 1. Licèt sententiam negativam docuerit Innocent. in *cap. Veniens in fin. de convers. conjug* ibique Hostiensis, & per rationes ab iis adductas apud Sanchez *lib.* 10. *de matrim. disp.* 11. *nu.* 15. Affirmativa tamen prævaluit, quam Doctores communiter tradunt, tum

tum Jurisperiti, tum Theologi quos sequitur idem Sanchez *loc. allegat. nu.*16. respondens rationibus contrariæ sententiæ *nu.*17. Poncius *de matrimon. lib.*9. *cap.* 19. *num.* 5. ac Perez *eodem tract. disp.*56. *sect.* 6. *num.*6. aliique. Ratio autem est, quia jus conjugale æquè obstat ingressui religionis, ac susceptioni Ordinum, cùmque adultera omne jus conjugale amittat, æquè licebit viro, etiam ipsa invita, transire ad Ordines ac ad Religionem. Adulterium enim perpetuum divortium efficit, omnique jure maritali privat, ut per D. Augustin. *lib.* 1. *de serm. Domin. in mont. cap.*26. *& seqq. ac lib.*1. *retract. cap.* 19. Et quamvis non sit textus id expresse disponens circa Sacros Ordines, satis tamen est, id dispositum extare circa transitum ad Religionem in *c. Constitutus, & d.c. Veniens. de convers. conjug. & in can. Agathosa* 27. *q.* 2. Utrumque enim æqualiter impeditur propter jus conjugale, & ideò ubi transitus ad Religionem permittitur, censetur quoque concessus transitus ad Ordines, nisi aliunde obstaculum adesset, vel quia vir esset bigamus, aut aliàs irregularis.

Ad 2. Posita notorietate adulterii, nisi aliundè impedimentum adesset, vel quia vir esset bigamus, aut aliàs irregularis, non est necessarium Ecclesiæ judicium expectare, aut aliam dispensationem. Est expressè decisum ab Alexandro III. *in cap. significasti, de divort.* judicante, eum, qui ob notorium adulterium uxorem dimiserat, Ecclesiæ judicio non expectato, ad eam recipiendam non debere compelli, nisi fortè constaret, virum cum adultera adulterium commisisse. Quam decretalem Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, & alii explicantes admonent notorium adulterium dici, quando Judici, & aliis notum est, vel sunt probationes in promptu, ut in hoc casu, vel, ut addit etiam Panormitanus, quando adulter crimen confessus est in judicio, cui Pontius addit, verum esse, etiamsi in alio judicio scilicet civili confiteatur; ea enim confessio nocebit in judicio criminali, ut constat ex decisione Rotæ 250. *num.*2. apud Farinac. *volum.* 2. *cons.* Et hanc sententiam apertissimè docet Panormitan. in *dict. cap. significasti, & cap. fin. de adulter. num.* 6. affertque in sui favorem textum in *d. cap. Agathos.* 27. *quæst.*2. ubi qui propter adulterium mulieris ingressus est monasterium, licitè fecisse dicitur, si potest de adulterio constare. Eandem etiam sententiam docent Theologi, ac Summistæ communiter cum D. Thoma in 4. *dist.* 35. *quæst.*1. Richard. *art.*1. *quæst.*3. Durand. *q.*1. Carthusian, *ead. dist. quæst.*1. qui docent, non esse necessarium Ecclesiæ judicium, si adsint probationes in promptu adversus nòcentem, Turrecremata in *can. Sicut, d. q.* 2. & alii.

5 Unde in hoc casu potest innocens propria authoritate absque aliqua dispensatione divertere, vel Religionem ingrediendo, vel suscipiendo Ordines absque metu restitutionis, & sic, stante signanter notorietate adulterii uxoris, S. Congregatio Concilii die 17. Junii 1645. declaravit, professionem religiosam emissam à viro innocente propria authoritate in Religionem ingresso, fuisse, & esse validam, licèt aliquando eadem S. Congregatio, ut cautiùs in hac re gravissima agatur, in adulterio etiam notorio soleat requirere sententiam Judicis ut in Romana divortii 26. Aprilis 1653. in qua non obstante, quod mulier per quadriennium publicè se prostituerit, S. Congregatio requisivit sententiam super divortio, postque sententiam sequutam concedit licentiam, & facultatem Sacros Ordines suscipiendi.

6 Duo tamen præ cæteris huic doctrinæ obstare videntur. Primum est textus in *cap. Conjugatos, de convers. conjug.* in quo decernitur, quod non possit vir ad Ordines promoveti, nisi uxore in seculo relicta, promittente continentiam. Secundum est periculum incontinentiæ viri; cùm enim maneat in sæculo, facilè potest uxori commisceri, ac plura sacrilegia committere. Quod periculum ipse quoque Sanchez *d. numero.* 17. *in fine* fassus est. Unde saltem ex hoc capite videtur indigere aliqua dispensatione, vel licentia.

Verùm ad primum facilè respondetur, illum textum, 7
& alios ejusmodi intelligendos esse, si res sit integra, & mulier adultera non extiterit, & cùm de licentia utriusque fit transitus, non verò in casu præsenti; quia cùm vir innocens liber sit à jugo debiti conjugalis, potest independenter ab ulla mutatione statns adulteræ ad Religionem, vel ad Ordines transire, ut per Sanchez *d. num.*17.

Ad secundum difficilius est respondere. Putat San- 8
chez, subesse quidem periculum, at cùm possit Dei gratia tentationibus resisti licitus est transitus ad Ordines. Pontius autem loco superiùs citato *num.* 4. *in fine*, ait non esse id necessarium, aliàs enim grave jugum imponeretur innocenti. Ego tamen censuerim, si in viro non adest periculum incontinentiæ, nulla indigere dispensatione, vel licentia, si autem adest periculum, eo casu cogenda est adultera ad perpetuam clausuram juxta dispositionem *Authent. sed hodie, Cod. ad leg. Iul. de adult.* quam dispositionem jure canonico revocatam non esse, censet Pontius ubi supra *numer.* 3.

Ad tertium negativè. Solus enim Episcopus literas 9
dimissorias concedere potest per textum expressum in *cap. cum nullus, de tempor. ordinat. in* 6. ubi Franch. & Gemin. *numer.* 3. Glos. communiter recepta in *cap.* 1. *de offic. ordin. in* 6. Felin. in *cap. Pastoralis de offic. ordin.* aliique communiter ac Tridentinum *sess.*23. *cap.* 10. *de reformat.* Et ratio est, quia in eo, qui petiit promoveri est necessaria subjectio ad ordinantem. Vir autem iste non est subjectus Cardinali Protectori, atque adeò non potest ab ipso accipere dimissorias, nisi id habuerit in suis facultatibus. Quare vel committendum est Episcopo viciniori, ut hujusmodi dimissorias concedat, vel est promovendus ex commissione, vel licentia Pontificis, ut advertit Glos. in *d. cap. Cum nullus v. In eadem.* Quia summus Pontifex est totius Ecclesiæ Episcopus, ac singulorum Ordinarius, *can. Cuncta per modum 9. quæst.* 3. & ideò de ejus licentia potest quicunque à quocunque Episcopo ordinari.

CONSULTATIO CXXXIV.

1 *An damnatus in contumacia ad pœnas Constitutionis: Si de protegendis, & in specie excommunicationis, si per annum inforduerit in excommunicatione, sit declarandus hæreticus, vel damnandus, velut hæreticus ad terminos c. Excommunicamus* 1. *de hæret.*

2 *An pœna damnati velut hæretici extendatur ad pœnas omnes hæreticorum, & præcipuè combustionis ejus statuæ, vel figuræ.*

3 *An in citatione novæ sententiæ condemnatoriæ ad pœnas hæreticorum offerendus sit Salvus conductus pro pœnis in priori sententia contentis?*

AD 1. Respondeo esse damnandum, velut hære- 1
ticum. Probatur ex *auth. Gazaros, Cod. de hæret.* ibi: *Ita quod, si sic per annum permanserint ex tunc omnes tanquam hæreticos condemnamus*, traditque Glos. *in cap. Excommunicamus* 1. *de hæret. v. Condemnentur in* 6. ubi ait; ex eo, quod quis in excommunicatione propter crimen hæresis permanserit per annum, inducitur vehementissima suspicio, quod is sit hæreticus, quod sequitur Hostiens. ibi *num.* 2. *& seqq. & in summ. de hæret. §. qualiter num* 4. Anchar. *num.*4. Joan. Andr. *numer.* 3. Anan. *numer.* 6. Henric. *num.* 3. Butr. *numer.* 7. *&* 12. aliique Canonistæ commniter in *d. cap. Excommunicamus*, Soccin. *in cap. per tuas de sentent. excommunic.*

*excommunic.n.*30 Ifern. *de feud.tit.stat.& consuet.contra libert.eccles.num.*10. Covar.*in cap. Alma part.1.§.7.num.* 111. Clar.*in §.hæresis num.*21.*versic. hæc autem conclusio,* Pegn. 3.*part.direct. comm.*49. §.*quod si is, & in §. Sententiam diffinitivam*, Royas*sing.*60.*num.*3. Ugolin. *de censur.tab* 1.*cap.*14.§.3.*num.*2. Menoch.*de arbitr.cas.*216. *num.*6. Villadiego *de hæret. quæst.* 9. sub initio, Scacc. *lib.*1.*de judic.cap.*98.*num.*36. Salzed. ad Diaz *cap.*116.*nu.* 12. Simanch. *de Cath.institit.tit.*2.*num.*9. *& tit.*24.*num.*2. Graff. *lib.*4.*decis.cap.*14.*num.*4. Sayr. *de censur.lib.*2.*cap.* 10.*num.*11. Caren. *part.*2.*tit.*8. §.5. *num.*20. extatque singularis decisio Capellæ Tolosanæ 365. Qui omnes uno calamo scribunt, post exactum annum non requiri sententiam Judicis condemnatoriam, sed ipso jure in eum jam intelligi latam, itaut ipso jure habendus sit ut hæreticus, cùm lex ipsum condemnet in *d.auth.Gazaros, C. de hæret.* Quam sententiam appellat veram Pegna *loc. allegat.§.sententiam diffinitivam.* Ratio autem esse potest, quia sufficiens est præsumptio, & probatio, eum esse hæreticum, tum ex ipsa suspicione hæresis, cujus causa expressim ab Inquisitoribus ad judicium vocatus est. Tum ex declaratione judicii, *arg.cap.nullus de præsumpt.* Tum ex animo rebelli persistendi in excommunicatione per annum, in quo casu satis est, quod expressim fuerit vocatus, ut de suspicione hæresis, seu de rebus fidei responderet.

2 Nec obstare videtur *dict.cap.Excommunicamus, §.qui autem, & cap. Cum contumacia de hæret.in* 6. ubi non lata ipso jure sententia, sed potius ferenda judicatur, dum dicitur: *Ex tunc velut hæretici condemnentur.* Quoniam, ut præcitati Doctores, ac Pegna *cit.loco* asserunt, præfatam *auth.Gazaros* fuit in hoc crimine approbata ab Ecclesia in *dict.cap. Ut inquisitionis in princ. de hæret.in* 6. ac proindè vim habet, ac si à potestate ecclesiastica lata fuisset, Abb. in *d. cap. Excommunicamus num.*11. Anchar.*ibidem num.*4.*&* 5.Hostiens.*num.*7.*&* 8. Soccin. *num.*14. Buttrius *num.*17. aliique passim, præcipuè Sanctarellus *de hæres.cap.*4.*num.*2. Prærequiritur tamen sententia declaratoria, prævia citatione ad se purgandum de vehementi, ut per Scacciam *dict. cap.* 98. *numer.* 10. & Pegnam *dict.part.*3. *in* 13. *modo terminandi processum,* quos sequitur Carena *ubi supra*; Farinac. *de hæres.quæst.* 192. *num.*17.

3 Ad 2. Affirmativè per ea, quæ tradit Pegna *d.comm.*49. §.*verum*, ac Simanchas apud ipsum, omninò videndus. Idque ne sententia frustra lata esse videatur, & ut timor aliis incutiatur. Quod etiam supponunt Chartar.*de execut.sent. cap.*1. *num.*278. *&* 280. Sanctarellus alios adducens *loc.alleg.num.*3.*in fin.* Caren.superius *cit.nu.*24.Dec. *lib.*5.*cap.*33.*n.*13. & Glos. in *d.cap. Excommunicamus*, §. *qui autem*, *de hæret.in* 6.

4 Ad 3. etiam affirmativè. Nam qui in causa fidei fuit excommunicatus, & elapso anno, postea se præsentat coram Inquisitore, non solum debet, si nondum fuerit declaratus hæreticus, admitti ad respondendum in ea causa, ob quam citatus, & excommunicatus fuit, ut per Salzed. *cit. cap.*116. *num.*12. Pegnam *d. part.*3. *com.*174. Scacciam *d.lib.*1.*cap.*28.*nu.*95.Sanctarell. *ubi sup.num.*3. Alter.*de cens.tom.*1.*lib.*2.*disp.*8.*cap.*3.*vers. Quod si etiam,* Carenam *alleg.*§.5.*num.*23. Verum etiam debet admitti, si compareat, postquam fuit declaratus hæreticus, vel ejus statua, seu imago combusta, Chartar.Salzed.Pegna, Simanchas, & Decianus locis supra citatis. Et ideò poterit offerri Salvus conductus, cum illa tamen clausula communi: *Iustitia semper salva.*

CONSULTATIO CXXXV.

An Græci in susceptione Sacrorum Ordinum teneantur observare tempora, & interstitia Ecclesiæ Latinæ?

1 VIdetur negativè respondendum; quia Græci, postquam divisa sunt Imperia, & à Latinis separati, licet adhuc Ecclesiæ Romanæ subjecti remanserint, quia subesse Summo Pontifici est de necessitate salutis, non tamen tenentur legibus Pontificiis, & Conciliorum generalium, nisi nominatim exprimantur; quia eorum mens, stante hujusmodi separatione, non est illos comprehendere, ut apud Dianam *part.* 5. *tract.* 1. *resol.* 25. Et Congregatio particularis super hoc Romæ deputata post latè discussum articulum 4. Junii 1631. convenit in negativam, excepta materia dogmatum fidei, & quando Papa meminit expressè, & explicitè de eis, vel saltem tacitè, & expressè, ut in casu schismaticorum, appellationis ad futurum Concilium, delationis armorum ad infideles, & aliis similibus. Hinc Græci non servant interstitia, sed conferunt omnes Ordines sacros eodem die, ut per Congregationem Euchologii 10 Aprilis 1639. & Episcoporum in Panormitana 6. Octobris 1645. Ac promoventur sine patrimonio, sive quod Concilium intelligatur de Latinis, sive quod apud ipsos non sit in usu receptum, ut per eandem S. Congregationem Episcop. in eadem Panormitana 17. Novembris ejusdem anni 1645.

Accedit, quod traditur à Patribus, præcipuè Augustino ad Ianuar.*ep.*118.*&* 119. Gregorio *lib.*1.*ep.*4. scilicet neque vel in minimo læditur fides variis Ecclesiarum consuetudinibus, dummodò non peccent in substantia Sacramentorum, nempè materia, forma, & ministro, neque sint contrariæ præceptis divinis à d. Scriptura, vel à traditionibus Ecclesiæ emanatis circa eorum administrationem; tunc enim similes ritus, ac consuetudines omninò erunt extirpandæ; tolerandæ verò, si tantum præceptis, ac sanctionibus juris positivi, & Canonici prohibeantur. 2

At nihilominus partem affirmativam, saltem quoad Græcos degentes in Italia, censeo tenendam esse. Nam, ut alias dixi, Ecclesia græca vigore unionis tenetur recipere leges apostolicas etiam in his, quæ spectant ad jus humanum, ut proindè in professione fidei Græcorum jussu Gregorii XIII. edita apud Thomam à Jesu in *tract. de procur.sal.omn.gent. lib.*6.*pag.*319. leguntur hæc verba: *Insuper profiteor, ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia etiam ultra contenta in supradicto fidei Symbolo profitenda, ac recipienda proposuit, atque prascripsit, Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector &c.* 3

Et quia nullam Græci habebant rationem ætatis in Sacris Ordinibus tradendis, cum ipsi pueros quadrimos, vel quinquimos promoverent ad Sacros Ordines, ideò sapienter Ecclesia *dist.*77. *&* 78. in ordinandis non solum usum rationis requirit, sed perfectam magis, minusve ætatem pro ordinum varietate, idque tum ratione characteris, qui cum sit potestas exercendi, conferendique, quæ ad Dei cultum pertinent, tradi non debet, nisi in ea ætate, quæ hujus potestatis exercendæ sit capax, tum ratione annexi voti castitatis, quo nullus nisi sciens, & volens debet obstringi. Itaque in 6.Synodo Constantinopolitana *cap.*14. *&* 15. statuitur, ne diaconus ante 25. annum creetur, nec subdiaconus ante 20. nec presbyter ante 30. Quæ tempora licet variè mutata sint, inducendi tamen sunt Græci, ut Tridentini Concilii tempora observent *sess.*23.*cap.*12. dummodò intelligatur, ordines ante usum rationis valere ex communi sententia Theologorum in 4.*sent.d.*25. 4

Quare, licet hodie Græci in ordinibus conferendis non servent tempora, neque interstitia, hæc tamen consuetudo magis corruptela, & abusus recentiorum schismaticorum esse videtur, cum sit contra canones Synodi Nicænæ, & Sardicensis, & sextæ, ac octavæ, ut latè probat Leo Allatius in *tr.de ætat.& interstit.* Et hinc est, quod Clerici ritus græci in Italia commorantes, non obstante contraria consuetudine, non debent admitti 5

ad ordines absque sufficienti titulo beneficii, seu patrimonii juxta dispositionem S.Concilii Tridentini, ut respondit ejus S. Congregatio in una Siciliæ die 17. Novembris 1650. ad *cap.2.sess.21.de ref.* revocando declarationem S. Congregationis Episcoporum.

CONSULTATIO CXXXVI.

6 TEstes coram Episcopo, & Notario deposuerunt contra Titium, asserentes illum esse pluribus hæresibus infectum. In repetitivo tamen processu unus solus dictorum testium, qui est fiscalis Episcopi, permansit in dicto; reliqui verò vel negaverunt, vel qualificaverunt sua dicta ita, ut hæreses prædictæ evanuerint omninò, & Titius fuerit absolutus. Carcerati prædicti testes perstiterunt in secundo dicto processus repetitivi, dicentes ipsos oretenus dixisse Episcopo, prout dixerunt in repetitivo. Episcopum verò dictasse Notario, prout ei visum fuerit, quod legitur in processu informativo, ipsos autem bona fide, & in reverentiam Superioris attestantis eorum depositiones esse easdem ab ipsis oretenus factas, & propterea sub ejus conscientia posse subscribere, prout ita seducti subscripserunt. Quæritur.

7 *Primò, an ad inquirendum specialiter contra Episcopum, ipsumque constituendum inter reos, requirantur testes omni exceptione majores, prout ad condemnandum Episcopum requiruntur?*

8 *Secundò, an testes dicantur omni exceptione majores, cum nec fateantur delictum, ex quo socii criminis, nec perjuri videantur?*

9 *Tertiò, an prædicti testes examinati coram Episcopo tanquam Inquisitore, purgari debeant à maculis mediante tortura?*

10 *Quartò, an potius procedendum sit ad ulteriora contra eosdem testes, eosque torquendos ad eruendam veritatem, à quo fuerint subornati, cum præsumendum sit pro eo, quod scripsit Notarius coram Iudice Episcopo, maximè, quia unus testis concurrit cum eis?*

11 LIcet his dubiis generaliter responderi poterit, quod quando testes coram Iudice deposuerint, vel saltem depositionem suam subscripserint, non possit probabiliter dubitari, quin Scripturæ Notarii standum sit, etiam ad effectum illos puniendi criminaliter, ut docent Avila, Bobadilla, Sesse, Giurba, Nevizanus, Guazzinus, & Laurentius, quos refert, ac sequitur Carena *de offic.S.Inquis. p.2.tit.5.§.3.num.68* Quia tunc scriptura Notarii coadjuvatur testimonio alterius, quam Notarii, nempè Iudicis juxta textum in *l.Si quis ex argentariis* §.1. *ff.de edendo*, Salic.in *l.Si quis decurio, C.de falsi.*& Sanfelic.*decis.*231. *num.6.* ubi dicit, quod testis deponens coram Iudice, & Notario, punitur de falso, si postea dixerit, se non deposuisse, prout Notarius scripsit, Farinac.*q* 139.*num.2.* cum allegatis. Undè Iudex, qui adest receptioni depositionis testium, nihil aliud operatur, quam corroborare fidem ejusdem Notarii, Boss.*tit.de falsi.num.*16.& notat Cyn.*in d.l.Si quis decurio, C.de falsi.* ac refert Alex.*cons.*65.*nu.*1. *lib.* 2. ac proinde testibus aliter postea dicentibus non creditur in præjudicium Fisci, seu partis adhærentis; quia testes non possunt mutare consilium in illorum præjudicium, quibus auctoritate Iudicis fuit jus acquisitum per *l.3.§.causæ cognitio, vers.finge ff.de carbon.edict.* Salyc *in d.l.Si quis decurio n.4.& 5.C.de falsi.* Quod sanè intelligendum est, quando auctoritate Iudicis fuerit de testificatis facta solemnis publicatio, ut vult Gloss. *in l. solam C. de testibus* per rationes deductas à Zuffio *de crim proces.legitim. lib.3.c 9. nu.22.*

12 Nihilominus tamen, deveniendo ad specialem ipsorum responsionem, quoad primum respondendum puto, non requiri ad inquirendum contra Episcopum testes omni exceptione majores per textum in *cap. In fidei favorem, de hæret. in 6.* in quo conceditur, quod admitti possint testes, alias inhabiles à testimonio ferendo, cum Iudex procedit via inquisitionis, uti constat ex illis verbis textus. *In negotio Inquisitionis*, ea quidem ratione, quia inquisitio est favorabilis ex textu *in cap.Si quis Episcopus 2.q.7.*

Ad 2. Negativè, cum videantur falsi, ac perjuri, præ- 13
sumanturque fuisse corruptos, & subornatos, cum potuerint alloqui cum parte, ut per Bald. *in l.S.unus §. illud nu.1.ff.de pact.* Bertaz.*cons.*156.*nu.*13. Roland *cons.*33.*nu.*33. *lib.*1. Farinac. *cons.*130.*nu.*9. Locatel. *inspect.*5.*nu.*271. Et hujusmodi variatio cum sit materia criminis, & sic odiosa, debet probari concludenter per alios testes, quam per eos, qui dicunt se fuisse ab Episcopo seductos, *cap. Sicut à nobis, de testib.* Felin. *in cap. Cum in tua num.*7. *de test.* latè Cæphal. *cons.*233. *lib.* 2. & Farinac. *cons.*82. *num.*10. *& q.*45.*num.*1. *& seqq.*

Ad 3. & 4. Etsi aliquando arbitrio Iudicis, spectata 14
testium infamium improbitate, ac varietate torqueri possint, ac debeant, ut per Pegnam *in direct.Inquis.p.3. q.46.com.*113.Roy.*de hæret.p.2. nu.*153. Simanch. *de Cath. instit.tit.*64.*n.*37. Gomez.*var.resol.lib.3. cap.*12.*num.*16. Scacc.*de judic.tom.*1.*lib.*1 *cap.*81.*n.*2. Sous.*in aphor.lib.*2. *cap.*13.*n.*15. quamvis ordinariè non torquerentur, ut servatur in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ, & teste Riccio *p.2.dec.*208. servatur in Curia Archiepiscopali Neapolitana per rationes adductas à Delbene *de offic. S.Inquis.p.2.dub.*198 *sect.5.per tot.* Attamen censeo, procedendum potius esse ad ulteriora contra eosdem testes, eosque torquendum ad eruendam veritatem. Sumus enim extra casum textus *in cap. Accusatus §. licet de hæret.in 6.* ut observat Carena *loc.cit.p.3.tit.6.§.7.à nu.*60. ubi contrariam opinionem nititur conciliare; nimirum in causa hæresis, in qua testis in prima depositione dixit unum contra reum, in secunda dixit alterum pro reo, in quo casu, tanquam speciale in materia hæresis, standum est illi dicto, quod est contra reum *per cit.c. Accusatus*, §. *licet*, quem locum ita exponit præ cæteris Covar. *var. resol.lib.2.cap.*13 *nu* 19.ubi firmat, quod si prima testificatio esset in agnitionem, & revelationem hæresis, ac demum secunda ei contraria culpam, & crimen negaret, omninò priori standum est per Gloss.*in d.*§.*licet*, Felin *in d. cap.Cum in tua de test.* Albericum, & alios, dum asserunt esse speciale in causa hæresis; sentiunt enim, id permitti, ne crimen illud occultum omninò sit in perniciem Christianæ Religionis, & expressim id adnotavit Repertorii Inquisitorum Author. Et cum id procedat favore fidei, pro qua etiam ex informativo procedi potest, ut per Rotam *dec.6.nu.*1. apud Farinac.*lib.2.consil.* Atque adeò esse locum torturæ ad eruendam veritatem, & illi dicto standum, quod tortura confirmatum apparebit, arbitror cum Carena, ubi supra *d p.3.tit.7.§.5.nu.*46. cum Pegna, Zanchino, & Sousa, aliisque.

CONSULTATIO CXXXVII.

An milites Catholici, qui deficiunt in Regiones hæreticas ad exercitum hæreticorum, & postea à militibus Principis Catholici intercepti reducuntur ad Regiones Catholicas, & tunc quandoque confugiunt ad loca Sacra gaudeant immunitate Ecclesiastica.

DE hac re extat decretum S Congregationis S.Officii 1
sub 6. Maii 1593. tenoris sequentis: Militantes pro hæreticis contra Catholicos absolvuntur à censuris, & pœnis incursis, & juxta facti qualitatem abjurant, recepta obligatione de non militando ulterius pro hæreticis. Si igitur debent abjurare, sunt saltem suspecti de hæresi; nam censentur hæreticorum fautores Præcipuè si faveant, vel auxilientur in bello hæreticis, contra quos ob hæresim indictum est bellum. Et, quamvis in talibus non possit esse error in intellectu, tamen ut plurimum solent esse ejusdem religionis, ac propterea sunt de hæresi vehementer suspecti, *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes de hæret.* ibique Gloss.& Doctor Campeg. ad Zanchin.*de hæret.cap.*20.*in 3.casu*, Simanch. *de Cathol. instit.*

instit. tit. 15. num. 11. & Menoch. *præsumpt. 6. n. 19.* Suspicio autem in hæresi ex speciali criminis enormitate, ac periculo aliorum semper est vehemens juxta communiorem opinionem, ac æquivalet præsumptioni, ut per Pegnam ad Eymer. *p. 2. com. 80. col. 2.* Simanch. *tit. 50. nu. 22.* Menoch. *loc. cit. nu. 15. & lib. 1. q. 100.* ac Ricciul. *de jur. pers. c. 11. sub init. lib. 5.* Atqui suspecti de hæresi non gaudent immunitate Ecclesiastica, ut per Farinac. *de immun. c. 13 num. 175.* Peregrin. *eodem tit. cap. 8. num. 8.* Mat. Ital. *eodem argum. lib. 1. c. 6. §. 6. num. 59. in fin. & num. 140.* & declaravit S. Congregatio S. Officii 31. Augusti 1627. his verbis: *Hæresi suspecti, ut & ipsi hæretici possunt in Ecclesia capi, quia hujusmodi delinquentes non gaudent immunitate Ecclesiastica.* Et ita fuit scriptum Episcopo Rhegiensi, qui consuluit, an id facere potuerit Inquisitor dictæ Civitatis, extrahendo ab Ecclesia quendam blasphemum.

2 Itaque censeo, non gaudere, non quidem per se, sed ratione hæresis, cujus suspicionem incurrunt; quia cum hæresis crimen exceptum sit per Constitutionem Gregorianam, & in animo consistat, & sic examen requirat, fit, quotiescunque delinquentes illius suspicionem incurrunt ob bonum publicum, & ob favorem fidei ab Ecclesia extrahi possint, ut examini subiiciantur, si non de jure, saltem de consuetudine, etiam post dictam Constitutionem Gregorianam, rationabiliter inductam, juxtaque intentionis declarationem ad abjurationis gradum, suspicioni ex propositionibus prolatis, vel alias quomodolibet per eos contractæ congruentem, admittuntur. Et ita contra Gambacurtam *lib. 5. cap. 38. num. 4.* qui cum quadam limitatione id negat, sumpta paritate ex aliis delictis exceptis, in quibus suspicio non sufficit, ut reus Ecclesiæ immunitate non gaudeat, ex communi docent Pegna ad *2. p. Direct. Inquis. schol. 9. §. qui autem*, Marius Italia *d. lib. 1. c. 5. §. 6. n. 59. & 104.* Ambros. *cap. 8. num. 10.* & Farinac. *loc. cit. eod. nu. 175.* qui de inconcussa praxi S. Tribunalis testatur.

CONSVLTATIO CXXXVIII.

1 *An Clericus mandatarius S. Officii, qui gaudet privilegio fori S. Tribunalis activè, & passivè, possit in causis criminalibus non spectantibus ad S. Officium absolvi à proprio Episcopo inscio dictum Clericum esse officialem S. Tribunalis?*

2 *Quatenus verè fuerit absolutus, an carcerari possit ab Inquisitore ad effectum procedendi contra ipsum pro eodem delicto, de quo jam fuit ab Episcopo absolutus?*

3 *Tandem, an Episcopus procedere poterit ad censuras contra birruarios S. Officii, qui dictum Clericum carceri manciparunt, & contra Custodem carcerum, qui eum detinet, nisi dictum Clericum, ut supra, absolutum, dimittant è carceribus?*

1 AD 1. Posito decreto S. M. Urbani VIII. tenoris sequentis: *Sanctissimus de voto Eminentissimorum &c. mandavit scribi omnibus Inquisitoribus, ut in causis familiarium, & Officialium S. Officii, ad illud tamen non spectantibus, tam civilibus, quam criminalibus, activè, & passivè, non se ingerant, sed illarum cognitionem suis Iudicibus competentibus, & ordinariis relinquant, sed solum incumbant causis competentibus ad S. Fidem, aut ab ea dependentibus juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, excepta tamen cognitione causarum Officialium, & familiarium, qui aliquo modo delinquunt in officio sibi commisso. Et casu quo habeant aliquid relevans in contrarium, certiorent unà cum rationibus, ut considerari possint*, 1631. posito, inquam, hoc decreto à nobis pluries relato, videtur affirmativè respondendum. Quia crimina ab hoc mandatario commissa secundum se non continent hæresim, nec suspicionem hæresis, neque ullo modo concernunt fidem; facultas autem Inquisitorum de jure est tantum ad inquirendum contra hæresim, *cap. Accusatus, §. Sanè, de hæret. in 6.* Unde non possunt de jure communi procedere, nisi in delictis, quæ sapiunt hæresim, ut statuitur in eodem §. *Sanè.*

Quoniam verò supradictum decretum ex variis, ac urgentissimis rationibus non fuit executioni demandatum, ideò attendendam alii censent cujuslibet loci consuetudinem, ut per Carenam *de Offic. S. Inquis. p. 1 tit. 14. §. 5. n. 21.* At ego puto negativè respondendum. Tum ex generali ferè consuetudine. Tum quia Inquisitores, & Episcopi quoad privilegia æquiparantur, nec minora privilegia reperiuntur Inquisitoribus concessa, quam Episcopis, ut per Gratian. *discept. 340. num. 35. & discept. 341. nu. 11. tom. 2.* Royas *de hæret. p. 2. num. 409.* Carleval. *de for. compet. lib. 1. tit. 1. disp. 1. q. 6. sect. 6. nu. 508. & seqq* Episcopi autem cognoscunt causas suorum familiarium, etiam in delictis communibus, commissis extra eorum officium, ut probavi *tom. 1. cons. 81. n. 7.* Neque suffragatur ignorantia; quia illa non tribuit jurisdictionem, sed tantum excusat à pœnis, quas quisque incurrit, usurpando aliquam jurisdictionem. 2

Ad 2. Consentaneè ad dicta respondeo affirmativè; quia subiicitur jurisdictioni Inquisitoris, qui est Iudex competens suorum familiarium etiam quoad delicta ab hæresi diversa, non quidem ut sentit Pontius *de matrim. lib. 5. c. 12. n. 15. & seqq.* per jurisdictionem, quæ in sui origine, & conservatione sit secularis, sed uti censet Narbona *tom. 2. in 3. p. recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 20. glos. 22.* per jurisdictionem Ecclesiasticam, quia sicut advertunt Farinac. *de hæres. q. 128. num. 9.* Zanard. *in direct. confess. p. 2. præcept. 1. c. 6. q. 32.* Graf. *de effect. Cler. eff. 1. num. 130.* Macerat. *lib. 3. resol. 14. num. 1.* ex privilegio Ioannis XXII. Inquisitores habere possunt familiam armatam, appellatione cujus veniunt Notarii, Actuarii, Scribæ, Commissarii, Procuratores, Custodes carcerum, Mandatarii, Satellites, & alii hujusmodi, ut subdunt iidem Doctores, & consequenter dicendum, quod Inquisitorum jurisdictio in ipsorum familiam sit Ecclesiastica, qualis est jurisdictio Episcoporum in ipsorum familiares, qui fori privilegio gaudent. Sicque Inquisitores jurisdictionem habent, respectu suorum familiarium, & officialium privativè, non solum in causis fidei, in quo conveniunt Doctores, sed etiam in causis criminalibus, ita ut alii Iudices non possint se ingerere in illis judicandis; solum verò poterunt capere delinquentes, at illos captos tenentur remittere Inquisitoribus, ut per Simanch. *de cathol. instit. tit. 41. rubr. de ministr. nu. 19. & seqq.* Paramum *de orig. S. Inquis. lib. 3. q. 6. n. 27.* Royas *singul. 101.* & Farin. *q. 186.* temetsi quædam crimina Doctores citati excipiant apud Delbene de *Imm. c. 4. dub. 14. n. 13.* sed an rectè, alibi dicetur. 3

Ad 3. Etiam negativè. Sequitur ex dictis, quia cum censuræ sint actus jurisdictionis, non possunt valere, nisi habeant fundamentum in jurisdictione, *c. 1. §. neque, de for. comp.* Episcopus autem nullam habet jurisdictionem circa exemptos familiares S. Officii, atque adeò non potest circa ipsos exercere actus jurisdictionis, & si exerceat, nulli sunt defectu jurisdictionis, qui est defectus omnium maximus quoad annullationem actus, ut tradunt Curt. Paris. Menoch. & alii, quos sequitur Vant. *de nullit. tit. de nullit. defect. jurisd. n. 2. & seqq.* 4

CONSVLTATIO CXXXIX.

An, & quatenus Iudæi sint, vel esse possint Christianorum servi.

IUdæorum appellatione hic intelligimus, non populum Dei peculiarem, qui eadem nobiscum fide salutem æternam quæsivit, & adeptus est *Act. 15. n. 11. Roman. 4.* sed Iudæos recentiores, qui Iesum Christum promissum Mundo Messiam sua malitia crucifixerunt, etiamnum reiiciunt, & contra fidem catholicam detestabilia in dies committunt. 1

2 De his in præsentiarum, & in *tit. C. de Iudæis, & Cælicol.* agitur, & quæritur, an ne Christianorum servi sint, aut esse possint?

3 Et quod non sint, & consequenter antiqua servitutis jura in eis non procedant, pro ratione dubitandi facit primò, quia sibi, non christianis acquirunt, rerum dominia possident, & de bonis suis testari possunt, Danth. *de testam. sub rubr. qui testam. fac. poss.* Res Christianorum præscribunt, Glos. *in cap. Porrò 16. q. 3.* Natt. *tom. 2. cons. 434. num. 4. & tom. 3. cons. 620. num. 7.* In actibus humanis cum Christianis participant, Bald. *in l. Spadonem §. jam autem ff. de excus. tut.* Cum Christianis commercia liberè exercent, *arg. cap. miserabilem, cap. quanto magis de usur.* Pro Christianis fidejubendo obligantur, docente Heringo *in tr. de fidejussor. cap. 8. à nu. 16.* Societatem licitè ineunt, Nicol Mozz. *de societ. sub rubr. de person. quæ societ. nu. 21.* Neque aliquis Christianorum, excepto Præside Provinciæ, rerum suarum pretia eis constituere potest, *l. nemo 9. C. de Iudæis, & Cælic.* Quinimò, nè Christiani Religionis authoritate abusi, Iudæis quietè degentibus bona sua mobilia diripiant, sub pœna dupli est prohibitum *in l. Christianis C. de pagan. & sacrif.* Qui verò immobilia Judæorum bona occupant, constitutione *l. Si quis in tantum, C. unde vi*, tenentur. Ita declarat Menoch. *de recup. poss. remed. 9. num. 335.*

4 Secundò, quod Iudæi non sint Christianorum servi, urget, quia solemni more in judiciis agunt, & actiones excipiunt, *l. Iudæi §. C. de Iudæis.* Roland. à Val. *cons. 25. num. 25. vol. 3.* Arbitratores, seu amicabiles compositores, etiam inter Christianos esse possunt, *d. l. Iudæi*, Bartol. *vol. 2. cons. 17. per tot.* Et in quibus casibus pater christianus pro filio suo christiano, in illis etiam pater Iudæus pro filio suo Iudæo in judicio comparere, & eum contra christianum in causa capitali defendere potest, Cæpol. *cons. crim. 75. per tot.*

5 Tertiò Iudæi Christianorum servi non sunt, quia justas invicem contrahunt nuptias, undè liberos in sua patria potestate habent, *cap. fin.* ubi Panorm. *num. 3. de conver. in fid.* ceu multis docet Ursill. ad Afflict. *dec. 131.* Ascan. Clement. *in tr. de patr. potest. in 7. eff. num. 6.* & nos alibi, & constante matrimonio sibi invicem donare non possunt, Lup. de Palac. Rubr. *ad rubr. tit. de donat. inter vir. & ux. §. 35.*

6 Quartò servi non sunt, quia Iudæi tanquam cives Romani sunt juris Romani participes. Wener. in suis *observat. verb. Iudæus*, & de corpore, & populo civitatis esse intelliguntur, & statutis Civitatis, ubi degunt, ligantur, *d. l. Iudæi 8. d. l. Christianis*, Bald. *in cap. 1. de form. fidel.* Alex. *cons. 13. numer. 10. & seqq. vol. 7.* latè Blanc. *de compromis. q. 3. num. 47.* & concessum, aut prohibitum populo, vel universitati, etiam Iudæis, ibi habitantibus, tanquam parti populi concessum, aut prohibitum censetur, Alex. *vol. 5. cons. 75.* Surd. & alii ab ipso citati *in tr. de alim. tit. 2. q. 15. à num. 71.* Quia, ut dictum, Iudæi populi pars sunt, *arg. Novel. 80. in princ.* ibi: *Civitas nostra populosa est turbis diversorum hominum.* Quæ ergo circa alios populares, eadem etiam, ne judicium claudicet contra text. *in l. fin. C. de fruct. & lit. expens.* circa Iudæos debet servari æquitas, infert Natt. *tom. 3. cons. 620. num. 17. & 18.*

7 Hinc est, ut salvo, conductu civibus concesso, idem etiam Iudæis ibidem habitantibus datus esse censeatur, Menoch. *loc. cit. num. 291.* Mascard. *de probat. concl. 495.* Roland. à Vall. *vol. 2. cons. 35. num. 33.* Nec merces Iudæorum, qui per mare negotiantur, occupari possint. Nam quatenus Iudæi sunt pacifici, & Christianis Principibus subditi, hostes Imperii propriè, eoque modo, ut sunt Turcæ, & Saraceni, qui Christianos persequuntur, & ex urbibus, & propriis pellunt sedibus, dici non possunt, sed ut textus ait in *can. dispar. 23. q. 8. dispar. est Iudæorum, & Saracenorum causa*, & non illi, sed hi sub exceptione dispositionis *l. navigia in v. nisi talia sint navigia, qua piraticam exerceant pravitatem, aut sint nobis, sive Christiano nomini inimica & c. C. de furt. & c. si de rebus* 23. *q. 7.* continentur, Petr. Santerna *in tr. de assecur. & sponsion. mercat. p. 5. à numer. 15.* Alex. *vol. 7. cons. 130. per tot.* Hæc, & si quæ sunt alia Iudæos cives Romanos, non verò servos esse, satis evincunt, idque ex stylo, & de consuetudine Germaniæ non habet dubium, si credimus Mynsing. *lib. 5. obs. 6.*

8 Sed contra, & quod Iudæi in Imperio Romano, & alibi viventes, Cæsaris, & Principum, in quorum territoriis habitant, servi sint, tenent Abb. & Butr. *in cap. Iudæi num. 2. de testib.* Felin. *in cap. Iudæi 2. nu. 6. de Iudæis.* Cagnol. *ad l. quod attinet 32. num. 3. & ad l. qui in servit 161. num. 3. ff. de reg. jur.* Afflict. *d. decis. 151. num. 4.* Zasius ad *l. juris nulla num. 21. ff. de legib. & in tr. de Iudæis q. 1. an 6. rat. decid.* Alberic. *ad rubr. C. de Iudæis.* quorum sententiam eò libentius sequimur; quia *in cap. Et si Iudæos, de Iudæis.* expressè dicitur, quod propria culpa Iudæos perpetuæ Christianorum servituti submiserit, & mors Christi eos servos fecit. Unde etiam, ac quia ubique servire sunt parati pro sola humanitate, & ex mera pietate, gratia, & commiseratione, à Christianis dicunt foveri *in d. cap. Iudæi 21. de testib. & in d. cap. & si Iudæos, de Iud. & d. can. dispar.*

9 Quod verò in quibusdam privilegiis Imperatorum appellentur Cæsareæ Majestatis cubicularii, fit, non quasi honorabili cubiculariorum munus in aula Imperatoris sustineant, sed quia Imperatori, & statibus Imperii Iudæos tanquam publicos usurarios, & servos in bellica expeditione, aliisque necessitatibus pecuniam ubivis colligere, & Cameræ Imperatoris, & Statutum Imperii inferre oportet, ut per Chitzel. *in discurs. de regal. habend. Iudæor. in resp. ad 6. dubit. ration.*

10 Verum quod Iudæi Christianorum servi dicuntur, declaratur ex præmissis procedere, ut sint servi Principum, & aliorum, sub quibus habitant, Magistratuum, non etiam omnium aliorum. Et illorum Principum servi sunt, non quod propriè sint tales, & servitutis vocabulum strictè, eoque modo, ut in jure civili per omnia in eos quadret. Sed quod in quibusdam cum servis conveniant, & haud secus à Christianis, ac olim servi à dominis supprimantur, & deterioris, & humilioris conditionis, quam Christiani, esse, nec in *d. q. 1. de Iudæis.* per textum, quem tanquam singularem ad hoc ponderat in *l. fin. §. fin.* ubi de Iudæo, qui ad honores, & dignitates irrepserit, disponitur, ut ceu antea extremæ conditionis habeatur, & si honorariam illicitè promeruerit dignitatem, *C. de Iudæis* juncta *l. In servorum 10. ff. de pœn.* ex qua lege servos extremæ conditionis esse, liquet, Ursill. *in annotat. ad decis. 151. numer. 1.* Natt. *cons. 434. num. 3. & 4.* Propriè autem Iudæos Principum Christianorum servos non esse, innuit Pontifex in *cap. Et si Iudæos*, in verbo *Tanquam* extra *de Iudæis.* & probat Felin. *cons. 30. num. 14.* qui si veri essent servi, sequeretur, quod non sibi, sed Dominis contrahendo acquirerent contra notata supra.

11 Quod si quæratur in quibus prædicta suppressio consistat? Respondeo primò, quod hujus suppressionis intuitu Iudæi habitus diversitate, quæ eos à Christianis distinguat, uti *cap. In nonnullis extr. de Iudæis.* & flavum annulum vestibus impressum in civitatibus, & locis aliis, ubi habitant, portare cogantur. Quod ita non ad recolendam memoriam, & observationem legum Mosaicarum, quæ causa, quare Deus flavi coloris habitum Iudæis injunxerit, exprimitur *Num. 15. v. 37.* Deuteron. 33. v. 12. sed in subjectionis vilitatis, & à qua una cum meretricibus, & carnificibus laborant infamiæ notam Christianis Principibus circa Iudæos placuit. Idem de meretricibus, nempè quod habitus diversitate, qua à personis honestis discernantur, uti debeant, injungitur in *l. Mimæ 4. C. de Episcop. aud.* & Carnificibus per Schoreiduvin. sub. *tit. de hæredit. ab intest. in princ. nu. 12.* Sunt namque Iudæi usurarii publici, quos ipso jure infames existere, docet textus *in cap. porro 3. qu. 7.* & in *l. improbum*

probum fœnus, ubi Glos & Bald. *C. de his, qui not. infam.* & in Iudæis, quod sint infames, tenent Mascardus *concl.* 945. *nu.* 21. & Vantius *de nul. it. e. def. jurisd. deleg. n.* 48. Hæc infamiæ causa in Iudæis operatur, ut ad aliquas dignitates, præterquam ad eas, quas ipsi inter se habent veluti est Decurionatus, sive ut vocant, Factoratus, ad quem alios ex se eligere, & promovere possunt; quod quoad ipsos est dignitas secundum textum, quem in hoc sensu accipio *l. generaliter* 3. *§. fin.* ubi Gothofr. *ff. de Decur.* non admittantur.

12 Cujus consectarium est, quandoquidem Doctoratus est dignitas, *cap. Quanto extr. de magistr.* ubi Felin. *in* rubr. Chassan. *Catal. glor. mund. par.* 8. *consid.* 10. 11. & 12. Iudæos nec Doctores in aliqua facultate creari, Bartol. *in l. fin. C. de Iudæ. in l. omnes C. de Decur. lib.* 10. & *in l. un. num.* 10. & 11. *C. de nov. Cod. fac.* Zarabel. *in cap. Iudæi num.* 3. *extr. de testib.* Sebast. Medic. *de legib. & statut. p.* 4. *q.* 17. *n.* 7. Ferret. *de just. & injust. bel. num* 104. dicens, hanc communem omnium esse Doctorum sententiam, & nos alibi, nec Advocatos, *argum. l. fin. C. de postul.* nec in Principis servitio esse posse, aut debere; quia omnes, qui in Principis servitio existunt, dignitatem habent adeo, ut & Principis æquam dignitatem habere asserat Zasius *in pr. num.* 11. *ff. de just. & jur.* Bonacos. *de serv. & famul. q.* 29. Barbat. *in tract. de præstant. Cardinal. qu.* 1. *col.* 2. Cassan. *loc. citat. p.* 6 *consid.* 28. & *p.* 8 *consid.* 19. & facit *l.* 1 ubi immunitate dignos esse dicitur, quos Imperatoris comitatus illustrat, *C. Præpos. labor.* & Rip. *lib.* 2. *resp. cap.* 26. *num.* 5. ad barbitonsorem Delphini infert, quærens, an cum ejus adhærat lateri, nobilis efficiatur, de quo vide Menoch. *de arbitr. quæst. cas.* 88. *nu.* 37 & *seqq.*

13 Secundo. Prædictæ suppressionis intuitu Iudæi non tam quod sint infames, quam etiam ne Christianos incommodandi, & injurias inferendi ansam habeant, ad instar servorum publicis officiis sub sacrilegii pœna præfici non possunt, aut debent, *cap. Cum sit, cap. & speciali extr. de judæ.* juncto *can. Constituit* 17. *q.* 4. qua de re nos etiam alibi plenè. Hinc Iudæi inter Christianos nec officiales, *l. Manichæi, C. de hæret.* Ferret. *d. tr. numer.* 103. Martha *de jurisdict. p.* 1. *cap.* 24. *num.* 20. Bartol. & Doctores *in rubr. de justit. & jur.* Vantius *d. loc. num.* 49. & *seq.* per textum *in cap. Venerabilem*, ibi: *hæreticum, vel paganum eligere*, extra de *elect.* Nec arbitri esse, Borrel. *de compromis. s.* 2. *glos.* 4. *n.* 105 & *seq.* & Blanch. *eod. tr. qu.* 2. *n.* 20. *argum. l. Pedius* §. 1. *ff. de arbitr.* & nec gabellarum à Christianis exigendarum munere fungi, *cap. pen. extr. de Iudæ.* Ferret. *de gabel. & publican. num.* 268. Nec Notarii esse possunt. Non quasi Notarius sit dignitas, cujus tamen contrarium contra Glos *in l. Universos C. de dec. lib.* 10. deducit ibidem Lucas de Penna, & cur Decurio in lege, modo citata, prohibeatur esse tabellio, rationem esse docet, non utilitatem officii, sed ne Notariatus negotiis privatis implicitus à publicis abstrahatur per *l. Curiales, qui C. de extract. tribut.* sed quia Notariatus est officium publicum, à cujus administratione Iudæi exemplo servorum *l. generali* 3. *C. de tabular. lib.* 10. procul arcendi sunt, Iason. *in rubric. ad tit. ff. de just. & jur. num.* 5.

14 Insuper ne Iudæi pupillos Christianos ferali sua secta uti ab Imperatore Constantino vocatur *in l.* 2. *C. de Iud.* imbuant; tutores eorum esse non possunt, & si inter se possint Zasius *d. loc. num.* 8. Hartman. *miscel. jur. civil. c.* 1. *obser.* 15. & Iacius aliis Hunnius *vol. poster. disput.* Treutler. 8. *q* 26. ubi juris rationibus hac sententia stabilita *l. Spadonem §. neque librarios vers. jam autem ff. de excus. tut.* per posteriores leges Codicis, & Pontificias Sanctiones, nempè *l. fin. & not. tit. C. de Iudæ. e. nullus* 28. *q.* 1. *c. Iudæi* 10 *cum seqq.* 28. *q.* 2. in quibus locis Iudæis omnis conversatio cum Christianis interdicitur, correctam esse, sentit post Paulum Montanum, qui aliquot ad *d. §. neque librarios*, datis solutionibus in eandem tandem declinat sententiam in *tr. de jur. tutor. & curat. cap.* 4. *à n.* 32. *usque ad fin.* Dissentit Paris. *ad rubr. ff. de oper. nov. nunc. à num.* 23.

Tantò minùs autem Iudæi inter se Regem habere de- 15
bent, Zasius *d. loc. num.* 5. Siquidem Sceptrum, & omne dominium de Iudæis per Vespasianum, & Titum Imperatores, tanquam divinæ voluntatis executores, quadraginta annis post passionem Domini est sublatum, Iosephus. *li.* 20. *antiquit. cap.* 5. Mart. *de jurisd. p.* 1. *ca.* 4. *num* 34. & *seqq. & ead. p.* 1. *cap.* 24. *num.* 19. Adeoque rectè quidam Judæus, nomine Iodocus, qui se Regem de germine Iudæ scripserat, fiscali in duas marcas puri auri a Camera Imperiali damnatus est, referente Thoma Michaele *de jurisd. concl.* 48. Ratio sententiæ latæ, hæc esse potuit quod titulus ille sit insitatus, elatum, & seditiosum animum arguens, & nomen Regis requirat publicum officium, cujus cum Iudæi sint incapaces, reus à dolo excusari non potuerit, pœna igitur extraordinaria puniendus fuerit juxta *lib.* 1. *ff. de extraord. crim. l. falsi nomine, ff. de falsar.* non attento, quod probaverit etiam alios Iudæos sic scripsisse, quia non spectandum quid fiat, sed quid fieri debeat, *l. sed licet* 12. *ff. de offic. Præsid.*

Tertio hujus suppressionis ratione Iudæis, tum ut per 16
operis effectum recognoscant se ab eo in cujus mortem nequiter conjurarunt, reprobatos, atque servos illorum esse, quos mors Christi liberos fecit *d. cap. Et si Iudæos* tum etiam ne per assiduam familiaritatem simplicium animos ad suam superstitionem perducant, *cap. ad hæc de Iudæ.* Christianæ ancillæ in Sabbatho suo, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut per Mindan. *de interdict. tit.* 1. *numer.* 22. *cum trib. seqq.* servire prohibentur *in cap. Iudæi, eod.* Et Iudæi servos Christianos, sibi serviendi causa nec separatim *l.* 1. *C. ne Christiani mancip. cap. multarum, & cap. fin. extr. de Iudæ.* de quo Menoch. *d. loc. numer.* 284. *& seqq.* Bonacos. *in tr. de serv. & famul. quæst.* 134. nec una cum fundo, cui sunt adscripti, sibi comparare, Surd. *de alim. tit.* 9 *privil.* 89. *in princ. &* nec cibum cum Christianis capere, nec cum illis habitare nec medicamenta illis suppeditare debent, *c. nullus eorum cum cap. seqq.* 28. *quæst.* 1. Royzius *decis. Lituan. s. numer.* 32. dicens; prudenter, & sanctè hoc institutum esse, sed malè servari, de quo & nos alibi in edicto contra Iudæos.

Quarto hujus suppressionis intuitu Iudæis aliqua certa 17
sedes nusquam terrarum relinquitur, sed juxta vaticinium Psalmi 109. *num.* 10. & Psalmi 59. *num.* 12. ibi: *dispergeos in virtute tua*, ex mera gratia, & indulgentia terras Principum Christianorum incolunt, Cæphal. *cons.* 549. *num.* 63. *lib.* 4. Vnde etiam quoties Christianis ex Iudæorum cohabitatione imminet scandalum, aut periculum, omnino expelli, bonis spoliari, aliisque pœnis pro qualitate delicti plecti possunt, *l.* 11. *in fin. l.* 14. *in fin. l.* 6. *&* 18 *C. de Iud.* ut præ aliis egregiè docuit Iacob. de S. Georgio *in v. Carolus Dux v. ultimo quæro in tract. de feud.* Ialon. *in l. Cum servus* 39. *§. constat numer.* 29. *ff. de legat.* 1. & consultius respondit Bald. *lib.* 2. *cons.* 266. per textum ad hoc notabilem *in l. quicunque*, ibi: *Procul ab ea urbe, quam conturbaverit, centum millibus vitam agat, C. de Episcop. & Cler. & d. cap. In nonnullis in fin. extr. de Iudæ.* ibi: *Præcipimus præsumptores hujusmodi per Principes seculares condignæ animadversionis adjectione compesci, ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant.*

Quintò, ac denique Iudæis in suppressionis suæ si- 18
gnum nullibi locorum prædia possidere licet, Zasius *ad d. q.* 1. *in* 6. *decid. rat.* & in *respons. ad* 1. *contr.* ubi ita scribit: *Iudæos non esse servos, habere enim possessiones, præscribere contra nos &c. nihil obstat. Talia enim ex pietate eis permittuntur, ut quasi in modum peculii potius, quam jure proprietatis possideant.* Nec aliquid eis legari potest, *l.* 1. *C. de Iudæis*, de quo vide Ricciul. *de jur. person.*

Quibus ita positis, quæ ab initio in contrarium sunt 19
adducta,

adducta, non obstant. Quatenus enim Iudæi juris Romani sint participes, & quatenus legitimas personas standi in judiciis Christianorum habeant, vide Ricciullum *loc. cit.* Quod autem de bonis suis moribundi testari valeant nemini hoc mirum videri debet, quia & perjurum, Ioan. Andr. *in cap. Quod semel num. 9. de reg. jur. in 6.* & infames alios testari posse inter omnes convenit, dicit Duaren. *sed rubr. Qui testamentum fac. pos. vers. nunc videndum prope fin.*

20 Quod vero Iudæi templa, & Synagogas, *l. 3. l. penul. & ult. C. de Iud.* Bald. *p. 3. cons. 266.* ubi casus, in quibus Iudæi tolerantur, enarrat, & quid sit Synagoga, explicat, nimirum locum publicum, in quo Iudæi ad suas cæremonias celebrandas congregantur, commercia, *l. nemo, C. eod.* Collegia *l. 3. §. ff. de Decur.* & pleraque alia cum civibus Romanis habent commercia, & sub pace publica cum bonis suis activè, & passivè continentur, *l. nullus, C. de Iudæ.* quam pacem Iudæis Iosephum à Vespasiano, quod Titum filium illius à paralysi curaverit, acquisivisse aliqui narrant. Hæc, & similia alia Iudæos à nota servili, qua laborant, similiter non eximunt. Siquidem quoties Christianus Magistratus Iudæos tolerat, etiam prædicta, & omnia jura alia sine quibus Iudæi vivere non possunt, ex gratia simul eis concedat, habet necesse; *arg. leg. 2. de jurisd.* ita tamen, & sub hac semper subintellecta conditione, ut Iudæi immunitate sibi concessa utantur, quousque eadem non abutuntur, *l. Iudæos, C. de Iud.* secus si sit propter abusum, privilegiis concessis in pœnam privari debent sicut, & hîc ipse abusus in causa est, ut privilegia, quæ circa commercia juris civilis, & canonici indulta habuerunt, inveterata quadam omnium gentium consuetudine amiserint, ut per Vaesembec. *in C. d. tit. n. 3.* id quod præter *quanto amplius extr. de usur.* ordinationes locorum passim ostendunt.

21 Nullibi enim Iudæis cum Christianis est libera contrahendi potestas, & nullibi fere immobilia possidendi facultas, certaque sedes juxta prophetiam Moysis Deut. 28. *num. 64. & seqq.* eis competit. Sed ad præcavendas Iudæorum fraudes modus aliquis certus, certæque leges peculiares, cum quibus scilicet personis, super quibus rebus, & qualiter eis contrahere liceat, vel non liceat de statutis locorum præscribitur, quas leges etiam Iudæi strictè: & ad unguem in contrahendo observare tenentur.

22 Possunt quidem Iudæi arbitratores esse, quia nec deportati: *l. cum pater 77. §. hæreditatem 4. ff. de leg. 2. l. ex facto 17. §. Si quis 7. 6. ad S. C. Trebel.* nec quivis alii infames arbitratores esse vetantur, *l. Pedius ff. de recept. arbitr.*

23 Denique quatenus Iudæi sub statutis Christianorum comprehendantur, hoc Rolandus à Valle *d. cons. 35. à n. 37.* procedere declarat, saltem in statutis illis, quæ loquuntur in materia proportionabili, ac tali, quæ ita congruit Iudæis, sicut & Christianis. Hoc solo casu dispositum in Christiano locũ habet in Iudæo, hocque respectu Iudæi, qui ex singulari statuto una cum Bononiensibus, quos Menochius à Pontifice Maximo anno Christi 1464. Civitatis privilegio donatos esse, refert *arb. quæstio. cas. 290.* cives facti non sunt, de populo civitatis esse censentur, & nonnisi commerciorum, publicæ tutelæ, salvi conductus, & aliorum, si quæ cum civibus communia habent intuitu, abusivè cives dicuntur. Cum enim Iudæi subditi sint, non peregrini, utique in loco domicilii aliquis eis in Republica ordo dandus est ad exemplum servorum, quibus apud Romanos infimum in Civitate ordinem evitandæ confusionis causa datum fuisse referunt historici. Regulariter igitur Iudæi cives non sunt, nec quicquam juris habent, quod ad cives pertineat Zasius *ad d. loc. n. 21.*

24 Sed obiicies. Si Iudæi essent in Christianorum potestate, tum utique liberos suos sub patria sua potestate habere non possent. Siquidem notum, ut qui sub aliena est potestate, alium sub sua potestate habere non posset, *l. ibi ff. de reg. jur. l. si eveniet ff. de adult.*

Respondetur, axioma illud, quod qui sub aliena est 25
potestate, alium sub sua potestate habere non possit, procedere in potestate, quæ est ejusdem qualitatis, aliud in ea, quæ est supra se, & sic separata à potestate ea, in qua est ipse, qui possidetur. Hinc enim, verbi causa, filius familias potest esse tutor, & qui parens efficitur monachus, licet sit sub potestate Abbatis liberos sub sua potestate retinet, *cap. Si Religiosus de elect. in 9. c. non dicatis 12. quæst. 1.* Felin. *d. cons. 30. num. 13.* Part modo Iudæus, quamvis sit sub potestate Christianorum, liberos sub patria sua potestate habere potest, Cagnol. *ead. d. leg. 161, num. 2. & 3.* prout sane habet ex sententia Gloss. *in cap. Iudæorum 28. quæst. 1.* Panormit. *in c. 2.* per illum textum *extr. de convers. infid.* Imol. *in l. multum interest, ff. de verb. oblig. & vol. 6. consil. 99. num. 6.* Felin. *in d. cap. Iudæi 2. numer. 6. extr. de Iud.* Hippol de Marsil. *singul. 540.* Ascan Clement. *de patr. potest. at. capit. 6. effect. 7 numer. 6.* aliique, qui rejecta Archidiaconi *in cap. qui sincera d. 45.* dissentientis opinione concludunt, Iudæos quantum ad patriam potestatem jure Romanorum uti per textum *in capit. ult.* ibi: *Cum autem filius in patris potestate consistat &c. extr. de convers. infid. &c. Ius Quiritium d. 1.*

Vnde Baldus, quod est de filiis-familias civium Ro- 26
manorum *in l. filius famil. ff. de his, qui testam. fac. pos. & in pr. instit. quib. non est permis. test. fac.* dispositum, eos scilicet testari non posse, hoc ipsum ad filios familias Iudæorum extendendum esse, infert in *l. item in potestate, ff. de his, qui sunt sui, vel al. jur.* & Alex. *vol. 3. cons. 3.* vult, quod ut Romanorum, ita & Iudæorum filii sint sui parentibus suis. Quod tamen, ut notanter declarat Ascan. Clem. *d. loc.* verum, quatenus & pater, & filius sunt Iudæi, non etiam cum filius est effectus Christianus. Is enim per conversionem ad Christianismum in his, quæ in ipsius patris commodum tendunt, in patria potestate esse desinit, *arg. cap. 2. in fin. de hæret. in 6.* Atque hinc est, ut pater Iudæus filio baptizato pupillariter substituere non possit, tametsi liberos orthodoxos hæredes instituere, & separatos à se alimentare, & dotare cogatur, *arg. l. cognovimus 19.* ubi Salicet. *C. de hæret. Novel. 115. c. 3. §. 14. junctis c. plerique de consecrat. d. 4.* Ascan. Clem. *d. loc. num. 6. & 7.* ubi an è converso filii Iudæi è patris ad Christianismum conversi patria potestate liberentur, quærit, & liberari negat. Quod adde notata per Vrsil. ad Afflict. *decis. 151. num. 8.* & Riuciullum *de jur. person, lib. de Iudæis.*

Quid vero censendum sit de descendentibus à Chri- 27
stianis novis, captis à triremibus Religionis Hierosolymitanæ? Censeo esse dimittendos; quia si christianè vivunt, & non sunt capti pugnantes contra Christianos, vel piraticam exercentes non possunt retineri, tanquam servi.

Quid etiam censendum sit de Apostatis captis à trite- 28
mibus Religionis Hierosolymitanæ, vel ab aliis Christianis super navibus Infidelium pyraticam exercentium, & pugnantium contra Christianos, an scilicet remaneant captivi eorum, qui illos capiunt? Censeo remanere mancipia. Debet tamen confici processus super apostasia, & apostatas, vel reconciliare Ecclesiæ, si ad pœnitentiam reducantur, injunctis de jure injungendis, vel tradere Curiæ seculari, si pertinaces existant, nec eos consignare suis Dominis, nisi habita cautione de illos non manumittendo, saltem inconsulta Sede Apostolica.

CONSULTATIO CXLI.

An plures testes singulares singularitate administrativa non habentes, seu habentes exceptiones correitatis, vel alias legales, probent? Vel quem gradum probationis faciant in materia hæresis, vel apostasiæ, si prædicti testes non fuerint repetiti, vel repetiti, reo non citato,

citato, vel si citato, denegat eidem facultate dandi interrogatoria, etiamsi in eo Tribunali extet consuetudo non repetendi testes?

1 REspondeo, testes hujusmodi probare, non tamen plenè, sed tantum semiplenè, aut aliquid amplius semiplenè, ut notant Cavial. *in l. admonendi n 86. n. 92. ff. de jurejur.* Gabriel. *tit. de testib. lib. 1. concl. 1. num. 5.* qui alios citat, Monticel. *in repert. test. rubrica singulares testes*, Corrad. *in pract. §. 2. de offic. Prat. in cauf. civil. tit. de testib.* Petra *de fideic. q. 12. n. 507 & seqq.* Emmam. Suar. *in thes. recept. litt. T. n. 156.* & Doctores, quos refert, ac sequitur Farinac *6. in pr. crim. q. 94. de testib. nu. 11.* Rationes alibi adduximus.

2 Præcipuè, quia sunt participes criminis, qui licet admittantur in crimine hæresis per textum *in c. In fidei favorem, de hæret. in 6.* non tamen sunt integri, & propterea ad condemnandum non sufficiunt, Aretin. *in cap. fin. de testib. ad fin.* Palac. *in rubr. de hæres. §. ult.* Locat. in *Iudic. Inquis. verb. complices num. 1.* Genuen. *in pr. Arch. cap. 84. num. 11.* Pegna *3. p. dir. quæst. 64. com. 113. vers. Cæteris tamen*, Royas *singul. 191. num. 3.* & Farinac. *de hæres. q. 188. num. 83.* aliique communiter. Quia licet favore fidei testes aliàs inhabiles ad testificandum admittantur, admittuntur tamen ut semper subjecti falsitatis dicendæ periculo, quod cum sit intrinsecum per admissionem purgari non potest. Ac præcipuè quia non sunt repetiti, nec reus citatus, nec ipsi data facultas dandi interrogatoria, quibus veritas amplius investiganda sit, ut Pegn *p. 2. direct. com. 19. ad text. in cap. Veritatis de dol. & contum.* Simancha Royas, Genuensis, Bobadilla, & Doctores communiter, quos etiam sequitur Farinac. *d. quæst. 188. numer. 22.* Quia si oppositionibus, & interrogationibus inquisiti non satisfaciant testes ipsorum depositio prius facta multum infirmatur; atque adeo depositiones factæ probent in judicio, ac firmæ permaneant, debent repeti. Quod etiam annotavit Genuens. *d. cap. 84. num. 3.* referens litteras S. Congregationis S. Officii, ubi non solum admittit interrogatoria danda pro parte inquisiti, sed etiam vult ipsum citari debere ad dandum interrogatoria in repetitione testium, & quod super dictis interrogatoriis primo sunt interrogandi testes, & postea examinandi super capitibus datis à fisco absque eo quod ipsis legatur prima depositio. Idemque tradit Farinac. *d. qu. 188. num. 14.* & affirmavit Pegna in *pract. ad Inquisitor. lib. 2. capit. 28.* & melius *cap. 31.* Vbi amplius ponit formam interrogatoriorum pro parte inquisiti dandorum. Quæ sententia, teste ipso Farinacio loco citato, indistinctè servatur in Supremo Vrbis, totiusque Christianæ Reipublicæ generalis S. Inquisitionis Tribunali, & omnes Doctores ubique locorum supponunt apud Caren. *de offic. S. inquisit. p. 3. tit. 7. §. 5. n. 33.* Vnde stylus contrarius reprobatur.

3 Itaque ejusmodi testium probatio, solum sufficiens erit ad pœnam extraordinariam, secundum quod Iudici videbitur juxta qualitatem personarum, & adminiculorum concursum.

CONSVLTATIO CXLII.

1 *An regulares proponentes in suis Ecclesiis populo lucrandas Indulgentias, quæ jam à Sede Apostolica fuerunt declaratæ falsæ, vel apocryphæ vel indiscretæ, possint ab Episcopo loci, in quo fuerunt propositæ, puniri?*

2 *Et quatenus affirmativè, qua pœna? Cum en dicta prohibitione nulla fuerit apposita pœna.*

1 AD primum affirmativè. Desumitur ex Concilio Trid. *sess. 5. cap. 2. §. Si vero*, ubi contra Regulares, errores, aut scandala disseminantes in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicent, Episcopus procedit. Cui decreto concinit *Clem. 1. de privil. & excess. Præl.* & *Clem. Cupientes de pœn. cap. ad abolendam* ubi Gloss *fin. de hæret.* Neque illi per privilegia Regularibus concessa derogatum esse, nisi in ipsis privilegiis appareat expressa dispositio contraria, censuit S. Congregatio ejusdem Concilii. Proponens autem populo Indulgentias falsas, vel apocryphas, errores, aut scandala disseminat. Quia populus Indulgentiarum falsitate à Concionatore inductus pœnitentias suis peccatis debitas, vel negligit, vel tepidior redditur ad illarū adimplementum, quod si scit, esse tanquam falsas à Sede Apostolica declaratas, scandalo illi est, audire Concionatorem contra declarationem Sedis Apostolicæ illarum falsitatem asserere, ac si ipsa Sedes in suis declarationibus erraret. Quare in terminis mitioribus S Congregatio S. Officii sub 10. Maii 1616. & sub 24. Augusti ejusdem anni declaravit Regulares, publicantes Indulgentias sine participatione Ordinariorum, vel excedentes modum in illis publicandis, puniri ab Ordinariis.

Quinimo puniri posse ab Inquisitoribus tanquam pro- 2
ferentes propositiones scandalosas & temerarias ex Constitutione Pauli Tertii apud Pegnam, tradunt Carena *p. 2. tit. 16. §. n. 15.* itaut inter ipsos, ac Episcopos dari præventionem, firmat Zanard. *in sum. divin. præcept. p. 1. rubr. de Inquis. q. 54* Caren. *loc. cit. n. 16. & seqq.* Episcopi quidem, tanquam Sedis Apostolicæ delegati à S. Concilio Trid. *d. c. 2 sess. 5.* Inquisitores vero tanquam delegati à Paulo III. citata ejus constitutione.

Ad 2. Ex Tridentino loco allegato poterit eis Episcopus 3
prædicationem interdicere Ex prohibitione à Sede Apostolica emanata, cum nulla impolita fuerit pœna remaner Episcopis arbitraria, atque adeo pro modo culpæ poterunt puniri, etiam censuris ecclesiasticis. Ac tandem ex citata Constitutione Pauli III. possunt cogi ad se retractandum in loco, ubi id proposuerunt pro tollendo scandalo, expediri in S. Officio cum correctione, ac pœnitentiis salutaribus, ac pœnis aliis arbitraris pro modo scandali, ac temeritatis. Cujus rei extant exempla relata à Carena ubi supra *n. 22.* quorundam qui cum temerè populo prædicassent, virtute Bullæ Cruciatæ posse absolvi etiam ab hæresi, jussu Inquisitorum id publicè retractarunt, teste Henriquez *in summ. lib. 6. cap. 16. n. 3. in addit.*

CONSULTATIO CXLIII.

Cuinam cedant obligationes, quæ offeruntur in Missa presbytero celebranti? Et quid de illis, quæ offeruntur novis Sacerdotibus, dum celebrant primam Missam? Vbi quid in istis advertendum?

REspondeo. Non cedunt ipsi presbytero, sed Rectori 1
Ecclesiæ, ut per Abb *in cap. pastoralis, de his, quæ fiunt num. 2.* ubi adducit textum *in cap. Requisistis de test.* in quo relictum Episcopo ab extraneo, videtur relictum contemplatione Ecclesiæ. Ergo similiter, oblationes factæ celebranti, videntur factæ intuitu Ecclesiæ. Nam oblationes faciunt Parochiani propter administrationem Sacramentorum, ut in *can. omnis Christianus* cum Glos. *d. consecr. d. 1.* & tradit Felin. *in c. dilectus n. 1. de offic. ordin.* ubi etiam *n. 2.* dicit oblationes factas Capellano, seu Vicario deberi Rectori; Si tamen sit Episcopus, qui Missam celebrat, tunc oblationes sunt ipsius Episcopi, etiamsi celebret in Ecclesia parochiali, & ei offerantur à parochiano, ut tenet Host. *in sum. tit. de paroch. §. in quibus*, & Archid. *in d. can. Omnis de consecr. d. 1.* ac sequitur Socin. *d. libel. 18. nu. 10.* & Sylvest. *v. decima n. 3.*

Oblationes verò, quæ fiunt novis Sacerdotibus, dum 2
celebrant primam Missam, non quæruntur Parocho, sed ipsismet Sacerdotibus ex generali ubique gentium consuetudine juxta ea, quæ tradit Calder. *cons. 15. tit. de paroch.* & Soccin. *d. libell. 18 n. 10.* stante enim consuetudine ex verisimili mente offerentium res censentur oblatæ contemplatione ipsius presbyteri. Vnde sicut potuissent offerre ea intentione declarata, ut cederent ipsi presbytero, ita illorum intentio videtur declarari per hanc

consuetudinem; ut notat Bartol. *in l. hæredes mei §. cum ita ff. ad Trebell. & in l. juris jurandi, §. si liberi ff. de oper. libert.* Præpos. *in can. Sacrosancta n. 3. 2. d.* & in hac specie observat idem Socin. *libel. 18. n. 3.*

3 Circa autem hujusmodi oblationes, quo fiunt pro Missis novis, advertendum est, quod licet Concilium Trident. *sess. 22.* in decreto de *obser. & evit. in celebr. missar. in §. atque præcipiat, ut quicquid Missis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino locorum Ordinarii prohibeant,* non tamen prohibentur presbyteri ex S. Congregationis sententia, à Sanctissimo approbata, quo minùs suas primas Missas decantent, & in illis post offertorium in medio altaris ad populum se conuertant accipiendo oblationes à sponte offerentibus, & eleemosynas, ut solent Parochi diebus festis. Perambulationes vero per Ecclesiam, similesque extorsiones prohibentur. Sed & S. Congregatio Episcoporum declaravit, Sacerdoti Missam novam celebranti licere oblationes accipere, modo non discedat ab altari, ut in Ianuen. 1. Octobris 1601. Rursus in illis verbis; *illiberales eleemosynarum exactiones*, S. Congregatio Concilii dixit, hoc nomine non venire consuetudinem, quæ inolevit, ut Parochus diebus festis solemnibus, vel non solemnibus post offertorium in medio altaris vertat se ad populum, & invitando ad oblationes manipulum, vel aliud offerentibus præbeat osculandum, aliis verò Sacerdotibus simplicibus id non esse concedendum. Et iterum quærenti, an liceat parochis, extante consuetudine, in diebus festis in medio Missæ invitare populum ad oblationes, dando singulis pacem, & ad recipiendum mulierum oblationes recedere ab altari, & ad infimum locum Ecclesiæ ubi mulieres manent sejunctæ à maribus, accedere, stante dicta Constitutione Concilii *cap. un. de obser. & evit. sess. 22* ubi: *quascunque importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones*, respondit consuetudinem hanc restringendam ad exemplum decreti jam facti Nonis Octobris 1573. Sed facta postmodum relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua dixit, non esse eandem rationem, seu bonam conversionem de Missis novis ad missas parochorum, quibus debentur istæ oblationes, ideo permittendam hujusmodi consuetudinem prout inolevit. Ita testatur D. Fagnan. *in d. cap. pastoralis, de his, quæ fiunt n. 41.*

Et in una Feretrana eadem S. Congregatio Concilii declaravit, in loco, in quo extat consuetudo diebus Dominicis, & majoribus festis in medio Missæ invitare populum ad oblationes, & illas per se ipsos Sacerdotes recipere, dando singulis offerentibus pacem, permittendum esse, quod servetur, quod hactenus consuevit, & idem circa confessiones generales populo vulgari sermone faciendas servandum erit. Et in civitatis Castellanæ, licet Sacerdotibus celebrantibus novas Missas se in medio altaris vertere ad populum, & accipere oblationes, & eleemosynas ab offerentibus. Non licebit tamen hac de causa perambulare, vel circuire Ecclesiam die ultima Septembris 1574.

CONSULTATIO CXLIII.

An Iudæus qui blasphemias hæreticales profert in Christum vel Beatissimam Virginem ejus matrem, confugiens ad Ecclesiam gaudeat illius immunitate? Vbi effata de blasphemis, & blasphemiis.

1 NEgativè respondendum censeo. Moveor ex Constitutione Pontificia Gregorii XIII. quæ incipit, *Antiqua Iudæorum improbitas*, edita ad compescendum Iudæorum blasphemias, & scelera, *quibus Dominum nostrum Iesum Christum*, sunt ejus verba; *in cœlo triumphantem adhuc in synagogis suis, & utique persequuntur &c.* In ea enim statuitur, quod Inquisitores hæreticæ pravitatis liberè procedant in omnibus causis, in ipsa contentis, inter quos est hic, qui sequitur: *Si Salvatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum, purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, matremve Dei non esse Virginem, & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit, &c.* In quibus casibus delegat Iudices Inquisitores hæretices pravitatis, ut super his contra Iudæos atque infideles quoscunque simul, vel separatim, *prout in causis fidei juxta sacrorum canonum formam, &c.* inquirant, & procedant Certum autem est, proferentem blasphemias hæreticas esse vel hæreticum, vel suspectum de hæresi, atque adeo non gaudere immunitate Ecclesiastica, ut per Constitutionem Gregorii XIV. *de Eccles. immun.* & per Farinac. *in append. de immun. Eccles. capit. 13. num. 175.*

Neque obstat, quod Iudæi, etsi contra fidem Chri- 2
stianam sentiant, in iis, quæ non sunt sibi communia cum Christianis, hæretici non dicuntur, nec pœnæ contra hæreticos statutæ locum habent contra eos; quia, ut quis hæreticus dicatur, & puniatur, requiritur, quod sit baptizatus, ut per Cantec. *in quæst. crim. rubr. de hæret. c. 1. n. 5.* & alios apud Farinac. *de hæres. q. 178. §. 6. n. 128.*

Nam huic objectioni respondetur primo, Iudæos, & 3
alios infideles non dici hæreticos propriè, ac strictè sed impropriè, ac largè, ut per Doctores, quos sequitur idem Farinac. *d. q. 178. n. 130.* Vnde *nu. 143.* loquens de Iudæis, & Infidelibus receptatoribus, fautoribus, & defensoribus Christianorum ad Iudaismum, vel ethnicismum transeuntium, vel redeuntium, docet eos puniri adinstar receptatorum, fautorum, & defensorum hæreticorum per textum *in cap. contra Christianos in fin. de hæret. in 6.* ubi expressè dicitur: *Sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, sic contra fautores, receptatores, & defensores talium est procedendum*, ut ibi adnotavit Ioan Andr. post *n. 1.* ubi dixit, quod licet videretur contrarium dicendum in Iudæis, sic receptantibus, faventibus, & defendentibus, cum ipsi non propriè, sed largè dicantur hæretici; quia tamen sic statutum est, ita propterea servari debet. Quod etiam sequuti sunt Gemin. *n. 6.* & Franch. *n. 2.*

Secundo respondetur, Iudæos ita blasphemantes, non 4
dicimus esse quidem, aut dici hæreticos, neque de hæresi suspectos, sed tantum in eos procedi posse prout in causis fidei citata Constitutione Gregorii. In causis autem fidei Inquisitores procedunt contra reos, extrahendo illos ab Ecclesia ut per Farinac. *in append. de immun. d. n. 175.* ac proinde puniuntur, ac judicantur iisdem pœnis ac legibus, quibus puniuntur, ac judicantur hæretici per textum *in l. cælicolarum C. de Iudæis*, ubi sic sancitur: *Iudæi, nisi ad Dei cultum, venerationemque Christianam conversi fuerint iisdem legibus, quibus præcipimus hæreticos constringi, vel adstringi, se quoque noverint adstringendos.* Constat autem, quod non adstringuntur iisdem legibus, quibus hæretici, nisi faciant, vel dicant ea, quæ faciunt, vel dicunt hæretici; tunc enim eodem judicio adstringuntur, *ut per l. quicumque §. eos vero, C. de hæretic.* Eymer. in *Direct. p. 2. qu. 46. §. dicendum est*, ubi Pegna *com. 71.* Locat. *in Iudic. v. Invocare num. 14.* Atque adeo non debent gaudere immunitate Ecclesiæ quemadmodum ea non gaudent hæretici ex d. Constitutione Gregorii XIV. & ex communi DD. sententia quam prosequitur Farin. *de carcer. & carcerat. q. 28. num. 68. & in append. de immun. Eccles. d. cap. 13. num. 167.* ac Suar. *de relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 10. num. 12.* Facitque generalis conclusio apud Farinac. *in fragment. crimin. p. 2. n. 657.* quod Iudæi, & alii Infideles delinquentes in contemptum Religionis, tanquam hæretici; & pœna hæreticorum puniri possunt ex Baldo, & Calderino, & relatis à Tuscho *pract. concl. verb. Iudæus concl. 372. n. 1. 7. & 8.* Ac proinde privari immunitate Ecclesiæ, sicuti privatur hæreticus.

Contra

5 Contra blasphemos extat gravis Constitutio B.Pii V. quam lege.

6 Blasphemus hæreticalis non potest à Confessariis absolvi, &, qui eum audit, tenetur illum denunciare S. Officio.

7 Est denunciandus S.Officio ab Auditoribus.

8 Proferens *malanaggia Dio* potest puniri in S. Officio.

9 Contra proferentes *Puttana di Dio, ò Puttanazza di Dio, al dispetto di Dio* procedit S. Officium.

10 Proferens blasphemiam in B. Virginem, vel alium actum irreligiosum in eam committens, dummodò illi corde non consenserit, pœnitens, aut confitens, potest à Confessariis absolvi, nec est cogendus ad denunciandum, nisi habeat complices.

11 Blasphemus hæreticalis magis exemplariter punitur in S. Officio pœna permanendi diebus festis præ foribus Ecclesiæ cum candela accensa, & inscriptione, quàm pœna publicæ torturæ inferendæ.

12 Audientes blasphemum, & non denunciantes, tunc incurrunt excommunicationem, quando per illius blasphemias credunt, vel dubitant illum esse hæreticum, vel suspectum de hæresi.

13 Qui fugiens à carceribus, moritur, potest sepeliri in Ecclesia, & contra ejus bona non proceditur, nec minus contra illius fidejussorem ob contraventionem præcepti eidem facti de sevando locum ipsi assignatum pro tuto carcere.

14 Recidivus hæreticalis pro prima vice dum apparet, de illius pertinacia, & incorrigibilitate damnatur ad triremes per quinquennium, prævia tortura super intentione, & abjuratione de vehementi.

15 Si quis, ut à carceribus Curiæ laicalis se liberet, protulerit blasphemias hæreticales, de quibus inquiri debet, & ad carceres S.Officii transmitti, si fateatur se dictas blasphemias protulisse non malo animo, sed ut effugiat mortem, poterit absque ulla abjuratione, præmissis tribus ictibus toruræ, ob malam, & temerariam loquutionem, & ad exemplum aliorum, remitti ad eosdem carceres laicales cum præcepto, quod abstineat à similibus sub pœna triremium.

16 Qui, evaginato gladio imaginem Crucifixi, vel B. Virginis, aut Sanctorum percusserit, manere debet, lingua prius perforata, præ foribus Ecclesiarum insignium pluribus diebus festis, & posteà transmittendus ad triremes perpetuas.

17 Blasphemia hæreticalis punitur in S. Officio, cæteræ verò non hæreticales à Curia seculari, si prævenerit, cujus Iudices tenentur mittere denunciationes ad S. Officium.

18 Illæ: *Al corpo di Dio, Può far Dio, Puttananzza d'Anticristo*, non sunt hæreticales.

19 Istæ. *Puttana di Dio, Potta di Dio, Puttanazza di Dio, al dispetto di Dio*; sunt hæreticales, & uti tales puniuntur à S.Officio cum abjuratione de vehementi; siquidem prima verba sunt contra puritatem Dei, secunda verò continent sensum, quod omninò debeat fieri, quod blasphemus imprecatur, etiamsi Deus sua omnipotentia id nolit.

20 Negantes Sanctissimam Trinitatem, Virginitatem B. Virginis, & Divinitatem Christi traduntur Curiæ seculari, etiam pro prima vice.

21 Qui blasphemias hæreticales protulit, & abjuravit, de vehementi, quam abjurationem neglexit, & denuò protulit blasphemias, si petierit absolvi in foro conscientiæ, poterit Pontifex annuere, ut absolvatur.

22 Bis sententiatus ob blasphemias hæreticales, tertiò deprehensus, & confessus, se protulisse alias blasphemias hæreticales, poterit prævia abjuratione de vehementi damnari ad triremes per decennium absque spe gratiæ.

23 Blasphemia hæreticalis est: renego Deum Christum: quia denegatur Dei existentia.

24 Blasphemia item hæreticalis est: denego Crucem, Sacramenta, Christma, Evangelia vel aliam fidei veritatem; quia denegat Deo veritatem infallibilem, quæ in his, prout ab Ecclesia proposita sunt, relucet.

25 Blasphemia quoque hæreticalis est dicere: nec Deus ipse, si descenderet de Cœlo, amoveret pecuniam, frumentum, &c. de arca ista.

26 Blasphemia hæreticalis est, quæ profertur sub conditione, nimirum: Non credo in Deum, nisi te percutiam, te occidam, &c. aut nisi veritatem dico; quia sub hac forma non allegat Deum in testem, sed potius ejus nomen blasphematur. Vel quia hæc blasphemia conditionalis continet in se puram implicitatem affirmativam, scilicet quod, si ad occidendum illum opus fuerit, in Deum non credere, paratus est, id libenter facere.

27 Blasphemiam hæreticalem non esse quando de Sanctis renegatur, ut renego Divum Petrum, ait Sanchez *l.2. oper.moral.cap* 32. *n.*36. Quia non negatur de illis aliqua veritas pertinens ad fidem, sed tantùm esse verbum contumelioſum in Sanctos. At esse blasphemiam hæreticalem, asserit Castropalaus *tom.3.oper.moral.tr.*17. *disput.*2. *punct.*2. §.3.*n.*5. Quia hoc denegans, denegat eos existere, esseque beatos, quod est negare quendam fidei veritatem, cùm de fide sit Petrum, exempli gratia, existere, esseque beatum, quod puto probabilius.

28 Blasphemia hæreticalis est, ex se Sanctum appellare Diabolum. In Regnis tamen utriusque Siciliæ hæc verba: *Sancto Diavolo* propter communem usum, & cùm proferantur ex iracundia non habentur pro blasphemia hæreticali, sed habent tantùm rationem simplicis blasphemiæ. In maleficiis verò, quando à maleficis dæmon Sanctus appellatur, habetur pro blasphemia hæreticali; quia verè malefici sanctitatem Dæmoni tribuere intendunt.

29 Blasphemia hæreticalis est asserere ex fervore iraeundiæ, etiam absque errore intellectus. Non est Deus, quod si Deus esset, talia non pateretur.

30 Proferens jocosa hæreticalia, & contra fidem Catholicam puniri potest in S. Officio. Non est tamen, ut hæreticus puniendus, nisi in suo dicto persistat; sed mulctari potest pœna pecuniaria.

31 Blasphemans pluries & ex consuetudine, tam in ludo, & ira, quàm extra, ad omnemque animi motum, est de hæresi vehementer suspectus, debetque abjurare vehementer hæresis suspicionem, attenta vita, & conditione personæ: Si verò blasphemus non pejeret ex habitu, sed rarò, & in ludo tantùm, vel in ira solùm, tunc redditur tantummodò de levi suspectus de hæresi. Vt quis autem dicatur blasphemus ex consuetudine, requiruntur plures, quàm tres reiterationes.

CONSVLTATIO CXLIV.

An Iudæus consequi possit gradum Doctoratus, saltem in Medicina?

1 NEgant Bartol. *in l.fin.C.de Iudæis*, ubi testatur sic in facti contingentia suo tempore respondisse, & *in l.fin.C. de post. & in l.*1. *C.de nov. Cod.fac. numer.*12. Host. *in sum.tit.de Iud.num.*5. Anchar. *in Clem.*2. *de Magistr.* Abb. *in cap.Cum sit in princ. de Iud. & in cap.proposuisti de prob.* Anan. *in d.cap.Cum sit num.*5. Ias. *in rubr. ff.de just.& jur.num.*4. Felin. *in cap.*1. *num.*4. *de Iudæis*, Dec. qui testatur de communi *cons.* 161. *num.*2. Guidopap. *decis.*388. *incip. Quod verò ad Doctores numer.*9. Maquerd. *de Iud.p.*2.*c.*7.*num.*1. Roman. *singul.*105. *numer.*1. Foller. *in constit. Regni tit.de Iudæis nu.*15. *& seqq.* Ratio autem est, quia, ut alibi diximus, Doctoratus est dignitas, cujus Iudæi sunt incapaces per textum *in d.l.fin. C. de Iud.*

2 Et hoc quidem locum habet primò, etiamsi Iudæus polliceretur, se non exerciturum munus Doctoris; quia ad effectum, ut repellatur, sufficit, quod consequatur

pote-

potestatem Doctoratus, ut per Abb. *in d. cap. proposuisti in fin. de prob.* quem sequitur Marquard. *loc. cit.*

3 Secundò locum habet, etiam in Doctoratu in medicina, ut per Ananiam *in rubr. extr. de Iudæis num. 5.* Et licèt apud Christianos non desint Iudæi, & alii infideles, qui medicinam exerceant inter seipsos, hoc tamen fit, quia ut quis dicatur medicus, non requiritur doctoratus, cùm etiam servi possint esse medici, *l. 1. §. nec autem. C. de com. serv. manum.* Bald. *in l Sciendum, ff. de edil. edict.* Marquard. *loc. cit. n. 9.*

4 Et quanquam Ricciullus *de jur. person. lib. 2. cap. 25. num. 4* subdat, quod quia Reipublicæ interest, ne quilibet imperitus medicinam exerceat, & sub medicinæ velamine plurimos perimat impune, *l. 2. C. de profes. & medic. lib. 10.* ibique Bartol. Oldrad. *cons. 18. in princ.* ideò praxis inolevit, ut si quando Iudæus in arte medica valeat, soleat Princeps ex gratia relaxare juris habenas, illique concedere licentiam, ut possit in medicina doctorari, ut testantur Staphil. *de signat. grat. tit. de prorog. expect.* Mandos. *de signat. lit. grat. sub rubr. licentia doctorandi. vers. Iudæis concedi*, subdens, Iudæis non concedi licentiam, ut possint promoveri ad legum doctoratum, & tantò minùs, ut doctorari valeant in jure Pontificio, quia leges ad Dei obedientiam præsertim diriguntur, ideòque sacratissimæ vocantur, *l. leges sacratissimæ, C. de legib. l. 1. §. perinde C. ne filius pro patre.*

5 Nihilominùs cùm à S. Officio Inquisitionis Iudæi petiissent, sibi concedi licentiam utendi opera ullcujus Christiani in addiscenda grammatica, & aliis scientiis, & adduxissent exempla, quod ipsorum aliqui didicerint scientias à Christianis, & quod alii gradum doctoratus in medicina sumpserint, tàm in Vniversitate Vrbis, quàm aliarum Civitatum, Sanctissimus dixit, præfata fuisse facta per abusum, & nihil voluit eis concedere, mandavitque fieri verbum cum Rectore Vniversitatis Vrbis, ne ipse, aut ipsius Collegæ hujusmodi licentias concedant 8 Novembris 1618. Et cùm quidam Judæus lauream doctoratus suscepisset in Vniversitate Pisarum, scriptum fuit propterea Nuncio Apostolico, ut ageret cum Magno Duce, qui provideret, ne deinceps gradus doctoratus conferatur alicui Iudæo in dicta Vniversitate 16. Septembris 1621. Qui Dux id ægrè tulit 4. Novembris 1621.

6 Ex quibus reprobatur praxis, quam testatur Ricciullus; quare executioni demandanda est citata *lex ultima C. de Iudæis*, quæ postquam Iudæis interdixerit omnes administrationes, & dignitates, ita sancivit: *Quisquis igitur vel insulas acceperit, quæsitis dignitatibus non potiatur.* Et mox: *Et qui ad honores, & dignitates irrepserit, habeatur, ut antea conditionis extrema, etsi honorariam illicitè promeruerit dignitatem.*

CONSVLTATIO CXLV.

An, & quatenus Monasteria Regularium concedenda sint in Commendam Clericis secularibus?

1 ET quidem negandum videtur. Quare justam causam habent Monachorum Ordines graviter ferendi hæreditates parrum suorum Cardinalibus, Episcopis, & Clericis commendari, sive administranda committi monasteria, qua de re judicium habemus in Lateranensi Concilio sub Leone X. his verbis declaratum: *Quoniam ex Commendis monasteriorum monasteria ipsa, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatariorum negligentia partim avaritia, vel injuria collabuntur, & in dies divinus cultus in eis magis diminuitur, volumus, & sancimus, ut cùm illa per obitum Abbatum vacaverint, nullo modo possint commendari, sed de persona idonea eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates, prout decet, profuturi sint.*

2 Id ipsum à Tridentina Synodo sancitum legimus, & Clemens Quintus in quadam Constitutione, quæ in Canonum Codice nunc extat, sibi, velut oculato testi credere omnes postulat, istas monasteriorum commendationes non modò nihil utilitatis illis afferre, sed etiam cùm ipsis, tum multorum animabus, & corporibus, tum denique Romanæ Ecclesiæ ad noxam redundare, ac propterea bonæ conscientiæ Pontificem non modò nullum monasterium sub commendæ, curæ, custodiæ, aut administrationis titulo, sive perpetuo, sive ad certi temporis spatium cuiquam posse committere, sed etiam debere omnes talium Commendarum provisiones cassare, annullare, ac decernere, ne de cætero habeant aliquam roboris firmitatem.

Contraria verò sententia quantum impietatis habeat, 3
quantumque omnibus eam sectantibus, ac regnis, & populis detrimentum, vel dicam exitium, & interitum importatura meritò timeatur ex Dei tum verbo, tum opere à nobis judicari potest. Verbum ejus est, Principes à societate hominum S. Benedicti hæreditatem inhiantium hoc modo deterrentis Proverb. 1. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini*, (insidiosa, & mendaci narratione Pontificem circumveniamus, ut cum ejus venia monasteriorum opes, quæ sunt panes egentium, sanguis, & vita pauperum, nostri juris faciamus) *absconda-mus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum, quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis; pedes enim illorum non calceati in præparationem Evangelii pacis*, sed per scrupolam, & spinosam avaritiæ viam, *ad malum currunt, ut festinent, ut effundant sanguinem*, quod faciunt monasteriorum vectigalia pauperibus alendis consecrata, & monachorum fidei credita adversis conditorum voluntatibus domos suas evertendo; nam *panis egentium est vita pauperum. Qui defraudat illum, homo sanguinis est*, sive homicida, Eccles. 34. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas, quia semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt*, sive in gehennam abducunt, Proverb. 10 *Ruina est homini devorare sanctos, & post vota retractare*, idest illi ruinam, & excidium domibus suis parant, qui bona sanctis cœlitibus consecrata devorant, quæque Deo pii homines ex voto obtulerunt, ea in alios usus convertunt, Psal. 82 *Super populum tuum malignaverunt consilium*, hoc est in populi fraudem, cui sacrilega crudelitate surripitur quidquid monasteriis demitur, *& cogitaverunt adversus Sanctos tuos*, quorum honori monasteria fuerunt consecrata. Dixerunt, *Venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultra*, ut scilicet irritum fiat, ipsoque exitu vanitatis arguatur oraculum Isaac de S. Benedicto, monachorum Patriarcha; cujus Israel, sive Iacob figura fuit Genes. 27. *Benedixi ei, & erit Benedictus. Omnes patres ejus servituti illius subjugavi. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus, & qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur.* Omnes Principes eorum, qui in hujus sacrilegii consortium illecti, dixerint; *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei, fient ut stercus terræ, implebuntur facies eorum ignominia, confundentur, & peribunt.* Hierem. cap. 30. Ejectam te vocaverunt Sion, (qua voce visionem, seu contemplationem significari. Augustinus testatur in psal. 64. ut Dei familiam rerum divinarum contemplationi vacantem compellari intelligamus) *omnes, qui comedunt te, devorabuntur, & universi hostes tui in captivitatem ducentur: & qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.*

Opus autem Dei fuit sacrilegi Achan supplicium, Ios. 6. 4
& 7. Cum enim Deus ex spoliis urbis Iericho *omne aurũ, argentum, & anathema fieri*, idest sibi consecrari, *inique*

thesauris

thesauris suis reponi jussisset, sicque populum monuisset: *Cavete, ne de his quippiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & sub peccato sint, atque turbentur omnia Castra Israel*, sive universus populus, Achan concupiscentia tentatus inde auri, & argenti pauxillum abstulit, & abscondit, quo ejus sacrilegio Deus irritatus, ut populus suus ab hostibus in fugam ageretur, nec pauci corruerent, permisit. Cujus rei causam exquirenti Iosue respondit: *Pollutus est populus anathemate, nec poterit stare ante hostes suos, eosque fugiet. Anathema est in medio tui Israel. Non ergo ero ultra vobiscum, donec deleatur ex vobis, qui hoc contaminatus est scelere.* Quid ergo jam habent catholici, quod opis divinæ spem eis afferat, cùm manifestè multiplici anathemate sint polluti.

5 Opus etiam Dei futura erat urbis Hierosolymæ, & regni Iudaici eversio, ipsiusque Templi excidium, nisi Rex Ezechias, & Principes ejus Micheæ monitu cum aliorum peccatorum suorum, tum nominatim hujus pœnitentiam egissent, quod eis à Deo sic exprobratum fuit. *Sacerdotes in mercede docebant, & prophetæ in pecunia divinabant, & seducebant populum meum, pacem Regi, & regno prædicantes, si dedissent in ore eorum quippiam* (prægrandes alienarum hæreditatum bolos) *mulieres populi mei* (familias religiosas) *ejecistis de domo deliciarum suarum, à parvulis* (seu novitiis) *earum tulistis laudem meam in perpetuum* (pro psalmodia hinnitus, & balatus pecudum in monasteria inducentes) *surgite, & ite, quia non habebitis hic requiem*, cùm monachos, sacrasque virgines inquietaveritis.

6 Dei similiter opus fuit Hispanorum ex civitatibus, domibusque suis exterminatio, gravissimumque Saracenicæ servitutis jugum eorum cervicibus impositum, velut locuples testis est Carolus Magnus Imperator, qui ætati, qua id contigit, suppar, ac prope æqualis fuit, cujus capitul lib. 7. verba sunt: *Novimus multa regna, & Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum alienaverunt, & militibus loco stipendii dederunt. Quapropter nec sortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati, & plures interfecti verterunt, regnaque, & regiones, & quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Qualiter Dominus talium criminum ultrices pœnas per Saracenos & alios populos venire permiserit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus.*

7 Simile Dei opus fuit ingens Caroli Crassi Imperatoris, ac universæ Germaniæ, ac Galliæ calamitas, ipsiusque Imperii divisio, & à Carolinga domo ad Vvitikindæam translatio, qua de re Helmoldi verba sunt Chronici Sclavorum lib. 1. cap. 7. *Carolus Roma rediens cum grandi exercitu Nordmannos juxta Mosam fluvium apprehendit, quos obsidione coarctans, quintodecimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo tyrannos Davorum non ea, qua decuit severitate hostes Dei ultus est, sed ad sui dejectionem, & gravem Ecclesiæ ruinam parcens impiis, accepto ab eis jurejurando, ac fœderis conditione amplissimè donatos, abire permisit. At illi Regis inertiam irridentes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursus in unum conglobati tantas strages in Imperio dederunt, ut crudelitas modum excesserit. Quid multa? Vrbes cum civibus, Episcopi cum toto grege simul obruti sunt. Ecclesiæ illustres cum fidelium caterva simul incensæ sunt. Quamobrem Carolus accusatus in Curia* (idest in Comitiis Imperii) *& ob stultitiam regno fuit depositus.* Qua de re in annalibus ita scribit: *Regni Optimates cernentes à Carolo Imperatore non modò vires corporis, verum etiam animi sensus diffugere, Arnolfum ultro in regnum attrahunt, & subito facta conspiratione ab Imperatore deficientes ad Arnolfum certatim transeunt, ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet, cibus tamen, & potus ex Moguntini Episcopi sumptibus administrabatur. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ mirabilis. Mittit ergo Carolus ad Arnolphum ex Imperatore effectus egenus ex desperatis rebus, non de Imperii dignitate, sed de victu quotidiano cogitans, tantum alimentorum copiam ad subsidium vitæ præsentis supplex exposcit. Miseranda rerum facies, videre Imperatorem opulentissimum non solum fortunæ ornamentis destitutum, verum etiam humanæ opis egentem. Concessit autem Arnolfus nonnullos fiscos in Alemania, unde ei alimenta præberentur.*

Quantum porrò detrimenti mox ipso defuncto Im- 8
perii Romani respublica ceperit, in annalibus Fuldensibus hunc in modum exponitur. *Anno 888. mortuo Carolo, Reguli in Europa, & regno Caroli, sui patruelis* (id est in Gallia) *excrevere. Nam Berengarius, filius Ebernardi in Italia se Regem fecit. Rudolfus autem filius Conradi superiorem Burgundiam apud se statuit regaliter obtinere. Inde itaque Ludovicus, filius Bosonis, & Vvitto, filius Lamberti Galliam Belgicam, necnon Provinciam prout Reges habere proposuerunt. Odo, filius Rodberti usque ad Ligerim fluvium, & Aquitanicam provinciam sibi in usum usurpavit.*

Iam tantarum non ipsius modo Caroli, sed etiam 9
Germaniæ, & Galliæ miseriarum, præcipue verò corruptorum Caroli consiliorum, & imminutarum mentis virium non alia fuit causa, quàm unum solum S. Emmorami monasterium, Embriconi Ratisbonensi Episcopo commendatum, sive in Commendam datum, cujus rei testem habemus ipsum Imperatorem Arnolfum, cujus diploma Ratisponæ extat, in quo sic legitur: *Omnium successorum nostrorum magnitudo cognoscat, quod postquam patruus meus Carolus Imperator pro petitione Embriconis S. Emmorami Ecclesiam præstavit, nunquam postea habuit victoriam, nec corporis, & animæ sanitatem usque ad finem vitæ suæ.*

Apud Papirium Massonium in annalibus Francorum 10
in Ludovico XI. hæc leguntur: Ludovicus initio Regni pragmaticam sanctionem sustulit. Extant ejus de ea re ad Pium Pontificem literæ inter Pii ipsius epistolas, quibus testatur legem illam latam seditionis, & schismatis temporibus, meritò ab se eversam, quod ejus, à quo sanctæ leges oriuntur, authoritatem minueret. Pii quoque ad Regem literæ tollendæ pragmaticæ consilium laudant. *Inter cætera*, inquit, *commendamus quod absque conventu, & consultatione multorum pragmaticam auferre constituisti. Sapis certè, & Regem te magnum ostendis, qui non regaris, sed regas. Optimus enim Princeps est, qui per se recta cognoscit.* Hæc Pius scribebat metu, ut ipse ait, idque verum erat, ne, si conventus publici haberentur, Episcopi, & Clerus Galliæ pro pragmatica sententiam dicerent. Quantum verò illius sublatæ nuncius Romano Pontifici, & Cardinalium Collegio lætitiæ attulerit, epistola ostendit mandato eorum ad Ludovicum scripta à Iacobo Papiensi, quam lectores inter ejus opera reperient.

At enim eventus docuit disciplinam Ecclesiasticam, 11
quæ pragmaticæ beneficio in Gallia stare poterat, cum ea concidisse. Scripsit Papiensis ad Franciscum Spinulam litteras, quæ extant, postridie ejus diei, quo Paulus Secundus Pontificiam coronam primum tulit, unde hæc verba accepimus. *Referebat Vvilelmus Cardinalis Estiensis ex consuetudine nostra de Cœnobio Gallicano insigni opibus, & religione. Relationis summa erat, Abbatem grandævum, & effœtum viribus administrationem cedere propter conscientiam, eo quod inutilis jam esset. Episcopum porrò nescio quem, cujus Ecclesia longe ab illo esset, petere, ut commendaretur sibi. Cœnobium, ut dixi, insigne erat, & multi in Gallia nominis, nihil habens mali, propter quòd commendari haberetur opus. Apparebat non propter desiderium boni operis, sed*

propter

propter avaritiam peti. In dicenda ergo sententia Portuensis, qui proximus Ostiensi erat: Vereor, inquit, Beatissime Pater, ne propediem audiamus omnia Galliarum Cœnobia commendata esse, & nullum relinquum, quod Abbatem suum habeat. Ita quicquid ibi à nobis decernitur commendatio est. Surget nobis non expectantibus aliquando dignum illud in nos, ferre non valens inutile ministerium nostrum, & grande aliquod negocium Sedi tuæ exhibebit. Approbavit judicium Pontifex, & adjecit, credere se à Pontificatu Callisti in eam diem amplius quam quingenta monasteria esse jam commendata. Hactenus Papiensis.

12 His tamen minime obstantibus, affirmativè respondemus. Etenim receptum est in praxi, quod ad tollendam incapacitatem Clerici secularis ad capiendum beneficium regulare, ei provideatur per viam Commendæ, ut post alios testantur Rebuf. *in prax. benef. p. 1. tit. de Com. & p. 2. tit. de disp. cum Regular.* utrobique *num.* 7. Hoied. *de incompat. benef. p. 1. c. 14. num. 15. in fin.* Paris. *de resign. lib. 2. quæst. 17. num.* 8. Garz. *de benef. p. 4. c. 4. nu. 24. & seqq.* ubi quod ad hunc effectum modus commendandi fuit inventus à Summis Pontificibus, Fagnan. *in cap. Cum ad nostram num. 3.* & pluribus sequentibus *de elect.* ubi propterea infert, quod Commenda nihil aliud est, quàm collatio Papæ, dispensatoria ad obtinendum beneficium, quod est obtineri prohibitum, & sub *n.* 9. cum *seqq.* quod in Concilio Trid. hujusmodi praxis reprobata non fuit, & ponit declarationem S. Congregationis dicti Concilii, Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. c. 9. n. 23. & 24.* Corrad. *in prax. disp. lib. 6. c. 3. in princ. & n.* 8.

13 Neque obstat, quod hodie in Concilio Lateranensi sub Leone X celebrato in Monasteriis regularibus non commendatis id facere non liceat, nisi pro conservatione authoritatis Sedis Apostolicæ, & ad occurrendum malitiis illam oppugnantium pro temporum qualitate; aliter Summo Pontifici de S. R. E. Cardinalium consilio visum fuerit expedire, ut sunt verba ejusdem Concilii, quæ habentur regesta in *const. 6.* d. Pontificis §. 9. *tom. 1. Bullar.* & apud Fagnan. *in d. cap. Cum ad nostram num. 14. & seqq. de elect.* Istaque dispositio fuerit consultivè saltem confirmata in Concilio Tridentino *cap. 21. sess. 25. de regul.*

14 Quia reflectendum est, hujusmodi provisiones de Monasteriis per viam Commendæ petuntur fieri, non quidem in gratiam, & commodum recipientis, nempè Commendatarii, prout communiter fieri solet, ut is de fructibus se valeat sustentare juxta formulam, quam ponit Corrad. *d. lib. 6. c. 3. n. 19.* sed in commodum, & utilitatem ipsorum Monasteriorum. Et idcircò iste casus non est comprehensus in dictis dispositionibus, quæ literaliter prohibent fieri Commendas Monasteriorum ratione detrimenti, quod plerumque resultat Ecclesiis, & illorum bonis juxta theoricam Gloss. in *l. quacumque v. interdicta. C. de bon. quæ liber.* quam mirabilem, & menti tenendam dicit Bald. *ibid. numer. 1.* Benedict. Camphil. *in extravag. Ambitiosæ num. 77. de reb. Eccles. non alien.* inter *repet. canon. volum. 6.* Utilitas igitur evidens resultare debet ex facto, ut si ex hac Commenda cessaret, seu extingueretur pensio aliqua super fructibus Monastetii, quæ contingit ex assumptione Commendatarii, qui illa obtinet ad similitudinem usufructus, qui perit per consolidationem proprietatis, ut *in l. si servus 27. ff. quib. mod. usufruct. amit.* optimè Tondut. *de pension. cap. 7. numer. 9. & seqq.* Quæ quidem extinctio, si regulariter magni æstimatur propter libertatem, quam beneficium acquirit, cùm pensio sit servitus juxta deducta passim à Doctoribus, præcipuè verò à Rot. *dec. 454. per tot.* præsertim *num 7. pag. 1. diversi.* multò magis æstimari debet in casu, in quo concurrunt duæ maximi ponderis circumstantiæ, nempè calamitosus, ac ferè deplorabilis status Monasterii, & ingens summa pensionum decursarum favore petentis Commendam, quibus propterea præstò esse non potest Successor regularis, ut tamen de jure teneretur in defectum suorum Antecessorum, ut communiter statuunt Gig. *de pens. quæst. 39. num. 5. & seqq.* Garz. *de benef. par. 1. cap. 5. num. 199.* Lotter. *de re benef. lib. 1. quæst. 39. num. 10. & seq.* Marescott. *var. resolut. lib. 2. capit. 18. nu. 54.* & Rot. coram Gregor. XV. *decis. 507. per tot.* cum ibi Add.

15 Præterea si etiam constaret de necessitate concedendi in Commendam hujusmodi Monasteria alicui Clerico seculari, in quo casu non est curandum de contrariis dispositionibus Conciliorum, quæ proculdubio non comprehendunt casum necessitatis ad *text. in l. tutor, qui repertor. ff. de administr. & peric. tutor. & in l. quæ propter necess. ff. de regul. jur. cap. Sicut, de censur. dist. 1. cap. Quando in fin. de consuet.* in puncto loquens de Commenda Episcopatus facienda, Fagnan. *in cap. Dudum 2. n. 4. & seq. de elect.*

16 Necessitas verò desumenda est primò ex defectu Religiosorum, habilium ad sumendum gubernium, & administrationem reddituum Monasterii in eo statu, in quo reperitur juxta singulare responsum Innocentii III. *in cap. Inter quatuor de relig. domib.* cujus verba sunt hæc: *Quandiu Monasteria, per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad seculares Clericos transferenda, sed si Regulares defuerint propter eorum defectum, in eis seculares Clerici poterunt ordinari* Quod sequuntur Abb. *in cap. Relatum n. 5. ne Cler. vel Monach.* Gonzal. *super reg. 8. glos. 8. n. 43.* Garz. *de benef. p. 7. c. 10. n. 16.*

17 Item ex maxima deterioratione bonorum, ac diminutione reddituum Monasterii, sequutis ob malam administrationem Abbatum Regularium, prout latè probandum est. Quæ utique præbent necessariam causam recedendi à quacumque juris prohibitione, sicuti in proximis terminis habetur expressum *in can. hoc jus, § perpetuæ, v. aut si ob cladem diminuta fuerit* 10. *q.* 2. ubi Archid. Benedict. Camphil. *ubi sup. n. 71. & seqq.*

18 Nec non ex alienatione non exiguæ partis bonorum stabilium Monasterii, quam illegitimè fecerunt Abbates Regulares. Ex hoc enim oritur ratio recuperandi bona prædicta, quæ in concursu aliarum præbere potest justam causam commendandi monasterium, quæ ad hunc effectum est magni momenti, cùm anteactis temporibus sola reputaretur sufficiens juxta praxim veterum Summorum Pontificum, de qua testatur Cardin. Papiensis, allegatus in libello, qui inscribitur *l'Abbé Commendataire cap. 3. §. les causes desumendes n. 4.*

19 Ex quibus omnibus cùm evidentissimè constabit de justis, ac rationabilibus causis commendandi, eæ præferendæ sunt incommodis, quæ regulariter subesse solent, & quibus occurrere visum est in prefatis dispositionibus Conciliorum, ut optimè docet Hoied. *de incompatib. benef. pag. 2. cap. 4. num. 73.* Gambat. *de offic. & auth. legat. à lat. lib. 4. nu. 159.* & ita servat stylus Sacræ Congregationis Consistorialis.

CONSULTATIO CXLVI.

An pharmacopola laicus sit irregularis adeò, ut nec possit quidem ad primam tonsuram promoveri? Et an irregularitas impediat susceptionem etiam primæ tonsuræ?

1 LAicum exercentem artem pharmacopolæ, sive Aromatarii, si non est in culpa, ex qua moriatur ægrotus, sed eam exerceat secundùm illius regulas ad primam Tonsuram, & ad majores Ordines promoveri posse, nisi ei aliud obstet canonicum impedimentum, certum existimo.

2 Etenim nemo, nisi in casibus à jure expressis irregularis judicandus est per textum *in cap. is, qui de sent. excom. in 6.* & tradunt Archid. *in cap. Apostolica d. 56.* sub initio, & *can. Excommunicatos* 11. *q.* 3. Felin. *in cap. Ad audientiam in fin. de homic.* Undè qui dicit, aliquem esse irregularem, casum legis adducere debet, ut per Sayr. *de censur. lib. 4. cap. 3. num. 11.* & Canonistas communiter.

In

In jure autem Canonico nullibi reperitur, pharmacopolam laicum peritum in arte sua, qui omnem adhibet diligentiam, quam debet incurrere irregularitatem. Quare, si mors infirmi sequatur, præsumitur evenisse potiùs culpa ægroti, aut aliàs, quàm ex pharmacopolæ negligentia, vel imperitia, ut de medico, de chirurgo, de barbitonsore, seu phlebotomante, ac similibus personis laicis docent Specul. *in tit. de dispens. §. juxta, v. Facto in fine*, Socin. *in d. c. Ad audientiam de homic. n.* 149. *& seq.* Sylv. *v. homicidium* 2. *n.* 9. & Fagnan. *in d. c. Ad audientiam n.* 38. *& can. de occidendis* 23. *qu.* 5. *& ex cap. Ad aures de æt. & qual.* ubi propterea consulitur medico, quem remordet conscientia, ne ad majores ordines ascendat.

8 Quare si id conceditur medico, qui est tanquam causa formalis, & ut supponitur *in d. cap. ad aures*, erat Clericus, multò magis concessum esse censetur Aromatario laico, qui est tantùm causa materialis in ordine ad medendum ægrotos. Cùm enim laico physicæ, vel chirurgiæ, aut pharmacopolion ars permissa sit, casus fortuitus non est illi imputandus, si est peritus, & omnem adhibet diligentiam; quia dat operam rei licitæ, *c. Dilectus* cum binis *seqq. & cap. Continebatur de homic.* nisi probabiliter dubitet ex sua negligentia, vel imperitia aliquem periisse; quia tunc propter dubium prohibetur à promotione juxta textum *in d. c. Ad aures de æt. & qual.* traditque idem Fagnan. *loc. cit. n.* 40. & Majolus ipse, qui in suo tractatu de irregularitate, sicut Dantes in suo Inferno posuit eos damnatos, quos voluit, ita contra, præter, supra, infra jus, penè dixerim omnes ad suam libidinem irregulares fecit, & in eo labyrintho, ubi innumero errore viæ, inclusit.

4 Hinc non denegantur Ordines ex eo, quod quis fuit Judex, si nullam incurrerit irregularitatem, ut declaravit S. Congregatio super Episc. & Regul. in Squillacensi 15. Novembris 1606.

5 Itaque, cum pharmacopolæ laico non sit jure Canonico imposita irregularitas, nisi sit in culpa, & ex ejus culpa moriatur ægrotus, nihil ei obstat, quominus ad primam Tonsuram, & ad alios Ordines etiam majores, ritè promoveri possit. Atque ita etiam declaravit sub die 5. Junii 1688. S. Congr. Concilii in una S. Marci, nempe pharmacopolam præfatum non indigere dispensatione.

6 Neque dicatur, quod ars Aromatarii sit indecens, atque adeò ratione indecentiæ prohibeatur Aromatarius ad Ordines promoveri. Nam contrarium asserit Tiraquel. *de nobilit. cap.* 34. *num.* 44. & Cassan. *in Catalog. glor mund. p.* 11. *consid.* 40. ubi prolixè probat, eam artem esse non solùm utilem Reipublicæ, sed etiam honestam, & Aromatarios esse honorandos per ea, quæ tradit D. Anton. *in sum. p.* 2. *tit.* 8. *cap.* 4. §. 6. & Bern. de Bust. *p.* 2. *Rosar. ser.* 32. *litt. Y.*

7 Ad secundum. Irregularitatem impedire susceptionem, etiam primæ Tonsuræ, certum omninò est, ut docent Avila, Navarrus, Filiucius, Reginaldus, Suarez, Præpositus, Gaspar Hurtadus, Sayrus, Baucius, Bonacina, & præ cæteris Rota Romana in Romana pensionis 3. Junii 1583. coram Seraphino. Quia, licèt prima Tonsura non sit propriè Ordo, sed tantùm via, & præparatio quædam ad Ordinem, ut dixi *tom.* 2. quoniam tamen constituit in statu Clericali, & est character clericalis, ut ait Sixtus V. in motu proprio contra malè promotos anno 1588. ideò apud Sacros Canones obtinet nomen Ordinis, & præcipuè *in cap. Cum contingat de æt. & qualit. Ordin.* Cùm ergo irregularitas sit inhabilitas statuta à Sacris Canonibus ad Ordines suscipiendos, nomine Ordinum debent venire ea omnia, quæ apud Sacros Canones ordines dicuntur, atque adeò prima tonsura.

8 Eóque præsertim quia apud Sacros Canones explicatur irregularitas, tanquam inhabilitas ad ipsum statum Clericalem, & Ecclesiasticum ministerium, *in can. Si quis de laicis*, ubi de irregularitate ex bigamia *d.* 34. ibi: *In Clericum nullatenus admittatur*, & *can. Si laici ead. d.* ubi de eadem irregularitate, ibi: *His talis ad ministerium Ecclesiasticum nullo modo adducatur*, & *can. Si quis viduam d.* 50. ubi etiam de eadem irregularitate, ibi: *Non admittatur ad Clericatum.* Cùm igitur irregularitas sit inhabilitas ad statum Clericalem, erit etiam inhabilitas ad primam Tonsuram; quia per ipsam constituitur status Clericalis ex Tridentino Concilio *sess.* 23. *cap.* 4. *de ref.*

Et ita praxis, & communis sensus interpretatur legem, *l. Si de interpretatione, ff. de legib. & c. Cum dilectus de consuet.* Communis autem sensus tenet, quod irregularitas inducat inhabilitatem etiam ad primam Tonsuram. Et fundatur in eo, quod quando prohibetur aliquid, prohibeantur etiam omnia, per quæ tanquam per media ex natura sua ad ipsum ordinata, pervenitur ad illud, *l. pupillus, §. sed si per interpositam, ff. de auth. tut. cap. Cum quid prohibetur de reg. jur. in* 6. 9

CONSULTATIO CXLVII.

FActo quoad thorum divortio ob uxoris adulterium, eoque per decretum Vicarii generalis de utriusque conjugis consensu confirmato, mulier pœnitentium Conservatorium ingressa, simplex, ut asserit, castitatis votum emisit, & adhuc in bono hujusmodi proposito perseverat. Vir autem ad Ecclesiasticos Ordines, uti spoponderat adipiscendos ob insciti am inhabilis, de uxore sibi reddenda sub prætextu incontinentiæ, propter quam pellicem domi retinere consuevit, instat. Cùm igitur uxoris adulterium pari viri delicto sit mutua compensatione sublatum, & mulier ad virum redire pertinaciter, etiam data fidejussione, recusat, ideò quæritur.

An uxor, consentiente viro, Conservatorium nullis clausuræ legibus obnoxium ingressa, asserto, ut præfertur simplici Castitatis voto, post consummatum matrimonium, privatim ab ea, ut dicitur, emisso, ac divortio de utriusque consensu, ex decreto Ordinarii sequuto, nullatenus obstantibus, viro suo id enixè ob incontinentiam flagitantis & de animæ jactura usque ad lacrymas conquerenti, sit restituenda, saltem ex Iudicis officio, vel potius in Conservatorio retinenda?

REspondeo, esse restituendam, & cogendam ad reconciliationem. Nam tenentur conjuges sibi reconciliare, nec eis sententia divortii suffragatur; quia cùm delicta compensantur, nullum divortii jus illis competit, ac proinde reddit matrimonium ad pristinum statum, in quo neutri conjugi divertere, gratia transeundi ad alium statum permittitur. Quare etiam si uxor emiserit simplex votum castitatis tempore divortii de consensu viri, adhuc potest vir illud irritare; quia actus ille emittendi votum semper manet sub dominio mariti. Ita Sotus, & Palacius cum aliis apud Sanch. *de matr. disp.* 4. *nu* 17. *& disp.* 10. *num.* 7. *lib.* 10. Hinc justa causa subsistente, nempe periculum incontinentiæ, poterit privata voluntate contrahentium votum dissolvi sine aliqua voti violatione, Pont. *de matr. lib.* 9. *cap.* 17. §. 1. *num.* 13. qui etiam *lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 13. ait de viro, qui tenetur castitatis parato plurima committere peccata contra votum pro fragilitate sua, prout in hoc casu, si alia via citò illi succurri non posset, potest consuli, ut impetret dispensationem voti in ordine ad petendum debitum, quæ facilis est. 1

Dicendum igitur, quod etsi alter conjux minimè petat, debet Judex ex officio suo conjuges reconciliare, quia Prælatus, ut Pastor animarum, tenetur periculis incontinentiæ occurrere, D. Thomas, & alii apud Sanchez, ubi suprà, stante præsertim consensu viri conditionali exhibito, hujusmodi conjugem esse suo viro restituendam officio Judicis. 2

CONSULTATIO CXLVIII.

PIus quidam teſtator ita diſpoſuit: Volo, prædictos Presbyteros beneficiatos, Capellanos, & Clericos, ut ſuprà, permorari in reſidentia prædictæ Eccleſiæ, ut ſuprà, intereſſendo officio omnium horarum Canonicarum, videlicet Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, veſperi, & Completorio. Quas horas canonicas, & Miſſam teneantur, & debeant dicti Presbyteri beneficiati, Capellani, & Clerici, ut ſupra omni die uſque in perpetuum, tempore debito, & congruo, & ſecundùm conſuetudinem aliarum bonarum Eccleſiarum Cathedralium, in quibus horæ Canonicæ, & Miſſæ quotidie celebrantur, & decantantur, celebrare, & decantare in dicta Eccleſia Sanctorum Firmi, & Ruſtici. His poſitis quæritur.

1 *An prædictum Capitulum teneatur perpetuum Eccleſiæ ſuæ ſervitium abſque ulla vacatione præſtare? Et quatenus teneatur.*

2 *An ſaltem ſubſint rationabiles cauſæ indulgendi, ut quotannis trimeſtri vacatione gaudeat?*

1 REſpondeo ad 1. Videtur non teneri, ſed ei licere per tres menſes vacare quolibet anno juxta Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12. de refor.* quia quamvis ex inſtitutione videatur colligi contrarium, quando tamen fundator obligat Clericos ad inſerviendum quotidie, obligatio admittit aliquas vacationes juxta *c. Significatum de præb.* & Tridentinum ſupra, menſque teſtatoris præſumitur diſponere ſecundùm menſuram juris communis, & illi ſe accommodare, ut rationabilis ſit, juxta ea, quæ tradunt Jaſon, & alii *in l. cauſas n. 6. C. de tranſact.*

2 Ad ſecundum videtur etiam poſſe uti jure, quod ei tribuit Tridentinum *d. cap. 12. & d. c. Significatum de præb.*

3 At nihilominus S. Congregatio Concilii in Cremonenſi Servitii 16. Septembris 1662. cenſuit ex gratia eſſe duos menſes indulgendos. Servanda etenim eſt mens, ac voluntas teſtatorum, quoad fieri poteſt.

CONSULTATIO CXLIX.

An expediat plures Sanctos jam Canonizatos in Romano Breviario inſcribi, deque eis Officium unà cum Miſſa in toto Orbe Chriſtiano celebrari?

1 REſpondeo affirmativè; Quemadmodum enim veteres, ita etiam recentiores hæreſiarchæ, Lutherus, Calvinus, eorundemque nonnulli aſſeclæ in hoc contra avitam, & orthodoxam fidem errore verſantur, nullos excepto Chriſto Domino noſtro Servatore adhuc Sanctorum ſpiritus Cœlos incolere, Deique beatiſſimo frui intuitu. Et licèt etiam Sancti æterna potirentur gloria, præfati hæreſiarchæ ſimul cum Melanchtone, ac Brentio, aliiſque palam docent ad Sanctos, Cœlorum inquilinos recurrere eſſe ſuperfluum, ubi divinum Numen ipſum per ſe audire, promptiſſimum. Primò quia ex divinis literis non habent, mortuos orare pro vivis, ac proinde non eſſe certum. Secundò ſi orant eos, non niſi in genere pro tota electorum Eccleſia, non autem pro iſto, aut illo in ſpeciali orare. Tertiò fruſtraneum eſſe invocare Cœlites, non enim habent tam longas aures; ita Calvinus loquitur, ut noſtras exaudiant preces. Illicitum autem, quia hinc Chriſti gloria obſcuratur, qui eſt unicus Mediator, & noſter Interceſſor.

2 Eapropter nihil eſt, quod exhorreant, aut execrentur magis, quàm Cœlitum invocationem, Reliquiarum cultum, Sanctorum Imaginum venerationem. His enim tribus manifeſtam impietatem, & idololatriam contineri gravi, diurnaque apud eos univerſalis Eccleſia laboret infamia.

3 Unum è ſelectioribus mediis reſiſtendi, & expugnandi hujuſmodi hæreſi, & nationum hæreſi infectatum prædeceſſores Sanctos publicis Eccleſiæ precibus invocare, ac in Sacrificium Euchariſtiæ in eorum honorem Deo offerre, eorumque exempla virtutum, & normam rectæ vitæ populo ſæpè, & paſſim proponere.

4 Iſque honor præcipuè Religionum Fundatoribus exhibendus eſt; quandoquidem ſeptem recenſentur in Calendario Religionum Inſtitutores ſub titulo Abbatis, quod idem ſonat ac Pater, & Inſtitutor Monachorum, quamquam alii multi recenſeantur ſub alio nomine digniori Pontificum, & ob alia quoque merita hoc honore ſunt dignati S. Baſilius, S. Auguſtinus, & alii. Plerique tamen eorum vixerunt ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ubi vetitum fuit recipi in Eccleſia nova religioſæ vitæ inſtituta citra Pontificis Rom. approbationem, & authoritatem.

5 Poſt Concilium Lateranenſe aliæ inſtitutæ ſunt Religiones, & eorum Fundatores adſcripti quoque fuerunt in Calendario, in quo numerantur item ſeptem, & hanc illos prærogativam ex hoc meritò præcipuè fuiſſe conſecutos, illud argumento eſt, quod in lectionibus ſecundi Nocturni de eorum actis hoc præcipuè recenſetur. Et quod majorem vim habere videtur eorum meritorum fit mentio in collecta, ſive oratione Miſſæ, quæ eſt pars principalis Officii Divini, & ad quam referri videntur aliæ Cæremoniæ. Sic in Collecta Sancti Franciſci legitur: *Fœtu novæ prolis amplificas.* In Collecta S. Norberti: *Et per eum Eccleſiam tuam nova prole fœcundas.* In Collecta S. Petri Nolaſco, cui nuper fuit hic honor decretus: *Eccleſiam tuam nova prole fœcundare docuiſti.* In Collecta Sancti Ignatii: *Novo ſubſidio militantem Eccleſiam roboraſti.*

6 Sanctus quoque Philippus Nerius, quamvis non inſtituerit Ordinem Religioſum, laudatur tamen in lectione prima Secundi Nocturni, *quod Oratorii Congregationem inſtituerit.* Et S. Franciſcus Saleſius in lectione tertia ſecundi Nocturni in magni meriti argumentum laudatur, *quod ad divini cultus augmentum novum Ordinem Sanctimonialium inſtituerit.*

7 Neque fuerunt expertes hujus honoris etiam fœminæ. Sanctæ Birgittæ in lectione tertia ſecundi Nocturni laudi, ac magno merito vertitur, quod *Monaſterium Vaſtenſe ſub Regula S. Salvatoris, ab ipſo Domino accepta, inſtituerit.* Et Sanctæ Franciſcæ Romanæ in lectione prima ſecundi Nocturni, quod *domum Oblatarum ſub Regula S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti in Urbe inſtituerit.* Et quod majoris admirationis, & conſequenter laudis eſt argumentum, S. Thereſia maximè commendatur in lectione ſecunda ſecundi Nocturni, quod *ſeveriorem veterum Carmelitarum Regulam, Deo afflante, primum mulieribus, deinde viris obſervandam propoſuerit.*

8 Et jure quidem hic honor Inſtitutoribus Religionum impenditur, ut quo latiùs eorum meritum in totam Eccleſiam, & in omnem poſteritatem propagatur, multis aliis ad ſuarum virtutum imitationem inſtitutis, ac poſt ſe relictis, eo etiam ampliùs eorum nomen in tota Eccleſia celebretur, & in omni poſteritate. Ut propterea congruenter iis accommodatur illud Eccleſiaſtici elogium. *Laudemus viros glorioſos, Patres noſtros*, quod legitur in primo Nocturno Officii de S. Benedicto, qui fuit præcipuus Legiſlator Monachorum in Italia.

9 Sed demum Sanctus Petrus de Morrone, quia fundavit, & inſtituit Ordinem, qui ab ipſius nomine in Pontificatu dictus eſt Cœleſtinus ſub regula Sancti Benedicti, hunc meruit honorem. Ita quoque Sanctus Caietanus, & alii.

CONSULTATIO CL.

In qua reſpondetur ad ſeptem criminationes in Parochos Urbis, ab Anonymo quodam fumivendulo impactas.

Prodiit

1 PRodiit nuperrimè quoddam scriptum Anonymi, quo Parochos omnes Urbis publicè proscindit, ac criminatur. Ne verò ipse temerè, ac immeritò tam acerbam injuriam Parochis intulisse videatur, profert varia contra eos accusationis capita.

2 Primum est de mercede deferentis Crucem, licèt Parochi eam in funere non deferant.

3 Secundum. Duplicata merces viatici, quando cadaver defertur ad Ecclesiam extra parochiam.

4 Tertium. Alia duplicatio viatici, quando funus tranfit per pontes, vel montes.

5 Quartum. Regulares prætendunt, quando intersunt funeri, tanquam unum corpus, habere ultra candelas, quæ singulis dantur in ipso funere, etiam fasciculum candelarum unius libræ.

6 Quintum. Quando funeri interveniunt Regulares, Curatus regularis eo quia vel defunctus est ejus parochiæ, vel ad ejus Ecclesiam defertur, petit mercedem pro suo socio, tanquam alterius Sacerdotis secularis, & sic eadem persona, quæ intervenit funeri, tanquam unus ex sua Religione, assumit deinde aliam personam, & duplicatam mercedem prætendit.

7 Sextum. Regulares ad funus vocati semper, ac indistinctè volunt Julios decem contra formam Statuti.

8 Septimum est merces sepulturæ, quando cadavera in Ecclesiis parochialibus non sepeliuntur. Et ulteriùs si dicta cadavera in alienis Ecclesiis sepeliuntur cum capsa, prætendunt duplicatam mercedem.

9 Hæc sunt septem capita hydræ Anonymianæ. Hoc porrò scriptum cùm à præfato Anonymo per totam ferè Urbem evulgaretur, nobisq; Parochis communicatum esset, quibus privatum quidem solummodò commodum, & affectum spectantibus, optabilius nihil erat, quàm defensione omni prætermissa, acquiescere, atque ita proposita ob oculos professione pastorali potiùs, quàm illata injuria, jucundissimo conscientiæ illibatæ testimonio contentos vivere, impactasque nobis falsò criminationes spernere. Adest enim, & ejusmodi affectum nostris animis insinuat Apostolica institutio nostri Præsulis, ac Magistri D. Petri *Ep.1. cap.4. v.14. Si exprobramini*, ait, *in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.*

10 An verò quoniam simul nobis cordi est peculiaris ratio vocationis nostræ, quæ nos non nobis tantùm, sed etiam proximis nostris vivere, eorumque saluti, ac nostri administratione officii impensæ vacare jubet, quod præter privatum conscientiæ, mentisque innocentiam, publicè etiam bonam famam, existimationemque deposcit, ideò in eam necessariis rationibus inducti sumus sententiam, ut hujusmodi accusationibus publicam responsionem statueremus. Fecerunt id passim olim pro se, suisque institutis Sanctissimi quique Ecclesiæ Præsules, ac Doctores, Apostoli ipsi, ac Christus Dominus, Deusque noster, qui & calumniam dæmonii à se constanter depulit, & ab execrabili percussore illatæ injuriæ rationem poposcit Joan.18. v.23. Nos igitur, quod constituimus, prosequemur, singulaque accusationis capita, quæ contra nos suo scripto edidit, paucis verbis refutabimus.

11 Ad primum. Prætermissa responsione ad rationes, quas Anonymus perperam prætexit, ratio cur Parochis debeatur merces deferentis Crucem, etsi eam in funere non deferant, ea est, quia est jus annexum juri sepulturæ, sive parochiali. Quemadmodum enim debetur Parochis jus sepulturæ, licèt eorum parochiani non sepeliantur in propriis parochialibus Ecclesiis, ita etiam debetur merces deferenti Crucem, tametsi eum in funere non deferant. Hinc S. Congregatio super Episcopis die 29. Julii 1616. apud Gavantum *in man. Episcop. v. Exequiæ* declaravit, Crucem Parochialem regulariter deferri tantùm debere.

12 Neque obstat, quod in Statuto Cleri Romani decernatur, unicam tantùm Crucem in funeribus deferendam esse illius Ecclesiæ, ad quam funus ducitur, nullamque mercedem deferenti taxatam esse. Nam id sanè decernit quoad illius delationem materialem, ut scilicet fideles sciant, ad quam Ecclesiam funus ducatur, illudque prosequantur, & in eam conveniant, ac preces pro defuncti anima Deo effundant; non autem derogat juri parochiali, sed illud relinquit in suo usu, ipsi juri funerandi coævo; antiquissimus enim est. Quis enim Parochus hanc mercedem primus invexit? Quo tempore? Cur ex tot, tantisque Em. Cardinalibus Vicarii, Reverendissimis Vicesgerentibus; qui & doctrina ac vitæ integritate præstabant, nemo his tantis novitatibus, atque abusibus, ut Anonymus loquitur, sese objecit? Cur nemo in primos authores invectus est, aut insurrexit? Imò non solùm nemo insurrexit, sed in statuto Cleri Romani, recens ab Em. D. Cardinali Vicario, ejusque Congregatione ad id deputata, recognito, ac propediem evulgando, hanc Crucis mercedem, etiam quod illa à Parochis non deferatur, eis deberi expressis verbis decernitur.

13 Idque non ex errore populari, ut ait Anonymus Impossibile namque est in tot annorum centuriis totum populum errasse, ac etiam Magistratum Ecclesiasticum, cui hæc cura, qui non admonere solùm possit, sed compellere, & cui parere nos non volumus tantùm, sed debemus, unumque Anonymum censuram hîc nobis sine suffragio gerere, ac improbare, quod probant Superiores; sed ex voluntaria consuetudine, ut probat Innoc. *cap.ad Apostolicam de sim.* aut ex conscientia erronea, ut hanc obligationem explicat Major *in 4.d.15. quæst.5.* aut ex præscriptione Ecclesiarum parochialium, in qua non intervenit abrogatio, vel inductio legis, sed acquisitio dominii, vel juris in re, vel ad rem, quod acquiri solet per diuturnum usum cum bona fide, ut per textum *in c. Cum Ecclesia Sutrina de caus. possess. & propr.* Quæ præscriptio non requirit ex parte ejus, super quem cadit, consensum specialem in voluntariam obligationem continuum tanto tempore, aut voluntatem dandi tale jus alteri, aut obligandi se illi, vel ipso usu, ipsoque facto acquiritur adminiculo juris, eaque consummata, ille, contra quem præscriptum est, obligatus remanet ex justitia ad servandum alteri jus per præscriptionem acquisitum, non quidem virtute alicujus legis positivæ inductæ per consuetudinem, sed ex vi naturalis justitiæ, quæ obligat ad servandum unicuique jus suum.

14 Itaque per diuturnum usum exhibendi hanc mercedem acquisitum est Ecclesiis parochialibus jus ad illam per modum cujusdam præscriptionis, accedente præsertim adminiculo juris, quod præstatur in *d. cap. Ad Apostolicam de sim.* in quo hæc, atque aliæ obligationes fundantur; quod maximè locum habet in actionibus, quæ referuntur ad alium sub aliquo respectu ad recompensationem; ut per Panorm. in *c. Suam nobis*, & in *d. cap. Ad Apostolicam de sim.* quemadmodum in præsenti offertur hæc merces Ecclesiis parochialibus in recompensationem beneficii, & in Parochorum sustentationem, simulque in Dei honorem, ac defunctorum salutem. Ita planè sentiunt Panormitanus, Ancharanus, & alii *in rubr.de Paroch.* ac Summistæ omnes, aliique Doctores, quos refert, ac sequitur Covar. *lib.1.var.cap.17.n.3.* Gutier. *can.quæst.cap.21.num 139.* Lopez. *in l.9.tit.1.p.1.* Sot. *lib.9.de just.q.3. art.1.* Tempus enim tam prolixum obtinet vim legis, ac specialis concessionis *l.6.§.4.ff.de acqu.quot.l.1.§.fin.& l.2. ff.de aqu.pluv.arc.* Quare invictum veritatis, ac innocentiæ argumentum penes Parochos est præscriptio, de qua S. Chrysostomus *hom.4. in. c. 2. Thessal.* ait: *Præscriptio est, nihil quæras amplius.*

15 Quod ad secundum, ac tertium accusationis caput attinet, certum nobis est, ita attestante non solùm conscientia nostra, sed ipsis etiam pro tempore Cleri Romani Camerariis, ad quos rem hanc vel mathematicè, vel moraliter pertinet definire, nobis ea re injuriam fieri. Id enim nobis Statuta nostra inhibent, quorum verba prolixiùs recitabo, ut adversarius suo gladio juguletur. Ita enim decernunt *cap. 6. §. 11. Merces autem ordinaria presbyterorum funus associantium, sit unius Iulii. Quod si contingat progredi cum funere ad Ecclesias mediocriter distantes, velut, exempli gratia ab Ecclesia S. Laurentii in Damaso ad S. Mariæ de Ara Cœli, vel ad S. Laurentii in Lucina, sit duorum Iuliorum. Si verò ad Ecclesias remotiores notabiliter, ut ad S. Ioannis Laterani, S. Gregorii, S. Petri in Vaticano, & similes ab Vrbis centro, vel circiter distantes, sit quatuor Iuliorum, & plus, minusve juxta longitudinem itineris, ac temporis qualitatem. Siquidem tempore nocturno, vel pluviæ aliquid plus non immeritò taxari posse censemus.*

16 En quanta id circumspectione, & accurata consideratione statuatur; quod si tamen ab aliquo ex nostris hujus decreti oblito quidquam fuerit attentatum, quod non credimus, nunquid ideò totus Sacer ordo Parochorum, atque alii innocentes, qui ne quid simile fieret pro viribus obstant, rei agentur, & quasi ob unius Judæ proditoris crimen, totum Apostolorum Collegium erit plectendum? Siquidem unum, vel alterum exemplum non probat quidquam de toto genere. Quare in causa dubia provocatio erit ad Camerarium Cleri, cujus sententiæ Parochos stare oportet, ejusque placito, & arbitrio, tanquam in hac re principio primò, ac ultimo conformari debet populi voluntas ex Statuto Cleri Romani, cujus religiosam observationem Parochi exposcunt.

17 Ad quartum, & quintum. Non est nostrum defendere alienos, si qui sunt, abusus; quatenus autem comprobentur, sunt coercendi severitate Statutorum Cleri Romani.

Ad sextum. Id quoque definitum est *in Stat. Cler. Rom. d. cap. 6. §. 14.* in hæc verba: *Singulis Monasteriis, sive domibus Regularium ad funus invitatis decem Caroleni solvantur, nisi ad Ecclesias distantes progredi contingat. Tunc enim augeri posse decernimus, prout suprà de presbyterorum mercede cautum existit.* Quare id quoque commissum est arbitrio Camerarii, ad quem in casu controversiæ quisque adire poterit.

18 Ad septimum. Ut tenebras, quibus Adversarius jura parochialia obscurare nititur, disjiciamus, afferimus, nitidissimam doctrinæ nostræ lucem, ne quis ignoratione rei nostræ à scopo aberret. Ea quippe erat veterum Patrum religio, cavere diligenter, ne intra Ecclesiam defunctorum corpora sepelirentur. Extantque in eam sententiam Triburiensis, Nannetensis, Vasensis Synodi decreta *can. quibus, can. nullus, can. præcipiendum*, ubi plenè Turrecrem. 13 *qu.* 2. Extat & Synodi Bracharensis Constitutio apud Burchardum *lib. 3. c. 157.* & Guliel. Duran. *lib. de mod. celebr. Concil. gener. p. 3. tit 1.* Hæc pia majorum institutio à Carolo Magno renovata, & instaurata fuit, Ansegis. Abb. *cap* 153. Hujusque consuetudinis meminerunt Optatus *lib. 5. de schism. Donatist.* Chrysostomus *hom. quod Christus Deus est adversus Gentes, & hom. 66. ad popul. Antioch.* Niceph. *lib. 4 cap. 30.* passimque alii.

19 At postea recepta consuetudine præter majorum leges, ac instituta Christiani nedum Imperatores, ac Sacerdotes, quibus id indultum fuit Evagr. *lib. 4. c. 30.* sed etiam laici ubique intra Ecclesias parochiales sepulti fuerunt, quibus exceptis, nulla Ecclesia habebat jus sepulturæ, *can. ubicunque 6. & can. placuit 7. §. Sed aliud eadem 13. qu. 2.* nempe ubi decimæ solvebantur *c. 1. & cap. ex parte de sepult.* Eratque solitum, ut quisque pro sepultura erogaret Parochis aliquid sponte pro eleemosyna, *can. in Ecclesiastico, & d. can. præcipiendum eod. caus. 13. quæstio 2.* non autem pro pretio, quod simoniacum est, *can. questa, can. postquam, & can. seq. 13. q. 1.*

Denique concessum id fuit aliis Ecclesiis ex privile- 20
gio *in cap. Nimis iniqua de excess. Prælat. cap. ut privilegia de privil. Clem. Dudum de sepult.* Salva tamen justitia parochialium Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur, *cap. Certificari 9. & c. In nostra 10. de sepult.* & Conc. Trid. *sess. 25. c. 13. de refor.* ubi ait integrè hoc jus parochialibus Ecclesiis persolvendum esse. Et licèt in his locis sermo sit de quarta, quæ funeralium dicitur, hanc tamen involvere jus sepulturæ, docent Gabriel, & Gratianus mox citandi, aliique apud ipsos. Et generatim non solùm de quarta funerali, sed etiam de sepultura, aliisque oblationibus est textus *in cap. Ad Apostolicam de Simon.*

Inducta hac laudabili consuetudine ex spontanea 21
fidelium oblatione jus acquisitum fuit Parochis, ut aliquid perciperent pro jure sepulturæ in Ecclesia parochiali præter quartam Canonicam, sive funeralem. Verum quia ex eo, quod quisque possit sibi eligere sepulturam extra Ecclesiam parochialem, atque adeò cesset illa eleemosyna solvi solita pro sepultura Ecclesiæ parochialis, ideò inductum fuit, ut aliquid solveretur Parochis pro illo jure, ex quo defunctus sepelitur extra Ecclesiam parochialem; quod jus etiam in Constitutione 41. §. 13. B. Pii V. Parochis præservatur, quodque diversum esse à quarta probat Gabriel. *conf. 190. à num. 1. lib. 2.* ubi etiam docet potuisse consuetudine induci, ac taxari, sequiturque Gratian. *discept. 210. nu. 10. cum seqq. ac dec. March 26. n. 14. & 15.*

Quare hæc eleemosyna non datur ratione loci tu- 22
mulationis, neque pro expurgatione sepulturæ, ut asserit Anonymus, sed ratione juris parochialis, aut funerandi, sive idem sint, sive diversa, ut per Lap. *alleg. 69. num. 3.* Feder. de Sen. *conf. 253. num. 5.* Petr. de Ubald. *de can. port. cap. 8. num. 33.* ac alios. Eleemosyna autem consueta pro sepultura sine capsa ex Statuto Cleri Romani *d. cap. 6. §. 8.* est Juliorum septem cum dimidio, cum capsa verò est Juliorum quindecim §. 18. quam consuetudinem observari, ac eos, qui malitiosè nituntur laudabilem hanc consuetudinem immutare, compesci mandat Innoc. III. *in d. cap. Ad Apostolicam de Simon.*

Non obstat, quod hæc eleemosyna, sive jus paro- 23
chiale ponatur à Statuto Cleri *in cap. De mercede associantibus funera præstanda.* Ineptum enim esset convellere hoc solius voculæ cavillo jura parochialia à pia consuetudine, à Sacris Canonibus stabilita. Positum est fortasse *in c. De mercede*, vel quia ex pecunia solvi solet; vel quia merces propriè laboris præmium est. Parochi autem laborant in exercitio curæ animarum, & in administrando Sacramenta. Jus autem sepulturæ est consecutivum ad jus administrandi Sacramenta, ut tradunt Archid. *in c. 1. n. 3. de sepult in 6.* Abb. *in c. 1. n. 4. eod. tit.* Rot. coram Mantica *decis. 366. n. 4.* & in Romana jurium funeralium coram Zarata, & nos alibi. Hæc enim duo jura, nimirum administratio Sacramentorum, & jus sepulturæ sunt invicem connexa, tanquam ordinata ad ea, quæ debentur defuncto ex officio pastorali. Unde dici poterit merces eximii laboris, quam Jurisconsultus eleganter interpretatur esse illam, quæ pro salute alicujus datur, *l. Si Pater, §. Si quis de nonat.* Datur autem hæc merces pro salute animæ defuncti. Vel denique est merces soli, hoc est, sepulturæ, quæ pro solo, vel ex superficiario prædio penditur *l. 17. ff. de pig. act.* Sed istæ, hujusmodiq; interpretationes nugatoriæ sunt. Hoc planè certum est, hujusmodi jus parochiale putidissimorum glossematum nebulis ita involvi non posse, ut lateat, quod in eo micat. Quare cavillationis plena est hæc Adversarii argumentatio.

Atque hæc habuimus breviter, quæ ad ea, quæ nobis 24
Adversarius

Adversarius objecit accusationum capita pro veritate ac innocentia nostra publici boni causa tuenda, respondenda necessariò duximus; depulimus enim solùm criminationes, non intulimus. Deo interim toto mentis affectu supplicamus, ut Adversariis nostris cum bona mente, & ubere gratia omnem in hac vita prosperitatem, ac demum etiam æternam felicitatem benignus concedat. *Absit enim*, Augustini dictum est *lib. 3. contra litteras Petil. cap. 13. ut propter hæc Adversarios nostros oderimus. Dum enim dixit Christus pendens in Cruce: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, nos de talibus inimicis dicere docuit: Domine ignosce illis, quia nesciunt, quid loquuntur.*

25 Atque ita nomine omnium Parochorum Urbis, quorum ego minimus, respondi anno 1687. dum comitia pro eligendo Cleri Romani Camerario haberentur.

26 Cæterùm hoc tibi, mi Lector, notum, Parochis faustum esse velim. Sub die 28. Maii 1688. per acta Octaviani emanavit ab Em. Card. Vicario decretum pro D. Francisco Topino, Parocho S. Salvatoris de Cupellis, jurium Parochialium assertore, ac vindice, contra Fratres S. Augustini Urbis, in quo decernitur, nullum jus, nullamque actionem ad ipsos Fratres pertinere in funerale non factum in obitu R. P. D. Hectoris Ritæ ex Parochia dicti S. Salvatoris, apud quos sepulturam sibi elegerat, sed illud, illamque spectare, ac pertinere ad dictum Parochum, eique consignandam esse integram pecuniarum summam in S. Monte Pietatis depositam, ob dictum funerale non factum. Atque ita juxta Consultationem nostram, quæ in tomo sexto, vel septimo extat, res hæc judicata fuit post tot rabularum tumultus, & vociferationes. Hoc annotare volui, ut scirent posteri, quid hac in re actum est, quidve sint acturi, in qua demum emanavit S. Rotæ decisio coram R. P. D. Caprara, quam integram alibi adduximus.

CONSULTATIO CLI.

De Ecstasi, & raptu mystico. Quot sint. De eorum causa. Quomodo distinguantur. Eorum divisio, subjectum, duratio, effectus. Quomodo dignoscantur esse naturales, dæmoniaci, divini. De eorum probatione, & examine, ac censura, ubi id genus alia pro Servorum Dei solemni canonizatione perspicuè disquiruntur, ac veræ, germanæque Theologiæ mysticè solida, & expressa effigies retinetur.

1 Ecstasis à D. Thoma, scholasticæ, ac mysticæ Theologiæ Summus Dictator, ita definitur 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 8. Est excessus mentis, quo fit alienatio à sensibus in aliquod intelligibile, vel supra sensum, & rationem, vel extra cognitionem sibi propriam. Solet autem ecstasis non solùm vocari excessus nomine, sed etiam soporis ex Tostato *ad cap.* 10. *Act.* & *in Genesim.* Sed interdum differunt. Nam sopor ex Aristotele 2. *de somn. & vigil.* idem est, ac quies virtutum animalium, somnium verò nocturna apparitio, & imaginatio. Magis autem abstrahitur anima à corpore in ipsa veritate, & raptu, vel ecstasi, quàm in sopore. In somno cessat operatio sensitiva, & intellectiva, simulque intensat operatio sensitiva, & intellectiva, simulque intenduntur operationes virium naturalium. In ecstasi verò, vel raptu minuuntur operationes sensitivæ, & intenduntur rationales. Quia elevatur intellectus; sicque dicitur, Paulum fuisse raptum, Adam soporatum; quod disertè tradidi mea Disceptatione Italica de Theologia mystica in hæc verba.

2 Quindi nell' estasi più che nel sonno gli spiriti si ritraggon dentro, e lasciano i sensi senza sentimento, e senza moto le membra. Imperoche la mente si raccoglie in se stessa a contemplare un' oggetto sì intimo, e sì desiderato, che tutta l'occupa, e aliena. E perche essa mente governa i sentimenti, e ordina i moti volontarii dell'huomo, perciò le bisogna, ch'esca dell'interiore del corpo alle parti esteriori à ritrovar gli strumenti per far tali opere, e per avvicinarsi agli oggetti de' sensi, che stanno di fuori, e allora pensando si può vedere, udire, e parlare senza impedimento. Mà quando la mente si raccoglie dentro, e in se stessa per contemplare con somma efficacia, e unione l'oggetto amato, fugge dalle parti esteriori, e abbandonando ella i sensi, e i movimenti, si ritira con la maggior parte delle virtù, e degli spiriti nella contemplatione, non lasciando ella nel corpo altra virtù, che quella, senza quale non potrebbe sostenersi la vita, cioè la vitale del continuo movimento del cuore, e'l respiro degli spiriti per l'arterie per attrar di fuori l'aere fresco, e per cacciare l'infocato di dentro, e qualche poco della virtù nutritiva. Imperciochè la maggior parte di essa è impedita nella contemplazione, e perciò poco cibo nudrisce lungamente i contemplativi. Ac ita prosequor.

Quando adunque la mente spirituale ch'è cuore di 3
nostro cuore, e anima di nostra anima per la forza del desiderio si ritira in se stessa à contemplare un' intimo, e desiderato oggetto, raccoglie in se tutta l'anima, ristringendosi tutta nella sua indivisibile unità, e con essa si ritirano gli spiriti, benche non gli adoperi, e si raccogliono nel mezzo del capo, ov'è la contemplazione, ò nel centro del cuore, ov'è il desiderio, lasciando ella gli occhi senza vista, l'orecchie senza udito, e gli altri sensi senza sentimento, e senza moto. E pungente così può essere il desiderio, e tanto intima la cõtemplazione, che affatto può trar l'anima dal corpo, risolvendosi gli spiriti per la forte, e ristretta loro unione in modo, che congiungendosi l'anima affettuosamente al desiderato, e contemplato oggetto, può tosto lasciare in tutto senza se il corpo. E in questa guisa alcuni beati huomini, contemplando essi con sommo desiderio la bellezza divina, si muoiono. Onde la Sagra Scrittura parlando essa della morte, e di Aron, dice, che si morirono per bocca di Dio *Deut.* 10. & 34. Il che dichiarano i savi metaforicamente, che si morirono baciando la divinità, cioè rapiti dall' amorosa contemplazione, e unione divina.

Ex eodem D. Thoma *in Psalm.* 30. *v.* 1. Ecstasis 4
est, quando homo ponitur extra se; quod dupliciter contingit. Vel quia à superioribus allegitur; vel quia ab inferioribus depellitur. Animus ergo hominis si feratur extra se, dicitur esse intellectus à supernis per contemplationem, & amorem; quia, ut ait Dionysius *cap.* 4. *de Divin. Nomin.* ibique D. Thom. divinus amor ecstasim facit; quia facit eum vivere, non sua, sed Dei vita. Vel impugnatus, vel territus ab inferiori. Unde quando timet, fit extra se, *Act.* 3. *Repleti sunt stupore, & ecstasi.*

Contingit autem aliquando ex causa interiori, 5
quando animus videt stupenda, ex quibus fit extra se. Interdùm à causa superiori, quando quis contemplatur divina, & rapitur extra se supra se. Unde D. Tho. 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 3. ait, ecstasim aliquis pati dicitur, cùm extra se ponitur, id est extra cognitionem sibi connaturalem, ac propriam, in quantum tendit vel ad ea, quæ sunt supra sensum, & rationem, vel cùm ad inferiora deprimitur, ut cùm quis in furiam, vel amentiam cadit. Et hæc ecstasis est infrà se potiùs, quàm supra se.

Concurrunt verò ad ecstasim tam vis appetitiva, 6
quàm cognitiva. In cognitiva est formaliter, quia ex intenta meditatione unius abstrahitur intellectus ab aliis. In appetitiva est causaliter, vel dispositivè; ex amore enim nascitur, ut quis cogitet de amato. Non enim contentus de proprio bono, quærit frui aliquo extra se, & vult bonum amico propter ipsum, ut in seipso. Secundùm quid verò rapi dicitur, dum illud extrinsecum bonum quærit, ut bonum sibi.

Porrò ecstasis, si est contemplatio perfecta, potest 7
vi sua causare alienationem à sensibus externis, eos absorbendo, ac ligando, ne ab eorũ objectis excitẽtur,

Tunc, ait D.Thom. *d.qu.28.art.3.* fieri ecstasim, quando ponitur homo extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur, sicut homo dum elevatur ad comprehendendum aliqua, quæ sunt supra sensum, & rationem, dicitur ecstasim pati, & loquitur de ecstasi secundùm vim apprehensivam. Quibus verbis duplex ecstasis assignari videtur. Una, cùm ponitur homo extra cognitionem sibi propriam, non ampliùs sensibus utendo, & id referri potest ad vim apprehensivam naturalem. Altera, cùm apprehensiva fertur supra sensum, & hominem; quod non contingit, nisi cùm versatur apprehensio circa objecta supernaturalia, quæ sensum, & rationem exuperant. Et hæc est ecstasis supernaturalis. Et *p.1.qu.12.art.11.* ait, quòd anima nostra quantò magis à corporalibus abstrahitur, tantò intelligibilium abstractorum fit capacior. Unde in somniis, & alienationibus à sensibus corporeis magis divinæ revelationes percipiuntur, & prævisiones futurorum non solùm D.Thomas ad supernaturales revelationes, ac prophetias alludit, sed ad prædictiones futurorum naturales, quæ fieri possunt absque dono prophetiæ, prout à Sanctis Angelis revelantur multa, ac etiam ex conjunctione cum influxu substantiarum separatarum, quæ fit interdum, quando anima abstractior fit per elongationem à sensibus, ut ait idem D.Thom. *de verit.qu.12.art.3.ad 5.& ad 1.* Tunc enim habilior fit ad recipiendum ordinem gratiæ, sed etiam secundùm ordinem naturæ, prout inferiores intellectus secundùm ordinem naturæ nati sunt perfici à superioribus, & prout corpora humana subduntur impressionibus cœlestium corporum, in quibus fit præparatio ad aliquos futuros eventus, quos anima ex sua subtilitate prævidet per aliquas similitudines ex impressione corporum cœlestium, in imaginationes relictas. Et *2.2.q.175.ar.2. ad 2.* ait, vehementiam affectus, causare ecstasim, quatenus causat excessum cognitionis, quo mens ad intelligibilia rapitur, alienata à sensibus.

8 Quando autem contemplatio est vehementissima, fieri potest, ut ligetur imaginatio, ne aliquid cum phantasmate operetur. Ita D.Thomas *qu.13.de verit.art.3.ad 10.* ubi ait, tantam esse posse in actu speculationis vehementiam, ut omninò à sensibili operatione abstractionem à sensibus per vehementissimam contemplationem efficiat, quæ fit ab his, quæ vehementiam actus intellectus nata sunt impedire. Hæc autem sunt omnes sensitivæ operationes, ubi nulla excipitur, dum solùm excipit operationes vegetativas. Et *2.1.d.qu.175.art.3. ad 1.* ponit secundùm gradum prophetiæ per abstractiones etiam ab externis, quia per pura intelligibilia fit. Dixi ligari imaginationem in ea vehementissima contemplatione; quod bifariam intelligi potest. Uno modo ut phantasia non operetur, formando de novo idola, vel phantasmata. Altero modo, ut ex præhabitis phantasmatibus, quæ imaginatio conservat, ad ea se convertendo, & illustrante intellectu agente, phantasmata exinde speculetur. In primo sensu non est necessarium, ut phantasia formando de novo phantasmata operetur; quia virtus animæ vehementissimo actu absorta influxum suspendere potest, ne illum communicet potentiis sensitivis; & maximè quia tota, vel quasi tota in operatione intellectus occupatur. Potentia enim superior exhaurire potest, & absorbere, quod est inferioris facultatis, & non deserviat superiori, & posset esse potiùs impedimento, ne tota vis animæ feratur in intelligibilia occupata in receptione novorum phantasmatum, quæ subministraret phantasia, nisi ligaretur. In secundo sensu concurrit imaginativa, velut materia, ex qua antiqua phantasmata eruantur.

9 Quamvis autem contemplatio sit vehemens, non potest tamen impedire per se, ac sua efficacitate vires potentiæ vegetativæ, ac nutritivæ. Ita etiam D.Thomas *dict.quæst.175.art 2.ac de verit.d.quæst.13.art.4.* quia, & si sensitivæ operentur ex intentione animæ, vegetativæ autem per modum naturæ, id tamen fit mediantibus primis qualitatibus, & earum alterationibus, quæ non subduntur intentioni animæ, ac proinde non habet anima super eas actiones dominium, sicut super sensitivas potentias. Quare, licèt possit abstrahere à sensitivis, non tamen abstrahit à vegetativis. Dixi autem per se; quia per actiones spirituum vitalium, ac per vitales operationes attrahendi, expellendi, distrahendi, possunt impediri ex nimia contemplatione, vel studio.

Atq; hactenus ex mente D. Thomæ, cujus libros le- 10
gere non possum, quin eos amplectar, foveam, osculer, ac venerer sanctum illud pectus, afflatum cœlesti numine. Contrà, cùm quosdam libros recentiores lego, Deum immortalem! quàm frigent præ illis, imò quàm non videntur sentire, quod scribunt, non quod illos in totum damnem, sed quod ex his sentiam me reddi, & doctiorem, & meliorem, cùm ex illorum lectione surgam nescio quomodo frigidus affectus erga veram veritatem. Salve igitur, ô Thoma, primus in utraque Theologia triumphum, & lauream merite, dono quodam providentiæ genite, in quo totas vires suas S. Sapientia experiretur. Jam in omnibus, quæ doces, tanta authoritas est, ut dissentire pudeat. Tum interim omnia tua fluuntillaborata, & illa, qua nihil pulchrius auditu est, perspicax oratio, præsefert tamen felicissimam facilitatem adeò, quod apud posteros id consecutus es, ut jam non hominis, sed Theologiæ, non cujuscumque, sed Angelicæ nomen habearis. Hunc ergo, mi Lector, spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum. Ille se profeciße sciat, cui Thomas valdè placebit.

Sapienter igitur admodum duxisse videtur Magnus 11
ille Gregorius *lib.5.* moralis expositionis in Job *c.22.* Sanctos viros, qui non corpore, sed virtute sopiuntur, laboriosiùs dormire quàm vigilare. Quoniam ab hujusmodi inquieta concupiscentia penitus subtrahuntur, ac dum terrenarum actionum strepitum deserunt per quietis studium, eorum mens virtutibus intenta, vigilans dormit. Significavit verè S. Doctor, quid esset per se ecstasis, nimirùm dormitio quædam vigilans, seu vigilia dormiens, qua videlicet anima à sensibus abstracta, divinaque sentiens, & dormire videatur mundo, & vigilare Deo, rapta videlicet ad amandum, vel ad auscultandum. Priùs illud expressit ad literam Sponsa *Cantic. 5. v. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vera planè amoris ecstasis, in qua mens ita dulciter quiescit, ut dormire, ita certò, ac prudenter divina agitat, ut planè vigilare videatur. Ita & sensus in amoris excessu noctem quietissimam, & mens diem agit serenissimum.

Causa autem hujus prioris excessus amor ipse est; 12
quia quo ex divina gratia major est erga Deum amor, eò magis alienat animam ab omnibus, quæ non sunt ipse Deus, fitque Deo ipsi præsentior, quàm sibi. Neque enim, ait Bernardus *de præcept. & dispens.* præsentior spiritus noster est, ubi animat, quàm ubi amat; nisi fortè putetur esse magis ubi invitus, ac necessitate tenetur, quàm quò spontè, & alacri fertur voluntate. Denique ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Item, si Deum amans anima, ex ipso vivit, uti corpus ex ipsa, quo pacto, quæso, præsentior esse censetur ubi dat, quàm ubi accipit vitam? Fons siquidem vitæ charitas est, nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire verò quomodo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui charitas est, qui Deus est? Præsens igitur est, qui Deum amat, in quantum amat; in quo enim minus amat, absens profectò est. Ita Bernardus, sentiens videlicet amorem perfectissimum perfectissimam ecstasim facere, eò magis alienando à sensibus, quò divinis magis unit. Cui rectè concinit Bonaventura *tom.2. opuscul. tract. de gradib. contempl.* cùm ait: *Ecstasis est, deserto exteriori homine sui ipsius supra se voluptuosa quædam elevatio ad superintellectualem*

ctualem divini amoris fontem. Ita Bonaventura intelligit animam tunc perfectissima raptam ecstasi, cùm ipsi omnium rerum fonti Deo adest, indicio planè manifesto, quod omnium mundanarum rerum transilierit rivos.

13 Sed enim modo supernaturali rapitur anima ad divinas revelationes, quod in Prophetis usu venit. Idcircò Ezechiel. *cap. 3. vers. 3.* raptum se memorat in cincinno capitis ad incipiendas visiones magnas. *Et emisſa*, inquit, *similitudo manus apprehendit me in cinno capitis mei, & elevavit, me spiritus inter terram, & cœlum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Cùm Prophetа esset tunc in captivitate Babylonica, corpore non est translatus in Ierusalem, sed solo spiritu, quasi uno cincinno capitis, ad significandum perfectam intensionem Spiritus in unum Deum. Juxta literam non unus capillus, sed pars capillorum comprehensa significatur. Pars comprehenditur capillorum, quia, totius comprehensionem capitis humana natura non sustinet. Ita Hieronymus planè significans in qualibet contemplatione quantumvis perfecta, & in qualibet ecstasi partem aliquam cognitionum rapi, ac sopiri posse, omnes omninò non posse. Semper enim mens, quantumvis rapta, pedissequas habet saltem cogitationes phantasiæ.

14 His consentaneus est commentarius eorum verborum traditus à D. Gregorio Magno *lib. 31. moral. cap. 7. Quid est*, inquit, *cincinnus capitis, nisi collecta cogitationes mentis, ut non sparsæ diffluant, sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, & Propheta per cinnum capitis elevatur, quia cùm nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna seorsum nos ab infimis trahit.* Declarat Gregorius optimè quomodo anima elevanda colligat, rapiatque secum partem illam cogitationum internarum, quas habet annexas à natura; alteram autem partem externorum sensuum opus est omninò in perfecta ecstasi destitui, & feriari. Loquimur enim de communi lege; nam ex privigio Dei poterit mens per species de se infusas sic elevari, ut sola ipsa operetur nihil interim cooperante sensitiva parte. Verùm hoc, excepto uno Christo Domino, nulli alii à Deo datum certè constat, licèt probabilius sit, Deiparam Virginem eo privilegio gavisam etiam permanenter, quin & Joannem Baptistam, & Beatum Paulum eodem donatos aliquando credi par est. de cæteris sive Prophetis, sive Apostolis, sive aliis quibusvis id affirmari cum fundamento non potest.

15 Non oportet plures Prophetarum locos percurrere. Unus Ezechiel esse potest hac in re speculum cæterorum; omnes enim similiter aliquam in se patiuntur ecstasim, cùm assumuntur ad divinas revelationes. Undè illa definitio ecstasis apud Augustinum *in quæst. ad Simplic. quæst. 1.* est alienatio à sensibus corporis, ut Spiritus hominis divino Spiritu assumptus, capiendis, atque intuendis imaginibus vacet. Quòd non eodem modo contingit, ut ibi ostendit Augustinus. *Spiritus enim*, ait, *ubi vult spirat. Et in scriptura dicitur sæpè. Insiluit in eum spiritus Domini, quod tanquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus, & Spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus. Attingit enim ubique propter suam munditiam.* Afficit ergo omnes non eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorumdem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines. Alios per fructum mentis ad intelligentiam. Alios utraque inspiratione. Alios etiam nescientes per informationem Spiritus duobus modis, aut per somnium sicut non solùm plerique Sancti, sed & Pharao, & Nabuchodonosor. Uterque enim vidit, quod intelligere non valebat, sed tamen uterque videre poterat, aut per demonstrationem in ecstasi, sicut Danieli demonstratum est, quod non intelligebat, & Petro illud vas submissum de Cœlo quatuor linteis. Nam & ipse quid illa demonstratio figuraret, postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo, cùm hæc ipsa, quæ demonstrantur imaginibus quid significent, & quo pertineant, revelantur, quæ certior prophetia est; nam magis ipsam vocat Apostolus prophetiam. Ita Joseph meruit intelligere, quod Pharao nonnisi videre, & Daniel exponit Regi, quod ille cernit, & nescit. Nescientes autem afficit prophetiæ Spiritus, sicut Caiphas cùm esset Pontifex prophetavit de Domino, nesciens quid diceret. Hæc ex Augustino.

Quibus concinunt quæ idem Augustinus affert exi6 *lib. de Genes. ad litter.* eam esse minus prophetiam, quæ solas videt imagines rerum, eum magis Prophetam, qui easdem, etsi non videt interpretatur, eum maximè Prophetam, qui & videt, & interpretatur. Quare juxta Augustinum, & Pharao, qui solùm vidit vaccas, & spicas, Propheta fuit, sed minus Propheta. Joseph interpretans, magis Propheta. Daniel videns & interpretans, maximè Propheta.

Ex quibus efficitur id, omnes Prophetas secundùm17 Augustinum genere ipso communi ecstases subire, raptusque divino plus minusve juxta gradum prophetiæ, ad quem assumuntur; omnes enim divinus spiritus, quatenus vult, agit. Ita Caiphas impius, ut prophetaret Dominum Iesum moriturum pro populo, assumptus à Spiritu Sancto est, non quod dignus esset, ut per eum loqueretur; sed quod Pontifex anni illius esset. Itaque non ejus meritis sed sacerdotali officio datum est, ut prophetaret. Undè à Chrysostomo egregiè dictum ad illa verba: *A semetipso non dixit, vide*, inquit, *quanta Spiritus potentia à mala mente verba prophetica, & admirationis plena elicere potuit.* Quatenus ergo, ait Maldonatus, alienatus est à populo, ac humano Spiritu, ut illa loqueretur, eatenus excessum propheticum habuit. Idem de similibus asserendum, Pharaone scilicet, Nabuchodonosor, Balaam, & aliis censent Patres. Quantò id verò magis de consummatis, perfectisque Prophetis quorum mentes rapiebantur per actus, ac species supernaturales, aut supernaturaliter quasi motas? De quo est illud ab Augustino dictum 12. *de Genes. ad liter. cap 26. Cùm rapitur*, inquit, *anima* ad ea visa, quæ spiritu cernuntur, similia corporalibus, omninò à sensibus corporis avertitur ampliùs, quàm in somno solet, sed minus quàm in morte. Quia videlicet in somno communi avertitur quidem anima à sensibus externis, sed non ita potenter, ut applicato sensibili forti non illicò advertat. At in ecstasi ita sopitur altè, ut vel applicato vehementissimo objecto sentire non soleat. Præterea in morte abstrahitur anima ab internis pariter, externisque sensibus, in ecstasi solùm ab externis.

Progreditur autem Augustinus. In ecstasi videntur18 futura, ita ut omninò futura noscantur, quorum imagines præsentes videntur, sive per ipsam hominis mentem divinitus adiutam, sive aliquo inter ipsa visa exponente, sicut in Apocalypsi Joannis, magna revelatio est, ut etiam is, qui videt, ignoret à corpore exierit, an sit in corpore, videlicèt est ejusmodi ecstasis quædam veluti mors, qualem in ecstasi Petri *Act. 10. vers. 10.* agnoscit D. Chrysostomus ad illa verba: *Irruit, super eum mentis excessus. Quid est*, inquit, *ecstasis? Spiritualis nimirùm contemplatio facta est in illo, quasi diceret quis; anima excesserit è corpore.* Et D. Bernardus de illa sponsæ quietæ Cant. 52. *vers. 7. Ego*, inquit, *non absurdè sponsæ ecstasim vocaverim mortem, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiet laqueis, ut possit dicere. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur, si tamen eo usque à mente secedat, & avolet, ut & hunc communem transcendat*

cendat usum, & consuetudinem cogitandi. Etenim frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, ubi nec visa sentitur? Excedente quippe anima, & si non vita, certè vitæ sensu, necesse est etiam, ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis? Hæc Bernardus. Ex quibus perfecta ecstasis ratio non potuit melius, quàm per similitudinem mortis explicari.

19 Addit ultimò Augustinus eventum illum, in quo per Angelos administratur ecstasis, & circa modum dubitabundus hæret. Sic enim *cap.* 30. sicut in ista luce corporea est cœlum, quod super terram suspicimus, undè luminaria clarent, & sydera, quæ corpora longè sunt meliora terrestribus; sic in genere spirituali, in quo videntur corporum similitudines luce quadam incorporali, ac sua, sunt quædam excellentia, & meritò divina, quæ demonstrant Angeli miris modis. Verùm visa sua facili quadam, & præpotenti conjunctione, vel commistione, etiam nostra esse facientes, ac scientes, nescio quomodò nostram in spiritu nostro informare visionem, difficilis perceptu, & difficilior dictu res est. Sic Augustinus. Modum verò, quo sciunt Angeli nostras informare visiones, explicat D. Thomas 1. *par. quæst.* 111. *art.* 3. *in corpor.* videlicèt movendo spiritus sensitivos, in quibus conservantur species sensibilium objectorum. Nam sicut, inquit, per naturalem commotionem humorum, aut etiam voluntatem hominis, qui voluntariè imaginatur, quod priùs senserat, ita hoc potest fieri virtute Angeli boni, imò & mali, quandoque quidem cum alienatione à corporis sensibus, quandoque quidem absque tali alienatione. Ex quibus patet, posse quoque Angelos efficere in nobis aliqualem ecstasim.

20 Quod verò ad raptum cùm duplex sit, corporis unus, mentis alter, ut primus, qui propriè dicitur raptus, nihil est aliud, quàm translatio personæ de loco in locum, cujus plura sunt in Scriptura exempla *Genes.* 5. ubi de Henoch dicitur: *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit, idem rapuit illum Deus Act.* 8 quod Spiritus Domini rapuit Philippum; ita secundus metaphoricè tantùm talis, est translatio animæ non quidem à corpore, sed ab operationibus corporeis, ac sensibilibus. Quæ translatio, vel excessus, vel abstractio, aut alienatio; isti enim termini ac similes in præsenti coincidunt, iisque Doctores indifferenter utuntur ad explicandum naturam raptus, sicut pro diversitate causarum sunt diversa, & ita raptus in illis consistens, ideòque pro diversitate ejusmodi causarum potest in bonam vel malam accipi partem dividiturque in naturalem, dæmoniacum, & divinum, ut explicat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 75. *art.* 1.

21 Notandum autem est, raptum, & ecstasim substantialiter eadem esse, distinguitque tantùm penes diversum excessus modum, quatenus ecstasis, ut ait D. Thomas ea *quæst.* 175. *art.* 2. *ad d.* 1. importat simpliciter excessum à seipso secundùm quem scilicèt aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed raptus super hoc addit violentiam quandam. Undè quod de unius, de alterius quoque causis, effectibus, aliisque circumstantiis eadem proportione plus, vel minùs violenti excessus dicendum est, nec non etiam definienda sunt.

22 Sic igitur cùm ex D. Augustino *lib.* 2. *ad Simplic. quæst.* 1. *& in Psalm.* 67. ecstasis sit mentis alienatio à sensibus corporis, ut spiritu, quod demonstrandum est, demonstretur, ita raptus mistycus, est etiam mentis excessus, vel alienatio ab iisdem sensibus, non qualiscumque, seu qua mens suaviter ad secessum tendit, & intra se colligitur, sed qua per violentiam majorem à sensibilibus, sensuumque officiis avellitur, & ad divinorum inspectionem, amoremque sublevatur celerrimè, ac potentissimè, sicut si homo, qui per gradus scalæ cœpisset in altissimam turrim conscendere, subitò per aera raperetur, & celeriùs quàm si volaret in summitate turris collocaretur. Hac autem proportione tam ad ecstasim, quàm ad raptum mysticum vel supernaturalem requiri alienationem, aut cessationem ab actibus potentiarum inferiorum conveniunt omnes Theologi, nihilque aliud per ecstasim, & raptum mysticum intelligunt. Cùm enim sensus pro præsenti statu impediant mentem, ne divina percipiat, seu ex hoc, quod anima sit virtutis finitæ quantò intensiùs, & efficaciùs actui unius potentiæ attendit, tantò magis in actibus aliarum remittitur, inde est, quod Deus, ut occulta sapientiæ suæ manifestet homini, & mirabilia sua in eo operetur, interdum abstrahat ejus sensus à suis actibus, vel officiis.

Hinc, ut diximus in ecstasi, ita etiam in raptu, 23
quamvis cessent potentiæ sensitivæ à suis officiis, secus tamen vegetativæ, ut proindè concludat D. Thomas *loco citato art.* 4. *ad* 3. *& de verit. quæst.* 13. *art.* 4. per hæc verba. Et sic patet, quod ad videndum Deum per essentiam nullo modo requiritur abstractio ab actibus animæ vegetabilis, nec aliqua eorum debilitatio, sed solùm ab actibus sensitivarum potentiarum. Itaque si ad ipsam claram Dei visionem, qualem per modum transitus habuisse D. Paulum in suo raptu existimat D. Thomas locis citatis, necessaria non fuit abstractio ab actibus animæ vegetabilis, multòque minus separatio animæ à corpore, ut ibidem docet. Neque etiam talis abstractio, & separatio requitur in quocumque alio raptu, vel ecstasi supernaturali ad quamlibet aliam cognitionem infusam, sed tantùm ne ad phantasmata, & ad objecta sensibilia anima convertatur, ut possit ad divina elevari, quæ omnia phantasmata, omnemque speciem intelligibilem creatam excedunt. Undè quod aliqui Philosophi ecstasim fieri putarunt, anima è corpore reipsa separata & ad ipsum post raptum redeunte, rejiciendum est, ut dicam inferiùs.

An verò contigerit aliquando animam supernatura- 24
liter, seu per divinam potentiam in altiori, ac vehementiori raptu à corpore abiisse, firmavit nonnulli, talemque fuisse raptum D. Pauli 2. *Corinth* 12. & D. Catharina Senensis *epist.* 12. ad P. Raymundum pro certo asserit animam suam aliquando è corpore discessisse, ac bona immortalia degustasse. Verùm alii id negant; etsi enim dubium non sit, quin animæ à corpore separatio ad tempus fieri possit, non viribus naturæ, sed divinæ virtutis omnipotentia, utrùm tamen aliquando acciderit, omninò incertum est. Nam ipse Apostolus raptus ad tertium cœlum se nescire professus est, an in corpore, vel extra corpus id contigerit. Quod autem tantus vir ignoravit, nostrum non est definire. *Quis enim*, inquit Augustinus *lib.* 12. *de Genes. ad littera cap.* 1. de Pauli raptu agens, *audeat dicere se scire, quod se nescire Apostolus dixit?* Eandem profitetur ignorantiam S. Theresia, raptus effectus describens *in castro anim mans.* 5. 6. *cap.* 5 an in corpore, vel extra corpus hæc gerantur, dicere nequeo. Certè jurejurando asseverare non ausim animam in corpore tunc esse, uti nec corpus intereà sine anima vivere. Undè, quod ait S. Catharina Senensis, debet intelligi mysticè, ac figuratè seu sensus ejus est, animam quoad functionum sensitivarum orbitatem corpus deseruisse.

Quod autem attinet ad raptus, & ecstasis divisio- 25
nem triplex assignari potest. Imaginaria, intellectualis, & superintellectualis, juxta triplicem, quæ fit in illis, abstractionem scilicet ab actibus sensuum externorum, ab actibus sensuum internorum, sive imaginationis, & à modo intelligendi per species intelligibiles creatas. Sic igitur raptus, vel ecstasis imaginaria est, quando Deo in imaginatione operante per luminis proportionati,

tionati, necnon specierum infusionem, indeque intellectum phantasmata adhuc speculantem rapiente ad se cognoscendum; interim silent sensus exteriores duntaxat, seu cessant à suis operationibus.

26 Raptus, vel ecstasis intellectualis est, quando eodem Deo intellectu operante per luminis superioris infusionem, necnon specierum purè intellectualium ita rapitur anima ad cognoscendum, & amandum ipsum, ut nedum cessent operationes sensuum externorum, verùm etiam internorum, seu phantasiæ, & imaginationis, tunc intellectu non intelligente per conversionem ad phantasmata juxta suum modum operandi connaturalem, sed sine illa.

27 Raptus denique, vel ecstasis supernaturalis est, quando intellectus intelligit quidem, sed cùm abstractione non solùm à sensibus externis, non solùm ab imaginatione, seu à modo connaturali intelligendi per conversionem ad phantasmata, sed insuper à modo intelligendi per species creatas. Quod contingit quando in raptu clarè videtur Deus, sicut in suo vidit illum Paulus. Aliterque fieri non potest, ut rectè docet D. Thomas 2. 2. q. 175. *ar.* 4. de quo etiam infra.

28 Circa verò subjectum raptus aut, ecstasis, sive utrum magis pertineat ad vim cognoscitivam, quàm ad vim appetitivam, sic discurrit D. Thomas loco allegato *ar.* 2. scilicet, quod de raptu dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum ad id, in quod aliquis rapitur. Et sic propriè loquendo raptus non potest pertinere ad vim appetitivam, sed solùm ad cognoscitivam. Dictum est enim, quod raptus est præter propriam inclinationem ejus, quod rapitur. Ipse autem motus appetitivæ virtutis est quædam inclinatio ad bonum appetibile; undè propriè loquendo ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se movetur. Alio modo potest considerari raptus quantum ad suam causam. Et sic potest habere causam ex parte appetitivæ virtutis; hoc enim ipso, quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur potest contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Habet etiam effectum in appetitiva virtute, cùm scilicet aliquis delectatur in iis, ad quæ rapitur. Undè & Apostolus se dixit raptum non solùm ad tertium cœlum, quod pertinet ad contemplationem intellectus, sed etiam in Paradisum, quod pertinet ad affectum.

29 Ex qua D. Thomæ doctrina habetur, ecstasim, seu raptum mysticum esse formaliter in virtute cognoscitiva, sive in facultate, quæ cognitioni deservit. Siquidem ex intenta unius meditatione abstrahitur intellectus ab aliis, sive revelationis vehementia extra se rapitur. Et tunc raptus dicitur effici à luce, quando nimirùm fulgor lucis divinæ cœlitus emissus, ita animam illustrat, & irradiat, ut sensuum functiones deserat, quò magis divinorum contemplationi vacet. Quocirca ad illud *Psalm.* 115. *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax*, Glossa ex Augustino ait, dicitur hic ecstasis, cùm mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis sursum adsumitur. *Sed revelatio*, inquit D. Thomas citans eundem locum *ar.* 2. *in argum. Sed contra, pertinet ad vim intellectivam. Ergo ecstasis, sive raptus.* Causaliter autem spectare potest ad vim appetitivam, sive, ut ait idem D. Thomas, potest habere causam ex parte appetitivæ virtutis. Ex hoc enim ipso, quod appetius ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus alienetur, & ut ait *ad* 2. quod mens ad quædam intelligibilia rapiatur alienata à sensibus, vel quod rapiatur ad aliquam imaginariam visionem, seu phantasticam apparitionem. Tandem ita causaliter est à virtute appetitiva, ut rursus in ea sit effectivè, cùm scilicet aliquis delectatur in iis, ad quæ rapitur.

30 Loquendo autem de duratione raptus, aut ecstasis mysticæ, seu divinæ, certum est, eam neque in suo principio, neque in sua continuatione pendere à voluntate illam patientis, sed solùm Deum esse utriusque causam efficientem principalem. Nam hujusmodi raptus, vel ecstasis non est quæcumque abstractio, sed talis à sensibus externis, ubi est imaginaria tantùm, & ab internis, ubi est merè intellectualis, & sine conversione ad phantasmata, ut in illa intellectus novo quodam modo illuminetur, ac sublevetur, simulque voluntas inflammetur. Qui effectus cùm sint supernaturales, non potest raptus, vel ecstasis mystica illos includens, non pendere tam in principio, quàm in continuatione à Deo, tanquàm à causa principali efficienti, non solùm universali, verùm etiam particulari, aut speciali.

Negari tamen non potest, quin etiam ad hujusmodi raptus, vel ecstases se aliqui disponere, ac præparare possint, licèt ut plurimum absque ulla præparatione fiant, ut gratuitum Dei donum agnoscatur. At quia in hoc dispositionum, vel præparationum genere dari potest desiderium voluntatis hoc actu contentum, volo cum tanta vehementia, & animi intentione Deum contemplari, & amare, ut nihil aliud cogitare, vel sentire valeam. Quod perindè est, ac si diceretur: Volo in ecstasim rapi, tale desiderium non solùm vanum, ac præsumptuosum est, sed etiam impossibile quoad executionem, sive ut sequatur effectus. Quia non ita subjicitur attentio animæ applicationi voluntatis, ut sua possit efficacitate totam illam colligere ad unum actum unius potentiæ, vel facultatis, & à cæteris ita illam abstrahere, ut moveri non possit, quamvis objecta proponantur sufficienter ad movendum illam, sicut in raptu, aut ecstasi contingit. Quocirca desiderium excessuum, raptuum, & revelationum cohibendum est personis spiritualibus, maximè in eo, quod ipsius commune esse potest cum iniquis, & peccatoribus, tantumque admitti potest, & adhuc veluti conditionatè, in eo, quo meliores Deoque gratiores effici possunt.

Quod autem docent aliqui omnem raptum, vel ecstasim divinam debere esse successivam, sine fundamento asseritur, minimèque probandum est. Deum enim momento animam ad se elevare posse, & in ecstasim rapere nulla prorsus est repugnantia, ut satis per se patet. Posteà tamen sæpè continuari solere raptum, & ita successionem in duratione habere, dubitandum non est. 31

Antequam verò clementissimus Deus mystico tactu ad supremam unionem animam rapiat multiplici raptu non ita excelso ad unionem multiplicem solet illam efferre. Quapropter ut ad præmonstratum Spiritus divini tactum veneratione dignum ascendamus, & illius sublimitatem quadantenus contemplari possimus, raptus alios inferiores recensere, ac explorare opportunum existimamus. 32

Et primum quidem statuendum est, interni hujus cum Deo commercii partes ita esse mutuo consertas, ut in uniuscujuslibet habenda doctrina necesse sit, omnium ferè aliarum doctrinam admiscere. Cùm enim Deus ad se rapit animam, ad eum certè finem illam trahit, ut arcana unione illi societur. Ex unione verò divina voluptas exoritur, & castissimo sensu percipitur, ac denique in ea Dei consuetudine, occulta divinæ sapientiæ contemplanti animæ revelantur. 33

Cùm autem raptus violentiam significet, ut dictum est, nequit in voluntate consistere, cui vis nequit inferri. Nam cùm ipsa sit quædam propensio ad bonum, quò fortius in id vocatur, aut trahitur, eo propensio fit major, & à violentia remotior, tametsi intensa propensio causa frequens raptuum esse soleat. Ex vehementi quippè affectu fit, ut homo ab aliis omnibus alienetur, voluntate vires alias seu potentias cognitioni servientes, in quibus raptus celebratur, in id, quod affectat, impellente. Nec verò vires illæ vim pati dicuntur, quia trahuntur in Deum. Ex hoc enim capite non eis infertur vis, cùm finis earum Deus sit, 34

quem

quem expetunt, sed quia celeriùs, seu velociùs impelluntur, quàm ordo naturæ ferat, cujus est per sensibilia sensim ad Deum assurgere. Atque ideò violentia in modo inest tantùm, in modo scilicet rapido, ac violenti quemadmodum cùm lapis in terram projicitur illato violentur impulsu. Non enim infertur vis lapidi quia projicitur in terram, quam expetit, & in qua una requiescit, sed quia projicitur violentiori motu, quàm natura reposcat. Raptui igitur violentia inest in ea abstractione, sive alienatione rapida à sensibus, non verò in eo, ut ad Deum anima feratur. Quin etiam illi vis irrogatur, si divertatur à Deo, sicut & lapidi, si à centro depellatur. Ex quo efficitur, ut anima, quandiù ad Deum mente non aspirat, vim pati dicatur.

36 Ecstasis verò non significat violentiam, sed simplicem excessum animæ à seipsa, ac ob id ipsa etiam voluntas ecstasim pati dicitur. Ubi animadvertendum est, hunc excessum tam voluntatis, quàm appetitus sensitivi causam esse raptus utriusque potentiæ cognoscentis. Vel quia mens ad intelligibilia rapitur à sensibus alienata, vel aliquam imaginariam visionem arrepta, ut dictum est.

37 Primus certè raptus, si perfectionis ordinem, nimirùm à minus perfectis ad perfectiores expendamus, est internorum sensuum super externos, quando ex desiderio fervido rei imaginatione repræsentatæ, externi sensus introvertuntur, ac propriis actibus defunguntur, Deo animam commovente. Quod in hunc modum fieri dicitur. Gratia divina instar rivuli influit in vires sensitivas, movens, ac stimulans animam, ut se in Deum erigat ad ineundam cum eo amatoriam unionem. Quam certè excitationem corde, ac præsertim vi concupiscibili percipit, qua refici solet interdum, postquam multa industria cor in Deum erigere studuit, accurrente suavissimo Domino, & festo cordi blandiente adeò, ut mira illud voluptate permulceat, & supremo lumine illustret. Quod planè cœleste donum mox ut homo adipiscitur, imperiosè despicit, quæ antea cupiebat, & amore Dei amplectitur, quæ prius oderat. Gradus autem hic non usque adeò defæcatus est, quin voluntas hæreat voluptati, ex quo labes contrahitur, quæ puro reluctatur amori. Pervenire tamen valet ad unionem virium inferiorum, ubi divina blandimenta percipiuntur, prout assertum est.

38 Huic autem descripto raptui congruit quidam orationis gradus, qui juxta S. Theresiam est receptus, vel collectio sensuum ad interiora, ubi anima cum præsente Deo agens defungitur sensibus. Quem certè gradum censet, non esse usque adeò excelsum. Licèt enim supernaturale quiddam ibi recipiatur, admiscetur tamen quidam conatus animæ ante doni receptionem satagentis, & potentias inter seipsas ope divina includentis, quem, postmodum perficit Dominus, qui est in opportunitatibus adiutor, & in eo animæ labore ab aliis orationis gradibus illo non adeò indigentibus secernitur.

39 Ac proindè gaudium quod inde generatur, quasi torculo laboris expressum, à gestu, qui in aliis percipitur gradibus, tanquam cœlitus immissus longè sejungitur. Quapropter subtili discrimine hujus gradus voluptates, non gustus, qui juxta illam spontè fluunt, sed gaudia, quæ sedulitatis etiam nostræ opera parantur, & velut exprimuntur, S. Theresia, nuncupavit, & mentis elevationem ubi ejusmodi gaudia proveniunt, receptus, vel collectionis orationem appellavit. In hac perspicaciter notat, non omninò opus intellectus deficere, tametsi cesset discursus, qui si fortè interim eruperit, enitendum est, ut suaviter, sine illata scilicet vi intercidatur. Sed nec intellectus, neque cogitatio suspendi debent ita scilicet, ut nihil mens agens otio torpeat, velut instillandam à Deo contemplationem expectans. Hoc enim suspensionis genus & vanum semper ac stultum est. Vanum quidem, quia non assequitur finem, sed operam perdit, qua se anima poterat exercere. Stultum verò, quia dementia est, suspensionem, quam solus Deus, cùm ei placet, immittere potest, arte nostra moliri.

Raptus deinde potest appellari quædam exuberan- 40
tia, & quasi ebrietas spiritualis, quando videlicet repentè cor, & omnes vires sensitivæ tanto voluptatis torrente perfunduntur, illabente Deo, ut se continere nequeant & motibus, ac gestibus insolitis ingentem ejus voluptatis vim prodere quasi cogantur. Cor quippè in unione, quam ibi cum Deo init, tam acri stimulo divini amoris, ac desiderio divino fruitionis inflammatur, & apertis poris, velut ad capiendum Deum, adeò distenditur, ut pectus ei nimis arctum videatur, ex quo amoris flamma, quæ ibi voluptate, tanquam oleo nutritur, & invalescit, foras violenter erumpuntur. Quod olim Apostolis die Pentecostes accidisse videtur, cùm plebs musto madere putabat, quos Spiritus repleverat.

Signa verò supernæ hujus ebrietatis sunt cantica ju- 41
bilus qui est ipsa eruptio ebrietatis, gemitus, soni informes, quales edebat frater Massæus è familia S. Francisci, qui hac ebrietate correptus, nihil nisi VVV personabat; quo certè sono ingentem divinæ voluptatis vim prodebat. Contingunt etiam tremores membrorum, saltus, plausus, impulsus vehementes, & cursus, qualis contigit fratri Bernardo, primo S. Francisci filio, qui solebat interdum à Spiritu actus per montes cursitare.

Vocatur autem hæc affectio ebrietas per metapho- 42
ram. Sicut enim in ebrietate vinum haustum digeri nequit, ac evomitur, ita spiritualis voluptas intus concepta, & effervescens, cùm ei modus addi nequit, ardenter efflatur. Est autem singulare Dei donum, & recenter in Deum conversis quandoque solet indulgeri.

Dictum verò est posse raptum appellari; quia licèt 43
non prorsus mens à sensibus alienetur, quod in raptu necessarium esse aliquis censere posset, nonnulla tamen alienatio videtur accedere, & ipse sensuum usus non tam videtur proprius, quàm alienus, divini scilicet Spiritus, qui membra suis motibus impellit.

Verùm, tametsi ebrietas hæc præ magnitudine læti- 44
tiæ quietem ferre nequeat, altera etiam ebrietas menti in contemplatione solet accidere, quæ præ dulcedinis magnitudine quietem conciliat, quam S. Theresia orationem quietis appellasse videtur. Ait quippè omnes in ea potentias requiescere, animamque miro quodam modo intelligere Deum jam sibi propinquum, & quasi contiguum esse ita, ut levi conatu ad unionem divinam pertingere possit. Similem, inquit, esse statū eum exteriori, interiorique virium omnium deliquio, ubi corpus loco se movere nollet. Nec mirum, quia eximia voluptate corpus & satietate anima ita reficitur, ut ad progressum virtutum vires duplo augeantur.

Potentias verò, ait non adeò extra se abductas, ut 45
animadvertere nequeant, apud quem versentur. Voluntas, inquit, captiva, aliæ verò duæ liberæ manent. At intellectus unum duntaxat intelligere, & memoria nonnisi unum meminisse vellet. Nollet anima, ut corpus tantillum moveretur, verita illius quietis interpellationem eventuram ac ita, ut vel sermo ipse displiceat. Orat cunctanter ita, ut uni orationi dominicæ horam unam impendeat, Deo autem adeò propinqua sibi esse videtur, ut nutibus se ab illo intelligi, seque mutuò illum intelligere animadvertat. Erumpunt interdum lachrymæ suavissimæ, acciditque nonnunquam, ut diem integrum, voluntas Deo sociata, & unita, aliæque duæ potentiæ liberæ, atque solutæ ad communes actus obeundum remaneant, licèt anima non prorsus ea, quæ tunc operatur, consideret, potior enim ejus pars Deo adjuncta persistit.

Adnotat valdè prudenter, non esse opus, ut anima 46
hujusmodi

hujusmodi supernaturali pace fruens anxia sit adeò, ut nec halitum efflare audeat. Metus enim puerilis est, supernaturalisque quies ea anxietate nec augetur, neque imminuitur.

47 Adnotat etiam, animam interdum pacatissima quiete frui, & cogitationem velut amentem vagari. Ubi docet, eam vagationem impunè ferendam, & pro nihilo ducendam. Si enim anima velit anniti ad eam coercendam, incassum angitur & ipsa bonum, quo fruebatur, amittit. Voluntas enim tunc erga Deum se habet ac infantulus, in cujus hos mater è papillis lac instillat, quod ille levi palati, linguæque motu glutit; undè si aliò vertatur fluctus lactis proculdubiò cessat. Gustus quietis hujus in certo inest voluntatis, & universi mundi Principatus non ita cor expleret, quin potius cutaneus esset planè gustus, si cum intima quietis hujus voluptate conferretur.

48 Raptus autem alius in hunc modum animæ solet evenire. Suavissimus Deus videtur cor allicere, trahereque mulcendo ad altiorem quendam, & puriorem, quàm in duobus recensitis raptibus, amoris amplexum in cordis unione jucundissima. Et sicut ibi cognitio subtilior, ita & affectio nobilior viget, quæ non hæret voluptati, sed optat omnia Dei dona præterire, ac in nudis Dei brachiis requiescere. Ubi præ magnitudine voluptatis cor dilatatur, & poris patefactis quasi dehiscit. Et licèt amor boni non sit passio læsionem inferens, ex intensione tamen corpus lædit, & sauciat. Undè cor in expansione illa læsionem patitur, sed non mœstitiam. Est enim dulcissima passio, qua cor affici concupiscit. Adeò tamen læsio hæc solet ingravescere, ut mortem felicissimam inferat. Invalescit enim amoris impetus, & cor præ Dei desiderio adeò angitur, ut passioni succumbat. Quod faustæ mortis genus Beatissima Virgo, ut nonnulli censent, tulisse videtur. Quin & S. Theresia id nacta videtur, quemadmodum ipsa post obitum ostendit. Similis certè obitus ei, quo interiit quidam miles, qui postquam terræ sanctæ loca multa perlustraverat, in locum denique insignem ob Jesu Christi memoriam ascendens, tanto amoris igne conflagravit, & tam subtili cordis læsione sauciatus fuit, ut animam efflaverit.

Clementissimus autem Dominus cùm sic animam
49 amore satagentem conspicatur, crebrò eam revisit, atque ad amatoriam excitat unionem, ad quam sitiens anima, seipsam cupidissimè erigit. Et si quando eam non adipiscitur, existit defectio, sive languor, undè gignitur amoris impatientia, quæ absque alio externo labore totum hominem extenuat, & conficit, nec unquam cogitatio inde divellitur. Erumpunt crebra suspiria, fluuntque lachrymæ, quæ tantillum conferunt, ne sanitas adeò graviter lædatur.

Ut verò hujus languoris sensus percipiatur, quem
50 aliqui pœnis inferni comparare solent, oportet ut amoris effectus cursim recenseamus. Inter primos igitur amoris effectus unus & facilè notissimus ecstasis est. Anima quippè amoris raptu acta extra se, fertur in id, quod amat semper exæstuans Qui amoris excessus, vel exitus ad id, quod affectat, ecstasis appellatur. Cùm verò anima extra se sic agitur, arcani quasi pori dehiscunt, ut per eos dilectum bonum, velut inspirando trahat, & alte recondat. Et hic est alius amoris effectus, qui vocatur liquefactio. Anima deinde sic patens, tota fertur in Deum, illo explenda, & divina illi unione socianda. Quod si pro voto contingat, dum Deus animam invisit, celebratur castissima spirirus creati cum increato conjunctio, qui est alius amoris effectus, & appellatur unio.

Quia verò unio solùm videtur significare contac-
51 tum, mysticumque duorum spirituum amplexum, sequitur inhæsio mutua, qua spiritus alter alterum sibi apprimit, & adstringit, seque illi velut agglutinat: qui amoris effectus mutua inhæsio nuncupatur. Verùm quia & ipsa in hæsio mutua, observata corporum metaphora, cuti duntaxat affigi, nec ad intima penetrare videtur, subsequitur haustus quidam, & quasi potus alterius spiritus, alterum velut poris diductis attrahentis, & ebibentis more spongiæ, recentisve panis aquam sugentis. Et hic effectus vocatur fruitio.

Frases hæ amatoriæ amplectendi, tenendi, adstrin- 52
gendi, aliæque hujusmodi familiares sunt Theologis mysticis, ut patet ex Richar. *lib. 4. de contempl. cap. 15.* & D. Bonaventura *lib. de sept. don. Spiritus sancti*, ubi agit de dono Sapientiæ *cap. 5.* & ex aliis recentioribus, qui de theologia mystica posteà scripserunt, ut ex Gersone *in consid. 2. mystic. Theolog. specul.*

In hunc igitur modum recensuimus omnes amo- 53
ris effectus, qui vigent, dum quod amatur bonum præsens est, præter ecstasim, & liquefactionem, quæ absente etiam bono invalescunt, licèt præsente perficiantur. Perficitur sanè anima amore liquefacta, dum illam Deus præsentissimus explet, & illas velut intercapedines implet. Quæ fiunt dum anima amoris igne rarescit, undè laxatur, & hiat amplius Deum præsentem bibitura. Esuries enim Dei vescendo, sitis bibendo perficitur.

Quapropter, si Deus absit, exardescit intensum il- 54
lius desiderium, qui est alius amoris effectus, & quædam progressio animæ affectuum pedibus incedentis, & ad Deum properantis, qui quidem effectus amoris appellatur fervor. At, si dum sic anima fervet, ac properat, Deum minimè invenit, contabescit, ac tristitia obtenebratur ob illius absentiam, qui est alius amoris effectus qui nuncupatur languor. Gravissima certè passio, quæ non mirùm si corpus interimat, quemadmodum paulò superiùs asseruimus.

Sed & zelus effectus amoris vulgatissimus est, sive 55
absit, sive adsit bonum, vel pulchrum, quod amatur. Et est quædam igniti amoris excandescentia, quæ consortes ferre nequit, à qua Deus ipse, qui cordis nostri consortes sustinere non valet zelotes, vel æmulus appellatur. Zelus autem noster erga Deum adversa via videtur incedere; nam qui zelo Dei flagrat divini cordis consortes universos vellet homines habere. Cujus certè discriminis ea ratio est, quod nullum timeatur alienationis periculum, si Deus omnes amet creaturas, cùm nihil inde unicuique depereat, sed totum quisque Dei cor possideat, ac si solus amaretur. Quod non ita fit in creaturis. Quoniam autem de pulchro mentionem hic fecimus, scire juvat quomodò ad cognitionem pulchritudinis Dei pervenitur. Quod ita exposui in citata disceptatione Italica.

La bellezza del corpo consiste nella composizione 56
di molte parti. Si restringe nel luogo, è labile col tempo. La bellezza dell'amino patisce le vicende del tempo, e contiene moltitudine di parti, ma è franca da' termini del luogo. La bellezza dell' Angiolo hà solamente il numèro, ed è libera dal tempo, e dal luogo. Mà la belezza di Dio niuna di queste cose patisce. La bellezza del corpo già si vede. Vedrassi la bellezza dell' animo, se si toglie alla bellezza del corpo, e alla natura di esso il peso, i termini de' luoghi, e le si lasciano altre cose. Vedrassi ancora la bellezza dell' Angiolo, se non solo se le togliono gli spazii del luogo, ma ancora il progresso del tempo, e se le lascia la moltiplicata composizione. E vedrassi altresì la bellezza di Dio, se le si toglie quella multiplicata composizione di forme, e se lascia una forma affatto semplice, onde vi rimarrà la sola luce. Nè altro è il lume del Sole, che bellezza di tutti corpi, composto di bellezza di forme, di spazio, di luogo, di mutazione temporale. Or tolgasi la di lui sede nella materia in guisa, che del luogo in fuori egli ritenga l'altre due cose, e questa è la bellezza dell'animo. Tolgasi da questo la mutazione del tempo, lascinsi, l'altre cose, rimarrà il lume sèza luogo, chiarissimo senza moto, mà scolpito di ragioni di tutte le cose,

e questo

e questo è l'Angiolo, e la bellezza dell'Angiolo. Tolgasi finalmente quel numero di diverse idee, e lascisi una semplice, e mera luce simigliante alla luce, ch'è nel globo stesso del Sole, e che non si sparge per l'aere, e comprenderassi in un qualche modo la bellezza di Dio, la quale tanto almeno ecce de tutte l'altre bellezze, quãto la stessa luce del Sole in se stessa pura, una, inviolata, supera lo splendore del Sole dissipato, diviso, e oscurato per l'aere nuvoloso. Fonte adunque dogni bellezza è Iddio, al di cui amore con questi gradi si sale. E questa salita dell'huomo a Dio per questi gradi chiamasi deificatione. Imperoche dall'oggetto presente per lo suo mezo il senzo esteriore passa al senso interiore, e questo all'imaginazione, l'imaginazione all'estimazione, l'estimazione alla ragione, la ragione all'intelletto, l'intelletto alla mente, la mente alla luce, che illumina ogn'huomo. Et notisi, che in questi gradi sopra il Bello si dee constituire il Buono. Imperoche applicandosi l'huomo all'azione, e alla contemplazione, quella si referisce al Buono, questa al Bello, la quale si eccita col desiderio del Buono, ed esso Buono è superiore ad esso Bello; impercioche nõ bramerebbe l'huomo di contemplare la cognizione del vero, nella quale stima di avanzare il Bello, se ella non havesse à se congiunta una certa ragione di Buono. E notisi ancora, che Iddio non è bellezza, ma prima origine di sua bellezza è la sua belezza, cioè quella che da lui prima diriva, è la sua somma sapienza, overo intelletto, in modo che quantunque sia questa dirivante da Dio, e dipendente da lui, pur nondimeno è la prima, e vera bellezza divina. Impercioche esso Iddio non è bellezza, ma origine della prima, e vera sua bellezza, ch'è la somma sua Sapienza, e intelletto. La onde, posto che Iddio sapiente, e intelligente precede alla sua somma sapienza, e intelletto, non perciò si dee concedere, che la bellezza sua preceda alla belleza della sua somma Sapienza. Imperoche la sua Sapienza è la sua medesima bellezza, e la precedenza, che ha Iddio alla sua Sapienza, ha alla sua bellezza, ch'è la prima, e vera bellezza, ed egli come autore della Sapienza, non è bellezza, nè Sapienza, ma fonte, onde diriva la prima bellezza, e la somma Sapienza. E la bellezza, che egli ha, è essa somma Sapienza sua, la quale communicata fà bello tutto l'Universo con tutte le di lui parti. E così nel mondo sono tre gradi nella bellezza. L'amore di essa, essa bellezza, il participante di essa, cioè il Bello bellificante, la bellezza e'l bello bellificato. Il Bello bellificante, il Padre della bellezza è Iddio. La bellezza e la somma Sapienza è'l primo intelletto. Il Bello bellificato, figliuolo di essa bellezza è l'Universo prodotto. E questa divina bellezza ha generato in tutte le cose l'amore, cioè il desiderio di se stessa, nella di cui possessione tutte cose truouano la quiete. Imperoche se Iddio tira à se il Mondo, e'l Mondo è tirato, non vi è, se non un continuo ratto che comincia da Dio, passa al Mondo, e finisce in Dio, e quasi cerchio ritorna di nuono al principio. Cerchio, il quale, in quanto comincia da Dio, e alletta, è bellezza; inquanto passa al Mondo, e'l rapisce, è amore; inquanto ritorna al suo Facitore, e gli congiunge la di lui opera, è diletto E così l'amore della bellezza termina nel diletto.

57 Quibus hæc quoque ibi subjungo: l'huomo adunque dee prima haver conoscimento di Dio secondo che da esso si può havere di cosa tanto immensa, e tanto alta. E perche egli non è atto à conoscere intieramente la perfettione di Dio, perciò l'ama, desiderando egli di goderlo con unione di conoscenza più perfetta, che gli sia possibile. E questo tanto amore, e disiderio fà, che s'astragga in sì gran contemplazione, che l'intelletto si sollevi in modo, che illuminato da una singolar grazia divina giunge à conoscer più altamente dell'humano potere, e dell'humana speculazione, e con una tal' unione si congiunge à Dio, che più tosto sembra parte divina, che humana, e allora si sazia il disiderio, e l'amore con molto maggior sodisfazzione di quella, c'haveva nel primo conoscimento, e nel præcedente amore. Onde la felicità non consiste nell'amore, che à tal cognizione succede, ma nell'atto congiuntivo dell'intima, e unita cognizione divina, ch'è la somma perfezzione dell'intelletto creato, e l'ultimo atto, e beato fine.

E perciò la sagra Scrittura, doppo che ci ammonisce, 58
che dobiamo conoscere la perfetta, e la pura unità di Dio, e che dobiamo amarlo più che l'utile della cupidità, più che 'l dilettevole de l'appetito, più che ogn'altra cosa onesta dell'anima, e della volontà ragionevole, dice alla fine: Per tanto congiungetevi à Dio *Ios.23. v.* 8. E in un' altro luogo promettendo l'ultima felicità dice solamente: E ad esso Dio vi congiungerete, *Deuteron.4. v.* 4. 10. *v.* 20. 11. *v.* 22. 14. *v.* 14. senza promettere altra cosa, come vita, eterna gloria, somma dilettazione, allegrezza, luce infinita, e cose simiglianti. Peroche questa congiunzione è la più propria, e precisa parola, onde significar si possa la beatitudine, la quale contiene tutto il bene, e tutta la perfezzione dell'anima intellettiva, come quella, ch'è sua vera felicità.

E ben vero, che in questa vita, non è agevole à 59
conseguire tal beatitudine, e quando si potesse conseguire, non è così facile à continuare in quella sempre. Imperoche mentre l'huomo vive, l'intelletto ha qualche legame con la materia del corpo, e perciò qualcuno, che perviene à tal congiunzione in questa vita, non può continuar sempre in ella ma torna à riconoscer le cose corporee, come prima, eccetto che nel fine della vita essendo l'anima congiunta à Dio, lascia il corpo, e rimane con Dio congiungente in somma felicità, e senza impedimento alcuno gode in eterno della sua felice congiunzione nella maniera, come la godono gli Angioli, e i Beati secondo il grado della sua dignità, e della sua perfezzione. Laonde quando la volontà è così tocca, allora è agitata con modo divino, imperoche da questo tatto par, che se le imprima un certo empito, accioche si porti à Dio, come à suo centro, quale dal tatto della calamita s'imprime al ferro, col quale si gira al polo del Mondo.

Raptus profectò hic ultimus, quem descripsimus, ubi 60
cor tantoperè fauciatur, atque dehiscit, videtur esse quædam proxima ad perfectam unionem dispositio. Ad unionem quippè ineundam hiat anima, quando sic aperitur, & quasi Deum haustura laxatur, & impos voti patitur mala, quæ diximus, compos verò fruitur perfectæ unionis bonis, quæ subiciemus.

Perfecta verò unio est, quando tres intellectuales 61
potentiæ divino amplexu Deo sociantur. Quod, ut planiùs intelligatur, more Theologorum mysticorum præ oculis habenda est sectio animæ in partem infimam, cujus raptus hucusque depinximus, & partem mediam tribus potentiis memoria, intellectu, ac voluntate constantem, & partem supremam, quæ est ipsa èssentia animæ, à qua illę originem ducunt, quam Deus per divinam gratiam ibi repositam inhabitat, & cœlesti dignitate nobilitat.

Postquam ergo infimæ partis raptus percurrimus, 62
ad mediam propinquamus. Et primùm animadvertendum est, hanc partem à Theologis spiritum appellari. Undè, qui ea rectè funguntur, spirituales nuncupantur. Quod sic accipiendum est, ut sint spirituales, si memoria intellectu, ac voluntate juxta divinas regulas utantur. Anima enim ad eum modum tribus eis porentiis utens, Spiritus appellatur. Spiritus verò nomen, essentiam, potentiasque complectitur. Verùm si anima neglectis eis regulis divinis, quibus partes suas omnes moderari deberet, degeneret, nec eas tres potentias comprimat, sed inferiori appetitui

servire

servire cogat, non Spiritus, sed anima duntaxat appellatur, ac si anima belluarum modò nil aliud boni agat, quàm corpus vegetare, atque nutrire. Et qui anima sic abutuntur, animales jure vocantur, qui, ut Apostolus ait, ea, quæ sunt Spiritus Dei minimè percipiunt. At sermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingit usque ad divisionem miram animæ, ac Spiritus. Sæpè enim anima, quæ ante corpori tantùm animando, atque fovendo tota incumbebat, divinorum verborum ense, interfecta, ab ea animali cura divertitur, & divinis rebus vehementer addicitur. Et cùm sic neglecto corpore, & iis, quæ appetitus affectat, in Deum perseverantes aspirat, eò solet attolli, ut unus Spiritus cum Deo fiat ob excelsam, & intimam trium potentiarum unionem, tantò certè iis, quas hujusque descripsimus nobiliorem, quanto Sol stellis est clarior, vel aurum terra, nobilius. Quare de raptu, quo spiritus noster Deo perfectè unitur, tanquam de bono ineffabili Auctores pauca tradidere, & nos propterea parciùs loqui consentaneum erit, cùm nec illorum doctrinam cœlitus infusam, neque cordis puritatem æquemus.

63 Raptus igitur ille sublimis, quo anima ad fœlicissimam unionem effertur, ita ut adhæreat Deo, ac unus spiritus cum eo fiat planè divinus est, ac omnem superat eloquentiam, sed picto, vel rectiùs adumbrato potentiarum bono, ad quod eo raptu evehuntur, ejus nobilitas ex parte dignoscetur.

64 Memoria ergo per influxum divinum, & conversionem ad Deum fit tranquilla, clara, & serena. Tollitur enim supra omnia sensibilia, & imaginaria, quemadmodum si quis ultra nubes elatus, sudum semper cœlum intueretur. Et in eo fœlici statu memoria fit adeò constans, & stabilis, ut nihil ejus serenitatem interturbet; undè fit, ut rerum creatarum vix possit meminisse. Intellectus naturæ divinæ, attributorum, personarum, ac proprietatum divinarum in imaginibus intellectualibus clarissimum acquirit lumen, quo mirificè suspenditur. Sed obstupescit potissimùm ob liberalissimam communicationem divinitatis, seipsam dono suo effundentis; undè ingenua, & sanè grandis fiducia generatur, qua cor erigitur, ut cum Deo familiariter agat. Gignitur etiam lumine divinitùs infuso insignis persuitas ad penitissima Scripturæ sacræ sensa, & divinæ sapientiæ arcana penetranda. Voluntas autem amore ardentissimo flagrat, & quasi consumitur, & amore tranquillo, puro, & more purissimi olei excocto, Deo perfruitur. Viget quippè ibi duplex amor, & fruens scilicet, qui tranquillè Deo hæret, & practicus, quo voluntas, ut Deo arctiùs adhæreat, à Spiritus sancto motibus multis tantoperè excitatur, ut inter utrumque amorem duellum suavissimum geratur, dum practicus urget ad fruendum, & fruens producit impulsum. Quapropter amor hic appellatur superfervidus, quia more olei ebullientis propellit, ac projicit se super se.

65 Unionem hanc satis à nobis leviter adumbratam, sed in se certè ineffabilem S. Theresia orationem unionis appellasse videtur. Tres enim eæ potentiæ uniri debent, nec minor unio satis erit, ut juxta ejus doctrinam oratio unionis nuncupetur, tametsi in aliis orationis gradibus non ita nobiliùs unio ex parte fiat. Et quia oratio quietis, quam descripsimus, ob excelsam contemplationem huic orationi unionis finitima esse videtur, subtili discrimine alteram ab altera secernit. Ait enim in oratione quietis animam tanquam motu palati, ac linguæ, quasi Dei lac exugere, petita videlicet translatione ab externo suctu lactis. At in oratione unionis animam ne motu illo tam levi ad lac sugendum, & glutiendum indigere. Omnia enim ea bona, quibus fruitur, sine conatu suo in se condita fuisse conspicit, & ignorat, quo pacto in ea sic ignara Deus illa bona reposuerit. Qua opportunissima distinctione apertè demonstrat, altiorem esse Dei actionem in animam, cùm in unionis oratione, quàm cùm in quiete illi conjungitur, utpotè cui nihil propemodum humanæ operationis admisceatur. Hoc enim sibi vult, cùm ait, ne motu quidem illo palati ad glutiendum lac indigere.

Sed supremus omnium raptuum is esse videtur quoad 66
essentiam animæ, in quam ineffabili modo per gratiam Deus illabitur. Tres potentiæ divinitùs quàm in proximo raptu jam descripto, affectæ convocantur, & reflectuntur, ut intellectus agnoscat, voluntasque tangat suavissimum Deum, tanquam verum Salomonem in eburneo solio residentem, & cùm desponsa sibi anima pacis constantissimæ fœdera pangentem.

Fit autem hic raptus, quemadmodum qui feliciter ex- 67
perti creduntur, tradidere, Deo animam tangente, & efficacissimo tractu ad se arripiente. Quem profecto tractum mox ut anima recipit, vires omnes inferiores introrsum impelluntur, & sensus ab operatione desistunt. Intellectuales verò potentiæ in sua nobilissima operatione collocantur. Memoria ditatur influxu cœlesti. Intellectus claresci sublimibus illustrationibus. Voluntas liquatur ardentissimis desideriis. Quin & anima tam divina vi stabilitur eo Dei tractu, ut voluptates divinas sine defectione valeat sustinere.

Verùm altiùs evehitur anima tactu illo. Nam, post- 68
quam manum porrigente Deo, & potentias ad perfectissimos actus suos permovente, anima excitata est, tam celeri motu potentiæ superiores actus suos exercent, ut ipsa incitata operatione deficere videantur. Trahuntur enim introrsum in ipsam essentiam animæ, in quam convertuntur, à phantasmate minimè præpeditæ. Nec enim intellectus in eo statu, quo potitur, à phantasmate retardatur, sed omnia corporea prætergressus, reflectitur in essentiam more cœlesti. Cùm verò Deus ibi, tanquam in pacatissima sua statione præsideat, fit quidam sive amplexus, sive contractus animæ cum eo, quo videtur anima liquescere, ac in Deum tota prorsus influere. In illam nempè divinissimam stationem convocatæ potentiæ avidissimè feruntur, & post incitatum cursum silentio miro quiescunt. Gradiuntur pariter intellectus & voluntas, sed intellectus nimio splendore à Deo, qui sedet in essentia emicante, perstringitur, & velut excæcatur, ac pro foribus illius thalami subsistit. Apex tamen affectus, vel summitas voluntatis amoris impetum prosequi cupiens, progreditur, & arctissimè Deò sociatur, ac denique quiescit; illucusque enim invitata operatio procurrerat. Est satis aperta similitudo cùm quis in mortis agone incitatis motibus trahit halitum, donec halitu postremo animam efflat. Sic quippè post multos motus anagogicos in Dei ibi existentis amplexu anima videtur quasi mori, ut in Deum transformata fœliciùs vivat. Quod ita expressi in citata disceptatione Italica.

Et per certo essendo l'amore una morte voluntaria, 69
come morte è amara, come voluntaria è dolce. E muore chiunque ama. Imperoche il suo pensiero, dimenticando egli se stesso, è sempre nell'oggetto amato. E se non pensa di se stesso, non pensa in se stesso, e perciò nè in se stessa opera l'anima, essendo la principale operazione dell'anima, il pensiero. E chi in se non opera, nè meno è in se stesso. Imperoche queste due cose vanno del pari, l'essere, e l'operare. L'essere non è senza operazione, nè l'operazione senza essere. Nè opera alcuno, dove non è, mà opera ov' egli è. Adunque non è in se l'anima dell' amante, perche non opera in se stessa. E se non è in se stessa, nè meno vive in se stessa. Chi non vive, è morto, e perciò muore chiunque ama. Mà dove egli vive? Egli vive dove ardentissimamente desidera di vivere, cioè à dire nell' amato, che corrisponde nell' amore. Imperciochè qualunque volta con iscambievole benivoglienza l'uno ama l'altro, e l'altro l'uno, questi vive in quello, e quegli in questo.

Questi possiede se stesso, mà in quello. Quegli possiede se medesimo, mà in questo. E così amando l'anima Dio, ama se stessa amante, e in esso, che ama, e pensa dell' anima, essa anima si ritruova, e se muore in se, vive, e si trasforma in Dio. Quindi l'amor divino è estatico, imperoche non lascia esser suoi coloro, che sono amanti, mà degli amati, onde il divin Paolo preso da questo amor divino, e fatto partecipe di questa forza estatica, dice con lingua divina: *Vivo ego, non jam ego, sed vivit in me Christus. ad Galat. cap. 2.* Donde scuopresi frà l'altre proprietà del'amor divino, e della carità, com'egli unisce l'amante con l'amato, e quanto più eccellente è l'amore, tanto più eccellentemente unisce. Ed essendo eccellente l'amore in Dio, eccellentemente unisce con Dio, e fà che l'amante si dirizzi all' amato Il contrario fà la cognizione, la qual tira la cosa conosciuta al conoscente, mà l'amore tira l'amante all' amato.

70 Quamvis tamen hæc introductio nobilissima sit, oportet tamen, dum frequenter accidit, quandoque illam intermittere, si fortè per aliquem animæ conatum fieri possit, ne anima in ea suavissima contemplationis quiete deses fiat, & virtutum actus multiplices negligat exercere. Quin verò universim animadvertendum est, plures animas, postquam ad contemplationem evectæ sunt, nolle semper in ea requiescere, cùm intellectus iners fieri videatur, ad meditationem repetendam.

71 At verò ad felicem illam animæ quasi mortem regredientes, annotemus oportet, potentias illas duas sic evectas coram divina claritate, quæ à Deo in animæ centro, vel, ut Theologi mystici aiunt, fundo quiescente dissultat, miro modo affici, quemadmodum & ipsa afficitur anima, quæ more ferri candentis propria forma non amissa, sed à præsente Deo trajecta, & incensa, se Dei genus esse facilè demonstrat, sicut & ferrum, dum candet, mirificè ignem repræsentat, & illius proprietatibus pollet. Proportione verò servata in eum etiam modum intellectus, & voluntas afficiuntur. Quæ certè potentiæ in centrum, vel fundum animæ vocatæ, licèt voluntas propiùs accedat, introducuntur in quandam vastissimam quasi divinitatis solitudinem, ubi voluntas Deum ineffabili sensu percipit, & intellectus, amissa omni rerum distinctione, ac varietate, universisque etiam nobilissimis imaginibus superatis, Deum sapientissimè ignorans, nec enim illum intuetur, ut in patria divinitùs agnoscit; excelsum sanè ignorationis genus, illa videlicet irrationabilis, & amens sapientia à S. Dionysio Areopagita tantoperè celebrata, non sanè quod rationi, vel menti renitatur, sed quod eam longè supergrediatur, & arcano valdè modo comparetur.

72 Intellectus quippè nec Deum in propria divina natura cernit, nec verò in imaginibus, quæ in aliis contemplationis gradibus non adeò nobilibus concipiuntur, speculatur, sed in quandam velut caliginem immersus, ac Deo circumfusus, serenissima, & tranquillissima quadam notitia, nesciens quid sit Deus, agnoscit proculdubiò illum tunc sibi in nebula præsentissimum diviniore quodam modo, qui omnibus modis aliis, notitiisve, quæ de illo vel scribuntur, vel concipiuntur, immenso certè spatio, ac magnitudine antecellit. In hac certè caligine, vel nebula, vel tenebris, ut olim Moysis in montis vertice contigit, clariùs à purgatissimo jam intellectu cognoscitur, quàm vel exprimi, vel sine experimento cogitari possit.

72 Verùm hìc magnoperè expendendus est ille transformationis modus, sive ille modus adeò arcanus silendi, ac defungendi, quem potentiis ad animæ centrum introductis evenire asseruimus. Si enim silentium illud est quoddam quasi deliquium ita, ut nec intellectus, neque voluntas operentur, sed dulcissimam tantummodò sustineant Dei operationem, quomodò fieri potest, ut intellectus sive actu cognoscat, & voluntas sive actu pariter amet? Erunt, qui asseverent, intellectum, ac voluntatem sine actibus, quos in scholis elicitos appellamus, in sublimissimo Theologiæ mysticæ fastigio benè affici, sicut nonnullis visum est sentire, esse quoddam pati. Nos tamen hunc nodum veriori sententia solvemus, asserendo non prorsus deficere potentiarum actus in ea caligine divina, sed esse actus adeò tranquillos, & suaves, ut cum aliis incitatis actibus, quos paulò ante eæ potentiæ proferebant, comparati, eandem proportionem habere videantur, quam elatus sermo habet cum voce valdè summissa, qua si quis utatur juxta cœnobiticam disciplinam silentium dicitur observare.

Quæ sanè responsio captu facilis est. Præsens quippè 73
tunc Deus, & animæ amantissimè blandiens tam cœlesti suavitate eam ad intelligendum, & amandum permoveret, ut ipsa non se agere, & suavissimè duci, & quasi erumpentes ultrò à potentiis actus non tam producere, quàm pati videatur. Et hæc fortasse est illa insignium Heroum passio, quam Hierotheus sustinebat, qui doctus fuisse asseritur, non solùm discens, sive sciens, verùm & patiens divina. Et juxta hunc dicendi modum responderi debet, eas potentias divinam caliginem ingressas non ita silere, ut nihil omninò agant, sed intellectum altissima, & tranquillissima contemplatione, voluntatem suavissima fruitione pasci. At hæc in unione mystica tam sedatè, tranquillèque fieri, ut potentiæ silere, hoc est, tàm suavi Deus intus agentis actione cieri videantur, ac si prorsus nihil agerent, sed ab alio productos actus tantummodò reciperent.

Raptum ergo supremum sic adumbrasse sufficiat, nec 74
enim tanta sublimitas satis exprimi ullo verborum excursu valebit. Et raptus hìc raptum præcedentem, quem orationem unionis à S. Theresia appellari censuimus, dignitate non modica superat, ut ex dictis patere potest. Ac ob id significanter eadem Sancta raptum ab unione diremit, aiens, in unione mutuam fidem verbis promitti, in raptu verò conjugium spirituale celebrari. Et præter alios unum describit raptum, quem volatum spiritus appellat, quando videlicet motu repentino, ac vehementissimè celeri spiritus arripitur, & interdum etiam corpus, ut magnum principio timorem incutiat. Tremendum quippè portentum videtur, hominem vigilantem, & sanum, ac nescientem quò, nec à quo feratur celerrimo quodam modo abripi. Sub initio enim non usqueadeò ei certum videtur, se à Deo agi, ac proindè opus est, ut generosè in Dei beneplacitum seipsum dedat, & ob amorem Dei cuivis periculo constanter exponat. Atque hæc de multiplici raptu divino.

Licèt autem ecstasis, & raptus mysticus, seu quo ali- 75
quis elevatur ad divina cum abstractione à sensibus, de quibus fuit hucusque sermo, à solo Deo provenire, seu ejus operatione fieri possint; quia tamen raptus, vel ecstasis, ut sic, aliquando contingere potest ex causa naturali, vel virtute dæmonis, breviter de utraque agemus, ut clariùs appareat soli divinæ competere veram rationem ecstasis. Igitur aliqui inter causas naturales raptus, sive ecstasis reponunt nonnullos morbos, ut deliquium, quod diffusè tractat, & refellit S. Theresia *lib. fundat. cap. 6.* Item lethargum, necnon morbum, quem catochen, seu catalepsin appellant medici, de quo inter illos præsertim agunt Fernell. *lib. 5. patol. cap. 2.* & novissimè Sennert. *lib. 2. instit. medic. p. 3. sect. 1. cap. 9.* Verùm cùm his, ac similibus morbis correpti revera profundo somno mergantur, ut in lethargo, rerum omnium ignari; in aliis verò ob alia accidentia, satis patet propriè ad ecstasim spectare, seu illam causare non posse. Vera igitur, & propria ecstasis naturalis, sive à sensibus alienatio maximè fieri solet ex vehementi imaginatione, aut alicujus rei speculatione. Tunc enim confluentibus spiritibus animalibus in cerebrum, sensuum exteriorum functiones impediuntur, & sic remanet homo abstractus, & sine motu, eosque sibi præsentes fingit, & cum illis miscet colloquia, quibus

quibus hæret imaginatio, quemadmodum contingere solet in somnio, à quo propterea non differt ecstasis ista, nisi quod illi dormienti, hæc vigilanti accidit.

77. Hujusmodi autem imaginationis, vel speculationis naturalis tam vehementis, ut vires internæ omnes occupentur, & sensuum exteriorum impediatur omnis functio aliò derivata omni mentis attentione, plura solent afferri exempla: Platonis philosophicis speculationibus ita quandoque intenti, ut sensuum usu careret: Socratis, qui, ipso Platone teste, integro die immobilis steterit cogitabundus, & abstractus. Eundem excessum contigisse Carneadi refert Valerius Maximus, Plotino Porphyrius, Jamblico Eunapius. Archimedes denique, summus mathematicus, captis Syracusis, cùm animo, & oculis in terram defixis formas geometricas in glarea describeret, aliorum omnium incuriosus, à milite interfectus fuit. In his, ac similibus casibus quò intensior est imaginatio, cùm major quoque spirituum animalium copia cerebrum obsideat, propterea etiam fortior, & longior abstractio fieri potest, præsertim cùm spiritus crassiores sunt, & melancholici, qui difficiliùs resolvuntur. Advertendum tamen animam virtute naturali sola posse ita applicare intentionem, attentionemque omnem internam, ut sequatur ecstasis, ut tamen falsum sit communi lege quemlibet, quantumvis intensissimæ speculationis, vel imaginationis hominem posse, quotiescumque collibuerit, tali universali sua vi, & arbitrio voluntatis causare in se ecstasim, ut satis experientia constat. Sique ita accideret alicui aut dæmoni tribuendum, aut inter alia naturæ portenta numerandum esset, de quibus agit D. Augustinus *lib.* 14. *de civit. cap.* 24.

78 Dæmones quoque, seu malos genios posse in homine raptum, sive ecstasim efficere, omnes admittunt ex D. Thoma locis supra citatis, idque duobus modis. Prior est, quando illos tramites obstruit, quibus à cerebro spiritus animales, sive sensitivi ad exteriores sensus deferuntur, veluti contingit somniantibus. Posterior, quando eosdem spiritus ab exterioribus sensibus ad interni sensus organa attrahit, ibique ligat, & retinet, ac rursus ad externorum sensuum organa queant descendere. Undè primus per obstructionem, secundus per ligationem fieri dicitur. Ita enim contingit, ut prosequitur Delrius *disquis. magic. lib.* 2. *quæst.* 25. ut in raptu ob nimiam internarum virium sensitivarum applicationem, & spirituum sensibilium ad externi sensus organa confluxum adeò impediantur sensuum externorum munia, ut corpus vivum cadaveris mortui, & immobilis speciem præseferat. Hæc raptus naturalis causa vera diaboli vires non excedit, taleque sunt Sagarum, & magorum ecstases, quibus cùm uno in loco maneant soporati, variis tamen in locis se fuisse, & varia peregisse decepti sæpè arbitrantur.

79 Porrò naturalis hujus raptus, sive ecstasis diaboli vires non excedentis discernendi ab illo supernaturali, de quo ratiocinatur Apostolus ad Corinthios, nullum ferè est efficacius indicium, quàm si hujusmodi raptus sint voluntarii, & pro libito illius, qui rapitur. Facit enim hoc proculdubiò dæmon ex fœdere. Undè errant, qui cum Cardano, quotiescumque collibuerit, naturali sua vi, & arbitrio voluntatis rapi se jactitant, ut annotavit Delrius loco citato, subdens erraſſe etiam graviter Bodinum, qui censuit in hujusmodi ecstasi animam re vera migrare, ac deserere ipsum corpus, & aliis in locis intereà versari separatam. Qui Cabbalistarum error fuit, à quo suspicatur idem Delrius Platonicos alienos non fuisse propter narrationem illam ipsius Platonis: *Fren sive Herum Armenium, genere Pamphilium, cùm inter cadavera cæsorum in prælio decem diebus jacuisset mortuus, demum relatum, secundo post die cùm esset imponendus rogo, revixisse, ac prodigiosa quædam narrasse, quæ illo tempore apud inferos vidisset.* Similemque fabulam esse ait de quodam Hermotimo Clazomenio apud Origenem *lib.* 3. *contrà Celsum*, & illam de Aristæa Proconnensi, quem narrant Plinius *lib.* 7. *cap.* 52. & Plutarchus *in vita Romuli* ex Herodoto multoties defunctum revixisse, & animam, quoties voluit, resumere potuisse ita, ut assistentes animam cervi effigie ex ore evolantem viderent. Nam iste non mortuus erat, sed in raptu magico, & non anima ex ore evolabat, sed diabolicum præstigium. Idem etiam de Philappis, & Finnis, aliisque apud eundem Delrium dicendum est, quod scilicet ecstasis dæmoniaca intercessit, sed anima à corpore non recessit. *Omnia*, inquit Tertullianus, hac ipsa de re agens, *magis conjectanda, quàm hanc licentiam animæ sine morte fugitivæ.* Et alibi idem rectissimè pro axiomate tradit, *nusquam animam sine carne esse, quandiu in carne est*; & in ecstasi animam extra corpus peregrinari negat apertè Auctor brevium quæstionum, quæ operibus D. Athanasii adjunguntur. Videndus ipse Delrius loco allegato, ubi alia.

Quod verò pertinet ad raptus, vel ecstasis mysticæ ef- 80
fectus, sunt in multiplici differentia, viderique de ipsis possunt D. Augustinus *epist.* 102. Joannes Cassianus *collat.* 19. *cap.* 4. D. Bernardus *serm.* 52. *in Cantic.* Richard. Victorin. *lib.* 5. *de contemplat. à cap.* 5. Dionysius Carthusianus *opusc. de fonte lucis art.* 18. & S. Theresia in castro animæ *mans.* 6. *cap.* 4. & Vitæ suæ *cap.* 20. *ac* 21. ubi divinitus edocta, nec non ex propria experientia sic de divinis ecstasibus loquitur.

Anima, inquit, cùm sibi post raptum reddita est, ni- 81
hil eorum, quæ vidit, potest aliis referre, neque eorum recordari, nisi confusa & generali quadam cognitione, ut siquis intimum Regis cubiculum vasis, tabellis, statuis, aliisque pretiosissimis, ac mira arte dispositis ornamentis refertum, ingressus fuerit, eaque omnia simul in oculos incurrant, fieri non potest, ut de singulis postmodum in tanta rerum copia, & varietate recordetur, eaque enarret, ita anima ad Dei conspectum extra sensus admissa tot mirabilia in eo cognoscit, ut ipsorum singillatim meminisse non valeat.

Hominis verò in ecstasim rapti pathemata describens, 82
ait, videri animam in raptu corpus non habere, nec animare, deficere calorem, intercipi respirationem adeo, ut vix minimus halitus, sive motus percipiatur, accedere quendam membrorum omnium rigorem, & frigus, pallorem in vultu, ferèque omnia vel morientis, vel mortui symptomata. Item quod resistere raptui, aut reluctari non potest quacumque adhibita diligentia, aut contentione. Nam impetus quidam vehementissimus ita repentè animam abripit, ut sustolli se sentiat, nesciens quò feratur. Videtur sibi in alia regione esse, ab hac multum dissimili, in qua alia lux fulget, aliusque est modus vivendi & intelligendi. Nec solum anima, sed corpus quoque aliquando sursum fertur, & à terra elevatur.

Sic ergo cùm effectus ecstasis mysticæ alii ad animam, 83
alii ad corpus pertineant, qui causantur in anima, sunt, que præcipua ecstasis mysticæ causa finalis, sunt major, ac intimior ejus cum Deo unio per intellectum, & voluntatem. Non enim idcircò rapitur homo, & alienatur à sensibus, ut trunci instar operatione omni destituatur, ut contingit in arreptitiis, aut corporaliter dormiat, ut in lethargicis, sed ut liber ab omni alia occupatione, præterquam spirituali intelligendi, & amandi, in Dei amplexus suavissimè feratur, ibique conquiescat. Quia autem quantò quis altiùs elevatur, tantò fit humilior, idcircò inter effectus mystici raptus numerari specialiter debet humilitas, ut docet D. Bonaventura *lib. de quinque visionum serm.* 3.

Secundus effectus est accensum Deo inserviendi desi- 84
derium. Vellet enim anima mille vitas habere, ut eas in obsequium Domini sui posset exponere. Vellet, quod omnia, quæ sive in terra, sive in cœlo sunt, verterentur in linguas, ut secum divinæ Majestati laudes æternas concinerent, & immensam ejus bonitatem, ac suavissimam misericordiam coram omnibus viventibus propalarent,

semperque extollerent. Neque in solo sistit desiderio, sed ipso Deo plurimum adjuvante, desiderium reducit ad executionem, nihilque quantumcunque difficile & arduum respicit, fœlicem se judicans, si Deo in aliquo placere possit. Cætera quippè nihil esse ducit in comparatione illius.

85 Tertius effectus est contemptus mundi. Cùm enim in hoc gradu orationis anima multò majorem rerum cœlestium, ac divinarum notitiam acquirat, omnia temporalia arbitratur quasi stercora. Undè vivit in hac patria cum labore, & fastidio, nec ullo modo movetur ab iis, quæ prius pulchra, & bona videbantur. Quod si aliquid æstimet ex his, quæ videt, hoc ideò fit, quia possunt ad divinum cultum, & obsequium conducere.

86 Quartus effectus est notitiarum divinæ Majestatis, tum propriæ infirmitatis. Undè consequitur anima quod tanto tempore desiderabat Augustinus, dicens Domino: *Noverim te, noverim me.* Multa namque de divinis perfectionibus, & arcanis animæ in ecstasi constitutæ manifestantur, ex quibus plus Deum cognoscit, ac simul seipsum magis cognoscens, miratur, ac tremit horrore, quod cùm sit tam vilis creatura, Creatorem tantæ Majestatis ausa fuerit tam sæpè, tamque graviter offendere. Et tunc Deum se ipsi manifestantem, quamvis benignum, ac familiarem intueri non audet.

87 Quintus effectus est ardentissima sitis Dei viventis. Cùm enim in ecstasi, sive raptu tam sæpè aquæ fontis vivi ad animam diffluant, quæ suavissimas delicias æternæ vitæ sapiunt, ad ipsum fontem, imò ad fluvium, cujus impetus lætificat civitatem Dei, pervenire desiderat. Undè anxiè mori appetit, & cum lacrymis ab hoc exilio postulat liberari.

88 Sextus effectus est pœna maxima, sed delicioſissima, sive pœna simul cum gaudio, & jubilo, quam S. Theresia volens exprimere, vix se posse fatetur, & comparans cum illa pœna etiam delicioſa, quam in oratione impulsiva per vehementes impetus patitur anima, inquit, illam nihil esse in comparatione istius, ponitque multa discrimina inter utramque pœnam. Illa est communis animæ & corpori, nec est tam vehemens. Ista solùm tangit animam, estque multò vehementior. Illa est instar ignis urentis, sed tolerabilis. Ista est tanquam ignis penitus inflammantis, seu flammæ succendentis, & intolerabilis, siquidem anima ardens in seipsa, vel occasione alicujus cogitationis, vel prolati verbi de gloria beatorum, de mortis dilatione, deque alio hujusmodi, sentit se velut immissa sagitta fortiter vulnerari, nesciens undè, vel quomodò vibretur, illam tamen sentit ignitam in intimis suis præcordiis, ubi omnia quasi consumit, quæ transeundo reperit, statimque suspendit, & ligat potentias, adeò, quod nulli alteri possunt attendere, nisi ei, quod hanc pœnam augere potest. Intellectus namque clarè percipit causam hujus pœnæ, ac doloris, scilicet absentiam Dei, cujus incremento ipse Deus cooperatur, vivam sui notitiam sic imprimens animæ, quod præ doloris inde causati sensu gemebundæ voces exprimantur, corpus maximè debilitetur, ac veluti immobile maneat. Vix nisi expertus capere potest, quomodò in anima tam intensa pœna, simulque tam delicioſa reperiatur, quæ vix remedium habere potest. Undè anima potest Deo dicere cum Job: *mirabiliter me crucias.* Solùm aliquod inde solamen caperet, si reperiret expertum, cùm quo de suo vehementi tormento tractaret. Videre enim, quod nullus ipsi de illo conquerenti credit, ipsam auget pœnam. Quare societas aliorum tunc displicet, solitudo gravis est. Hæc autem pœna magno raptu, vel aliqua cœlesti visione solet terminari, qua Deus consolatur, & corroborat animam.

89 Septimus effectus est quidam mentis jubilus, & quidam gradus orationis extraordinarius, quem anima capere non potest, & multò minùs exprimere; novit tamen in confuso esse magnam potentiarum unionem, quæ tamen à Domino liberè relinquuntur, ut communicatis fruantur deliciis, quæ etiam ad sensum quodammodò redundant, vix advertentes undè procedant. Credit se tunc securam, & meritò; non enim possibile videtur, quod tantus jubilus mentis in intimo ipsius centro resonans cum tam profunda pace, cum tam ineffabili lætitia, quæ ad laudandum Deum omnes invitat, possit ab alio, quàm à Deo procedere. Vellet D. Franciscum imitari, qui per campos discurrens, se Dei præconem dicebat, & divinas laudes incessanter decantabat.

Effectus autem corporei sunt interdùm lachrymarum 90
profusio, *si tamen* inquit D. Bernardus, in scala, *istæ dicendæ sunt lachrymæ, & non potius interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum. Ut sicut in Baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur, & figuratur interior animæ ablutio, ita hîc è contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio.*

Item ex tanto contemplationis excessu, amorisque 91
impetu, qualis in ecstasi mystica, mysticoque raptu reperitur, generantur per redundantiam quandam in parte sensitiva, ac corpore languor, debilitas, mœror, & macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usus, ac motus membrorum, ac sensuum, & totius corporis rigor.

Amplius Quoniam amor ingreditur ubi scientia per- 92
manet fortis, dum mens contemplationi mysticæ est intenta, inflammato, & velut commoto, ac irritato amore, incipit amor ipse quodammodo ebullire, ac superfervere, suaque sacra violentia totum corpus concutere. Quod autem fervet, quadam caloris, ac desiderii sui violentia extra se ipsum projicitur, ac supra se tollitur, quasi ibi esse dedignetur. Undè in raptis elevatur corpus, deprimitur, in terra extenditur, immotum hæret, expalleſcit subitò, rubore suffunditur. Et stupor quidam mysticus, loquendo de anima ad hos raptus elevata, sive melius de corpore talis animæ, sic ait: *Ideò in raptu aut sedet, aut in loco, ubi erat ceù columna quædam immota perstat. Interdum cadens in faciem prosternitur. Interdum vi spiritus in aera levatur. Interdum manus, & brachia in altum levat, aut aliis modis insuetis vehementiam interioris motionis ostentat*, aliisque similibus motibus afficitur, valdè tamen distinctis ab illis, qui interdum in fanaticis, & arreptitiis videri solent. Cùm enim hi gestibus, ac motibus indecoris sæpè rapiantur, & in ipso raptu verba proferant inutilia, confusa, inepta, & indiscreta, qui in mysticis à divino proveniunt Spiritu, nonnisi summam spirant gravitatem, decentiam, ac sanctitatem.

Provenit hæc raptuum diversitas primùm ex eorum 93
causa, quæ est ipse Deus, qui spirat, quomodò vult. Deinde ex fervore amoris, ideòque quò major, vel minor est amor, eò sunt differentes raptus, qui ex eo ducunt originem. Idem dicendum est, si cum Richardo *lib. 5. de contempl.* censeamus, hos raptus oriri ex altera ex his causis, vel præ magnitudine devotionis, vel præ magnitudine admirationis, vel præ magnitudine exultationis. Sic S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, & alii sublevati in aera, & de S. Birgitta refertur in ejus revelationibus inter extravagantes *cap.* 55. Daniel cecidit prostratus *cap.* 10. dicens: *jacebam consternatus super faciem meam.* S. Joannes Evangelista *Apocal.* 1. in visione, quam habuit de illo Angelo dixit: *Cecidi ad pedes ejus, tanquam mortuus.* S. Amon, pater Monachorum montis Nitriæ raptus in ecstasi pertransiit sine rate flumen Lycum ex Palladio *de vit. Patr. lib.* 8. *cap.* 8. Et in Concilio Constantinopolitano 5. in epistola Felicis Papæ legitur, quod dum terræmotu Constantinopolitana Civitas quateretur, infantulus, toto populo spectante cum Proclo Civitatis Episcopo, unius horæ spatio in cœlum raptus esset, ibique Sacrum Trisagium audivisset, est ei injunctum, ut laudationem illam populo indicaret. Quo facto Civitas liberata est. Has similesque ecstasum,

& raptuum

& raptuum differentiæ legi possunt in illis, quos habuit S. Birgitta, ut annotatur in Epistola Episcopi Giennensis ad Reges, quæ habetur in prologo libri octavi revelationum ejusdem Sanctæ *cap.* 4.

94 Modus verò observandus in describendo, & annotando, quæ proferuntur in ecstasi, & raptu, ille prudentior, ac certior videtur, quod scilicet Confessores, aliive viri pietate, ac doctrina insignes scribant, & annotent ea omnia, quæ in ecstasi, & raptu proferuntur, ac fiunt cum omnibus circumstantiis tam vocis, quàm gestuum, ut deinde legantur, examinentur, & approbentur à viris spiritualibus, ac doctis. Quod semper Religiosissimè observatum est in Ecclesia, ut videre est in revelationibus, visionibus, ac hujusmodi intelligentiis S. Geltrudis approbatis, & publicatis à viris gravissimis, nominatim à Joanne Lanspergio Carthusiano, & à Leandro Granatensi, qui scripserunt ejus vitam. S. Catharinæ Senensis visis, & approbatis à Raymundo Capuano, Generali Magistro Ordinis S. Dominici, à Stephano Senensi, Priore Carthusiæ Ticinensis, & à Laurentio Surio, aliisque. S. Hildegardis à Theodorico Abbate Benedictino, & ab Eugenio III. & à D. Bernardo, qui eam cultu præcipuo venerabatur. S. Birgittæ à Bonifacio IX. in Bulla ejus canonizationis, à Cardinali Turrecremata, viro doctissimo in Epistola, quam hac de re scripsit, & speciatim in earum propugnatione, à venerabili viro Matthia Suveco, & à Concilio Constantiensi, & Basilensi, ut affirmat Blosius *in monili cap.* 14. Corduba *lib.* 10. *q.* 44. Sanderus *lib.* 6. *visib. Monarch. num.* 1046. Mendoza *in quolib. quæst.* 5. & alii. Idem observatum in S. Teresia, cujus ecstases, & raptus approbarunt doctissimi, ac probatissimi viri, nempè S. Ludovicus Beltramus, S. Petrus de Alcantara, S. Franciscus Borgia, Dominicus Bagnes, Bartholomæus de Medina, Cathedratici Salmanticenses, Luisius de Leone, Franciscus de Ribera, Henriquez, aliique plures.

95 Quo igitur dæmones se in Angelos lucis sæpè transformantes, divinasque operationes æmulantes fraudolentiùs homines etiam pios, & Sanctos decipere conantur innumeris imaginationis figmentis, sensuumque externorum illusionibus, tantò diligentiùs, ac solicitiùs magistri spirituales semper nos varias edocere studuerunt regulas, aut signa ex divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum præscripto, quibus nos contra omnes diaboli insidias præmunirent, falsasque ejus impressiones à Divinis, & supernaturalibus discernere possemus.

96 Quoniam autem hujusmodi discretio dupliciter fieri potest. Primò ex lumine divinitùs infuso, quod pertinet ad gratiam gratis datam, cui si accedat Divina revelatio, omninò certum, & ineffabile est absque alia regula ejus judicium. Secundò theologicè, seu per modum artis, & doctrinæ, examinatis scilicet supradictis regulis, aut signis, ideò de hac discretione agemus in præsenti, quæ, licèt directè, ac immediatè ad gratiam gratis datam non pertineat, ad eam tamen reducitur, quatenus præceptis utitur, ac regulis Divinæ Scripturæ innixis, quæve viri sapientissimi præter scientiam, & naturale judicium, spiritu etiam veritatis cœlitus imbuti in suis lucubrationibus reliquerunt. Quamvis autem ex his certum omninò, & irrefragabile judicium ferri semper non possit, moralis tamen, ac prudentialis certitudo illi non deest, si ritè juxta rei propositæ naturam diligenter examinentur, imploratoque humiliter Divino auxilio. Respicit enim Deus animam humilem, & si impressio ab ipso est, nunquam permittet, ut ejus veritas elidatur. Si verò falsa, & à malo spiritu, quod prævaleat. Præcipuas igitur ex his regulis, colligemus, claritatisque gratia ad certas classes reducemus.

97 Prima erit earum, quæ se tenent ex parte subjecti, sive illorum, qui tales ecstases, raptus, & hujusmodi impressiones patiuntur. Nam attendendum est primò, num sint fœminæ, quæ in hac re capaciores sunt deceptionis, tum ex naturali earum complexione, quæ cùm sit humidior, ac vehementiæ passionum, & affectuum magis obnoxia, & ipsæ ratione minùs polleant, undè plerumque putant se videre, quæ cupiunt, oriri que à veritate, quod ab animi passionibus provenit, non est difficile dæmoni, eas primùm decipere, & per easdem alios etiam doctissimos viros in errorem inducere. Quocirca D. Hieronymus *in Epist. ad Ctesiphontem* ait, omnes hæreses mulierc ularum ope aut inventas, aut disseminatas fuisse. Tum ex nimia, quæ sibi persuadent credulitate, se divina pati ob quemcumque devotionis motum, vel affectum. Tum denique ex affectata sanctitate, quæ est una ex præcipuis fœminarum tentationibus, cui plures variis temporibus miserabiliter succubuisse plusquam satis patet ex variis historiis. Quamobrem in divinis impressionibus ab aliis discernendis accuratè in fœminis consideranda est tum naturalis, tum moralis earum dispositio, an sint vagæ, garrulæ, impatientes, superbæ, avaræ, an aliquam vel minimam impudicitiæ notam, aut suspicionem præbeant, seque contra præceptum Apostoli in officium docendi, & prædicandi ultrò se ingerant, & non jussæ, & sic de similibus.

98 Secundò licèt in fœminis diligentiùs, in viris tamen non omittenda est constitutionis corporalis exploratio. Etenim facilè decipi possunt qui melancholici sunt, vel atra bile abundant, quæ depravare phantasiam solet, variasque imagines turbatis sensibus immittere adeò, ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre, & audire putent, quæ tamen revera nec visa, neque audita percipiunt. Idem nonnunquam contingit parum firma valetudine utentibus, nec non iis, qui turbidæ, ac vehementis sunt imaginationis. Ex longa pariter inedia, crebrisque jejuniis, ac immoderatis vigiliis exiccato cerebro, dissipatisque spiritibus inania phantasmata plerumque repræsentantur, quibus illusam mentem, tanquam divinis revelationibus pertinaciter adhærere satis frequens testatur experientia.

99 Verùm mukò magis adhuc tam in viris, quàm in fœminis divinas passiones patientibus, refert examinare dispositionem eorum moralem, utrum scilicet studio virtutum, & orationis sedulò incumbant, carnem suam macerent, gaudeant in tribulationibus, infirmitatibus, & oblocutionibus, vel murmurationibus de sei, sis, solitudinem ament, abhorrentes ab hominum conversatione, & ab omni prorsus rerum terrenarum affectu. Item utrum vivant proprio arbitrio, vel sub obedientia magistri spiritualis. Utrùm dociles, divinæ siquidem impressiones, vel instinctus animam docilem reddant, aliorumque sententiæ, & consiliis, seniorum præsertim, ac Superiorum acquiescentem juxta illud *Isaiæ* 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.* Nec refert, quod qui docent, & dirigunt aliquando minùs docti, ac prudentes sint, quàm par est. Nam sicut ait Joannes Climacus *gradu* 26. Deus non est iniquus, ut animas, quæ per fidem, ac simpliciratem alterius se consilio, & judicio similiter subijciunt, decipi patiatur; quare dicentes se alieno judicio non credere; quia de suo certi sunt per occultam Dei revelationem, facilè decipi possunt, valdèque suspectæ esse debent, quas patiuntur, impressiones. Ne enim decipiamur ordinatiè omnis nostra motio ad Superiorum, ac peritorum examen, & judicium referri debet. Propterea que Christus admonuit nos *Luc.* 11. ut caveamus, ne lumen, quod in nobis est, tenebræ fiant, hoc est, ne mens, quæ docilitate, & obedientia comitantibus pro lumine nobis est, proprii judicii tenebris, veluti caligine offundatur. Monitum quippè Sapientis est *Proverb.* 3. *v.* 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Undè rectè Cassianus *collat.* 2. *cap.* 11. ait: *nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis consiliis seniorũ in suo judicio permãserit, ac definitione, doctrinave*

considere. Et meritò, ut scribit D. Bernardus ad Ogerium *Ep.* 87. *quia, qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

100 Demum in persona, cui facta ecstasis, raptus, visio, revelatio dicitur, attendendum est, an solida, & profunda humilitate prædita sit. Vera enim revelatio veruseque in nobis regnans Dei Spiritus humanæ miseriæ, & imbecillitatis agnitionem, atque adeò perfectam humilitatem parit, &, ut S. Macharius Ægyptius ait *homil.* 10. *anima, quæ verè Deum, ac Christum diligit, licet mille justitiæ opera ediderit, licèt dona Spiritus varia, aut etiam revelationes cœlestes consequi digna habeatur, ita se gerit, ac si nihil fecerit, & nihil haberet propter immensam, & insatiabilem dilectionem.* Quia autem aliud est superbiam humilitati oppositam ex revelatione in eo illam habente oriri, aliud post revelationem ad eam diabolica fraude moveri, advertendum est, primum quidem falsæ revelationis argumentum esse; alterum nequaquam, cùm ille præsertim, qui ad elationem excitatur, fortiter hosti resistit. Satis enim experientia patet aliquando sanctis, & divinis impressionibus vel vitio naturæ, vel fraude dæmonis errores, ac vitia immiscerì, sicut ratio nonnunquam sub veris principiis falsas efformat assumptiones.

101 Tertiò licèt manus divina non sit alligata, spiretque ubi vult divinus Spiritus, quia tamen paulatim ab imo ad summum, & ab imperfecto ad perfectum perducit, solet etiam ætatis, ac personarum rationem habere. Aliam enim sapientiam seni, aliam adolescenti, aliam incipientibus, aliam perfectis, aliam ei, qui aliis præest, aliam ei, qui paret, & ab alterius imperio pendet, impertit. Dæmon autem ex adverso nullum ordinem servat, statim suggerendo mentis excessus, miracula, prophetias, ut hac ratione illaqueatas, terumque novarum studio illectas animas in superbiæ barathrum secum præcipitet. Item fervores intempestivos suadendo, quibus nimia abstinentia, ac immoderatis vigiliis, aliisque cruciatibus corpus penè conficiant, unde posteà viribus fractis, mentisque vigore enervato in summam relaxationem labuntur. Propterea hæc omnia diligenter observanda sunt pro dignoscendis veris ac divinis à falsis impressionibus. Tum quia primæ ordinariè concedi non solent, nisi jam perfectis, & in omni genere virtutum heroicè exercitatis. Tum quia incipientes cùm spiritu adhuc sint debiles, rerum divinarum meditationi, cui assueri non erant, studiosiùs incumbentes ita plerumque illarum novitate, ac suavitate afficiuntur, ut reliquorum omnium obliti extra sensus sustolli videantur, arcanaque Dei audire, quamvis ita non sit.

102 Quartò non desunt, qui velint etiam attendi, an qui extraordinarias habet impressiones sit pauper, vel dives, quatenus in pauperibus fictio, in divitibus ambitio timenda est. Item sitne senex, an puer, quatenus senes exhaustis viribus sæpiùs delirant; pueri verò, qui cerebro humidiori sunt, facilè commoventur, & falsa pro veris apprehendere solent.

103 Quintò denique non omittenda est aliarum impressionum, siquæ in aliquo præcesserunt, consideratio, utrum nimirùm verè à Deo fuerint, an à peritis approbatæ, an unquam diabolus eum deceperit, vel decipere tentarit. Cùmque securiores cæteris sint illæ impressiones, vel instinctus, quibus voluntas movetur, nulla præcedente imaginationis, vel intellectus operatione naturali & consuetò fieri solita. Quod contingit, quando intellectus eo ipso puncto vel momento illuminatur, quo voluntas impellitur, id etiam observandum est. Siquidem ex D. Thoma 1. *p. q.* 111. *art.* 2. & ex communi Theologorum sensu, movere, ac immutare voluntatem solius Dei est, qui potest eam efficaciter inclinare quocumque voluerit. Ab exteriori enim, & inefficaciter moveri tantùm potest ab Angelo sive bono, sive malo, vel proportionando objectum, vel concitando passiones.

104 Secunda classis continet eas regulas, quæ se tenent ex parte objecti, quarum prima est consensus rerum revelatarum cum Sacris literis, cum divinis, & Apostolicis traditionibus, cum moribus, ac definitionibus Ecclesiæ, dicente Apostolo ad *Galat.* 1. *v.* 8. quod si Angelus de Cœlo evangelizet nobis præter id, quod accepimus, anathema sit. Quapropter si aliquid vel minimum in revelationibus reperiatur, quod his adversetur, tamquam mendacium, & illusio reijciendum est. Sicque D. Epiphanius *hær.* 48. Maximillæ revelationibus credendum non esse affirmabat, quia Sacris literis non consonabant. Deinde cum sapientia à Deo revelata, sive, ut ait D. Jacobus *cap.* 3. quæ desursum est, sapientia primùm pudica sit, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione, ut quæ habet has conditiones, & has virtutes excitat revelatio, non potest non esse à Deo; ita per oppositum à maligno oritur Spiritu, quæ ad lites, & contentiones, ad curas seculi, ad vanitatem, ad pertinaciam aliaque similia impellit. Vide D. Bernardum *serm.* 23. *de diverf.*

Secunda. Internas cogitationes, & cordis secreta nullo exteriori signo manifestata intelligere, & pandere, argumentum est divinæ revelationis, cùm solus Deus penetret corda hominum, & quæ in ipsis latent, servis suis revelet. Quia autem quæ à nobis remota sunt, & longiùs dissita, plura item occulta, & arcana possunt etiam dæmones cognoscere, tunc aliquale erit argumentum divini Spiritus, & impressionis, sive ea divinitùs sciri, si certum habeatur experimentum de illius, cui revelantur, perfecta charitate, & humilitate. Nam si tali cognitione foveretur inanis gloria, & curiositas, dubium non esset, quin à diabolo proveniret. 105

Tertia. Impressio, vel instinctus ad bonum, in quo nihil mali appareat, nec quod majus bonum impediat, aut agenti ejusque statui conveniat, non leve est indicium divini Spiritus impellentis. Quia tamen bonum est ex integra causa, nec ita facilè comprehenditur quæ sit exacta, & perfecta operis rectitudo; deinde sæpè motus ab initio boni in ipso progressu, vel naturæ corruptæ vi, vel dæmonis impulsu, in malum degenerant, in hoc diligentissimum adhibendum est examen, an scilicèt omnes circumstantiæ in ipsum bonum consentiant, an principium, medium, & finis eodem tenore procedant. Qua ratione dicitur in lectionibus Officii S. Theresiæ, eam Christo consiliante maximè arduum votum emisisse efficiendi semper, quicquid perfectius esse intelligeret. 106

Quarta. Divo Benedicto *cap.* 7. *regula* octavum humilitatis gradum in hoc constituente: *Si nihil agat monachus, nisi quod communis Monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.* Et antiquis propterea monachis apud Cassianum *lib.* 1. *instit. cap.* 3. unanimiter sentientibus, vitam singularem noxiam esse, magisque vanitatis speciem, quàm virtutis præferre. Quod patet tum ex suavitate divinæ Providentiæ, quæ viam communem instituit in unoquoque statu pro salute omnium. Tum ex malitia diaboli, qui ad res novas, curiosas, & inusitatas instigat, quæ admirationem afferant, & sanctitatis opinionem concilient, ut à solidarum virtutum exercitio removeat & inducat in vanitatem. Tum ex pravitate nostræ naturæ, quæ peculiaribus exercitiis supra reliquos cupimus apparere, & non esse sicut cæteri homines. Tum denique ex conditione ipsarum naturarum singularium, quæ cùm raræ sint, minùs cognoscuntur, ideòque illusionibus, ac deceptionibus subjectæ sunt. Ut stare super stationem suam, operarique indefessè ad exempla majorum, convenientia statui, & ordini, in quo quis à Deo positus est, clarum est indicium divinæ impressionis, seu spiritus boni deducentis eum in terram rectam. Ita per oppositum redolentia singularitatem plerumque diabolici instinctus sunt effectus, indubitatè autem si aliquam superstitionem involvant. 107

Quia tamen ex Sacris literis, & ex historiis Ecclesiasticis constat, etiam Spiritum Dei movere ad aliquas res mirabiles, & singulares, quæ communem operandi modum 108

modum excedunt, sive transgrediuntur terminos, quos posuerunt Patres nostri, sicut præceptum fuit Abrahæ, ut filium immolaret: Isaiæ ut nudus per vicos, & plateas Civitatis ambularet: Eliæ inspiratum, ut ignem è Cœlo peteret, quo quinquaginta viri consumpti sunt, duobus verò Stylitis Danieli, & Simoni ad vitam in columna degendam, & sic de aliis; non idcircò hujusmodi instinctus nullum aliàs involventes malum, statim damnandi sunt, sed pro divinitùs inspiratis, ac revelatis habendi, si vocati ad similia excellenti sanctitate emineant, semperque in ea magis proficiant heroico virtutum internarum exercitio.

109 Quinta. Qui se per visum roseo serto redimitos à Christo, vel à Beatissima Virgine, vel etiam Angelis asserunt, aut annulo, vel torque insignitos, nisi sanctissimæ vitæ sint, qua solùm præditis leguntur concessæ similes gratiæ, reijci debent, tanquam propriæ imaginationis figmenta, aut diabolica fraude decepti. Idemque sentiendum est de stigmatibus, quæ arte dæmonis fingi posse aliquot exemplis manifestum est apud Raynaudum libello *de stigmatibus*.

110 Sexta. Quamvis somnia diversas habeant causas intrinsecas, & extrinsecas, maxima autem illorum pars ex varia, & incomposita Spirituum animalium, specierumque sensibilium per cerebri anfractus vagantium agitatione, temerariaque, & fortuita occurrentia eveniant, atque adeò nihil significent, nec ullam cum futuris connexionem habeant, unde Scripturæ Sacræ nullam eorum rationem haberi volunt *Levit.* 19. & *Deuter.* 18. Quia tamen ex eisdem Scripturis multas divinas impressiones, seu revelationes in somniis contigisse habemus, ut quæ inutilia, superstitiosa, vana suggerunt, quæ terra, horribilia, obscœna, ridicula, & monstrosa repræsentant, vel ad malum quocumque modo provocant, aut etiam quibus futura prædicuntur, quæ posteà ex eventu falsa dignoscuntur, vel à natura, vel à dæmone esse evidens est. Ita è contra si quæ per somnium innotescunt, ejus generis sint, ut nonnisi à Deo revelari possint, cujusmodi sunt arcana cordium, intimæ cogitationes, futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, & quæcumque hominum cognitionem excedunt, nisi fortè talia fuerint, quæ diabolus ex conjecturis, vel aliundè scire possit, hujusmodi somnia divina esse, certum est.

111 Advertendum est tamen, somnia divina, eaque præsertim, quæ futura præsagiunt, rarissima esse, & nonnisi ob aliquam insignem causam, quæ ad publicam utilitatem spectet, immitti solere. Cùm autem in modo, quo contingunt somnia etiam divina, magna sit diversitas; nam aliquando placidissimè, aliquando cum ingenti corporis, & animi commotione, atque horrore efficiuntur. Aliquando datum est alicui somnium, sed non ejus intelligentia, sicut Pharaoni, & Nabuchodonosor. Aliquando utrumque, sicut Prophetis, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 173. inde est, quod tutiora, & certiora divinorum somniorum indicia desumenda sunt ex ipsis rebus in somnio ostensis, ac revelatis.

112 Septima. Quia veritas prophetiæ in reipsa à Deo revelata consistit, non in ejus intelligentia, semper enim verum est, quod summa, & incommutabilis veritas dicit, quamvis ab homine non intelligatur, neque repugnat, quod revelatio sit vera, & à Deo; ejus autem intelligentia, & explicatio falsa, & ab homine, qui eam aliter, quàm Deus intelligat, interpretetur. Hujus rei celeberrimum habetur exemplum in vita D. Bernardi *lib.* 3. *cap.* 4. circa indictum ab eo bellum sacrum, cujus expeditio licèt tot miraculis confirmata, infelicem tamen sortita est exitum. Nam tanta hominum multitudo, quæ certam sibi pollicebatur victoriam, dissipata est, & vincentibus infidelibus justo Dei judicio Christiani milites interierunt, unde constat, aliud hominum, aliud Dei consilium fuisse. Nam Deo jubente, & voluntatem suam miraculis significante, exercitus Christianorum congregatus est, sed homines, qui terrena sapiunt, gloriam, divitias, & Regni Hierosolymitani recuperationem præstituerant, Deus verò æternam eorum salutem, qui in illa expeditione pro fide, & pro Ecclesia perempti sunt, prout Joannes Casemarii Abbas scripsit ad D. Bernardum *Ep.* 133. de qua re etiam Baronius. Ita, inquam, re se habente, quod prophetia, aut revelatio vera sit, & divina, certique etiam simus de illa, sed vera ejus significatio, reique eventus lateat, sicut accidit in prædicta expeditione, cui annumerari possunt quorundam Sanctorum prophetiæ, ac revelationes de futura Ecclesiæ reformatione, quæ hactenus nullum effectum habuerunt, vel quia tempus à Deo statutum nondum advenit, vel quia malitia hominum illis obicem posuit, vel nondum est completa. Id quoque diligenter advertendum est in discernendis divinis revelationibus, nec propterea tales dici non debere, quod veram earum significationem homines ignorantes falsò illas explicent, vel aliter, quàm Deus intelligat, aliquando interpretentur.

Octava. In visitationibus corporeis, si forma corporis indecens, & gestus parum modesti exhibentur, si animus turbatus ostenditur, vultus tetricus, deformis, & iratus, si vox stridula, confusa, obscura, ignota auditur, aliaque similia percipiuntur, manifestum est dæmonum spectra esse. Cùm autem humana forma omnibus spectris communis sit, si atra, deformis, mutila, & inusitata sit, malum sub ea Spiritum latere demonstrat. Suspecta etiam habenda est quælibet visio, aut apparitio sub specie mulieris, nisi B. Virginis, & Sanctarum sit, quæ adhuc examinanda est, transfigurante se quoque dæmone aliquando in illas. Tandem forma bruti, vel monstri, nonnisi diabolo convenit, quemadmodum & rugitus, grunnitus, stridores, clamores, tumultus, voces inarticulatæ, blasphemiæ, imprecationes, convicia, aliaque similia, de quibus Petrus Thyreus *de spectris*. 113

Nona. Valde suspectæ esse debent omnes impressiones, ac revelationes, quibus illa revelari frequenter maximè dicuntur, quæ nonnisi rarò manifestari solent, & quæ scire non expedit. Hujusmodi sunt certitudo salutis, vel æternæ damnationis, confirmatio in gratia, gradus Sanctitatis, ad quem aliquis pervenerit, & alia ejusdem generis. Sic. D. Gregorius *lib.* 6. *Ep.* 22. cujusdam nobilis mulieris scire cupientis, an peccata sua essent dimissa, curiositatem reprehendit. At ordinariè falsæ sunt, quando in illis manifestantur occulta aliorum peccata, quæ scire nihil prodest, si præsertim ad ea evulganda absque ulla utilitate publica, vel privata quis impellatur. Quod si alicui detegantur, ut peccatorem arguat, aut inde quid resultet ad gloriam Dei, bonumque spirituale aliorum, subsistere nihilominùs debet, & correctionem facere, & peccata manifestare, donec præmisso diligenti examine, adhibitoque peritorum consilio, & judicio certò cognoscat, à quo Spiritu sit illa revelatio, & motio. 114

Tertia classis eas complectitur regulas, quæ se tenent ex parte operum, vel effectuum, dicente enim Domino *Matth.* 7. *à fructibus eorum cognoscetis eos*, cujus dictionem reddens, ait: *non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus*, latentes hominum motiones, vel impressiones melius à quonam sint principio bono, vel malo dignosci non possunt, quàm ab effectibus, aut inde secutis operibus. 115

Prima igitur regula sit, sedulò universum respicere, num actiones, ad quas homo se impelli sentit, non solùm sint in se bonæ, & conformes præceptis Dei & Ecclesiæ, verùm etiam an sint conformes gratiæ, & lumini, aliisque divinis perceptionibus, quibus ille à Spiritu Sancto agitur, & pertrahitur, sicque in illis stabilis, & immobilis; talia enim ordinariè boni Spiritus sunt indicium. Perversi autem cùm mens perpetuò fluctuans est, infirmaque adhuc, & invalida ad ardua, & excelsa conscendere nititur, cùm vix in imo sit. 116

Secunda. Aliquid mirabile, & præter consuetum ordinem experiri, & tamen id non pro certo habere, sed potiùs timere; ideòque libentiùs cum illis agere, qui minùs 117

creduli, & magis timidi sunt. Talia non solùm non petere, aut desiderare, vel complacentiam in illis non habere, sed magis se indignum illis existimare, precarique Deum, ut ad perfectionem via consueta conducat, illa humiliter superiori, aut viris doctis aperire, aliaque similia, quæ à S. Theresia præstita fuisse legimus in ejus vita, sunt effectus, quasi certi, atque adeò indicia, & argumenta boni Spiritus, divinarumque impressionum, mali autem, ac perversi omnia illis adversa.

118 Tertia. Ita heroicum virtutum omnium exercitium est certum divinarum in his, qui illas patiuntur, impressionum signum, ut tamen Sancti principaliter id charitati, humilitati, misericordiæ, & pietati erga proximum eo etiam tempore, quo justitia in illum exercenda est, attribuant. De quo videri potest D. Augustinus *tr.* 8. *in Ep.* 1. *Joan.* D. Gregorius *homil.* 34. *in Evangel.* necnon D. Bernardus *ser.* 49. *in Cantic.* docens tamen, quod ubi fervidior, & vehementior est Spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori opus scientia est, quæ Spiritum temperet, ordinet charitatem. Unde quædam pia mulier apud Gersonem *de simplic. cord. not.* 19. dicebat: *Nihil mihi magis suspectum, quàm amor etiam erga Deum.* Quatenus quò amor vehementior est, eò faciliùs præcipiat, & difficiliùs regitur.

119 Quarta. Ut ad res tantùm externas impelli, quæ videantur ab hominibus, interna reformatione relicta, est signum certum diabolicæ suggestionis, valdè autem dubium ad regimen animarum incitari. Ita ex adverso istud fugere, omnesque dignitates, nisi obedientia, cui resisti non potest, aliud suadeat, nec opera grandia, & mirabilia aggredi, nisi prius posito propriæ perfectionis, solidæque humilitatis fundamento, divinam arguit impressionem. Siquidem Deus, cùm opera grandia, & mirabilia alicui inspirat, & ad ea movet, à Spiritu interno incipere solet, replendo animam præclaris donis.

120 Quinta. Licèt interdum contingat in divinis impressionibus, quod gratiæ, & consolationes spirituales ad corpus, & sensus redundent juxta illud *Psal.* 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quemadmodum enim tabescere solet corpus, cùm tristatur anima; ita etiam interiori dulcedine per redundantiam sensus afficiuntur. Hujusmodi tamen suavitas, aut dulcedo non sunt certum semper divinarum impressionum argumentum, quin potiùs sunt subjectæ illusionibus, ac seductionibus malignorum Spirituum, indeque forsan Illuminatorum, ac Begardorum sordes, ac turpitudines originem habuerunt. Unde D. Bonaventura *de proces. Religios. tr.* 7. *cap.* 18. sic ait: *Quidam decepti à seductoribus spiritibus, vel propriis falsis opinionibus putant sibi apparere Christum, vel ejus gloriosam Genitricem, & non solùm amplexibus, & osculis, sed etiam aliis indecentibus gestibus, & actibus ab eis demulceri, ut sicut Spiritus ipsorum interius ab ipsis cõsolatur spiritualiter, ita & caro exteriùs sibi congruo oblectationis sensu consoletur. Quod non solùm est falsum, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur.* Tum addit: *De his verò, qui cùm aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu illecti fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod potiùs eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inviti quandoque in hujusmodi spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur, ita excusare eos nescio, qui tali fluxu ex consensu delectantur, qualiscumque eorum intentio videatur.*

121 Potiùs igitur cùm ex peccato originali ad sensuum delectationem proni simus, illa bona censenda est impressio, quæ à voluptatibus retrahit, & ad laborem, ac crucem trahit. Sic D. Paulus 2. *Corinth.* 12. ait: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Et D. Bernardus *ser.* 25. *in Cantic. Grata ignominia Crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est.* Unde si quando permisit Deus aliquos Sanctos, & Sanctas carnaliter tentari, ut in eorum actis legitur, id non fuit, ut vel minimam inde percipierent sensus oblectationem, verùm ad agonem, ad majorem eorum desolationem, & afflictionem, indeque animæ purgationem.

Sexta. Quæ in impressionibus excitantur lachrymæ, 122
non arguunt semper eas esse à Spiritu Sancto, cùm alii sint fontes, undè promuntur. Primò enim ex tenera, & molli natura, quæ facilè movetur ad commiserationem, profluere possunt, talesque ut plurimum steriles sunt, & citò arescunt. Secundò æstu dæmonis commoventis humores nasci quoque possunt, eòque tendunt, ut ad hypocrisim, & superbiam, ac tandem ad extremam perniciem, inducant. Sicque sæpè dæmones peccatoribus facilitate flendi illudunt, ut inde falsam concipiant fiduciam non defuturæ sibi in extremo vitæ contritionis; quæ autem sunt à Spiritu Sancto, qui, ut ait Apostolus, postulat, hoc est postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, quod est donum lachrymarum à Sanctis Patribus tantoperè commendatum, in hoc ab aliis distinguuntur ex D. Gregorio *lib.* 5. *dial. cap.* 34. quod ex timore, & amore procedunt, vel ex D. Bernardo *ser.* 3. *de Epiph.* ex devotione, pœnitentia, & fraterna compassione; quare ad discernendas veras à falsis lachrymas, seù num à Deo, an ab aliis sint causis, earum præcipuè motivum attendi debet, & iis, qui divinitùs illis donantur cum gratiarum actione tale suscipientibus donum, duo vitanda sunt extrema. Unum complacentiæ, & arrogantiæ, ne scilicet in illo nimis sibi complaceant, & extollantur, suamve inde Sanctitatem, & profectum spiritualem nutriant. Alterum pusillanimitatis, diffidentiæ, ne fortè putent actum esse de perfectione, & salute sua, si illud desit, sive à Deo illis subtrahatur. Ubertas namque lacrymarum neminem Sanctũ facit, nec inopia peccatorem.

Septima. Ubi in visionibus, & apparitionibus, aliisque impressionibus consolatio in anima relinquitur, nulla præcedente ejus causa, certum est argumentum, illas à Deo esse. Proprium est enim illius suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere. Tunc autem nulla causa præcedere dicitur, quando nec sensibus, neque intellectui, neque voluntati quidpiam objectum est, quod hujusmodi consolationem causare possit. 123

Octava. Si post timorem successerit gaudium, à Domino venisse auxilium docuit S. Antonius, & habetur in ejus vita; quia securitas animæ præsentis Majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est, qui videtur. Hanc regulam pro discernendis veris à falsis impressionibus, cui subscribitur D. Bernardus *ser. de util. verb. Dei, sonans*, inquiens, *in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatque, sed continuò, si benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat*, refert, & laudat D. Thomas 3. *p. q.* 30. *art.* 3. *ad* 3. rationemquè affert; quia ex hoc ipso, quod homo supra seipsum elevatur, pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio. Sicut etiam calore naturali ad interiora reducto, exteriora tremunt. Sic Daniel consternatus est initio visionis. Sic B. Virgo ad Angeli salutationem turbata est. Sic commotus est Zacharias viso Angelo, & timor irruit super eum. Sic Apostoli transfiguratione Domini ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Sic denique Joannes initio revelationum cecidit, tanquam mortuus ex ingenti pavore veluti exanimatus. 124

Nona. Non exiguum est divinæ impressionis argumentum, si ea revelentur, & ad ea exercitia, & opera communiter amplectenda impellamur, quæ ætati, in qua degimus, sunt peculiariter accommodata, maximè ex usu universalis Ecclesiæ. Sicut nullum temporum delectum habere quoad plura accidentalia, & indifferentia, etiam in rebus Sacris, & Ecclesiasticis, sed potiùs contra communem Ecclesiæ usum, cujus in his rebus eadem 125

semper

semper auctoritas fuit, propriæ sententiæ adhærere, velleque posteriora semper tempora ad priora revocare, non videtur bonum sapere Spiritum, affectata maximè in hoc quadam singularitate, necnon aliorum contemptu.

126 Decima. In impressionibus locutiones aliquas involventibus signum est, illas à Deo esse, si quæ audiuntur verba suum statim bonum consequantur effectum. Loquutio enim Dei efficacissima est, statimque effectum. suum operatur. Vivus est enim sermo Dei, inquit Apostolus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, & Spiritus, compagum quoque, & medullarum. Quapropter eodem momento, & loquitur Deus, & operatur, statim que efficit in anima, quod, enunciat, ut si afflictæ, & anxiæ dicat: *Noli timere*, omnis protinùs mœstitia, omnis perturbatio sedatur. Et sic de aliis, quorum plura habentur exempla in actis Sanctorum.

127 Undecima. Indicium quoque est divinæ locutionis, cùm in ea clariùs verba intelligantur, quàm si auribus exciperentur, & siquis ea audire recuset, & obluctetur, non potest tamen impedire, quin ipsa mente percipiat, & animam impellant, quò Deus vult. Item si quæ dicuntur, procul ab humana intelligentia remota sunt, brevissimoque temporis spatio adeò multa audiuntur, ut nullo modo potuerint ab humano ingenio tam citò excogitari, ac intelligi. Et tandem si verba audita memoria nunquam excidant.

128 Duodecima. Cùm impressiones divinæ post se consolationem, summamque animæ quietem, & tranquillitatem relinquant, diabolicæ ex adverso vanam initio securitatem afferunt, in fine ariditatem, diffidentiam divini auxilii, & desperationem inducunt. Quia autem duo sunt genera hominum, bonorum & malorum, bonis ea suggerit, quæ molestiam, & scrupulos causent, malis ea, quæ desinant in sensuum delectationem. Ad illos asperè, & turbulenter ingreditur. Ad hos placidè, suaviter, ac benignè, quia jam sui sunt.

129 Decima tertia. Satis frequens, & ordinarium diabolicæ impressionis argumentum est ardens, & indiscretum desiderium omnes ad Deum convertendi, quàm tentationem communem esse, multisque causam irreparabilis ruinæ experientia constat. Nam cùm par esset, ut inquit S. Theresia *lib. vitæ suæ cap.* 23. quod posthabita aliorum cura, sibi duntaxat incumberent, seduloque attenderent, quomodo oporteat ambulare, & placere Deo, ipsi potiùs aliorum saluti procurandæ dant operam, cùmque vix possint in via virtutis gressus figere, per difficiles semitas alios ducere audent. Certum est igitur semper bonum esse errantium conversionem desiderare, at cùm illi incumbere possit esse malum, magna in hoc cautio adhibenda est, ubi quis se ad illud munus impelli deprehendit, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur. De quo vide D. Bernardum, *ser.* 18. *in Cant.* 13.

130 Decimaquarta. Quia dæmones, permittente Deo, nedum imaginariis, ac sensibilibus impressionibus illudere hominibus possunt, verùm insuper corpus eorum obsidere, & ingredi, qui propterea energumeni, arreptitii, dæmoniaci, sive possessi appellantur. Cùm enim energema, seu operatio dæmonis in homine fiat dupliciter, nimirùm spiritualiter, quando cor hominis possidet, & in illo operatur, sicut in Evangelio dicitur intrasse in cor Judæ, suggerens illi, ut Christum traderet; & corporaliter, idque vel extrinsecus per vexationes, & molestias homini forinsecus illatas, quæ operatio dicitur simplex obsessio; vel intrinsecus, quando hominem invadit, intusque vexat, & exagitat, quæ operatio dicitur simpliciter possessio. Ut enim aliquis verè sit energumenus, sive arreptitius, non sufficit vexatio extrinseca, sicut S. Job. S. Antonium, atque alios Sanctos à dæmonibus molestatos fuisse legimus, sed requiritur, ut diabolus sit in illo intimè præsens, sicut motor in mobili, & in eo aliquid operetur.

Signa autem veræ possessionis dæmoniacæ, quam dari 131
præter Sacras literas, & Ecclesiasticam historiam, omnium Doctorum consensus, ipsaque testatur experientia, desumuntur ex quibusdam operationibus. Substantiæ enim spirituales, ut Theologi communiter docent cum D. Thoma, dicuntur esse in loco per suam operationem. Hujusmodi operationes sunt agrestes, & feri mores, vultus truculentus, clamores, & ululatus, stupor membrorum, inquietudo, vitalium operationum privatio, aliaque hujusmodi. Sed cùm hæc signa sint æquivoca in habitantis dæmonis, & ad alias causas referri possint, atque adeò levem tantùm generare suspicionem, vehementior oritur ex quibusdam aliis insolitis actionibus, ut cùm quis in ignem dejicitur, vel in aquam, cùm laqueo, vel præcipitio vitam sibi adimere tentat, cùm catenas præduras frangit, vel onera vires superantia portat, cùm blasphemias profert, sacrarumque rerum præsentiam, & contactum horret.

Signa autem univoca, ac ferè certa sunt, cùm quis 132
lingua peregrina loquitur, quam nunquam penitùs didicit; cùm literarum, atque artium ignarus legit, scribit, & ex arte sive musicè cantat, aut de rebus altissimis disserit, qui nunquam studuit; cùm occulta revelat adeò ignota, ut nulla industria, vel humano ingenio sciri possint, sive præterita sint, sive præsentia, sive futura; cùm eodem temporis momento, quo fiunt, enarrat, quæ facta sunt in remotissimis regionibus; cùm jussus recitare symbolum Apostolorum, vel petere veniam peccatorum omninò renuit; cùm cessante vexatione eorum, quæ dixit non recordatur, aut de his interrogatus nescit respondere. De quibus, atque aliis nos satis *tom.* 4.

Utrùm autem Angeli Sancti possint ita possidere ho- 133
mines interiùs, sicut arreptitios, negant absolutè aliqui id fieri posse, non solùm per illapsum in animam, solius Dei proprium, quod omnes admittunt, verùm etiam in corpus. Licèt enim dubium non sit, quin Angeli Sancti operando in corpore hominis, sint intra terminos quantitatis illius, hoc tamen aiunt, non est illum obsidere; aliàs dum in Sanctis operantur, essent obsessi. Alii tamen affirmant, dummodò non sit cum privatione usus rationis, quod malis Angelis competit. Quia potentior non est dæmon ad nocendum bono Angelo ad custodiendum, & hominem dirigendum. Quod igitur præstat dæmon in arreptitiis nocendo, multò magis hoc exhibere poterit bonus Angelus in his, quos regit adjuvando.

Decimaquinta. Consolationes spirituales, quæ in so- 134
la mente percipiuntur, etiam adultæ virtutis comites sunt, atque charitati dant incrementum, certum quidem sunt divinarum impressionum argumentum; secus autem sensibiles, quas etsi Deus aliquando suis largiatur, à dæmonibus tamen esse possunt, vel à natura, & malis communes. *Dulcis in Deum affectus*, inquit Richardus Victorinus de illis loquens *in Cantic. cap. 6. quodammodò carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potiùs, quàm gratiæ, cordis, quàm Spiritus, sensualitatis, quàm rationis.* Cujus satis clarum est signum, quando aliqui hac ubertate sensibilis consolationis repleti adeò indiscretè se gerunt, ut nimiùm indulgentes affectui, vel seipsos ultra vires externis pœnitentiæ operibus excrucient cum notabili salutis corporalis damno, undè posteà vitæ spiritualis nausea vel multa temerè statuant, & ad ea vota se obligent, quibus posteà natura succumbit, & illo impetu sedato servari non possunt. Quando enim talia, & similia à Deo inspirantur, dat consequenter vires, ut posteà executioni fideliter mandentur.

Decimasexta. In impressionibus cum ecstasi, vel raptu 135
conjunctis, cùm rapta mens multitudine cogitationum, & speciebus creaturarum occupatur, aut distortis phantasmatibus perturbatur, signum est, eas à Deo non procedere. Nam in vero raptu in unum Deum defixa mens, & in ipso mirabiliter subsistens, omnium obliviscitur,

quæ

quæ extra ipsam sunt, nec potest aliquid velle, nisi quod ipse vult. Tametsi in divinis impressionibus ecstaticis aliqui per plures dies sine potu, & cibo permaneant, hoc tamen non probat, eas esse tales, nisi aliundè constet. Multas siquidem multorum historias referunt medici, qui citra miraculum absque cibo, & potu diù vixerunt, & incolumes fuerunt, de quo nos etiam *tom.* 4. & 7. plura diximus.

136 Decimaseptima. Si quod revellatur eò tendat, ut opus aliquod grande, & inusitatum statuat, non statim ei revelationi tanquam divinæ credendum, sed ad judicium Superiorum referenda est. Cùm sæpè etiam dæmones bonum aliquod suggerant, quod majus, & perfectius videtur, ut falsa ejus species mens decepta ab eo, quod verè bonum est, recedat, & malo sensim adhæreat, vel quæ propriæ vocationis, & professionis sunt, derelinquat. Ut dum uxori alligato suadetur vita eremitica, solitudini addicto gentium conversio, & hujusmodi alia.

137 Decimaoctava, & ultima regula. Quia in veris, ac divinis impressionibus semper anima proficit in veritatis cognitione, & in doctrina, & scientia Sanctorum, propterea quando sermo hominis post illas cœlestem sapientiam redolet, non leve est veritatis earum argumentum; falsitatis autem quando quis per multa phantasmata, multasque ambages in sermone vagatur, verba grandia, magnifica, inusitata profert, quibus non veritatem suadeat, sed admirationem audientibus, sibique laudem conciliet.

138 Ad quartam denique classem pertinèt illæ regulæ, quæ desumuntur ex variis circumstantiis, falsitatem, aut veritatem impressionum prodentibus. Quarum prima debet attendi penes quemdam internum loquendi modum. Qui enim in illis cœlestes susurros interna cordis aure excipere videntur, signum est, illas à Deo esse, à maligno verò Spiritu, quando vox quasi de foris veniens, & Spiritus quidam auditur. Proprium est enim Dei in animam intimè illabi, diaboli extrinsecus advenire.

135 Secunda desumitur ex parte modi movendi. Deus enim in suis impressionibus bonos suaviter, malos asperè movet. Dæmon autem in suis malos fovet, bonos terret. Unde valdè observanda est dæmonis, & Spiritus similitudo, vel dissimilitudo; agunt enim contrario modo cum his, qui sibi contrarii sunt. Dæmon peccatoribus sæculi illecebras proponit, & sensuum delectationes, inanem spem divinæ misericordiæ ingerit, ut differatur pœnitentia, & peccatorum cumulus augeatur. Justos verò tanquam dissimiles scrupulis divexat, vanoque metu, & variis angoribus torquet, ut cum tædio, quæ Dei sunt, operentur, illavè deserant. At Deus malos utpotè dissimiles duriùs pulsare solet, conscientiæ stimulis pungendo, mortis, ac inferni timore concutiendo, nullamque sinendo in rebus seculi habere quietem; bonos autem mulcet, adjuvat, exhilarat. Sic D. Augustinus *lib.* 11. *Confes. cap.* 9. dicebat Deo: *Quid est illud, quod interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco, & inardesco? Inhorresco, in quantum dissimilis ei sum. Inardesco in quantum similis ei sum.*

136 Tertia est ex parte durationis. Impressiones enim divinæ in anima, internaque jucunditas ex illis procedens, diuturnæ non sunt; quia mens divini luminis claritate reverberata ad seipsam statim revocatur, & ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur. Quare quod *Apocal.* 8. dicitur, factum esse silentium in cœlo quasi media hora, per hoc multi Patres mysticè significari volunt brevitatem quietis in rerum cœlestium contemplatione, aut revelationibus, quas Deus Sanctis in hac vita concedit. Sicque D. Gregorius *lib.* 5. *moral. cap.* 23. explicat illud *Job.* 4. *Et cum Spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Non stat*, inquit, *sed transit Spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit: In hac siquidem vita quantalibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis suæ stimulum sentit.* Unde durum est, parumque Sanctorum doctrinæ consentaneum, nempè S. Augustini *lib.* 10. *Confes. cap.* 45. D. Bernardi, qui docent brevem esse mentis sublevationem, ac unionem cum Deo, quia statim decidit anima ab illa quietis sublimitate pondere corporis. Quocirca suspectæ esse debent illorum impressiones, quas semper se habere, actualemque in illis cum Deo unionem gloriantur. Etsi enim legamus, fuisse nonnullos eximiæ, & heroicæ perfectionis Sanctos, qui per plures horas, aut etiam dies ex speciali Dei gratia intimam cum ipso unionem habuerunt, hoc tamen rarissimum est, pauciscque concessum. Ista enim non interrupta deliciarum, vel gaudiorum fruitio patriæ est, non exilii. Notandumque est diversum esse: unio actualis, & inventio Dei semper ac anima intra se recolligitur. Hoc autem est credibilibus, quod habeant aliquæ animæ excellentis Sanctitatis ad certa tempora. Sed hoc differt à primo, quemadmodum si alicui occasio semper esset colloquendi Summum Pontificem, quando libuerit, non idcircò semper cum Pontifice sermonem conferre dicetur.

Quarta petitur ex libertate habendi hujusmodi impres- 137
siones. Qui enim jactant se illas habere, vel rapi quandocumque voluerint, non sunt credendi, sed potiùs signum est, illas à Deo non esse. Nemini enim datur raptus, vel ecstasis per modum habitus, sed divina gratia ad se animam trahit, quando vult. Idem cùm pro arbitrio suo cessant ab illis, vel ad certam vocem revocantur ad sensus, quia virtus divina non est verbis alligata, nisi sit vox Superioris ex obedientia vocantis. Quod tamen signum non est infallibile, nisi cætera concurrant.

Quinta ex claritate, & efficacia verborum, quæ in 138
impressionibus aliquando audiuntur. Quando enim à Deo sunt, clariùs intelliguntur, quàm si auribus exciperentur. Et si quis ea audire recusat, & oblucletur, non tamen potest impedire, quin ipsa mente percipiat, & animam impellant quò Deus vult.

Sexta ex parte loci. Quæ enim impressiones tam ecsta- 139
ticæ, quàm aliæ, in quibus verba externè proferuntur, contingunt in locis publicis, & ubi major hominum frequentia est valdè suspectum esse debet, eas divinas esse. Deus enim ducit in solitudinem, & loquitur ad cor nostrum; fugitque omne illud, quod vanam gloriam in nobis excitare potest, aut ad captandum auram popularem.

Septima ex parte memoriæ. Quæ enim à Deo reve- 140
lantur, aut in raptu videntur, & audiuntur, menti firmiter hærent etiam post longum tempus. Unde si omnium obliviscitur, morbus potiùs, aut illusio diabolica, quàm vera ecstasis, vel raptus censeri debet.

Octava ex modo loquendi, ubi in impressione aliqua 141
intervenit locutio. Quando enim Deus verè loquitur, id humano non præstat modo, unum verbum post aliud proferens, sed plures simul sententias brevi momento promit. Quomodò S. Brigitta regulæ *cap.* 29. eam sibi à Christo revelatam fuisse testatur, quam posteà scripsit.

Nona potissimùm ex certitudine desumenda est. Quan- 142
do enim aliqua impressio verè à Deo est ex lumine infuso, quo anima ejus imbuitur, certitudo Dei revelantis, & rerum revelatarum colligitur, sicut lumine naturali prima scientiarum principia cognoscimus, & ex iis conclusiones inferimus. Aut sicut vox ex se & loquentem, & rem, cujus est signum manifestat, ita supernum hoc lumen non solùm Deum revelantem, & ea, quæ revelantur, verùm etiam seipsum palam facit. Quia tamen hoc lumen non semper adest in divinis revelationibus, aut si adest, ut certi simus de illis, non tamen ut earum intelligentiam semper habeamus, sanum consilium est eas superiori, aut magistro spirituali referre, qui ex regulis traditis judicet, *utrum divina jussio ullo nutet incerto*, ut monet D. Augustinus *lib.* 1. *de Civit. cap.* 2.

Denique, ac sùmatim examinandæ hujusmodi impres- 143
siones. Primò diligenter considerando naturalem constitutionem eas patientis, an sit melancholicus, vehemens, inquietus, curiosus, durus, & id genus alia. Secundò considerando mores præteritos, ac præsentes, an sit humilis,

lis, obediens, castus, modestus, voluptates suas temperantia frænans, tacitus, spiritualia extraordinariè non amans. Tertiò considerando ea, quæ sentit, vel audit, an sint vera, pia, casta, necessaria, vel utilia ad fines supernaturales. Quartò considerando, an visiones, revelationes, aliæque impressiones, ac motus sint conformes sacræ Scripturæ, ac doctrinæ, & exemplis Sanctorum. Quintò considerando, an earum effectus sint boni, sint majoris humilitatis, majoris virtutis, ac desiderii unionis cum Deo. Hæc sunt præcipua capita, quæ si cum accurata diligentia examinentur, & reperiantur bona constitutio naturalis, ac moralis, inspirationes, aut visiones piæ, veræ, puræ, utiles, ac conformes S. Scripturæ, doctrinæ, & exemplis Sanctorum cum effectibus majoris bonitatis, ac perfectionis vitæ, possunt, ac debent bonæ judicari, è contra verò malæ. Advertendum tamen circa primum caput, in quo loquuti sumus de imperfectionibus naturalibus melancholicis, de inquietudinibus &c. quod Spiritus Dei corrigere soleat sua gratia illas imperfectiones, ut docent Theologi, & experientia plurimum Sanctorum.

144 Hactenus de præcipuis regulis, vel signis, quibus dignosci debent veræ, ac divinæ impressiones à falsis, & dæmoniacis. Quarum singulæ, licèt ad id non sufficiant, omnes tamen simul, vel collectivè sumptæ, tantam certitudinem moralem efficiunt, ut vix in hac re possit errari, si diligenter perpendantur. Illud verò advertendum est, quod licèt discretio in ferendo judicio de his impressionibus, quæ in alio fiunt, minùs certa videatur, quàm de his, qua judicans in seipso experitur; quia tamen effectus ad res proprias mentem à recto facilè abducit, tutius est illas ab alio potiùs, quàm à seipso probari, & ad prudentem directorem confugere. Quò etiam munere ut rectè fungantur, quia omne bonum desursum est, & sine divina gratia omnes conatus nostri inutiles sunt, ipsius auxilium humili prece ante omnia seduli, pii, ac docti illarum examinatores implorare debent, ut mittat desuper Spiritum sapientiæ, & intellectus, qui depulsa caligine mentem illustret, æternæque veritati faciat semper adhærere, quæ nec falli, nec fallere potest.

145 Alia plura, mi lector, vide apud Theologos mysticos, & præ cæteris apud Cardinalem Bonam in peculiari tractatu de discretione Spirituum, ac nostram disceptationem, sive sermocinationem Italicam, vulgò *Discorso di Teologia mistica.*

CONSULTATIO CLII.

Quas pœnas incurrat Christianus negans animæ rationalis immortalitatem, vel de illa dubitans?

1 PRæter Philosophos illos, qui animam rationalem mortalem esse, & cum corpore interire senserunt, non defuerunt hæretici immortalitatem ejus negantes, quos, referunt D. Augustinus *de hæres.* 83. D. Isidorus *lib.* 8. *etym. c.* 5. Castro *lib.* 2. *adversus hæreses v. anima hæres.* 7. quorum mentio quoque fit *in can. quidem* 24. *q.* 3. quibus favere in primis videntur Scripturæ testimonia, quæ sequuntur, & si quæ sunt ejusdem tenoris alia. Primum habetur Ecclesiastici 3. hisce verbis: *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis, idcircò unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Et Sapientiæ 2. *ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Et Job. 14. *Omnis spes homini præciditur resurgendi.* Facit secundò, quod de Angelis videntur sentire plures ex Sanctis Patribus, natura quidem mortales, atque corruptibiles esse, sola autem gratia, ac voluntate Dei duraturos in perpetuum. Ita enim loquuntur Hieronymus *lib.* 2. *contra Pelag.* Bernard. *lib.* 5. *de consid.* & Damascen. *lib.* 2. *orthodoxæ fidei cap.* 3. quod etiam scribitur in Epistola Sophronii recitata *in 6. Synodo act.* 11. & recepta ab eadem Synodo *act.* 3. ex quibus tale argumentum desumitur: Perfectiores longè sunt Angeli anima rationali. Sed illi sunt natura mortales, atque corruptibiles ex mente horum Patrum. Ego multò magis erit corruptibilis, atque mortalis anima. Probatur consequentia. Quia incorruptibilitas, atque immortalitas ad perfectionem spectat.

At nihilominùs certissima fide tenendum est, animam 2
rationalem immortalem esse, & tanquam fidei proximum id habere non ex gratia, aut sola Dei voluntate, sed ex natura. Id probare possemus innumeris penè testimoniis Sacræ Scripturæ, ex quibus pauca hæc, ut expressiora sufficiant Ecclesiastes 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ,* & post pauca: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* & in lib. Sapientiæ à *cap.* 2. usque ad 5. clarissimè dicitur, animas cum corporibus non interire, sive piorum, vel impiorum hominum sint. Secundò etiam Machabæorum libro *cap.* 12. in sacrificium mittuntur pecuniæ Hierosolymam pro animabus defunctorum à pœnis exolvendis. Idem probant ea, quæ de divite illo dicuntur, qui horrea amplificanda decernebat *Luc.* 12. cui dictum est: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam.* Atque etiam quæ latroni in Cruce pendenti, statimque morituro promisit Christus dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et in Sacrosancto Evangelio reprehenduntur Saducæi. Et tandem quod Matthæi 10. protulit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed eum timete, qui potest animam, & corpus in gehennam perdere* Ex quibus, ac præsertim ex hoc ultimo statuit Ecclesia in Concilio Lateranensi tertio sub Leone X. *sess.* 8. immortalitatem animæ firma fide tenendum esse, & omnes, qui eam negarunt, tanquam hæreticos damnando his verbis: *Damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse & hoc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè per se & essentialiter humani corporis forma existat, verùm & immortalis, quod manifestè constat ex Evangelio.* Quibus etiam id ex natura sua habere expresè ferè decernit, quia continuis verbis utrumque docet sua natura habere, nempè quod sit forma corporis, & quod sit immortalis, quamvis à quibusdam sic exponatur, ut primum tantùm ex natura habere decernat, immortalitatem verò absolutè, & sine hoc addito. Sed minùs bona expositio est, ut verba ipsa considerantì facilè constabit. Propterea diximus immortalitatem animæ ad divinam fidem pertinere. Quod verò eam habeat ex propria natura, fidei proximum esse & consequenter id negare periculosum in fide. Eandem veritatem decernit Ecclesia in Concilio Viennensi, & refertur *in Clem.* 2. *de sum. Trinit. & fid. Cath. §. porrò,* quam efficaciter confirmat communis consensus Sanctorum Patrum. Ex quibus nullus unquam de immortalitate animæ dubitavit, quamvis de ejus origine, aut productionis modò diversa ratione sint locuti, ut de D. Augustino adnotatur, qui tamen immortalitatem ejus omnibus esse notissimam his verbis docuit *Ep.* 3. ad Volusianum, *Quis nunc est extremus idiota, vel quæ mulierecula, quæ immortalitatem animæ non credat? Vitamque post mortem futuram?* Et quidem scriptum est: *Credo carnis resurrectionem.* Quomodò resurget corpus sine anima? Quove modo erit anima, si non erit? Est enim Deus vivorum, non mortuorum. Christianus igitur non credens, vel negans animæ immortalitatem, vel de illa dubitans incurrit pœnas in hæreticos inflictas; quia definitum est ab Ecclesia animam esse immortalem, & humani corporis formam. Definita autem ab Ecclesia non sunt in dubium revocanda, *can. majores* 24. *q.* 5. D. Thomas 1. *p. q.* 32. *art.* 4. & dubius in fide infidelis est, *cap.* 1. *de hæret.*

Primum verò testimonium in contrarium adductum 3
ex persona impii prolatum esse docent omnes ferè ejus interpretes, præsertim D. Gregorius 4. *dial. cap.* 4. &

D. Thom.

D. Thom. 1. *p. q.* 75. *art.* 6. *ad primum.* Et pariter verba secundi testimonii, ut insinuat sacer ipse textus in ejusdem capitis initio illis verbis, *Dixerunt impii, cogitantes apud se non rectè.* Quod ibidem adnotavit D. Thomas, addens posse etiam hæc testimonia intelligi de homine, quâtum ad corpus pertineat. Quod sequêtibus verbis significatur: *De terra facta sunt, & in terram pariterre vertuntur.*

4 Testimonium verò ex Job naturali modo, & ordine intelligi debet, aut per naturales vires ejusdem hominis, naturaliumve causarum. Hoc enim modo impossibilis reputatur resurrectio hominis, & consequenter omnis spes hoc modo resurgendi sublata. In hoc sensu intelligi debere assero, quia resurrectionem hominis futuram per divinam virtutem clarissimis verbis confitetur *cap.* 19. de qua nos *tom.* 4.

5 Ad illud verò de Angelis respondetur, perfectiores quidem esse animabus, & sua natura incorruptibiles, atque immortales; eorum verò immortalitatem nec adeò clarè constat in S. Scriptura, nec esse hucusque ab Ecclesia definitum, sicut constat esse definitum de anima. Et propterea ad idem non pertinet, sicut pertinet immortalitas animæ. Cujus ea est ratio; quia omninò necessarium fuit, ut nobis certò constaret immortalitas animæ nostræ ad vitam nostram, moresque componendos. Et propterea quia huic veritati innituntur plura nostræ fidei mysteria, ea præsertim, quæ ad Christi humanitatem pertinent. Quod verò Angeli sint immortales, atque incorruptibiles, vel non minus est nobis necessarium, minusque proinde refert id, certò cognoscere. Quare nec fuit necessarium id expressè revelari in Scriptura.

6 Quod verò sententiam illam Sophronii non receperit Concilium, quantum ad modum corruptibilitatis Angelorum, quia nihil ad intentum ejus imaginum venerandarum referebat, alibi ostendimus. Quare nec probare ex ea potest aliquid statuisse Concilium de Angelorum immortalitate, aut incorruptibilitate, nec aliquid etiam potest deduci adversus immortalitatem animæ rationalis.

7 Et quoniam reus aliquando se excusat, dicendo, secundùm fidem esse immortalem, secundùm verò Philosophos, præsertim Aristotelem, & secundùm naturam esse mortalem, ut Pomponatius, qui non absolutè, ac simpliciter mortalem animam censuisse videtur, sed duntaxat, si ratio nuda consuleretur, ut liquet ex opere Contareni Cardinalis, *de immortalitate* conscripto adversus Pomponatium, ipsius quondam Contareni in Philosophicis magistrum. Nec aliud censuerim voluisse illos ejusdem ævi philosophastros, damnatos à Lateranensi Concilio sub Leone X. & alios longe ante à Stephano Parisiensi Episcopo anno 1277. vel potius anno 1217. in rescripto, quod extat *tom.* 5. *Biblot. Margarini pag.* 1310. æque damnatos, quod asserent, animam rationalem secundum fidem esse immortalem, at secundum philosophiam esse mortalem. Næ hi non philosophi, sed ut alia occasione dixit Valdensis *frivophili* habendi fuissent si animam simul mortalem ex philosophia, & immortalem ex fide pronunciassent. Quomodo enim esse, & non esse de eodem subjecto affirmari possit, absolute & simpliciter, etiamsi penes diversa capita? Animam ergo absolute videntur agnovisse immortalem, quod ita aperte ferant fidei scita, quamvis nisi de animæ rationalis perpetuatione fide doceremur, solaque naturali ratione consulta, negaturi fuissent immortalitatem; ideò contrarium probandum est. Siquidem longè plures Philosophi, & majoris momenti expressè tenuerunt immortalitatem animæ rationalis, quos referunt Nicolaus Faventinus *lib* 1. *de immort animar. ad Clementem VIII. cap.* 11. & Eugubinus *lib.* 9. *de peren. philosoph.* Verùm est, quosdam ex his philosophis, præsertim Stoicos, putasse non semper durare animam, sed corpore solutam longo post tempore debilitari, & tandem perire; sapientum verò animas usque ad mundi finem perseverare. Alios verò parvo tempore durare censuerunt. Sed major, & melior pars eorum absolutam immortalitatem concessit, & perpetuam durationem.

Et de Aristotele quoque plures prioribus asseveranter 8
docuerunt immortalem fecisse animam, quos refert Mirandul. *lib.* 4. *de exam. vanit. cap.* 9. D. Tho. 2. *contra Gent. cap.* 79. ibidem Ferrar. *lib.* 8 *physic. lect.* 12. *& lib.* 12. *metaph. lect.* 3. & sæpè alibi, Alb. Magnus *tr.* 2. *dist.* 18. *q.* 3. Eugubin. *loc. cit. cap.* 18. & sequentibus, & est jam communis sententia recentiorum; quia illustrioribus longè testimoniis, & multò majorem fidem facientibus probatur, & potissimùm habetur 2. *lib. de gener. animal. cap.* 3. ubi postquam probavit de cæteris animabus in virtute seminis contineri & ab ea in actum deduci ab agente naturali, de anima rationali expressè id negat, ac simul asserit de foris advenire. Ex quo efficaciter sequitur, ex mente ejus esse immortalem; quia forma, quæ non continetur in potentia materiæ, neque ab ea deducitur ab agente naturali, non potest, nisi à Deo creata ex nihilo in materiam infundi. Verba Aristotelis hæc sunt: *Restat igitur, ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola divina sit, nihil enim cum ejus actione communicat actio corporalis.* Cujus verba non solùm clara, sed etiam preclara sunt, in quibus animam adeò divinam agnoscit rem, ut nefas putarit sine medio conjungi posse corpori corruptibili, cui illud illam conciliaret. Quod medium corpus, cùm cœleste dicat esse, quid de ipsa senserit anima, satis manifestum est. Similia verba protulit 1. *lib. de anima cap.* 4. *text.* 65. *& 66.* vocans intellectum nostrum divinum, & passionis expertem. *Et lib.* 2. *cap.* 1. *text.* 11. nihil obstare ait, quo minus aliquæ partes animæ separabiles sint, per eas significans intellectivam, quia nullius corporis sunt actus. *Et lib.* 2. *text.* 21. Intellectum, qui speculatur, asserit esse aliud quoddam genus animæ à sentiente, & vegetante distinctum, tanquam perpetuum à corruptibili, separarique posse. Libro etiam 12. *metaph. cap.* 3. *text.* 17. docet, dissoluto corpoe, posse permanere formam ejus quod de sola anima rationali constat verum esse posse.

Demonstrationum autem hæc sunt principia tam ab 9
Aristotele sumpta, quam ab ipsa condita Natura. Nullum simplex resolvitur in sua principia; nullis enim componitur principiis Nulla natura cœlestis corruptibilis est. Simplicem esse animam, haud latet eum, qui scit, eam actum esse, & entelechiam apud Aristotelem. Nullus autem actus est potentia. Non igitur composita est. Quid compositum est potentia, partes verò actus; tametsi aliter vulgus sentit. Prætereà non est principium, si est composita. Dico principium essendi, & agendi; si enim esset composita, ejus partes essent principia; nullum enim principium essendi habet sui principium, nisi Deum. Hæc est prima demonstratio. Simplex ergo, non resolubilis in partes.

Altera est, quam tetigit Aristoteles diversis locis supe- 10
riùs citatis ex operatione intellectus, sic formanda. Modus operandi rei sequitur modum essendi ejus. Ergo id, quod habet operationem independentem omninò ab aliquo, habebit etiam esse independens omninò ab eo, poteritque proinde sine illo esse, aut ab ea separari, sicut potest sine illo operari. Sed anima rationalis habet operationem intelligendi independentem omninò à corpore. Quia evidens est, intellectum non esse potentiam organicam, neque intellectionem exerceri per organum corporeum, sicut visùm censemus, potentiam esse organicam, & visionem exerceri per oculos. Nam si intellectus foret potentia organica, in aliqua parte corporis resideret, per quam exerceretur ejus operatio, sicut residet visus, & omnes alii sensus. Atqui in qua resideat in nullam talem dari partem in corpore, evidenter constat, nullam talem dari partem in corpore, in qua resideat Intellectus, & per quem operetur potiùs, quàm per alias. Non est igitur in aliqua tanquam in organo, neque operatur per aliquam, sed in anima ipsa, tanquam in proximo subjecto, in quo recipitur ejus operatio. Ergo evidens est, non dependere à corpore vel parte ejus in operatione intelligendi, sed hanc esse

propriam

propriam operationem animæ,& non conjuncti,vel non communem corpori, ſicut eſt viſio. Quod eſt eſſe immortalem, & perpetuam ex propria natura.

11 Tertia eſt ex hoc principio,*ex nihilo nihil fit*,oſtenditur eſſe animam immortalem, & ominò debellatur horum pertinacia. Anima aut interit, aut immortalis eſt. Si interit, cùm ſit ſimplex, neque in principia,nullum enim habet, reſolvatur, ad nihilum neceſſariò redigetur. Ergo ex aliquo nihil fiet. Quare converſo naturæ opere, fiet aliquid ex nihilo. Quod eſt contra omnium decreta Peripatericorum.

12 Quarta ſumitur ex intellectu ipſo hoc modo. Intellectus eſt potentia purè ſpiritualis. Ergo anima rationalis, à qua emanat, purè etiam ſpiritualis eſt. Sed entitas purè ſpiritualis non dependet à corpore. Ergo anima rationalis habet eſſe ſpirituale independens ominò à corpore. Quare ſine corpore eſſe poteſt,& conſequenter eo corrupto per mortem, non corrumpetur.

13 Hinc placet ſententia Chryſoſtomi Iavelli in libello de animæ humanæ indeficientia *p.3.c.1. & ſeqq.* affirmantis nobis eſſe naturaliter ingenitam credulitatem de animæ immortalitate, & eos, qui animæ mortalitatem invexerunt fuiſſe vel impios,vel voluptuoſos, flagitioſos, inſanos, vel melancholicos, vel juvenili furore agitatos, ſanari tamen accedente ſenectute. Vnde idem Pomponatius mutata mente, opus ſuum de eo argumento improbaſſe dicitur, variantibus ſententiis, an id amicorum precibus dederit, an famæ ſuæ, ac nomini caverit,an ex animo audierit Eccleſiam, & palinodiam cecinerit, ut conſcientiæ faveret ſatis. Venetos illud opus addixiſſe ignibus, nec de immortalitate, ſed mortalitate animæ fuiſſe inſcribendum, tradit Sylveſter, *lib.5.de ſtrigimagis cap.5.* expoſtulans quod à ſe approbatum eum librum,dixiſſet Pomponatius, quod negat, ſe unquam cogitaſſe. Legatur Niphus in Pomponatium de eodem argumento, & Auguſtinus tam diſertè, ac ſolidè pro immortalitate ex ipſis naturæ principiis diſputantem, cujus extat adhuc adoleſcentis in hanc ſententiam opus integrum, & maturæ ætatis vox illa cygnea in libris de Trinitate idipſum probans. Vnde qui dubitavit, ac dixit in via Ariſtotelis animam eſſe mortalem, abjuravit de vehementi, & fuit dictum, quod nulla ipſi irrogaretur injuria, ſi etiam abjuraret de formali die 8. Auguſti 1607. Apage igitur hos animæ carnifices.

CONSULTATIO CLIII.

De fœditate comœdiarum noſtri temporis, deque earum actoribus, & inſpectoribus, ac in hoc malum remediis, idque quaſi per ſaturam, deque poteſtate Epiſcoporum illas, obſcœnoſque ludos prohibendi.

1 PRobatur id primo authoritate Sacrarum Scripturarum Eccleſiaſticus *cap.9. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi pecierunt. Speciem mulieris multi admirati reprobi facti ſunt: colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.*

2 Eccleſiaſtes 7. *Luſtravi univerſa animo meo,ut cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudentium. & inveni amariorem morte mulierem,quæ laqueus venatorum eſt,& ſagena cor ejus: vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa.*

3 Matth.14.*Saltavit filia Herodis in medio, & placuit Herodi*, Marc.6. *Et cùm ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, &c.*

4 Iudit.16. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus:pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.*

5 Secundò authoritate ex Sacris Sanctionibus Summorum Pontificum, Conciliorum, & legum Civilium.

6 S.Clemens Pontifex Maximus,& ſecundus poſt S.Petrum *lib.8.Conſtitutionum cap.32.Si quis ſcenicus ad Eccleſiam aggregatus ſit, vir, mulierve ſuat, aut ludo præfectus, atleta, aut choraules, aut Cythariſtes, aut lyriſtes, aut ſaltare doctus, deſinant artem ſuam, aut cœtu piorum pellantur.*

Can. pro dilect.de Conſecratione diſt.2. de Hiſtrione quodam, An talis debeat communicare nobiſcum? quod ego puto nec Majeſtati divinæ,nec Evangelicæ diſciplinæ congruere,ut pudor,& honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur ex D.Cypriano *ad Eucratium l.1.* 7

Et *lib.2. canonic. inſtitut. de Euch. §. item quamvis regulariter nullus, etiam ſi quem Sacerdoti peccatorem, & impœnitentem eſſe liqueat, ab Altari ſit arcendus, Scenicis tamen,atque hiſtrionibus,cæteriſque perſonis hujuſmodi quandiu tam deteſtandas artes exercuerint,ſacra communio deneganda erit; nec enim Evangelicæ diſciplinæ congruit,ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Gloſſa *in verbo Hiſtrionibus.Intelligo de his,qui turpibus.& illicitis ludunt.* 8

Concil.Carthag.III.*cap.35.* quod refertur in *can.ſcenicis d.2.de conſecr.Scenicis.atque hiſtrionibus,cæteriſque hujuſmodi perſonis,vel Apoſtaticis converſis, vel reverſis, ad dominum gratia, vel reconciliatio non negetur.* 9

Can.Donare diſt.86. Donare res ſuas Hiſtrionibus vitium eſt immane, Gloſſ.ibi ex D.Hieron *Donare Hiſtrionibus eſt Dæmonibus immolare.* Idem habet D Auguſt. 10

Concil. Nannetenſe, ut refertur *in cap.Nullus d.44. Clerici larvas ante ſe fieri non permittant; hoc enim diabolicum eſt.* 11

L. Conſenſu, C.de repud.Vir dimittere uxorem poteſt, ſi præter voluntatem ſuam Circenſes, & Theatricas voluptates captet, ubi ſcenici ludi ſunt, aut ubi feræ cum hominibus pugnant. 12

L.2.§. ait Prætor ff. de his,qui notantur infamia, Ait prætor, qui in Scenam prodierit, infamis eſt. In eam legem Baldus, ſolùm joculatores, qui ludunt in ſcena, ſunt infames. Ioculatores verò, qui ludunt honeſto modo cauſa recreationis, vel ſolatii, & nihil contra bonos mores faciunt, ideò iſti non ſunt infames. In hanc eamdem rem Chryſoſtom.*hom.12. in 1.ad Corinthios, de Hiſtrionibus, ſi ſunt infames, oportuit, eos Vrbe eiici,non de publico ali.* 13

Authent.ut cum de appell.cognoſcitur §.cauſas verſ.Si præter voluntatem parentum,Collat.8.cauſa juſta exhæredationis ſi præter voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſe ſe filius ſociaverit, & in hac profeſſione permanſerit. 14

Iuſtin. Imperator *in proœmio ff.quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur?* 15

Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio Imperatore Primo *cap.83. Non oportet Sacerdotes, aut Clericos quibuſcumque ſpectaculis in Scenis,aut in nuptiis intereſſe, ſed antequam Thymelici ingrediantur, exurgere eos convenit, aut inde diſcedere.* Idem habent Græcæ Synodi *c.59.* 16

Concilium Agathenſe *cap.89. in cap. Presbyteri diſtinct.34.Presbyteri,Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendæ uxoris licentia non eſt,etiam alienarum nuptiarum vitent convivium, nec his cœtibus miſceantur, ubi amatoria cantantur,& turpia, aut obſcœni motus corporum choreis, & ſaltationibus offeruntur,ne auditu,aut obtutu ſacris myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur.* 17

Concilium Carthag.4.*c.88.* & habetur *de conſecratione diſt.1.in c.qui die. Qui die ſolemni prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu ad ſpectacula vadit, excommunicetur.* 18

L.Dominico de Spectaculis in C.Theod. quam nec reperi, ſed illam his verbis tranſcribit Barnabas Briſſonius, & egregio commentario illuſtravit. Verùm idem ferè habetur *l.omnes dies C.de feriis.* 19

Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies, & Natale, atque Epiphaniorum Chriſti, Paſcha etiam, & quin- 20

quinquagesimæ diebus, quo tempore, & commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistra, à cunctis jure celebratur; omni theatrorum voluptate per universas Vrbes earundem populis denegata, totæ Christianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam nunc vel Iudæi impietatis amentia, vel stolidæ paganitatis errore atque insania detinentur, aliud esse supplicationum notuerint tempus, aliud voluptatum.

21 Concilium Arelat. primum tempore Sylvestri Papæ I. *num.7. Qui in theatris conveniunt, excommunicentur,* & iterum *c.7.* de theatricis, *Et ipsos placuit quamdiù agunt, à communione separari.*

22 Acta Mediolanensis Ecclesiæ sub Sanctissimo Antistite Divo Carolo Borromæo 1.p. ubi de Histrionibus, & Comicis: *De his etiam Principes, & Magistratus commonendos esse duximus, ut histriones, & mimos, & ejus generis perditos homines è suis finibus eiicjant, & in caupones, & alios quicumque eos receperint, asriter animadvertant.*

23 Tertiò authoritate ex Sacris Doctoribus, & antiquissimis Ecclesiæ Patribus petita, qui Christianam Religionem, ac pietatem acerrimè tutati sunt.

24 Tertullianus inter Latinos vetustissimus juxta ac gravissimus author *lib. de spectaculis; quid facis in illo suffragiorum impiorum æstuario? Recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo in Diaboli Ecclesia fueris, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures Diabolo adversus Deum administraverit;* Non ergo fugies *sed ilia hostium Christi, illam Cathedram pestilentiæ iam, ipsumque aerem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum?* Et statim; *sint dulcia licèt, & grata, & simplicia, etiam honesta quædam; nemo venenum temperat felle, & elleboro, sed conditis pulmentis, & benè saporatis, & plurimùm dulcibus, id mali iniicit: Ita & Diabolus lethale, quo conficit rebus Dei gratissimis, & acceptissimis imbuit: omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia proindè habe, ac stillicidia mellis de libacunculo venenato.*

25 D. Hieron. *in 20. caput Ezechiel* in illud, *Et dixit ad eos, unusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, & in Idolis Ægypti nolite pollui,* ab Idolis, *hoc est à spectaculis, imò offensionibus Ægypti, quæ rectè Idola nominantur, removeamus oculos Arenæ, Circi, ac Theatrorum, & omnibus, quæ animæ contaminant puritatem, & per sensus ingrediuntur ad mentem impleturque; quod scriptum est, mors intravit per fenestras vestras.*

26 D. Cypr. *Epist. 2. lib. 2. Converte hinc vultus ad diversi spectaculi non minùs pœnitenda contagia, in theatris quoque conspicies quid tibi, & dolori sit, & pudori. De parricidis, & incestis: Horror antiquus ad imaginem veritatis expressa actione replicatur, ne seculis transeuntibus exoleſcat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse quod factum est: Nunquam ævi senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquã scelus oblivione sepelitur; exemplasiunt, quæ jam esse facinora desiterunt. Adulterium discitur, dũ videtur & lenocinante ad vitia publica authoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes? quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum histrionicis gestibus inquinari?* pluſque *illic placet quisquis virum in fœminam magis fregerit, in laudem crescit ex crimine, & eò peritior, quò turpior judicatur, spectatur hic prob nefas, & libenter.*

27 Lactantius *lib. 6. divinarum institutionum c.20. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis eruditunt ad vera; quid Iuvenes, aut Virgines faciant, cum & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique, quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac sequisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat; probantque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula reverturtur, nec pueri modò, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet, in talem vitiorùm semitam dilabuntur. Et cap. 6. Epit. Histrionici etiam impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas saltando exprimunt, docent. Spectant hæc adolescentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari, aut regi debet, ad vitia & peccata, his imaginibus eruditur. Fugienda igitur omnia spectacula, ut tranquillum mentis statum tenere possimus, renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti suavitate in pestifera mortis laqueos incidamus.*

D. Cyrillus Hierosolymorum Episcopus *Cathechesi prima; Non ergo studiosus esto furoris theatrici, ubi conspicias mimorum impudicitias contumelia patratas, & omni fœditate, & hominum mollium, & effœminatorum saltationes.* 28

D. Basilius Magnus *hom. 64. in Exameron: Orchestra, quæ abundat spectaculis impudicis, publica est, & communis schola impudicitiæ iis, qui assident, & tibiarum cantus, & cantica meretricia insidentia audientium animis nihil aliud persuadent, quàm ut omnes fœditati studeant, & imitentur cytharistarum, & tibicinum pulsus.* 29

D. Augustinus *lib. 2. de Symbolo cap. 7. In theatris labes morum discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa.* Et mox: *Chorus illic, ac cantio Pantomimi elicit auditum, sed expugnat Sanctum aspectum.* Et de se ipso *lib. 3. Confess. Rapiebant me spectacula theatrica plena imaginibus miseriarum, & fomitibus ignis mei.* 30

Minutius Felix *in Octavio; nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis homicidii disciplinam? In scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior; nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat; nunc enervis histrio amorem, dum fingit, infligit.* 31

Theoph. ad Autholycum *lib. 3. nec cætera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, & aures nostræ hauriant aut profana, quæ ibi decantantur carmina, nempè dum Thyestæ tragica facinora commemorant, & Therei liberos devoratos recitant, nec fas nobis est audire adulteria Deorum, quæ suavi cantu modulantur.* 32

Isaacus Presbyter *de mundi contemptu cap. 2. Quis diligens turpiloquia potest habere mundam mentem?* 33

Salvianus *lib. 6. nihil enim fermè flagitiosum est, quod in spectaculis non sit, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates.* 34

D. Gregorius Nazianzenus de histrionibus, 35

-----vitamque scelestam
In medio ludunt, & quæ didicere docentes.
Ista quidem faciunt, illi quæque arte pararunt
Infanda; post abiiciunt sceleratius, idque
Iudicio certè supremi numinis æquo.

Beda, quem refert D. Anton. *2. p. tit. 3. §. 5. Non solum in addiscendis artibus magicis, sed etiam in contemplandis spectaculis consistit Concupiscentia oculorum.* 36

D. Bernardus, quem refert Bellonacensis *lib. 3. Spec. mor. distinct. 6.* ubi de Iocis, & Comœdiis. *Vt quid Christiane habes resumere, quod renuntiasti? ut quid claudicas ambobus genibus? quid tibi cum pompis diaboli, quibus resignasti? amator Christi noli falli; odit enim Deus tales, nec inter suos cognoscit professores, quos viæ suæ conspicit desertores.* 37

D. Io. Chrysostomus *Hom. 62.* ad populum Antiochenum; *In Theatro omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, & superflua dierum consumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis, & intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla,* ac plura ibidem, ubi etiam Theatra Pestilentiæ Cathedram vocat, incontinentiæ gymnasium, luxuriæ officinam, impudicitiæ orchestram, Babylonicam fornacem. 38

Idem *homil. 39. in cap. 11. Matth. Non enim ignoramus,* 39

quot

quot ibi fornicationes peragantur, quot adulteriis matrimonia maculentur, quot viri muliebria patiantur, quot juvenes effœminentur; cuncta iniquitatis summa; cuncta prodigiorum; cuncta impudentiæ plena sunt.

40 Idem *hom.43. in cap.20. Actuum Apostolorum: Magna mala theatra efficiunt civitatibus, magna, & neque hoc scimus quàm magna, &* alibi: *Maleficia autem non ne à theatralibus ludis constituuntur?*

41 Denique *hom.de David, & Saul°; Et quidem arbitror multos ex his, qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula discesserant, hodiè præsentes esse: optarim autem istos, qui sunt, palam nosse, ut eos sacris vestibulis arceam.* Et statim de iisdem; *Neque enim tam grave est delinquere, quàm post delictum de remedio erubescere, nec parere Sacerdotibus talia jubentibus. Et quid hic adeò magni sceleris commissum est, ut ab istis Sacris cancellis arcendi sint? Imò quod delictum his gravius quæris; cùm se ipsos planè adulteri contaminarint; quod si avetis adulterii modum cognoscere, non mea verba vobis referam, sed illius, qui de tota hominis vita judicaturus est: Qui viderit,* inquit, *mulierem ad concupiscendam illam, jam mœchatus est eam in corde suo; quod si mulier sponte, ac fortè in foro obvia; & negligentius culta sæpè numero curiosius intuentem cœpit ipso vultus aspectu: isti, qui non simpliciter, neque fortuitò, sed studio, & tanto studio, ut Ecclesiam quoque contemnant, & hac gratia pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facies fœminarum illarum nobilium defixos habent oculos, qua fronte poterint dicere, quod eas non viderint ad concupiscendum? ubi verba quoque accedant fracta lasciva, ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehementer ad voluptatem incitantes, ubi stibio picti oculi ubi coloribus tincta genæ, ubi totius corporis habitus fucorum impostura plenus est, aliaque insuper multa lenocinia ad fallendos, inescandosque intuentes instructa: ubi discordia spectantium, multaque confusio, & hinc nascens ad lasciviam exortatio, tum ab iis, qui spectaculis, interfuerunt, tum ab illis, qui quæ viderunt in spectaculis, post aliis enarrant. Accedunt huc irritamenta per fistulas, ac tibias, aliaque hujus generis modulatio, in fraudem illiciens, mentisque robur emolliens, ac meretricum insidiis delectatione præparans illic deridentium animos, efficiensque ut facilius capiantur. Etenim si hic, ubi Psalmi, ubi divinorum verborum enarratio; ubi Dei metus, multaque reverentia, frequenter, ceu latro quispiam versutus clam obrepit Concupiscentia, quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani, neque audiunt, neque vident, qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint illam superare concupiscentiam? Rursus si non possunt, quomodo poterunt unquam ab adulterii crimine absolvi? Tum qui non liberi sunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt absque pœnitentia ad hæc Sacra vestibula accedere, hujusque præclari conventus esse participes? Quapropter equidem hortor, rogoque, ut prius confessione, ac pœnitentia, aliisque remediis omnibus se se à peccato ex theatricis spectaculis contracto, perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. Et hom.39. an pop. Theatralibus ludis eversis non leges, sed iniquitatem evertetis, ac omnem civitatis pestem extinguetis; hinc enim seditiones excitantur, hinc tumultus oriuntur.*

42 B. Laurentius Iustinianus, Primus Venetorum Patriarcha *de casto Connubio Verbi, & Animæ cap. 4. Ex appetitu verò boni quanta studia, quot labores? Hinc joca, verba scurrilia, theatrici luxus, comessationes, ebrietates, læta convivia, varia epularum fercula, & omne, quod ad explendam spectat corporis voluptatem, exortum est. Talia autem sectantes gehennalibus flammis cruciabuntur.*

43 Quintò authoritate Principum Theologorum, qui docent mortali peccato esse obnoxios, & qui comœdias, ludosque exhibent, tum qui spectant.

44 D. Thomas Aquinas *in 2.2. quæst.167. art.2. ad secundum: Inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc, modo sit pronus ad vitia, vel lasciviæ vel crudelitatis, per ea, quæ ibi repræsentantur. Unde Chrysost. hom.6. in Matth quod tales inspectiones constituunt adulteros inverecundos.* Idem *qu.168. art.3. Superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis, quando scilicet utitur aliquis causa ludi turpibus verbis, vel factis, quæ de se sunt peccata mortalia: & sic patet, quod excessus in ludo est peccatum mortale.* Et in responsione *ad tertium. Si qui sustentant illos histriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant quasi eos in peccato foventes.*

Card. Caietanus *ibidem: Si indecentia sunt, quæ repræsentantur, non excusant à peccato videntes. Præter hoc gravius peccant viri graves ratione scandali, & mali exempli. Gravissimè autem Clerici, Religiosi, Sacerdotes, aut Pontifices in hoc delinquerent. Si futuræ indecentiæ nescius, se ibi invenerit, nec exire potest, imitetur Alipium, claudendo oculos, ut sic etiam se ipsum servet, & quantum in se est, alios hoc facto moneat.* 45

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *2 p. tit.3. c.7. §.5. Si autem spectacula non sunt expressè prohibita, tunc si repræsentant multùm turpia, & lasciva, ea exercentes mortaliter peccant: & inspectio voluntaria talium mortale est; quia nil aliud est, quàm delectari de turpibus, & de vanis; tum etiam quia periculo tentationis sponte se exponunt.* Quod etiam verbis iisdem docet Sylvester *verbo ludus q.8.* 46

Paludanus *in 4. sentent. dist.16. quæst.3. art.3. concluſ.1. Spectacula turpia ad malum inclinantia impediunt, quia ad mortale alliciunt: unde ad pœnitentiam agendam secundùm iura aliqui in Monasteria, vel in religiosa loca tendebant.* 47

Durandus *in 4. d.17. q.1. Ludi aliquando ex se habent turpitudinem, & culpam mortalem; sic ludi, qui à viris, & mulieribus agebantur in theatris ad luxuriam provocantes, & hi sunt à pœnitente necessariò vitandi:* & infra *nu.6. Quænam spectacula sunt rerum turpium, & ad peccatum provocantium; sicut inspectio ludorum theatralium, & studiosa inspectio talium peccatum est, & quandoque mortale.* 48

Sylvester *verbo ludus quæst.2. Ludus est prohibitus ratione probabilis periculi animæ suæ, vel alterius, & hoc etiam est mortale, ut crebrò accidit in choreis, & generaliter quoties continet in se turpitudinem:* & *quæst.8.* contra glossam, quæ volebat, inspectores ludorum, qui exercentur cum mortali peccato, si sint Clerici, mortaliter peccare, secus si sint laici, Addit, *hoc non benè dicitur, quia hoc peccatum consistens in videndo, non provenit ex aliqua prohibitione legis positivæ, quæ Clericos plusquam laicos in hoc coerceat; sed provenit solùm ex prohibitione legis naturalis, ex hoc scilicet quod aspiciendo faciunt aliquod secundùm se malum. Lex enim naturalis non distinguit inter Clericos, & laicos, sed omnes indistinctè obligat.* 49

Armilla *verbo Ludus. Ludos inspicere ratione periculi cadendi in aliquod mortale, tunc esset mortale, quando scienter, vel dubitanter se exponeret, ut cùm in ludis repræsentantur turpia, & lasciva.* 50

Viguerus *de virtute temperantiæ vers. 12. Cavenda sunt in ludis tria, primum & principale quod delectatio non quæratur in turpibus factis, vel verbis ad lasciviam provocantibus; quia tales ludi dicuntur theatrales & diabolici, quos D. Chrysost. districtè prohibuit non solum exercere, sed etiam inspicere,* & infra; *Quod aliquis in turpibus, aut illicitis rebus lætetur, vitium ex suo genere mortale est; si illa, de quibus lætatur, sunt mortalia; ut in theatris contingit,* & infra ostenditur 51

Tabiena *verbo chorea* refert D. Hieronymi verba hujuscemodi: *Se nullo credere viro, si dicat, se illæsum evasisse à spectaculis talium,* & verbo *histrio: si quis autem superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes,* ex D. Th. quem iterum attulimus. 52

2 Hactenus omnes ex Illustrissimo PP. Prædicatorum Ordine.

52 Alexander Alesis 2.p.q.149.*membro tertio*, hæc refert ex Chrysostomo: *Peccatum hoc tantam imponit sordem, ut neque decem millibus fontibus expurgare possis, sed solùm lachrymis, & confessionibus*, & statim: *Studiosa ergo inspectio, per quam præstatur fomentum joculationis histrionicæ, vel joculationis chorealis, potest agere in peccatum mortale.*

53 Angelus de Clavasio in sua *summa ver. Ludus num.3. Est & tertius ludus, qui dicitur diabolicus, qui operatione diabolica est inventus ad inducendos homines ad peccatum, ut sunt rerum inhonestarum demonstrationes: & tales ludi omnibus prohibiti sunt tam exercere, quàm videre: undè quando tales demonstrationes habent provocare ad lasciviam, peccant mortaliter tam exercentes, quàm videntes.*

55 Gabriel Biel.*in 4.dist.15. quæst 13. art.3.dubitat.3.* illo axiomate utitur: *Quisquis delectatur in peccato mortali peccat mortaliter, præsertim in illis, qua sunt mala, non quia prohibita, sed quia essentialiter includunt turpitudinem, quales omninò sunt comœdiæ nostri temporis, ex Apost.ad Roman.1.non solùm facientes, sed & facientibus consentientes digni sunt morte*, & hi ex sacro Minorum Ordine.

56 Thom Sanchez *lib.9.disp.46.num.42.Componentes, aut representantes comœdias, quæ res valdè turpes, ac ad Venerem excitantes continent, peccant mortaliter, quia sunt multis causa ruinæ*, Additque ex Mendoza *quæst.9. Scholastica* §. 11. *Id verum esse, licèt componens, vel representans id non intendat, quia ex se præbet sufficientem ruinæ causam*, citat pro hac sententia D.Ant. *2.p.t.3. cap.7.§.5.* Angelum *verbo ludus num.3.* Sylvestrumque 3. Alcozer. *lob.de Ludo cap.* 54. sequitur hos Bonacina *qu.4. punct.9.*

57 Reginaldus *lib.22.cap.1.sect.4. Peccatum mortale est Comœdiis interesse, in quibus res turpes representantur, aut modus representandi est turpis. Si audiantur ob carnalem delectationem inde provenientem, aut ob curiositatẽ quidem solam, sed conjunctam cum periculo notabili consentiendi in ejusmodi delectatione, aut certè scandalo, ut contingere potest maximè Ecclesiasticis, qui eo præsertim nomine prohibentur talibus nugis interesse: multò verò magis peccare censendi sunt, qui tales comœdias aut componunt aut exhibent, cum sint causa ruinæ multorum: nec refert, quod non intendant, quia dant ei sufficientem causam.*

58 Paulus Comitolus *lib.5. qu.11. de obscœnis comœdiis*, his verbis disputationem suam concludit: *sed homines egentes, sordidos, sine honore, sine existimatione, sine sensu, ore, lingua, manu mente inquinatos, vita turpes, probris, & obscœnitate verborum infames Ecclesiæ decretis, Imperatorem legibus notatos, atque concisos dimittamus*, hactenus Patres è Societate Iesu.

59 Marcellus Megalius Cler.Reg. Theatinus in Epitome suæ Institutionis *num.16. pag.166.* editionis Mutinensis: *Mortaliter peccat, qui in comœdiis, aut alibi verba dixerit ad lasciviam, & fornicationem incitantia, licet ludicrè, & tantum ad animi relaxationem; mortalis etiam criminis rei sunt, qui voluntariè ea audiunt; quamvis ea audiant absque sensuali delectatione, & tantum animi gratia.*

60 Lælius Zechius tractatu de Pœnitentia *cap.1.proposit. 7.de Comœdiis, & ideo, cum hodierna die passim hac arte abutantur, & obscœna ubique misceant, Deum timenti hujusmodi spectacula fugienda sunt, & ii ab iis Principibus essent à Civitatibus pellendi, vel præficiendi viri graves, qui prius juxta Platonis sententiam eorum dicta & facta spectarent, & approbarent.*

61 Quinto auctoritate Pontificii, Cæsareique Iurisconsultorum.

62 Abbas Panormit. *c. Episcopum de Cleric.venat. Quædam est venatio adulatoria, sicut faciunt histriones, qui verbis adulatoriis capiunt homines, sicut in venatione capiunt bestias; & illa est illicita omnibus.*

Didacus Covar. *de restit.2.part.§.2.num.5. Non infi-* 63
cior parasitum ita convenientem & paciscentem malefacere, & peccare quandoque mortaliter: nam hæc ludicra, & parasitorum ars licita quidem est ad hominum delectationem, modo ea exerceatur absque proximi pœ judicio, & læsione honestatis.

Alexander *in l.affectionis de donat. Histrioni non potest* 64
donari imo donatio facta revocatur.

Archidiaconus in illud, quod histrio non potest accu- 65
sare, inquit: *Verum dicit in eo tantum, qui gestus præsentat cum ludibrio sui corporis.*

Sexto authoritate Gentilium, & à fide alienorum, qui 66
ante Christum naturali lumine Theatrorum lasciviam horruerunt.

Plato *Dial.7.de legibus. Tragœdi vero Poetæ, qui res* 67
(ut aiunt) serias narrant, si nos sic interrogent, licet ne ò amici in regionem, civitatemque vestram nobis venire? ad hæc rectè nos respondebimus: Nolite credere facilè à nobis admitti, ut scenas in foro constituatis, & clamosos conducatis Histriones, qui altius quam nos exclament atque ita ad liberos nostros, ad uxores, ad turbam de eisdem rebus non eadem, quæ nos, sed contraria sæpè concionemini. Insaniremur enim & nos omnino, & civitas omnis, si antequam magistratus viderint, quæ composuistis & dicenda ad populum judicaverint, admitteremini.

Dialogo secundo *de Repub. Neque dicendum Iuveni* 68
audienti, quod quis iniquissima facinora perpetrat, aut qui peccantem patrem supplicio afficit, neque omnino quod cum Diis Dii bellum gerant, insidientur, & pugnent. Quare nec ullo pacto narrandum illis Gigantum bellum, prælia ve permulta Deorum, & Heroum cognatis suis, proximisque indicta. Sed si quo pacto persuasuri sumus nullus unquam potius pueris, & adolescentibus à senioribus, aniculisque narranda sunt.

Arist.*lib.7. Polit. cap.17. Ad summam ut cætera mala* 69
sic debet legum lator sermonis turpitudinem è civitate pellere; nam facilè turpia loquendo efficitur, ut homines his proxima faciant: quod maximè providendum est in adolescentibus, ne quid tale vel dicant, vel audiant. Cum autem, ne talia loquatur, prohibetur, satis intelligitur vetari, ne turpes picturas aut fabulas spectet. Ad officium igitur magistratuum pertinet curare, ut nihil nec fictum, nec pictum sit, quod tales actiones imitetur. Iuniores autem, ne Iamborum, vel Comœdiæ spectatores fiant, lege prohibendi sunt, &

In problem.*sect.30.n.9. Cur Histriones improbis men-* 70
tibus magna ex parte sint? quia non se dedunt studio sapientiæ, & incontinentiæ operam dant.

Varro *lib.6.de lingua Latina. Obscœnum dictum ab sce-* 71
na quod non nisi in scena palam dici non habet.

Tullius *in lib. de Repub. cùm artem ludicram scenam-* 72
que totam in probro ducerent, genus id hominum non modò honore civium carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt, loquitur de Romanis.

Seneca *Epist. septima. Nemo non aliquod nobis vitium* 73
aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique quò major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior.

Iulianus *in Mysapogone, Non potest domi temperans* 74
esse, & castus, qui publicè incontinens, & impudicus esse vult, è Theatris voluptatem captans.

Aelianus *lib.9. c.12. Romani Alcæum, & Philiscum* 75
Epicuræos ex Vrbe ejecerunt, eò quod multarum, flagitiosarumque libidinum authores essent adolescentibus. Etiam Messenii Epicuræos expulerunt.

Valerius Maximus *lib.1.cap.6. Massilia severitatis cu-* 76
stos acerrima est, nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus,

actus, ne talia spectandi consuetudo, etiam imitandi licentiam sumat.

77 Fortunat. *lib. 2. Artis Rhetor.* ait, Catonem librum scripsisse de re Floria concisa oratione, ut indignationem Magistratuum in Floralia excitaret, *cap. De narratione.*

78 Pompejus Magnus, &, ut Tertullianus habet solo Theatro suo minor. Eidem Theatro Veneris ædem superposuit, quod Venus in Theatris coleretur; quod ars esset omnium turpitudinum, quod Veneris sacrarium; quod censoriam animadversionem verebatur. Unde sic in sua tempora invehitur idem Tertullianus *in Apolog. Quoniam illa leges abierunt, quæ Theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant?*

79 Statius *lib. 1. Sylvarum.*

Huc intrant faciles emi Puellæ.

80 Sueton. in Augusto *cap 45. Coercitionem in Histriones magistratibus omni loco, & tempore lege veteri permissam ademit; præterquam ludis, & scena, hoc est, ut saltem per tempus ludorum, & in loco, ubi peccarent, punirentur.*

81 Cornelius Tacitus *lib. 4. Pulsi tum Histriones Italia, quod ab iis multa in publicum seditiosè, fœda per domos tentata, & lib. 13. In vincula ducti fautores Histrionum.*

82 Demetrius Phalaræus, *Tibicines, Scorta, Cantores, Saltatores, Histriones, dira nomina.*

83 Septimò ex prodigiis, diviniſque animadversionibus, quibus meritò à spectaculis deterreri debemus.

84 Tertullianus, auctor gravissimus, & Apostolorum tempori vicinus *lib. citato de spectaculis*, ejus omninò verba *Cur etiam non ejusmodi* (qui Theatra frequentant) *etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris, quæ Theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in Exorcismo ejus cum onerarentur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; constanter, & justissimè quidem (inquit) feci, in meo eam inveni.* Et mox.

85 *Constat, & alii linteum in somnis ostensum ejus diei nocte, quæ Tragœdum audierat, cum exprobratione nominato Tragœdo, nec ultra quintum diem eam mulierem in sæculo fuisse.*

86 D. Gregor. Magnus *lib. 1. Dialogorum cap. 9. Cum ad Fortunati, Viri nobilis mensam vir Dei Bonifacius Episcopus accerseretur, vir ante januam astitit ex iis, qui ludendi arte cibum solent quærere. Venit hic cum simia, & cymbala percussit, quem Sanctus vir dedignatus, audiens sonitum dixit: heu, heu mortuus est miser iste. Ego ad mensam refectionis veni, os adhuc ad laudem Dei non aperui, & ille cum simia veniens percussit cymbala. Subjunxit quoque, & ait: Ite, & pro charitate cibum, potumque tribuite, scitote tamen, quia mortuus est. Qui infœlix vir, dum panem, ac vinum ex eadem domo percepisset, egredi januam voluit, sed saxum ingens subitò de tecto cecidit, eique in verticem venit, ex qua percussione prostratus, in manibus jam semivivus levatus est; die verò altera secundum viri Dei sententiam funditus finivit vitam.*

87 Historia Tripartita *lib. 7 in Vitis Patrum. Cum Abbas Pambo venisset apud Alexandriam, & videret ibi mulierem in Theatro psallentem, incepit flere. Requisitus, quare fleret, ait: Duæ causæ movent me. Una est, quod toto tempore vitæ meæ non sic studui, nec tantum laboravi placere Deo meo, ut ista studet placere Mundo. Secunda causa est perditio ipsius.*

88 Vinc. Bellovacensis *lib. 3. dist. 6. speculi moralis; Quidam Sanctus inter alia supplicia Inferni vidit, & audivit mulieres flentes, & quasi choreas ducentes, & clamantes: Veh, veh, veh, quanta sunt istæ tenebræ.*

89 Florent. Hartemius Carthusian *lib. 2. instit. Christ. c. 25. Legitur de sorore S. Damiani, quod ob delectationem nimiam, quam habuit in cantilena ex cubiculo in choreis audita, octodecim diebus punita sit pœnis Purgatorii, ut ipsa postea cuidam Sancto revelavit.*

Thom. Cantiprat. *lib. 2. c. 15. Vidi ego adhuc puer in choreis procacissimam saltatricem, quæ, me præsente, post choreas insolenter cum adultero luctabatur, & cum cessasset subitanea morte percussa, miserabiliter expiravit.* 90

Idem *cap. 49. par. 21. Per generosum, & verè Sanctum virum Gosvinum, Dominum de Velpia militem in Ducatu Brabantiæ veraciter accepi. Habebat ille famulum quemdam, qui obscœnus nimis, & lubricus, & tibia, & fistulis canens, congregationes puellarum, ac juvenum faciebat. Hic cum semel vespere tibia caneret, & gesticulationibus, & cantibus concrepare, vidit dictus miles manifestissimè Dæmonem cornutum, villosum vibrantibus, & igneis oculis antè tibicinem saltare, & secundum motum illius servi motibus diversis corgaudere. Hoc igitur cùm servo Dominus intimasset, & ille nollet desistere à damnabili ludo, & maximè in provocatione puellarum carminibus obscœnis, dimisit eum, ac repulit. Ille verò post paucos dies reproba morte percussus vitam miserè terminavit.* 91

Henricus Gran. Germanus *distinct. 9. exempl. 51. Puella quædam in die festivo tota die in ludu, & choreis se exercuit, serò domum reversa resedit in lumine quiescens. Sed cum ad dormiendum vix oculos clausisset, à duobus dæmonibus ad infernum delata est; & sic combusta est, ut nec capillus in corpore ipsius maneret, & totum corpus ejus magnis vesicis ulceratum fœtorem intolerabilem exhalabat. Unus verò Dæmon titionem ardentem in os ejus irudens dixit: hoc habe pro cantilenis, quas impudicè sæpius cantasti. Vestes ejus nullum habuerunt adustionis signum. Quæ clamore, & ejulato è somno vigilans matri, & multis aliis rem narravit. Post hoc sic ustulata fertur ad hospitale, vocatus Sacerdos, qui nullum peccatum mortale in ea invenit, nisi quod libenter interfuit choreis, & ludis.* 92

Jacobus Menochius, olim in Patavino Gymnasio Iuris Cæsarei Interpres Primarius *lib. 2. de arbitrariis Iudicum quæst. Centuria 1. casu 69. numer. 56.* ubi de comœdiis, & choreis, ejus planè verba: *Patavii Anno 1567. Quò illuc accesseram Iuris Pontificii interpres, in domuncula illa sita in foro lignario, ubi extat & Monasterium Monialium S. Marci, Patavini quidam tota nocte Carniprivii choreas duxerant. Cum verò de recessu in Aurora cogitarent, ingenti, improvisoque fragore corruit domus ipsa, qua obruti fuerunt permulti, & inter alios Puella 15. annorum, quæ veluti altera Herodiadis tota ferè nocte saltaverat, & qui vidit, testimonium perhibet, & verum est testimonium ejus.* 93

Bellovacensis, quem supra iterum laudavi, advertit, fatuos cantus, & consortia respuentes ab Angelis visitari; qui sic B. Cæciliæ, & sponso ejus non cantantibus, sed orantibus attulit Angelus coronas de rosis, & liliis Paradisi; ad quorum odorem Tiburtius Valeriani Frater ad Dominum est conversus, & ambo Martyrium susceperunt. Beata Agnes, quod Christum amasset, & vanissimas choreas sprevisset, ac sæpè diceret: Amo Christum, cujus mihi organa modulatis vocibus cantant, apparuit parentibus suis octavo post passionem suam die, in choro Virginum cœlestium mirabili ornatu, & decore fulgentium, dicens: Mecum congratulamini, & congaudete, quod cum his omnibus lucidas sedes accepi: Non accipient, qui Theatrorum spectacula consectantur. 94

Rem ludicram referam, & cothurno dignam, & quam non noveris Lector, nisi mutata animi scena quodam fasce affectuum, & polymita varietate percurrere. Ridebis, dolebis, obstupescès. Accipe. Ad annum christianum millesimum duodecimum, Augustis SS. Henrico Secundo, & Gunegunde in Saxonia apud Ecclesiam magni Martyris Parochus natalis Dominici celebritatem statis sacrificiis definiens primum pro more meridie noctis occupat, maturè ille, sed serius plerisque, qui ad Bacchanal suum eadem nocte vigiles, in cœmeterio Ecclesiæ choreas ducere properarunt. Strepebat tripudium, resonabat celeuma, pulvis in nimbum coactus. Octodecim viri, fœminæ quindecim erant, numero impares, insolentia 95

lentia pares, quæ sistris, & cymbalis, ac cornu tam raucum, tam varium murmurabant, ut mystes sacro insistere non posset, imò desistere cogeretur. Misit ergo, qui suo nomine, ac officio quietem illis imperaret, aut certè abscessum, dum ipse sacris operaretur. Sed illi ita dicto ejus paruerunt, ut proindè strepitum, & Bacchanal omne augentes, ipsum imperantem adhuc ludificantes, verterent in comœdiæ argumentum. Hîc verò illi stomachum Sacerdoti moverunt, qui tam palmari contumacia irritatus, ut erat sacris paramentis reverendus: quia vos, inquit, christiano nomine indigni, & sacrificio injurii locum, & tempus ejus eripitis, sacrilegio impendenda, oro Deum, cujus causa, & ortus agitur, ut in hac insania pergere non velitis modò, sed porrò etiam cogamini ad annum ex nunc computandum. Res septies stupenda, quamquam ridicula quoque, ut diræ illæ sententiæ Sacerdotis, tanquam fulmen è nubibus vibratæ comprehenderunt insultantes. Nempè illæ Mænades, & Luperci chorças suas ita in gyrum egerunt, ut perpetuò saltu non nocte, non interdiù respirarent usque dum sequentis Natalis reditum, ideſt, annum absolvissent. Cujus lien hic non liquescceret? Quis risum, nisi mappa coerceret? Sed ne historiam truncare, & miraculo detraxisse traducar, isti tot saltibus inquieti, & sudantes toto anno, interim nec pasti, nec poti sunt, non respirarunt somno, nec maduerunt pluvia, non vestes, aut calceamenta triverunt. Nihil sciscitantibus respondebant, primo genuum tenus, tum etiam fœmorum visi sunt terræ immergi. Ita ex Gabriele Flamma lib. 3. Vincentio Belluacensi &c.

96 Octavò ex rationum præcipuarum momentis, quibus ostenditur, mortalis criminis esse reos Comœdiarum nostri temporis Actores, & Inspectores.

97 Ex his, quæ hactenus enumeravimus Summorum Pontificum, Patrum, Scholasticorum Sanctionibus, unum tanquam certissimum restat, nec à quoquam in controversiam revocatur. Honestis nempè repræsentationibus, & locis non esse illicitum interdum interesse; & qui sic interdum ludunt, etiam licitè sustentari posse; illosque aliquando audire, ad Eutrapeliam, quæ est modestiæ species, pertinere. Tria tantum rationibus expendenda, ne aliquid huic nostræ Paræneticæ Consultationi deesse videatur. Primum, quæ dici debeant honestæ, quæ turpes, & an nostri temporis Comœdiæ, quæ à venalibus hisce histrionibus dantur, honestæ dicendæ sint. Secundum, an turpium comœdiarum Actores mortaliter peccent. Tertium, an etiam spectatores.

98 Primum. Turpes Comœdiæ eæ sunt, qua fœdissimas hominum, mulierumve coram exhibent actiones; puta oscula, amplexus, saltationesque illas, lascivasque cantilenas, quibus Venus aut saltatur, aut cantatur, aut exprimitur. Turpes Comœdiæ eæ sunt, in quibus de amantium furtis, de Conjugum adulteriis, de Meretricum, Lenonum, Puellarum, Adolescentum clandestinis artibus, Veneficiis, amoribus. Utque distinctius loquar, turpes, fœdæque eæ sunt, in quibus viri, & fœminæ de amoribus ludunt, agunt, colloquuntur. Cum ergo in nostri temporis comœdiis quæ à venalibus hisce meretriculis, & histrionibus exhibentur, & viri, & mulieres in scenam prodeunt de amoribus hujuscemodi agant, & pro scena colloquantur, saltent, ludant, id etiam certissimum, atque evidens remanet, omnes nostri temporis Comœdias obscenas esse, atque inhonestas, & turpes. Quis namque has fabulas, quas hi in scena agunt, non turpes vocet: Quandoquidem eædem extra scenam non essent sine ingenti turpitudine, non essent sine crimine, non sine scelere? Quam quæso majorem honestatem in scena acquirunt, stupra, incestus, adulteria, quæ illic verbis, gestibus, fabulis, saltationibus, scurrilitatibus adornantur, si forent extra scenam tam inhonesta? an minus peccaminosa, quia publica? An minus fœda, quia coram omnium oculis? quia in Theatro?

99 Dices. Ideò non turpia, non inhonesta, quia ficta. Verum, an non turpes dicuntur Imagines, si commistas cum maribus fœminas repræsentent? Quis turpes illas non appellet? Quis si sanus, quisque sit (cum Christiano loquor) qui protinus oculos non avertat? Et tamen eæ etiam fictæ, imò & pictæ longè à vero remotiores, quam Comica. Rursus falleris quisquis es, honesta ea appellans, quæ de turpibus agunt. Falleris qui bona, ac minimè reprehendenda ea dicis, quæ innumeris malis viam faciunt, aut qua ratione bona, honestave, quæ (ut ille ait) simulatis criminibus instruunt ad vera; fictis alliciunt, imò impellunt ad pejora? Si ab scenis obscenas, si à comœdiis impudicissima, quis honestas eas vocitet? Impurissimi rivi non nisi sordidissimum fontem arguunt; qui eò pernicioſior, quò pluribus obvius, quò communior, quò nocentior; & audebis dicere, adulteria, quia in Theatro, quia ficta, ideò honesta? Planè fœlix meretricula, quæ in Theatris reperis honestatem, quam in penetralibus amisisti. Sanctissima scena, quæ honestos, sanctosque efficis scurras, histriones: unde hæc tibi proscenio sanctitas, quod turpissimos actus in angulis, honestos facis in publico? Audeo dicere pejus hoc fingere, quam peccare; longè quippè criminoſius mala docere, quam agere. Utinam mœchus, utinam adulter, qui pulpita proteris; Solem fugeres mechus; qui diem inficis Histrio, tenebras oprares Adulter, qui populos facis adulteros; solus decipereris cum sola, non millenos deciperes. Sis leno Histrio. Prostitue te ò puella, ne finge: sis ipsum lupanar, quod simulas ò Theatre, fugerent, te Matronæ, verebuntur Pueri, horrebunt Senes, *nulli* addiscent, quæ mox facient.

Ego disputationem hanc sic definio. Nostri temporis 100
comœdias neminum honestas appellantem audivi, nisi authores turpitudinum, vel fautores. Eos dumtaxat, qui ut fœdissima crimina majori immunitate exequantur, & iterent, ficto honestatis velo obtegunt, pravæ licentiæ nomine implicant, aut sæculorum consuetudine involvunt, aiuntque licere id, neque inhonestum; quia tot sæculis factum, receptum à populis, permissum à Magistratibus. At permittuntur lupanaria, eaque adire: ergo ea honesta? Ad honesta jubemur, hortamur; ad mala permittitur: fateris permissa spectacula? fateris mala. Facta tot sæculis? Ita; verum in malis nulla præscriptio. Mala adulteria, perjuria, & tamen plurima sub sole; repete sæculorum myriades, & pejerantes reperies, & adulteros; recepta à populis, imò erecta Theatra; sed corruperat quoque universa caro viam suam Noemi diebus, communeque peccatum communibus aquis omnium naufragio expiatum est, minimè condonatum. Denique, ut semel finiam, cur, inquis, perpetuò receptum, quod perpetuò summi viri insectari sunt? Has omninò fabulas, quas in theatris saltant, aut loquuntur nostri temporis Comici, has, inquam, prohibent, in has invehuntur tot sacrarum scripturarum; tot Summorum Pontificum, & Conciliorum, & legum, & Patrum, & Scholasticorum, & Gentilium responsa, oracula, monita, Sanctiones; ut intimè inspicienti perspicuum fit. Planè si ficta adulteria insectatur Chrysostomus, nulla arguit, si non hæc, quæ tu aure ebibis, animo hauris, incautus discis, tandem dolebis. Si fœdata conjugia, quæ scenis exhibent, execrantur Minutius, Lactantius, Cyrillus, Basilius, Tertullianus, verbis aerem verberant, si probant, quæ tu probas. Si Theatrico luxui gehennales flammas minatur Venetorum Patriarcha Iustinianus, cui luxui has minas intentat? si sui ignis fomites appellat scenicos Amores D. Augustinus, da luxum alium, da alios amores, & vicisti.

Honesti ludi ij sunt, in quibus nulla omninò mulier, 101
nulla lascivies, amor nullus; nulla, inquam, mulier quia, ubique ea sit, præsertim si venustate, & gratia polleat, (quales ut plurimum eæ sunt, quæ in Theatris inducuntur) semper libidinis incitamentum, & ad mores corrumpendos potentissima. Quodque ita sit, liquet, quando

quando non nisi has inter reliquas deligunt histriones, ut multitudinem alliciant; quippè sciunt earum verbis, pulchritudine potissimum viros capi. *Vir*, ait D. Basilius *lib. de Virginitate, quoniam fœminam de suo latere formatam diligit, ut proprium membrum ad eam toto impetu rapitur*; sic fœmina in se quamdam virtutem habet, miramque potestatem trahendi ad se virum, non secus ac magnes, cum ipse non moveatur, ferrum ad se rapit. Lege Cardinalem Cajet. in 2 2. *q.* superius citata, qui longè rigidior. Lege Io. Marianam *de Rege, & Regis instit.* undè postrema hæc verba ferè transcripsimus; sed pergo.

102 Alterum est, an mortaliter peccent Histriones nostri temporis, lascivarum rerum, & Amorum ludos exhibentes: Ego sanè nullum reperi inter innumeros ferè authores, quos legi, qui id negaret, aut oppositum sentiret; aiuntque, turpium Comœdiarum Actores, imò Authores, qui eas componunt, mortalis piaculi esse reos. Rationum præcipuarum collectionem, & Syllogen accipe. Primò, quia causa ludi utuntur (ut supra ostendimus) turpibus verbis, vel factis; quia mulieres in Theatrum inducunt, nempè libidinum fomites; quia de amoribus, stupris, adulteriis agunt, quæ lasciva omnia, & Christiano nomini indigna, & (ut Theologi aiunt) intrinsecè, & ex se lethalia, nec ideò mala, quia prohibitæ. Nefas enim ludi causa, qui ad animi remissionem conceditur, turpia advocare. Vide expressè D. Thom. 2.2. *quæst.* 168. *art.* 3. id asserentem. Ratio à priori est; quia turpibus, lasciviisque non remittitur animus, sed illigatur, sed opprimitur, sed vulneratur, sæpè occiditur, atque, ut quidam ait, obscœni hi ludi civitatem vitiorum, ac turpitudinum servam faciunt, stuprorum, adulteriorum, incestuum, sacrilegiorum ancillam. Vide D. Basill. *de legendis lib. gentilium.*

103 Rursus peccant mortaliter Histriones, quia turpibus verbis, vel factis se, & alios Christiana cordis munditia privant, sine qua nemo Deum videbit unquam, ut habetur *Matth.* 5. ita quem mox citavimus, Paul. Comitolus, & rectè; quæ enim cordis munditia ijs, quibus immundæ aures, plena fabulis pectora, artibus, veneficiis, adagiis, scurrilitatibus, lasciviisque carminibus capita? Qui dies totos in id insumunt, noctes totas sive se præparent, sive prodeant, sive domi, sive in proscenio? An hæc cœlorum regno apta mundities, puritas, quò nil ingreditur coinquinatum? Dicent fortasse, Rigidiores, qui hæc doces; neque enim tam minuta mundities à secularibus extorquenda. Verùm ego non id à secularibus requiro, sed à fidelibus, qui in cœlum contendunt, qui violenter cœlum rapere jubentur. Jubentur autem omnes. Ab iis, id requiro, qui jus in æternas sedes se habere gloriantur. His id pronuncio, non Ethnicis, non infidelibus.

104 Tertiò sceleratè agunt Histriones; quia bonos mores in Civitatibus, & Rebus publicis evertunt, Christianam in Deum charitatem his nugis exterminant; quia pueros virtutibus exuunt, ad inhonestos amores alliciunt, & erudiunt, ut amoribus dent operam, ut mulieres adament, ut parentibus haud obediant, ut senes irrideant, & minimè revereantur, omnes contemnant. Peccant ergo mortaliter; quia aptissima Dæmonum instrumenta; quia egregii vitiorum artifices; quia homicidiorum, rixarum, turpitudinum fomites; quia Matronarum, Virginum, Adolescentulorum cogitationum omnium perversarum origines, & flabella: Illis ad lascivarum rerum plausus, voces, risus; illi denique quotquot à spectatoribus illic crimina committuntur; ipsorum quippè opera nulla in theatro modestia, nulla temperantia, nulla pudicitia, morum omnis effusio, nulla Christiani hominis vestigia, sed lascivientium, sed furentium, sed bestiarum, sed ferarum Spectatorum namque voces considera, facies intuere, oculos observa, verba expende, suspiria intellige, nutus inspice, & mecum fatebere, quot facinora? Manent hinis, aut ternis mensibus hi in urbibus singulis, interim quanta in urbibus perturbatio? Quot rixæ, plerumque ob eos conventus? Quot vulnera, quot cædes, quæ saltem pericula? Summa in rei familiaris negligentia, si patres inspicias. Ludorum aviditas, etiam in opificibus, in agrestibus, qui opere relicto quotidiano accurrunt, concurrunt famuli, relinquunt matronæ domus, filias, puellasque tum pubescentes adducunt, ut discant, quæ audivere nunquam; ut citius eas, quam ferret ætas, libidinum flamma corripiat.

Denique peccatum lethale illud est, quod vel insignem Dei contemptum, vel grave alterius damnum, vel magnam sui labem, aut corruptionem habet. Ita Ricchardus de S. Victore, quem Theologi omnes in scholis recipiunt. Verùm tria hæc ex dicto recurrunt nostri temporis Histrionibus, ut rectè Doctores nostri temporis expendunt. Sui, proximorumque damnum jam ostendimus. Dei verò contemptum aspice. Histriones namque cum omnia per lucrum faciant, & omnia lucro metiantur, nil ob Dei timorem prætereunt, dummodò lucrum accedat. Inde pulchriores mulieres conquirunt, inde eædem vestibus adornantur, inde stibio, & purpurisso pinguntur, verba in mollitiem, gestus ad lasciviam, nutus ad procacitatem, saltationes, choreæ ad mutam luxuriem componuntur; idque quia sciunt his incautam multitudinem allici. Omnes enim pecuniæ vias norunt, nullas omittunt, ut adolescentes pelliciant, alliciant viros, matronas oblectent, juvenes emolliant, senes reddant insanos; ac sic pecunias à singulis suffurentur, & extorqueant. At qui sic lucrum quærunt, qui his artibus pecunias parant, cum ingenti Dei contemptu id non facient? 105

Rursus Summorum Pontificum, & Conciliorum contemptus quam ingens? Scenicos extra Ecclesiam pellit S. Clemens Primus, Ecclesiæ universalis Episcopus. Scenicis Sacram Eucharistiam denegant S. Cyprianus, & Canonicæ institutiones, quas initio citavimus. Scenicos cum Apostaticis enumerat Carthaginense Tertium. Scenicis infamiæ titulus infligitur à legibus, per leges filius exhæredari, mulier repudiari potest, si spectacula hæc frequentet, ille agat. Scenæ Clericis, imò fidelibus omnibus, modò diebus festis, modò etiam cæteris diebus interdicuntur in Concilio Arelatensi primo, & Carthaginensi quarto. Scenici perditi homines à Sanctissimo Carolo appellantur. Tu honestos hos dices? Tu innocentes pronuntiabis? Tu ab omni crimine absolves? Tu Dei, tu hominum non fateberis contemptores, qui ab Ecclesia arcentur, ni artem suam desinant? Qui à communione Christi corporis segregantur? Qui infames, perditi homines dicuntur? Qui cum apostaticis numerantur? Excommunicationi nemo obnoxius, nisi prius lethali peccato irretitus. Illa nemînem ligat, nisi mortali crimine illigatum. Verùm Excommunicationis pœna plectuntur Comici à Pontificibus, planè quia mortaliter peccare Histriones existimarunt. 106

Dicunt, non eos esse Histriones, qui à Pontificibus excommunicantur. At dicant ipsi, qui sint? Scio, Canones nullos excipere; scio Histriones damnari; scio Comicos, ac Scenicos ab Ecclesia pelli, eos, inquam (ut ait Glossa *verbo Histrionibus*) qui turpibus, & illicitis ludunt. Scio, ipsos nunc turpibus, & illicitis ludere. 107

Simplex, & absoluta hæc propositio: Inspectores Comœdiarum, quæ à venalibus hisce histrionibus fiunt, in quibus tum viri, tum mulieres in scenam prodeunt, & de amoribus, & lascivis rebus colloquuntur, &c. non peccare mortaliter, est propositio Christiano homini indigna, nedum Theologo, Reipublicæ maximè perniciosa, Patrum doctrinæ directè opposita, Theologorum omnium, & Scholasticorum placitis minimè consentanea. Contra verò hæc: Comœdiarum nostri temporis inspectores mortali peccato illigari, tum ratione scandali, tum ratione periculi, tum vi cooperationis, est propositio tutissima, Summorum Pontificum responsis, Conciliorum, & Canonum Oraculis 108

egregiè consona; Patrum sententiis, Scholasticorum doctrinis omninò conveniens, & vera.

109 Peccant ergo Comœdiarum nostri temporis inspectores vi cooperationis, quia nimirum adstant voluntariè, & absque necessitate Histrionibus mortaliter peccantibus, iisque arridենt, plaudunt, favent; & ut plurimum fovent authoritate, pecunia, vel saltem præsentia. Quod ipsis est cooperari; mortaliter verò operantibus cooperari, & in crimen quoquo pacto influere, lethale est; quod dum adstant Histrionibus, iisque favent, arridենt, iisdem cooperentur, & in eorumdem crimen influant, manifestum fit; nihil enim magis loquenti cooperatur, quam audiens: Quique coram populo agit, à nemine magis adjuvatur, & quodammodò vires in dicendo accipit, quam ab auditoribus, si iis præsertim plaudant, arrideant, nutibus faveant, aut saltem oculos intendant. Accipit, qui dicit ab auditoribus quodammodo verba, sales, sententias, quodque mirabilius est, etiam vires, & latera; atque (ut ita dicam) ingenium, ex solo adstantium obtutu: at Histriones in theatro habent nedum verborum exceptores, sed etiam pecuniarum datores, atque adeò non tantum ab auditorum aura, sed etiam auro vires accipiunt, dum loquuntur, qui sine auro nec prodirent.

110 Confirmatur à pari: Summi Pontifices, nedum in Duelliones, & Monomachos excommunicationis tela ipso facto minantur, sed etiam in eos, qui ex industria spectant ob eam rem; quia illis inspicientibus duelliones vix desinerent. Quod manifestum sit duelliorum inspectores tantum, quia inspectores, mortaliter contra charitatem peccare; neque enim excommunicatio in eos jaceretur; Histriones verò nec inciperent, nec in scenam prodirent, si eosdem non spectator adires. Pari ergo ratione convinceris, sive duelli spectator sis, sive Histrionum; licet enim inspectio utrobique non intrinsecè mala, tamen quia utrique, tum Monomachi, tum Histriones rem agunt intrinsecè malam, hi præsertim ob excessum in ludo, ob Dei contemptum, ob turpes gestus, & verba ad libidinem incitantia, quæ in ipsis nullo fine honestari possunt; cum dent aliis evidentem ruinæ causam; ideò utrisque inspectione quodammodo cooperaris, ac utrobique lethaliter peccas.

111 Dices; adhuc agerent in scena, licet singularis ego non adeam; non ergo, me adeunt, in scenam prodeunt, qui etiam, me absente, prodirent. Verum id omninò respondere possent singuli duellorum inspectores, singuli tamen peccant. Præterea cur Histriones etiam à singulis pecuniam extorquent, si non à singulis foventur? Cur neminem ingredi sinunt, ni solvat, si à quolibet non sustentantur? Rursus quis scit, si exemplo tuo, teque præeunte, crimen quis agnoscat, Deum timeat, consopita synderesis reviviscat, divinaque judicia vereatur? Denique omnes admonemur, ut id omnes detestentur, non omnes id faciant, nisi ea, & tu execraberis. Peccas, licet singularis adeas, hoc namque est cum currente fure concurrere, ut ait Psalres, & cum adulteris portionem ponere (& quod dixeram) cooperari, dum adulteriorum magistros sustentas, dum meretriculas pascis; dum eorum peccatis, ac sceleribus individuus ades, & adis; cum fure concurris, dum comœdos; imò animarum comedones, ac voratores tuo enutris argento, cibas sanguine, ruina fulcis, sustentas periculo, Indè dictum ab Augustino, Histrionibus donare immane vitium. Idololatriæ à D. Hieronymo comparatur, ut refertur *lib. 3 tract. 7. cap. 7. quæst. 3.* solum quia aptissima Dæmonum instrumenta nutriuntur. Laudaturque ab Ethnicis Severus Imperator, ut refert Lampridius, quod non aurum, nec argentum Scenicis donarit. Atque hac ratione ij illigantur, qui publicè intersunt, pecuniam solvunt, præsentia, & authoritate ijs favere convincuntur.

112 Peccant præterea mortaliter spectatores ratione scandali. Scandalum enim est dictum, vel factum minùs rectum, præbens occasionem ruinæ, estque mortale peccatum, etiamsi gravis ruinæ alterius sit causa per accidens; tunc videlicet, cum contemnit quis salutem proximi, & pro ea conservanda non prætermittit, quod sibi libuerit, ita omninò, & expressis verbis D. Thomas *2.2. quæst. 43. art. 1. & 4.* Non ergo licet alicui aliquid agere, quod alii illo procliviores, si suo exemplo facerent, peccarent. Peccant ergo mortaliter, qui Comœdias adeunt, & ij, quibus nulla est periculi ratio, quando ipsorum authoritate, vel exemplo alii illas frequentant. Totius hujus rationis nervos intendentem audi gemmeum Chrysostomi os; *Sed Ego* (inquiens) *ostendam nihil multis hujusmodi ludos obfuisse; imò verò id maximè nocet, quod frustra tempus consumis, & scandalum aliis affers. Nam, & si tu excelso quodam animi robore nihil inde tibi mali contraxisti; attamen quoniam alios imbecilliores exemplo tuo spectaculorum studiosos fecisti, quomodò non ipse malum tibi contraxisti, qui causam mali committendi aliis præbuisti? Qui enim ibi corrumpuntur tam viri, quam mulieres, omnes corruptionis crimina, & causam in caput tuum transferunt. Quare quamvis per animi tui modestiam feceris, ut nihil tibi mali obfuerit (quod ego fieri posse non arbitror) quoniam tamen alii causa ludorum multa peccarunt, graves propter hoc pœnas lues, quamvis multo modestior, & temperantior esses, si nullo modo eo pergeres.*

113 Petes, qui potissimum sint, qui aliis scandalum faciunt? Expediam breviter, omnes atque, ut Senecæ verbis utar: *Nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur, nec tam sincerus ullus, qui non queat infici:* addo nec tam humilis, qui parem non habeat, quem non possit inficere. Incendium aspice in denso nemore, nedum densa quercus, aut foliorum dives, sublimisque populus flammas concipit, ac proximis impartitur, sed arbustum arbusto, & miricis mirica, sociam quælibet afficit, ita in populo nemo spectacula adit, ut comites non optet; nemo comites optat, ut etiam non habeat; nemo habet, ut non lætetur.

114 Verum habet discrimen crimen. Graviter peccant singuli, qui concursu suo etiam alios avocant. Gravius præcipui viri, ac Senes, Patresfamilias, quique authoritate in Republica pollent, qui si non adirent, plerique illas erubescerent, minusque decorum putarent; quod contra accidit ob solam nobilium virorum, ac senum præsentiam. Gravissimè verò omnium peccarent Religiosi, ac Clerici. Ita præsertim Caietan. in *2.2. quæst. 167. art. 2.* Jacob. Menochius *lib. 2. centur. 1. de Arbitr. Iud. casu 69.* superius citato, ex Concilio Agathensi, relato in *can. Presbyteri distinct. 34.* Unde miror, Neotericum quemdam, alioquin doctum, oppositum docuisse, dum ait, neque id erubescendum Clericis, neque scandalum patere secularibus; at quam parum verè, pete id non à Summis Pontificibus, non à Conciliorum decretis, non à Patrum sententiis, non à Scholasticorum doctrinis, sed ab ipsamet insanienti in spectaculis multitudine, an Clericis id liceat, an id religiosis viris honestum? Clamabunt protinus, quod ipsis Clericis displicebit; surgent qui de sæculo sunt in Iudicio; ferent in Clericos, Religiososque viros sententiam, à quibus Christianam dedicere modestiam, verecundiam, honestatem. *Quale est enim* (inquit Tertullianus) *de Ecclesia Dei in Diaboli Ecclesiam tendere, de cœlo, quod aiunt, in cœnum? Illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando Histrionem fatigare; ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, Actori testimonium reddere?*

115 Tertiò peccant spectatores ratione periculi, & proximæ occasionis, cui se ingerunt. Proxima verò occasio omninò est spectaculum, scena, orchestra, ubi amores, & choreæ celebrantur?

116 Quod si quæras. Quibusnam scena, & venales hæ Comœdiæ proxima occasio censenda est, & à quibus sub mortalis peccati pœna ratione periculi vitari debeant?

debeant? Etiam respondeo: vitanda omnibus hæc occasio. Ratio præcipua; quia ubi plurimi, & ut plurimùm corruunt, ea asserenda proxima cuique occasio, in qua potior multitudinis pars pluries offendit; nec refert, quod is non offendat. Peccat ergo mortaliter quilibet qui ei multitudini se adiiscet, quæ ut plurimùm peccat, licet ipse in illud idem crimen interdum non incidat; dicturque illi occasio proxima, dum ex iis, quibus se immiscet, plurimi, & plurimùm corruunt. Nunquam enim tam securus adstabit quis, ut minimè timere debeat, quando plures, & potior pars omninò labitur. Egregiè id innuit Psaltes, cùm primò Beatum enunciat, qui non abiit in Concilio impiorum, & in via peccatorum non steterit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit, ac si è contrario diceret: infelix omninò, & miser, qui in quodcunque Concilium impiorum abierit, & in quacunque Cathedra pestium sederit; (dicam planiùs cum Tertulliano,) qui theatra frequentarit; miser verò & infelix, hoc est lethali crimine adstrictus ob solum impiorum consortium; peccantium enim societas, proxima peccandi occasio est. Tertulliani verba ad Theatra id referentis omninò illustria accipe. *Planè nusquam invenimus, quemadmodum apertè positum est, non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes, ita exertè definitum, non in circum ibis, non in Theatrum, agonem, munus non spectabis; sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David. Fœlix qui non abiit in Concilio Impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestium non sedit.*

117 Verùm si durior videbitur hæc sententia, peccant saltem ratione periculi ii, qui ætate, incontinentia, voluptatis sensu, prava suetudine, ac fomite infestantur; peccant ii, quos passim inflammant, aut etiam, ut plurimum deliniunt impudici motus, fractæ fœminarum, aut iuvenum voces, gestus, quibus inter se in Scena colloquuntur, agunt, ludunt, saltant, à quo nec aliquem facilè exciperem, non adolescentem, non virum, non puellam, non matronam, non senem. Difficilè enim ejusmodi illecebræ, sensusque deliniamenta, & animæ pericula evadunt ut, etiam post spectata spectacula. Rectè recentissimus, ac nostrorum temporum author Io. Mariana *lib. 3. de Rege & Regis institutione cap. de Spectaculis*. An major corruptela morum excogitari potest? Quæ enim in scena per imaginem aguntur, peracta fabula cum risu commemorantur, sine pudore deinde fiunt voluptatis cupiditate animum titillante, qui sunt veluti gradus ad suscipiendum pravitatem; cùm sit facilis à jocis ad seria transitus. Quasi per risum stultus operatur scelus, ait Salomon; turpia enim atque inhonesta factu, dictuque dum ridemus, approbamus, suoque pondere pravitas identidem in pejus trahit. Centeo ergo moribus Christianis certissimam pestem afferre Theatrilicentiam. Hactenus Mariana, & *Dialogo Tertio* Franciscus Petrarcha, quem etiam sæpiùs hic à me laudatus Menochius refert. *Eò quisquis malus ierit, redibit pessimus; & boni, quibus illud iter ignotum est, si casu aliquo ignorari adeant, contagio non carebunt.*

118 Quartò, ita cùm Caietano *in 2. 2. quæst. 167.* Iacobo Menochio loco superiùs citato argumentatur Comitol. *lib. 5. Responsionum moralium, quæst. 11.* E culpa lethali voluptatem capere, aut ex ea re, quæ non est sine culpa lethali, lethale est crimen. Qui verò obscœnis comœdiis intersunt, lætantur, & voluptatem capiunt ex actione Histrionum, quæ illis non est sine culpa lethali (ut supra ostensum est.) Peccant ergo spectatores lethaliter.

119 Fateor, tantisper discedere ab hac sententia Recentiores nonnullos, ut minùs universalem eam velint, ac docere, secluso proximorum scandalo, & propriæ lasciviæ periculo, non esse lethale peccatum comœdiis etiam turpibus interesse, licèt mortaliter peccent Histriones, ita Sanchez *lib. 9. disp. 49. num. 41.* Emmanuel Sà verbo *Ludus num. 4.* Regin. *lib. 22. num. 8.* & horum postremus Bonacina. Putant enim neque omnes scandalum omnibus facere, nec cuique ruinæ periculum timendum. Certè hi à modo loquendi Sanctorum Patrum, & Veterum Scholasticorum multùm discedunt, ut allata superiùs testimonia intimè consideranti patet. Hos ego non audeo reprehendere, neque omninò impossibile existimo, ut quis spectator tantùm animi sui relaxationem velit, non Histrionum peccata: ut præscindat à rebus lascivis, & turpibus sales, & acumina: ut ad ea tantùm plaudat, & rideat, iisque oblectetur, turpia verò, ut turpia non consideret: ne stipem Histrionibus porrigat cum ea mente, ut nil obscœnum, & honestati contrarium agant, licèt de facto id minimè sequatur. Verùm quàm durisculæ hæ præcisiones & difficiles, & in praxi quàm vicinæ delicto, suam quisque conscientiam conveniat. Divinum Tertulliani Oraculum expende, qui de spectaculorum inspectoribus omninò sic. *Tanta est enim vis voluptatum, ut & ignorantiam provelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut utrumque.* Et iterum: *Quam sapiens argumentatrix Ignorantia humana, præsertim cum aliquid ejusmodi de gaudiis, & de fructibus sæculi metuit amittere.*

Id circo id unum hoc loco consulerem, ut Confessarii, 120
quique animarum curam gerunt, ne hujusmodi abstractiones, aut præcisiones subindicent pœnitentibus, nec eusmodi viam lasciviis, & obscœnitatibus aperiant. Facilè enim in tam brevi intervallo ab acuminum, & verborum ad rerum transitus oblectationem; citò nos ipsos fallimus, cum lenocinantur verba, prurit voluptas, ardet concupiscentia, furit lascivia. Citò quod exceptionibus plurimis docemus, absolutè pronunciatur, & verba in oracula transeunt, præsertim voluptati, & sensui favemus. Christiano populo Confessarii nomen pro Numine est; ejus est sepem, aggeremque ædificare, non suffodere. *Et vocaberis Ædificator Sepium, Is. 49.* At quomodo sepem ædificat, qui frequentare theatra, stupra ridere, adulteria discere, lasciviis oblectari, minimè crimen esse dicit? Quo sanè pacto sepem ædificat, qui docet, minimè inhonestum ea adire tantum, si scandalum periculumque caveatur? Qui neque id Clericis erubescendum? Caveant ergo Confessarii, docere id, eamque enuntiare sententiam, quæ ut plurimum, & in pluribus fallit, raro contingit, ac vix. Certùm namque est multitudinem capi, rapi popellum ad nugas has, excitari libidines, exardescere fomites inter lasciva, compositaque ad luxuriem colloquia Histrionum, Amantium, Meretricularum. Habent hinc ludentium fœminarum verba, hinc spectantium Matronarum, & Nobilium adolescentularum obtutus. Quid adolescentum, quid juvenum turba faciet, ut viros, senesque ipsos præteream? Dei ò Administri, in sententiis edisserendis, cum quid omnibus docentes pronunciamus, non inspicienda unius, vel alterius hominis natura est, sed plurium, communisque hominum conditio. Humanæ verò conditioni, res est plena periculi. Audire obscœna, & obscœnis nullatenus moveris turpia, nec coinquinari, lasciva, & contineri; ridere ad inhonesta, & honestatem servare; intueri in fœminarum vultus, & non concupiscere, eo præsertim tempore, cùm plenæ amoribus aures, illecebris pectora; nobilium puellarum, mulierumque simulacris oculi, aut saltem earumdem pro Scena agentium meretricularum. Tot in theatris honestatis discrimina, & nos absolutè enuntiabimus, nil lethale esse spectaculis intervenire; Mendacesque illas audebimus aperire præcisiones mulieribus, virisque, qui vix bonum à malo norunt; Neque omnibus, neque uni, nec privatim, nec publicè id dicendum; Fit multorum exemplum unius licentia. Abstineat Theatris, qui sine peccato adesse

potest: si tamen potest, ut abstineat, qui sine peccato minimè potest. Nemini in publico quid licet, quod multis nocet.

121 Obiiciunt primò apud Tertullianum, & à viro Iurisconsulto non semel mihi etiam objecta. Si mortale peccatum est spectacula frequentari, cur ut mala cætera, etiam hoc in Decalogo, aut Scripturis sacris non prohibitum? Cur non per Pontificum decreta ejeratum? Tertulliani verba, si cui placent, placebunt autem, hæc sunt: *Quorundam fides aut simplicior, aut scrupulosior ad hanc abdicationem spectaculorum de scripturis authoritatem exposcit, & se in incertum constituit, quod non significanter, neque nominatim denuntietur Servis Dei abstinentia ejusmodi, planè nusquam invenimus, quemadmodum aperte positum est, non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes, ita exertè definitum, non in Circum ibis, non in Theatrum.* Respondetque primò, ejusmodi præceptum innui initio Psalmorum, Conciliumque impiorum etiam Theatrum non abs re docet, posse nos interpretari, ut diximus supra. Secundò Theatris nos abrenunciasse in Baptismate, cùm profitemur aquam ingressi, renunciare nos diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Diaboli pompam maximè Theatrum intelligens.

122 Tertiò respondet D. Chrysostomus, id in sexto Decalogi præcepto contineri; *Non concupisces:* Ita homilia de Saule, & Davide, ubi spectaculorum Inspectores adulteros vocat. Ejus verba superiùs transcripsimus. Præterea qui hoc argumentum urges, habes Pontificum, Conciliorumve decreta plura in Histriones, in Inspectores etiam Concilium Arelatense *cap.* 7. à quo utrique excommunicantur. Quod si non usu receptum neque decretum id in Canones relatum, ingentem tamen authoritatem habere, minimè dubitandum est; nec enim unquam Sanctissimos Patres, Spectatores excommunicationis gladio percellendos decrevisse censendum est, nisi lethali peccato obnoxios existimassent. Habes denique veteres Patres, habes universos ferè Scholasticos, ut non nisi temerè dissentias.

123 Obiiciunt secundò. Theatra veteres Patres adeò horruerunt, quia nostris inhonestiora: Mulieres enim in omnium oculis nudari solitas, ut ætatem omnem ad libidinem expugnarent, & in scena ipsa sæpè se prostituisse post decantatas Veneres, post desaltatum, aut Matrem, aut Liberum, docent D. Augustin. *lib.* 2. *de civit. Dei, cap.* 14. 17. Lactant. *lib.* 1. *cap.* 20. Procopius in Anecdotis.

124 Respondetur, planè ea spectacula inhonestiora, at nostra hæc utinam non inhonesta. Rursus periculum omne in Theatris Veterum ex accurato vestium cultu virorum, & mulierum, ex mutuis inspectionibus nobilium virorum, & matronarum. Quæ omnia utinam in nostris spectaculis non invenirentur. Testatur id Tertullianus. *In omni spectaculo nullum magis scandalum, salutisque discrimen occurret, quàm ipse ille mulierum, & virorum accuratior cultus. Ipsa consentio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in Theatro ineundo prius cogitat, nisi videri, & videre.* Hactenus ille. Præterea quid ais antiqua spectacula inhonestiora, eaque tantùm horruisse Patres? At nos non unius, vel alterius sæculi Patres attulimus, qui in hujuscemodi ludos inveherentur, sed multorum, sed omnium fermè temporum. Scripsere in Theatra Tertullianus, Lactantius, Cyprianus; at dedimus post hos Augustinum, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum. Sæculis pluribus post Nazianzenum & Hieronymum audis Bedam, Bernardum. Floruit nonnisi ducentis ferme ab hinc annis Sanctissimus Venetorum Patriarcha Iustinianus. Nostri seculi bono natum, nulli Sanctorum Pontificum postponendum, Borromæum nos fermè audivimus. Quæ itaque nunc horremus Theatra, nulla sæcula probavere, quæ spectacula odimus, quæ odiris omnibus insectamur, quæ nunc execrabilia scribimus, nulla unquam tempora sustinuere. Ac licèt quatuor spectaculorum genera, ut Pamelius in Tertullianum advertit, à Patribus olim improbarentur. Ludi Circenses in Circo, Agones in Stadio, in Amphitheatro gladiatorii ludi, munera, venationes, scenicæ artes in Theatro; nos ea tantùm loca excerpsimus, easque sententias, quæ nostrorum temporum Comœdias reprehenderent, & in ludos, quos hi in scena factitant, convenirent.

Obiiciunt tertiò: si legi possunt comœdiæ, nec pec- 125
cato lethali adstringimur, etiam si turpes, si de amoribus viri, & fœminæ colloquantur. Rursus si fatentur Fidei quæsitores, nullo modo contra bonos mores eas esse, ideòque se, ut in lucem prodeant, permittere; cur easdem in scena audire nefas? Cur exitiale adeò, ut ad crimen obliget in proscenio easdem spectare? Quid addit scena, ut mala vix, statim pessima? Res sunt, quæ movent, non feriens aerem vox. Res autem utrobique eædem sive scribantur, sive proferantur.

Plerique rationem hanc plurimi faciunt. Audivi do- 126
ctos alioqui viros, etiam insolubilem asserere, sed immerito. Scire aves quid amplius scena habeat, ut quæ extra scenam mala vix, in ea statim pessima? Dicam statim, Gestus, Vultus, Voces. At quam fortia hæc quam potentia in humanis actibus, ipse vides. Vidisti hominis cadaver; at vidisti sæpius. Illic & oculos habes, sed vitreos, aures, sed pendulas, nares genasque, at exangues, porrecta genua, rigentes manus, ora pallentia, immota omnia, totusque ille frigido similimus Hermæ. At qualis si vivat? Oculos intuere, animæ scintillas, in quibus anima præsertim, emanat, ac floret, in quibus tanquam à geminis orbibus tota in lachrymas defluit, tota in flammas exardet, tota in delitiis lascivit, tota in tristitia obnubitur, & planè oculos sideribus conferes. Vultus aspice, aut genas nativa purpura divites, roseasque; & quam gratæ dices, quam pulchræ, quam decentes? Vides in membris, totoque in corpore sensum, motumve, & divinum, & cœlo dignum pronuntiabis. Planè idem, si lectionem, scripturamque cum scena conferas. In scena enim voces ad voluptatem effusæ, incundæ ad lætitiam, ad molestiam demissæ, hæsitantes ad metum, flebiles, molliterque circumflexæ ad miserationem, ad iracundiam acutæ, cebroque incidentes. In scena os, vultusque in ira ardens, in gaudio hilaris, in adversis adstrictus, in probris petulans, in seriis compositus, remissus in ludicris, in arduis acer. In scena denique manus verborum comites, sive (ut dicam melius) verbissequæ, sæpè interpretes; quam argutæ, quam sapientes, implentes verba, eorumque impetum, & vim, ut rectè quispiam illas dixerit, orationis telum; lectionem vero nec gestus implent, nec oculi adjuvant, nec voces augent, omnino mutam, omninò mutilam, ideo emortuam; ideo actionem, orationis vitam, dixit Cicero. Quintilianus, infinitè magis audita delectari, quam lecta. *Neque enim* (inquit ille) *tam refert qualia sint, quæ intra nosmetipsos composuimus, quam quo modo efferantur; nam ita quisque movetur, ut audit; affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu totius prope habitu corporis inardescant. Documento sunt vel Scenici Actores, qui & optimis Poetarum tantùm adiiciunt gratiæ, ut nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent.* Hæc Quintilianus. Quid si ad hæc addas omnium membrorum fractionem ad lasciviam usque, pedum, cæterarumque partium incessum; denique ejusdem Scenæ pompam, apparatum, vestes, personas, saltationes, chordarum modulationes, choreas? Et inquies, idem esse utrobique periculum, voluptatisque discrimen, sive legantur comœdiæ, sive audiantur?

Ego

127 Ego scriptam comœdiam æquivocè comœdiam dico, si cum ea, quæ in proscenijs agitur, comparetur; nec plus hanc cum ea convenire, quàm si cum verò homine, hominem pictum conferas.

128 Obijciunt quartò. Comœdiæ, ut & Tragœdiæ ad humanæ vitæ exemplum adinventæ sunt, ut per eas discerent populi, tanquam per tenebras lucem, testatur omnis antiquitas. Nam volens facultas civilis Civium animis obedientiam Superiorum inserere, ne ob rerum novarum cupiditatem rebellionem facerent, & ut semper remanere possint suo statu contenti, instituit comœdiam, in qua manifestatur, vitam humilem esse felicem, ac fortunatam, capacemque multarum consolationum. Contra verò, ne potentiores, iique omnes, qui ad aliorum dominatum elevati sunt, nimis confidere possint suæ fortunæ, ac per consequens evadere insolentes, voluit eadem facultas politica instituere Tragœdiam, tanquam moderatricem prosperæ fortunæ. Quod approbat Aristoteles, ostenditque Plutarchus Tragœdiæ utilitatem in feris, ac sævis animis exemplo Alexandri, Phæreorum Tyranni, qui commotus ad misericordiam ex tragœdiæ spectaculo, è theatro celerrimè discessit, existimans indecorum, quod is, qui tot cives occiderat, tunc flere videretur, parumque abfuit quin Tragicum illum vita privaret, quod ejus ferreum animum commoverat. Non igitur malæ Comœdiæ, sed mali, qui malè eis utuntur, qui furta, qui raptus addiscunt, ut faciant. Quæ verò illic exhibentur, ideò fiunt, ut quæ mala sunt, horreas, fecteris, quæ bona.

129 Huic objectioni respondet Plato, asserens Comœdiam, & Tragœdiam irritare potiùs, quàm purgare passiones humanas, ideòque concludit, Comœdiam nimis concitare delectationem, & efferre ad quasdam purgationes indecoras, Tragœdiam verò exerceri in doloribus, & trahere ad timidas lamentationes, & hoc pacto nutrire reliquas humanas passiones. Præterea satis virtutis docetur in Ecclesiis, satis formantur ad mores pro Sacris rostris juvenes, satis increpantur senes, terrentur impii, deterrentur sacrilegi. Si verè virtutem assequi velimus, aspiciamus in Christum, in illustrium Martyrum acta, ad Sanctarum puellarum exempla; Inde fortitudinem, prudentiam, pudicitiam, & honestatem desumamus.

130 Tandem obijciunt, Esto lethale sit crimen theatra ingredi, comœdias spectare, ludis hisce interesse, dum bona fide id omnes faciunt, minimè ipsis lethale. Quare potiùs peccatorum omnium reus erit, qui eos admonet, quandoquidem admoniti, facient adhuc.

131 Respondetur. Ea ignorantia à culpa excusat, quæ, ut Theologi aiunt, omninò invincibilis est, inculpabilis, probabilis, justa, & omninò involuntaria, & qua tota actus malitia ignoratur. Culpabilis verò, si saltem malitiæ pars cognita sit, ut rectè docet Sanchez *lib.* 1. *cap.* 17. *sum.* At quis Comœdias ingreditur qui saltem aliqualem malitiam illius actus non novit? Qui saltem non putat id veniale? Peccant omnes mortaliter, si mortale peccatum est illas adire, cùm ignorent se peccare mortaliter. Namque invincibiliter amplius ignorant. Tum quia etiam scenici ipsi argumentum hoc sæpiùs in proscenio tractarunt, docentes, minimè id peccatum esse. Quod non facerent, nisi submussarent plerique & revera timerent, an id malum. Præterea jam ubique ea de re agitur, nemo de ea non disputat, nemo non judicat. Confessarii opinionibus pugnant. Si concedunt, laudantur. Improbantur, si negant. Sapientiæ titulus ab iis hoc uno emitur, siquis minimè scrupulosior videatur. Non igitur justa erit, neque innocens, neque probabilis ignorantia hæc; quia Comœdiarum inspectores laborant, sed verè, ut scholastici loquuntur, affectata, ad peccandum liberiùs, & absque conscientiæ remorsu, non culpam minuens, sed adaugens.

132 Denique justa, & invincibilis ignorantia est, quæ neque directè, neque indirectè est volita. At hæc saltem indirectè est volita ab his, qui theatra ingrediuntur. Quandoquidem, possent illam expellere. sed nolunt, dum etiam admoniti non desistent. Invincibilis, & innocens ignorantia numquam cum ingenti peccandi affectu reperitur. Peccant ergo Comœdiarum nostri temporis inspectores gravissimè, licèt ignorare se simulent. Quo etiam planum remanet, maximè ad Dei gloriam, & animarum salutem conducere, singulos quosque admonere, neque ullum id admonenti crimen, licet admoniti faciant adhuc, & graviùs peccent, ut egregiè D. Ambrosius ait serm. 83. quemlibet adscribere: *Ego interdum parcens vobis, tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm negligentiæ sustinere judicium.*

Et quidem quantam in mores labem, pestemque intu- 133
lerint, veteres nobis sapientes indicabunt, *Nihil*, inquit Seneca, *est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere.*

Causas adducit S. Cyprianus ad Donatum, *Ep.* 1. *Con-* 134
verte hinc vultus ad diversa spectacula non minus pœnitenda contagia; in theatris quoque conspicies, quod tibi & dolori sit, & pudori. Cothurnus est tragicus priscа facinora carmine recensere; de parricidijs, & incestus horror antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne sæculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse, quod factum est, nunquam avi senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus oblivione sepelitur: exempla fiunt, quæ esse jam facinora desiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit, recognoscere, vel quid gerere possit, audire. Adulterium discitur, dum videtur; & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, Histrionicis gestibus inquinari; videre contra fœdus, jusque nascendi patientium incestæ turpitudinis elaboratam? Evirantur mares, honor omnis, & vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur, plusque illuc placet quisquis virum in fœminam magis fregerit, in laudem crescit ex crimine, eò peritior, quò turpior judicatur. Spectatur hic proh nefas! & libenter. Quid non possit suadere qui talis est? Movet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis auctoritas, ut auditu meliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iovem illum suum, non magis regno, quàm vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire. Quære jam nunc, an possit esse, qui spectat, integer, vel pudicus? Deos suos, quos venerantur, imitantur, fiunt miseris & religiosa delicta. O si possis in illa sublimi specula constitutus oculos tuos miscere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta referare; aspicies ab impudicis geri, quod nec possit aspicere frons pudica. Videas, quod crimen sit & videre; videas quod vitiorum furore dementes gessisse se negant, & gerere festinant: libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt, quæ nec illis ipsis possunt placere, qui faciunt. Mentior, nisi alios, qui talis est, increpat; turpes turpis infamat, & evasisse se conscium credit, quasi conscientiam suam non posse effugere, satis non sit. Idem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter, & nocentes, damnant foris, quod intus operantur: admittunt libenter, quod cum admiserint, criminantur: audacia prorsus cum vitijs faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris, quæ loquuntur hujusmodi ore illo pollutо, quidquid jam voce delinquitur, minus est.

Nihil exagerat. Illa tacet, quæ verecundia dicere pro- 135
hibuit. Illa, quæ imitabantur mimi, Heliogabalus ad verum jussit exhibeti. Nemo excusari potest, jam olim

illa

illa facere Athenienſes, nequitiam, toti urbi exprobrat omnibus nequior Ariſtophanes, quòd poetam vetulum obſcœnis dicteriis abſtinentẽ publico pſephiſmate loco moverint. Tu conſtanter crede, tam meretricios animos, quidquid deinde malorum paſſi ſunt, meritos eſſe.

136 *Theatrum* (inquit Tertullianus *cap.10. de ſpectaculis*) *propriè ſacrarium Veneris eſt. Hoc denique modo in genus operis in ſæculo evaſit. Nam ſæpè cenſores renaſcentia cum maximè theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant, ut jam hinc Ethnicis in teſtimonium cedat ſententia ipſorum nobiſcum faciens, & nobis in exaggerationem diſciplinæ, etiam humanæ prærogativa. Itaque Pompeius Magnus ſolo theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, ſed Veneris templum nuncupavit, cui ſubjecimus, inquit, gradus ſpectaculorum: ita damnatum, & damnandum opus templi titulo prætexuit, & diſciplinam ſuperſtitione deluſit. Sed Veneri, & Libero convenit, Duo iſta damonia conſpirata, & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt. Nam & alios ludos ſcenicos Liberalia propriè vocabant, præter quam Libero devotos, quod ſunt Dionyſia penes Græcos, etiam à Libero inſtitutos. Et eſt planè in artibus quoque ſcenicis Liberi, & Veneris patrocinium, quæ privata, & propria ſunt ſcenæ, de geſtu, & corporis fluxu. Nam mollitiem Veneri, & Libero immolant: illi per ſexum, illi per fluxum, diſſoluti.*

137 Et *c.17. Similiter impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita ſumma gratia ejus de ſpurciitia plurimum concinnata eſt, quam Atellanus geſticulator, quam Mimus etiam per mulieres repræſentat ſexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in ſcena erubeſcant. Quam denique Pantomimus à pueritia patitur in corpore, ut artifex eſſe poſſit? Ipſa etiam proſtibula publicæ libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur, plus miſeræ in præſentia fœminarum, quibus ſolis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora tranſducuntur, locus, ſi pes, elogium, etiam quibus opus non eſt, prædicatur. Taceo de reliquis ea, quæ in tenebris, & ſpeluncis ſuis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubeſcat Senatus, erubeſcant Ordines omnes. Ipſæ illæ pudoris ſeu interemptrices de geſtibus ſuis ad lucem, & populum expaveſcentes ſemel anno erubeſcunt. Quod ſi nobis omnis impudicitia execranda eſt, cur liceat audire, quæ loqui non licet? Cum etiam ſcurrilitatem, & omne vanum verbum judicatum à Deo ſciamus, cur æque liceat videre, quæ facere flagitium eſt? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos, & aures admiſſa non videantur hominem communicare, cum ſpiritui appareant aures, & oculi, nec poſſit mundus præſtari, cujus apparitores inquinantur? Habet igitur, & theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ.* Conſentiunt Cyprian. *lib. de ſpectaculis*, Lact. *lib.6.cap.*20. Aug. *lib.* 20. *de civit. cap.*4.5.6.7.8.9.10.13.

138 Dices fortaſsè laſcivas comœdias, non graves, non Tragœdias vetari. Sed illa quoque priſca facinora exprimit, ut conſtat fieri poſſe, quod factum eſt, nec niſi magno delectu exhibendæ. Summa igitur hæc eſt, & regula in his lùdis ſervanda eſt.

139 Primò non Reipublicæ non Principi licere talia ſpectacula inducere, non poſſe permittere. Hiſtrio infamis eſt, ad Eccleſiæ communionem non admittitur; exemplum eſt apud S.Cyprian. *Epiſtol.*61. *Pro dilectione tua, & verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, frater chariſſime, quid mihi videatur de Hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & Magiſter, & Doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod mâlè didicit, cæteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare vobiſcum? Puto nec Majeſtati divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, ut honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. Nam cum lege prohibeantur viri induere muliebrem veſtem, & maledicti ejuſmodi judiceniur; quanto majoris eſt criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, ſed & geſtus quoque turpes, & molles, & muliebres magiſterio impudicæ artis exprimere? Nec excuſet ſe quiſpiam, ſi à theatro ipſe ceſſaverit, cùm tamen hoc cæteros doceat. Non poteſt enim videri ceſſaſſe, qui Vicarios ſubſtituit, & qui pro ſe uno plures ſuccedaneos ſuggerit. Contra inſtitutionem Dei erudiens, & docens, quemadmodum maſculus frangatur in fœminam, & ſexus arte mutetur, & diabolo divinum plaſma maculanti, per corrupti, atque enervati corporis delicta placeatur. Quod ſi penuriam talis, & neceſſitatem paupertatis obtendit, poteſt inter cæteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari, ſi tamen contentus ſit frugalioribus, ſed innocentibus cibis. Nec putet ſalarioſe eſſe redimendum, ut à peccatis ceſſet quando hoc non vobis ſed ſibi præſtet; cæterum, quantum vult, inde quærat.*

Exemplo Romani Imperii permittere, imo quærere 140
populo voluptates, ſe poſſe aiunt. Verum apud eos primò moderatio ſcenicorum fuit, deinde ſcenæ, & theatra ſæpè ſublata, & hiſtriones in exilium pulſi. Nam ocio & vitiis intumeſcebant; cum. ut Varro 2. *de re juſt.* exprobrat: *Manus novere maluerunt in theatro, ac circo quam in ſegetibus, ac vinetis.* Non poſſe in regno voluptatis conſiſtere virtutem, non poſſe inter tot irritamenta vitiorum, manere innocentiam experimento diſcebant ideoque ſæpè damnarunt, & quæ benè abdicaverant, peſſimè reſumebant. In tantam infamiam res illa abiit, ut ducum, & exercituum ſtipendia ludiones caperent tanto pretio fomenta probrorum, labes morum emebatur. Tanta merces erat morum ſtupratoribns. Ita Tertullian. loquitur: *Theatra ſtuprandis majoribus orta tot illic immundi ſpiritus conſidunt, quot homines theatrum capit.*

Tantum, tam pernicioſum malum uno verbo, una 141
ſcheda tollere Princeps poteſt, & quia tam facile obſiſtere poteſt, ſi non facit, ſervari ipſe non poteſt. Quis enim Chriſtianus tumultum ciebit? Deinde Principum & Civitatum iſtis deliciis, ſubditorum plurimi, atque adeo milites offenduntur. Iam vero in præſidiis, & Caſtris patriæ propugnatores egent, qui operam nullius pretii, operam pernicioſam navant, in auro; & purpura vivunt, & illis qui honeſta ſequuntur, inſultant. Quomodo vero conſiſtere poteſt Reſpublica, in qua Hiſtriones Ducibus æquantur? Opes Roſcii, aliorumque cum admiratione legimus, atque ex illis vanitatis publicæ inſaniam diſcimus.

Spartani in univerſum melius hiſtriones ſubmoverunt, 142
quam illi, qui legibus eos temperare conſtituerunt. Nam & ſi in publico abſtinere cogerentur interdum Principum mandatis, multa tamen ab iis in publicum ſeditiosè, fœda per domos tentata. Auguſtus quidem in Stephanionem juſtus, & ſeverus, in Pyladem remiſſus, ſed tandem conſtanter fortis, ſed in reliqua vita indulgens, & morum corruptor; nam & ipſe flagitioſiſſimè vixit, & uxor, filiæque ejus publico propro fuerunt. Itaque omnino ſcenici, ludioneſque è medio tollendi. Multo vero magis externi, quales per Italiam paſſim vagantur; ſunt enim ob artem ludicram infames, & magnas corruptelas inducunt.

Non omnem theatri tamen apparatum, omneque co- 143
mœdiarum ſtudium abrogarim; ſed certis adſtrictum legibus facilè conceſſerim.

Primo quidem ad virtutem excitet tam eos qui pronun- 144
ciant, quam eos, qui ſpectant, audiuntque ſeu fabulam,

ſeu

seu veram historiam. Vnicam cæteris modestiorem Plauti fabulam habemus, Capteivos.

Præfecto, inquit, *expediet, huic fabulæ operam dare,*
Non pertractatè facta est, neque item ut cæteræ,
Neque spurcidici insunt versus, immemorabiles.
Hic neque periurus leno est, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus.

145 Sancta igitur sint, & virtutem inserant: prudentiam civilem doceant: nihil dicetur in theatro Christianorum quod non dici possit & in templo, auditor enim tuus templum Spiritus Sancti, cui nefas est nugas, nedum obscœnitates commendare. Nam rectè omnium politicorum caput, & magni Regis institutor *lib. 7. capit. 17.* Ὅλως, inquit, αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλοτι τὸν νομοθέτην ἐξοικίζειν. *Turpiloquium, ut alia mala penitus ex urbe exterminanda esse.*

146 Secundo. Gestuum sit ea moderatio, quæ non modo gravitate viris civiliter, & cultè moratis placeat, sed quem in omnem reliquam vitam retinere possit actor. Vt scena ad comiter suaviterque in societate hominum vivendum conferat, adolescentumque etiam rusticorum ruditas, tarditasque formetur.

147 Tertio. Cum vitiosorum, ut superborum avarorum, iratorum affectus exprimuntur voce, & gestu, ea sit carminis ratio, & actionis, ut odium, & detestatio vitiorum concilietur; neque unquam mali causa, tam dextere agatur, ut bonum causa cecidisse videatur. Ita futurum non est, quod quandoque contingit, ut incessum, vultum, jactationes brachiorum, quam theatris decenter exhibuerunt, in privatam conversationem deferant. Et qui in theatro superbiam simulare videbantur, in vita ad verum præstent.

148 Quarto. Affectum amantis nunquam verbis, aut gestibus exprimant, ne quidem eo fine, ut calamitosus exitus impudicitiæ ostendatur. Non igitur Hemorem filium Sichem amore saucium producet actor, ut internecione civium omnium, scortatio vindicata plus timoris incutiat. Neque Dalilæ blanditias, ut Samsonis fata canantur. Magnum est has inter res discrimen, cogitare, loqui de superbia, avaritia, ebrietate, ejusque affectus simulare, non deducit à virtute animum: at morbus libidinis contagiosus est, minima aura transfunditur. Hoc vitium etiam consultiùs, inverecundiùs teprehensum, sæpè incitatiùs sævit. Sine sua iracundia, sine ebrietate iracundos, & ebrios homines intuentur, & ipso aspectu vitia illa damnare didicerunt. Alienas libidines improvidæ mentes securè non audiunt, nisi obiter, & in transcursu, si amoribus exprimendis inhæreas, inficitur vitio animus, antequam Catastrophem exaudiat.

149 Quinto. Lepores, & sales non damno, modo sint acuti, honesti, & ad vitiorum contemptum pertineant. Salsè enim nihil dici potest nisi in vitium. Si enim jocaris in innocentem, probrum est. In ipso joco aliquid probi ingenii eluceat: nunquam turpitudo insinuetur. Optimè Nazianzen. εἰπεῖν, ἀκοῦσαι, καὶ δρᾶσαι μικρὸν μέσον. *Dicere, audire, facere brevi distant intervallo.* Liberalis sit ergo jocus, non malevolus, non turpis; quia nec audire talem oportet. Admirandum est, quod Antonius Senensis in historia Patrum Prædicatorum narrat. Luciæ castæ, sanctæque virgini adolescens amorem suum indicarat, atque inter blanditias scripserat; *Oculorum ejus sepulchritudine sauciatum, captumque.* At illa insolens lenoniæ adulationis, simul de salute amatoris sollicita erutos oculos adolescenti misit, addito elogio, *habere eum rem velissimam, quam præ Deo suo deamasset:* quam castus ille animus, qui oculos Epistola impura violatos eruit; quia amatori placuerint; quomodo illa virgo theatricas obscœnitates detestaretur, quæ literas ita vindicavit.

Sexto. Nullam scenam mulier ingrediatur, nullus
150 cum schemate muliebri. Absit à theatro etiam habitus illius sexus, quem domi verecundia, & jura concludunt. Nunquam probavi adolescentem, fœmineo habitu simulare fœminam, etiam sanctam, pudicam, castam à fœminis comi, ornatique, quasi fœminam in publico videri. Hanc meam sententiam à Societate Iesu probatam gravissus sum; muliebri enim habitu prodire in scenam discipulos suos in posterum vetuit. Et in universum causam castitatis agi in theatro displicet. Verecunda est, & tenera, fugiendo, & latendo tutior, in publico ne pro laude quidem sua apparere desiderat. Fides, fortitudo, prudentia, sobrietas partes suas habeant. Pudicitia domi sola conscientia fruatur. Si publicè laudatur, parcè id fiat, & verecundè.

Septimò. Nemo in scenam procedat lucri gratia, 151
nemo non alia arte vitam toleret, aut impensis domesticis se, familiamque alat. Scenicos itaque, & Agyrtas, qui jocando, obscœna loquendo, fallendo victum parant, quorum laus crescit ex crimine, qui eo peritiores habentur, quo turpiores sunt, ex Republica proscribantur. Solent vero hujuscemodi homines esse improbissimi? cum enim paupertate præmantur, id agunt ut turbas colligant, ut populo placeant, hinc illa dicunt aguntque, quibus stolidissimus quisque delectatur. Hinc nihil pensi habent, quid loquantur, modo pecuniam extorqueant. Itaque malè consultum erat Reipublicæ, cum fœx illa alebatur ex publico, tantaque cura risum, & turpitudinis doctrinam emebant. Roscius mercedem diuturnam accipit mille denarios, ut Macrobius *lib. 3. Saturn.* auctor est. At sanè ista in pessimorum oblectationes insumi, quæ Provinciæ contulerunt, contra jus, fas est, quietemque Reipublicæ perturbat.

Octavò. Quemadmodum igitur oberrare non debet 152
Principis mensam obscœna licētia, sed benigna invitatio, liberalitas joci, & studiorum amor; ita oculos Christiani populi, comœdia sacra, honesta, politica, erudita, liberalis indolis index, futuræ spei pignus severa comitate, & facili gravitate oblectent. Idque agatur, ut in eam rem honestissimus quisque, & nobilissimus, exercitationemque veniat.

Primum remedium in hoc malum est, ut viri graves 153
præficiantur, qui juxta Platonis sententiam, histrionum dicta, factaque expendant, an honesta, & Reipublicæ proficua; nec prodeant, donec singula probentur. Vt præsertim Ecclesiasticus Iudex id videat, ac judicet, an ea, quæ ab iis habentur, turpia, salutique animarum dissentanea. Ita Menoch. *cas. 69. num. 42. de arb. cent. 1.* Verum id minimè necessarium, quandoquidem omnes quæ à venalibus hisce histrionibus Cœmediæ exhibentur inhonestæ censeri debeant, cum in iis viri, & mulieres de amoribus colloquantur.

Secundum longè utilissimum, in quod omnes ferè con- 154
veniunt, qui in histriones scripserunt, nimirum, ut ejiciantur, pellanturque. Ita quem modò citavimus, Menochius *num. 30.* ejus hæc verba: *Cum itaque tot, mala è spectaculis, ludisque theatralibus impudicis, atque inhonestis exoriantur, necesse habeant ii, quibus populi cura & custodia demandata est, omnem adhibere diligentiam, ne turpes iis histriones, & mimi Vrbes, & civium domos inficiant; alioqui non minus hi, quam illi delinquent, cum facere is videatur, qui non prohibet, cum prohibere possit, quod ipsi Principes, & populi facilè præstabunt, si eos non recipiant, vel receptos expellant. Si pariter civibus suis mandent, ne eorum ædes ingrediantur.* In actis Mediolanensis Ecclesiæ addidit etiam S. Carolus, ut Principes in cauponas etiam acriter animadvertant, si eos receperint.

Probatur id ex *l. 1. in fin. ff. de serv. corrupt.* ubi Vlpia- 155
nus histrionum spectacula inter malas artes enumerat. Si ars illorum est mala. Ergo illi ejiciendi; quia officium primarium Principis est Rempublicam malis hominibus expurgare *l. congruit ff. de offic. Præsid.*

Ita primus omnium Tiberius cos Roma exturbavit, 156
Dio *lib. 57. addit.* Tacit. *lib. 4. & 13.* non solum Roma, sed ex universa Italia. Nero Pantomimos omnes relegavit,

gavit, Sueton. *in Nerone cap. 16. in fine.* Domitianus etiam histrionibus scenam interdixit, Sueton. *in Domiciano cap. 7.* Massilienses nullum aditum juventuti in scenam, vel in theatrum dabant, ne per obscœnos motus juvenes impudicitia lasciviret, Alex. ab Alex. *dier. gen. lib. 5 cap. 16* Viennensibus apud Trajanum Imperatorem postulantibus, sibi restitui gymnicum agonem, à Ruffino sublatum, Plinius junior in deliberationem assumptus adjuncto sibi Maurico viro prudentissimo, censuit non esse restituendum, adiicit, vellem etiam Romæ tolli posse, idem Plinius *lib. 4. epist. 22.* Carolus Quintus Augustus Austriacus in Comitiis, habitis Augustæ Vendilicorum anno 1548. legem tulit, qua histriones omnes expulit, Tritem. *in chron. Monasterii.* Clemens octavus Summus Pontifex & Comicos scena privavit, & ne in plateis tabulatum ascenderent interdixit anno 1600. Vrbanus Octavus, Summus etiam Pontifex populo, aliisque Magnatibus quamvis flagitantibus, histriones Romæ nunquam recipi passus est.

159 Et quamvis juris communis inspecta censura, publica spectacula, permissa esse videantur *ex l. 1. & tot. tit. C. de spectacul. & scenic. lib. 11. & ex l. 2. §. si quis ff. ne in loc. publ.* nihilominus quies popularium, & disciplina spectaculorum semper fuit penes Magistratum *l. 1. §. Cura carnis, vers. qui es, ff. de offic. Præf. Vrb.* Qui quidem sicuti aliqui interdicere poterit, ne spectaculis intersit *d. §. cura carnis, vers. & Vrbe*, ita potest interdicere omnia spectacula, si hoc expedire sibi videbitur, *arg. l. quæ de tota ff. de acquir. hæred.*

160 Quare ex communi consuetudine consueverunt Magistratus scenas in publico interdicere adeo, ut nemo, nisi facta facultate, possit in publico in scenam prodire, cujus rei ratio est; quia potest Reipublicæ aliquid suspicionis afferre *l. 1. & toto tit. ff. de colleg. illic.* vel quod usu compertum sit, ex spectaculis plura oriri incommoda; quibus primum occurri debet, quam licentia concedatur.

161 Romæ licentia spectacula in publicum faciendi: nulli datur. Quinimo in diebus carnisprivii vix in domo alicujus Magnatis fieri permittuntur. Quem morem à Clemente Octavo inductum anno Iubilæi 1600. Vrbanus Papa Octavus illibatè custodivit, hoc etiam adjecto, ut circulatores, sive pharmacopolæ circumforanei tempore Adventus, Quadragesimæ, ac per totam octavam Nativitatis, & Resurrectionis D.N. Iesu Christi, item feria sexa, aliisque festivitatibus in Dei honorem consecratis, nullatenus in publicum ad ludicra faciendum prodeant. Cæteris vero diebus eis miserationis gratia indulgetur, ut inter res vendendas possint ad populi concurrentis solatium aliquid honesti joci permiscere. Neapolis peculiari pragmatica prohibentur Comœdiæ, & alia quævis histrionum ludibria in locis publicis repræsentari, ut in *pragm. 1. tit. ne quid in loc. publ. fiat*, quam Rovitus commentario suo exornavit.

162 Porro histriones regulariter tam in civilibus, quam in criminalibus sunt de jurisdictione Iudicis laici. Tum quia histriones esse nequeunt, nisi Laici, *cap. unic. de vit. & honest. Cler. in 6.* Tum etiam quia ad Iudices Laicos pertinet cura spectaculorum *d. l. 1. §. cura carnis, ff. de offic. Præt. d. l. 1. & tot. tit. C. de spectacul. l. quædam, ff. de pœn.* Menoch. *d. cas. 69. num. 34.* Quod multipliciter limitatur à Ricciullo *de person. quæ in stat. reprob. versant lib. 5. capit. 16. à numer. 3. ad 10.* ubi ad hanc rem multa, præcipuè an in casibus, in quibus Iudex Ecclesiasticus potest procedere contra histriones, aliosque laicos, vel quia casus est mixtus, vel ratione peccati, possit procedere quoad pœnas spirituales tantum, vel etiam quoad temporales *cavit. 17.* & alia toto dicto *lib. 5.* Episcopus autem prohibere potest, ac tenetur sub mortali, sibi reservato, ac etiam sub excommunicatione ejusmodi comœdias, ludosque obscœnos, & qui non sistunt intra terminos honestatis, sed ordinantur ad lasciviam ex seipsis, quatenus apti sint provocare ad libidinem, quamvis ex intentione ludentium ad hunc finem non ordinentur.

Quia Episcopi sunt pastores suorum subditorum, atque 163
ad ipsos spectat eos dirigere ad salutem æternam. Ex quo fit, quod teneantur non solum ex charitate, sed etiam ex officio tollere ea, quæ obstant assecutioni salutis, ac proinde teneantur obviare peccatis corrigendo, & illa media adhibenda, quibus impediri possunt, ut sunt leges prohibitivæ, casus reservati, & censuræ Ecclesiasticæ, ut docent communiter cum D. Thomæ 2. 2. *quæst. 33. art. 3. ad 1.* Turrian. *disp. 87. dub. 1.* Malderus; ac cæteri Interpretes Valent. *disp. 3. quæst. 19. punct. 3.* Suar. *disp. 8. de charit. sect. 4. num. 4.* Coninch. *pariter de charit. disp. 28. dub. 5.* Zech. *de republ. eccles. tit. de stat. Prælat. num. 9.* Felin. in *cap. 1. num. 2. de fregu. & pac.* Abb. *in cap. 2. eod. titul.* Alex. *cons. 75. num. 2. vol. 3* Galii cum Glos. in *c. Clericos de immun. Eccles. id 6. & in cap. irrefragabili, v. ne Sanguis eorum de offic. ordin.*

Ac desumitur *ex can. error dist. 83.* ubi Innocentius Papa 164
declarat Prælatos, qui negligunt extirpare delicta, cum possint, in iisdem communicare, & *ex d. cap. irrefragabili* ubi Concilium generale injungit Prælatis, ut corrigant excessus, ac reforment mores, ne sanguis subditorum de suis manibus requiratur. Et communiter Sancti Patres agnoscunt hanc obligationem in superioribus, & præcipuè in Episcopis. Vnde S. Augustinus *lib. 1. de Civitate Dei cap. 9.* ait: *Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata.*

Constat autem; quod ludi obscœni sunt unum ex 165
illis, quæ obstant saluti æternæ consequendæ, quatenus præbere soleant occasionem scandali, cum ex se, quamvis desit prava intentio in ludendis, possint excitare pravas concupiscentias, & instillare venenum libidinis. Vnde cum hujusmodi sint fomentum peccatorum, merito prohibere poterit Episcopus, ut tollat hoc impedimentum ad assequendam vitam æternam.

Imò etiamsi hujusmodi ludi non contineant ex se pec- 166
catum mortale, sufficit, tamen, quod aliquando trahant secum peccatum mortale. Quod aliquando habet locum etiam, quando hujusmodi ludi proveniunt ex sola levitate, ut de superfluo ornatu docet D. Thom. *2. 2. q. 169. art. 2.* Imo etiamsi nunquam esset peccatum mortale, sufficeret, quod inde oriatur occasio peccandi. Quia etiam indifferentia prohiberi possunt, quando præbent impedimentum fini salutis æternæ, imo etiam quando solum obstant fini politico Reipublicę, ut in materia de legibus docent Doctores.

Hæc autem cum ita sint, vereor tamen, ne actori- 167
ctoribus ejusmodi Comœdiarum eveniat, quòd Tacitus Astrologis sub nomine Mathematicorum evenisse memorat oraculo suo, vaticinio nostro *lib. 1. histor. genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.* Hactenus actum de actoribus Comœdiarum nostri temporis, earumque fœditate. Vos, Lectores, valete, & plaudite.

FINIS OCTAVI TOMI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

PIGNATE
CONSVLTA
CANONIC

TOM. 6. 7. 8.

B
1
29